Ruri cum degeret pauperes puellas Christianæ fidei rudimentis imbuebat, ut quæ libentius, & certatim confluerent singulis quibusque festis diebus, plerumque illis sudariola, & gremialia, assentiente matre, donabat, cumque nacta esset ruri pabulum hoc eximiæ virtutis, egerrime repetebat urbem, in qua tamen solitudinem inveniebat in ædium angulo piis precibus insistens, ac sedulo satagens, ut id ipsum domestici omnes præstarent. Exinde Cœnobium Monialium S. Joannis Equitum ingressa, ut ibidem, ut assolet, aliquot annos excoleretur, ea præbuit cœlestis indolis argumenta, ea charitatis, obedientiæ, & humilitatis specimina, ut Moniales Sanctam illam fore, ac divæ Catharinæ Senensi non imparem præsagirent. Ægris præsertim solicitam operam adhibebat, illas sacrorum voluminum lectione reficiens, & ignito de rebus Divinis eloquio ad cœlestem amorem erigens. Ipsa vero adeo vulnerata erat jaculis charitatis, adeo inebriata nectare Beatorum, ut vultu præseferret Cordis incendium, ideoque accensæ Rosæ speciem interdum exhiberet: instar syderum illius oculi scintillarent; immo angelicæ formæ radiis intuentes bearet.

Ruri cum degeret pauperes puellas Christianæ fidei rudimentis imbuebat.

Urbem repetens domi in angulo piis precibus insistebat.

Monasterium Monialium S. Joan. Equitum ut excoleretur ingreditur.

Monialium de ea præsagium.

Ægris assistebat illas SS. Voluminum lectione reficiens.

Interdum vultu præfert speciem accensæ Rosæ.

Sextodecimo ætatis anno uberrima profusione lacrymarum à parentibus tandem extorsit facultatem religiosi habitus suscipiendi, & gaudio triumphans in monasterio S. Mariæ de Angelis (cujus parietes suavissime osculabatur) ordini Carmelitarum adscripta est. Atque is in illa statim solitudine amor exarsit, ut nunquam ad ferreas crates accesserit, nisi præcepto superioris coacta: quod si aliquando a suis illam latebris abstrahebat, ad supplicium impellere videbatur; ipsorum etiam parentum, & consanguineorum colloquia, præsertim virorum, aversabatur. Præterea mirum in modum solicita erat, ne frustra contereretur tempus, quod divinis colloquiis consecrandum erat. Et quia *justitiæ Custos silentium est*, illius leges servavit religiosissime.

Anno ætatis suæ 16. Monasterio S. Mariæ de Angelis Ord. Carmel. ascribitur. Ad crates ferreas nunquã accessit, nisi coacta præcepto superioris.

Colloquia Parentum, & Consanguineorum abhorrebat.

Silentii leges servabat religiosissimè.

A superiorum nutu ne latum quidem unguem discedebat, licet non raro imperarent arduа; imo etiam illa, quæ in extasim raptæ virgini Deus imperabat, nonnisi accedente superioris assensu, exequebatur. Sanctissimo ambitu vilium officiorum incendebatur. Paupertatis amantissima gestiebat, si quid interdum vitæ necessarium illi defuisset: novam nunquam, sed magis attritam vestem quærebat; cumque omnium se se virtutum ideam Monialibus exhiberet, iisdem interrogantibus, quo pacto religiosa vita instituenda sit, respondere solebat, eo semper spiritu vivendum, quem prima ingressus die conceperant, ac nullum privatum commodum sacri ordinis instituto præferendum.

Etiam in arduis obediẽtissima fuit.

Incredibili ardore animi Professionem emisit decimoseptimo ætatis anno: & de claritate crescens in claritatem usque ad perfectum diem, ut Sorores omnes Divino amore incenderentur, illarum munera obibat, domesticos labores noctibus peragens, quas plerumque traducebat insomnes, ut illæ secum transigerent dies in divinarum contemplatione rerum. Quod si aliquando repugnantem somnus opprimeret, miro pudore suffusa, flagellis corpusculum cruentabat, & ad opus regrediebatur, sed quod in aliis fovere satagebat orandi studium, mirifice illo ipsamet virgo æstuabat, & perpetuis precibus S. Deo Ecclesiam commendabat, dicere consueta Christi sponsam non appellandam esse Sanctimonialem illam, quæ inter orandum sedulo memor non esset Sponsæ Divinæ Catholicæ Ecclesiæ. Choro defuit nunquam, nisi ab ægritudine prohiberetur.

Anno ætatis decimo feria quinta sanctioris hebdomadæ contemplata charitatem eximiam, qua se mortalibus in augustissimo Sacramento cibum Christus exhibuit, perpetuum illi munus devovit virginitatem suam; ac deinde quotiescumque a parentibus mortalis sponsi mentionem fieri audivit propemodum exanimari visa est: ac certe subituram se potius mortem profitebatur, quam unquam a concepto proposito resilire, beatius videri sibi dicens in carne imitari vitam angelicam, quam ex carne mortalium numerum augere. Matrem ergo sollicite conciliare sibi studebat, ut ad Sanctimonialis vitam (ad quam avidissime ferebatur) liberum sibi iter indulgeret. Patri vero sancte asserebat, se potius violenta morte extinguendam, quam dimovendam a semel concepto religiosæ vitæ proposito.

Anno ætatis suæ 17. professionem emittit.

Domesticos Monialium labores noctibus peragebat ut illæ secum transigerent dies in rerum Divinarum contemplatione.

Studio Orationis æstuabat.

Ajebat Christi sponsam non appellandam, quæ inter orandũ S. C. Ecclesiæ memor nõ esset.

Choro numquam defuit nisi ob ægritudinem.

Cœlestis amoris incendium in omnium animis excitare cupiebat, & ad illum perpetui stimuli erant Magdalenæ colloquia, perspicua ingenii acies, modestissima serenæ frontis tranquillitas, prudentiæ lumen illustre, & prodigiosa eloquentia in sermone de rebus Divinis facilem illi aditum præbebant ad animos occupandos. Sed uberiorem exercendi zeli materiem sortita est, cum illi vigesimum tertium annum agenti demandata est Tyruncularum cura, quas præsentia ipsa erigebat ad studia divina, & uno intuitu oculorum culpæ alicujus conscias deterrebat, ita, ut faterentur optimæ adolescentulæ se qualibet, vel leviſſima labe conspersas Magdalenæ conspectum subire nunquam ausas fuisse. Atque adeo constans de magistræ sanctitate opinio discipularum animos occupaverat, ut ipsa (quæ omnium imperfectissimam, & culpis obrutam arbitrabatur se) omni studio laboraret, quo eas ab hac mente dimoveret, ideoque perturbationes animi sui, & hostis nequissimi tentationes iisdem memorabat.

Divinum amorem in omnibus excitare cupiebat.

Anno ætatis suæ 23. Magistra Novitiarum deputatur.

Novitiæ, vel leviſſima labe conspersæ Magdalenæ conspectum subire noni audebant.

Animorum statum, & intima cujusque penetralia intuebatur; adeoque consentanea cuilibet spiritus languori remedia adhibebat, ut non solum Tyrunculas, sed pleraſque alias tentationibus vexatas ejus directioni Confessarii subjiceret: atque ut solo verbo serenitatem animis afferebat, ita solo nutu aliorum pervicaciam infringebat. Incredibilis erat illius pro periclitantium animarum salute zelus: & quoties ad innumeros infideles a Christi ovili devios flectebat oculum mentis, medullitus cruciabatur, atque hæc cogitatio perpetuus illi erat fons lacrymarum, adeo, ut cibo refici non posset, & fletu stratum suum rigaret. Mariam Mediceam Henrico IV. Galliarum Regi desponsam hortata est impense fuit, ut hæresum extirpationi, & Catholicorum filiorum educationi sedulam operam adhiberet.

Animorum statum, & intima cujusque penetralia intuebatur; adeoque consentanea cuilibet spiritus languori remedia adhibebat, ut non solum Tyrunculas, sed pleraſque alias tentationibus vexatas ejus directioni Confessarii subjiceret: atque ut solo verbo serenitatem animis afferebat, ita solo nutu aliorum pervicaciam infringebat. Incredibilis erat illius pro periclitantium animarum salute zelus: & quoties ad innumeros infideles a Christi ovili devios flectebat oculum mentis, medullitus cruciabatur, atque hæc cogitatio perpetuus illi erat fons lacrymarum, adeo, ut cibo refici non posset, & fletu stratum suum rigaret. Mariam Mediceam Henrico IV. Galliarum Regi desponsam hortata est impense fuit, ut hæresum extirpationi, & Catholicorum filiorum educationi sedulam operam adhiberet.

Zelus incredibilis pro salute animarum.

Mariam Mediceam Regi Galliæ desponsam impense hortatur pro extirpatione hæresum, & catholicorum fil. educatione.

Ad hæc incendebatur incredibili siti Martyrii, cujus delicias delibare conabatur assiduis corpusculi cruciatibus, *semper mortificationem Jesu Christi in se circumferens, ut vita Christi manifestaretur in corpore suo.* Ægris ædhæret assidue: de vita periclitantibus solatium, & opem afferebat, insomnes noctes traducens, atque eo charitatis ardore ministrabat quovis etiam sordido morbo laborantibus, ut ex fœtidissimo cujusdam ulcere vermiculos, & putredinem obstergeret, cumque lamberet putres ejusdem ulceris hiatus, exclamabat: *O quam majora passus est Jesus pro nobis.* Præ-

Ingens martyrii desiderium.

Assidua Infirmarum cura.

Ulcera lambebat.

terea

Cruſtas lepræ ſimiles per ſeſquiannum lingit, & ita ſalutem Monialibus Infirmis donat.

terea deformes ſcabiei cruſtas quibus obtegebatur corpus ſororis Barbaræ de Baſſis, non abſimiles lepræ, & Mariæ Benignæ de Orlandinis fœtido itidem morbo, & in lepram deſituro per ſeſquiannum confectæ lingendo, utrique prodigioſam ſalutem hoc eximiæ charitatis, & tolerantiæ miraculo redonavit.

Quinquennio panis, & aqua illi cibus fuit, prout in rubrica.

Panis tantum, & aqua cibus illi, & potus quinquennio fuit; proximo autem biennio, Medicorum juſſu, modicum vinum adhibuit, ac dominicis diebus uſa eſt epulis, quibus veſci ſinunt jejunii leges. Cum vero experiri voluiſſent moderatores, an, Deo annuente, illa ſe inedia torqueret, pro imperio compulerunt uti mitioribus cibis, ſed eam difficultatem in deglutiendo experta eſt, ut ſingultibus propemodum ſpiritus illi fuerit intercluſus; idcircò mirabilem tam rara abſtinentia vitam protrahebat; nudis incedebat pedibus, quamvis glacies horrida rigeret, quoad uſque pedum uſu deſtituta, aliena tantum ope progredi potuit, & quamvis morbi deterrere illam debuiſſent, tamen tam incredibili cruciandi corpuſculi ſtudio incendebatur, ut integras noctes ſacris in precibus vigilaret, ferreo cingulo, & cilitiis protereret carnem, caput ſpinea corona transfigeret, & liquenti cera ſe interdum uſtularet.

Experitur quod Deo annuente illa inedia ſe torqueret.

Referuntur actus incredibilis pœnitentiæ.

Sed, quod admirabilius eſt, non ſolum omnes corporis cruciatus avidiſſime amplectebatur, verùm etiam nulla cœleſti dulcedine ſuum animum recreari, aut ſaltem clam omnibus eſſe divinas delicias animi ſui exoptabat; ideoque ſi forte incidiſſet in ſcripta, quæ de ſuis viſionibus ſorores exarabant, illico ea comburebat: & oculis, ac toto habitu oris ſumma modeſtiſſimi animi demiſſio, ſuique contemptus mirifice promicabat, ſed fruſtra cœleſtium chariſmatum dona tegere laborabat; tantus enim in illius animo flagrabat æſtus amoris divini, ut per clauſtra tranſiliens exclamare cogeretur. *O amor, o amor non bene notus, non bene redamatus, tot injuriis affectus: o quam pauca pectora te norunt! ego pectus meum exhibeo, veni ad cor meum, veni ut fovearis.* Interim mira corporis agilitate per clauſtra ferebatur, dilacerabat veſtes, & procul abigebat quidquid illius in manus incurriſſet: a feliciſſimo deinde mentis exilio regreſſa dicere ſolebat, quod ſi blaſphemiis immunis eſſet Infernus, illum non exhorruiſſet, ut combureretur magis.

Spirituales delicias animi ſui pro viribus occultabat.

Exclamans in exceſſu mentis tranſiliens per Clauſtra, prout in rubrica.

De Inferno quid dicere ſolebat.

Obſequentiſſimo cultu venerabatur auguſtiſſimam Trinitatem, quam perpetuis fere laudibus adorabat, & illius ſingulari beneficio anno 1585. a pervigilio Pentecoſtes per conſequentes octo dies ac noctes ſenſibus deſtituta, gaviſa eſt intuitu divinarum rerum, atque in eo rapta quotidie matutinis horis divini ſpiritus auram ſub diverſis formis accepit. In extaſim rapiebatur ubi ſymbolum fidei recitabat, atque hoc illi non ſemel evenit alloquenti Alexandrum Cardinalem Mediceum (cui Pontificatum, eumque breviſſimum futurum prædixit) & qui poſtea re ipſa Leonis XI. nomine Pontifex Maximus renunciatus eſt.

Per 8. dies à perviligio Pentecoſtes ſenſibus deſtituta manet in raptu, & quid ei acciderit.

In extaſim rapitur, dum Symbolum fidei recitat.

Leoni XI. Pontificatum prædicit, & breviſſimum.

Eodem anno, & milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo feria quinta, & ſexta ſanctioris hebdomadæ, ſimiles animi exceſſus experta eſt, atque illi Chriſtus indulſit participationem dolorum, quos acerbiſſimos iiſdem ipſe diebus pro generis humani redemptione toleravit, eique inſtrumentorum ſuæ Sacratiſſimæ Paſſionis faſciculum porrexit.

A. 1592. feria 5. Major. hebdomad. participat dolores Paſſionis Domini.

Interdum per tres conſequentes noctes arcana divinitatis intuita eſt, ac ſubinde auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium ea facundia expoſuit, quæ humani vires ingenii ſuperabat, ac tanto divinarum perſonarum amore incendebatur, ut dum inter horas canonicas laudes ſanctiſſimæ Trinitati perſolveret, exalbeſcere pallore niveo, & amoris æſtu pene confici videretur.

Per tres conſequentes noctes arcana Divinitatis eſt intuita.

Præterea cum æterno Patre eodem anno admirandum habuit colloquium de modo adornandi animam ante ſumptionem SSmæ Euchariſtiæ; atque his profuſæ in ſe divinitatis muneribus, ad illud amoris incendium evaſit, ut interdum exclamaret: *O amor te amplius ferre non poſſum: amor in te revertere! tanti amoris incapax ego ſum.* Exinde ad gelidum fontem, vel ad putei crepidinem manus, & brachia undis mergebat, eaſdem potabat aviditſime, illarum copioſa aſpergine pectoris æthnam refrigerabat, nempe ſemel hoc impetu charitatis acta, pendentis e Cruce reparatoris noſtræ ſalutis imaginem amplectebatur, eamque a Cruce divulſam lacrymis irrigabat, & ſui capitis velaminibus innocens Magdalena tergebat. Interdum os tam avide admovebat lateri crucifixi, ut videretur ſuaviſſimam ex illo fonte divino ambroſiam haurire.

De præparatione ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Divinum amorem ferre ultra non valens quid diceret.

Quid inde faceret.

Erga Imaginem Crucifixi quomodo ſe gereret.

Non ſemel ſponſi divini manu Euchariſtico epulio refectam, & anulo nuptiali ſubarrhatam, idem ſponſus ſua ſpinea corona, impreſſis in anima ſtigmatibus, ac ſuo divino corde muneratus eſt: & Divus Auguſtinus (ejus felicem animum in mentis exceſſu aliquando ſuſpexit) illius cordi *verbum* aureis, *caro factum eſt*, ſanguineis notis inſcripſit.

Divinus ſponſus non ſemel Euchariſtiam præbet.

Anulo, Corona ſpinea; Stigmatibus eam donat.

D. Auguſtin. ejus cordi inſcripſit Verbum caro &c.

Statum animarum in altera vita perſpexit: pariter ſpiritu prophetico dotata, ex divina revelatione futuros rerum eventus prænunciavit, & quædam in locis remotis facta, & dicta tanquam præſens vidit, & audivit.

Statum animarum in altera vita perſpexit.

Prophetiæ dono illuſtris.

Sæpe ſæpius manualibus, qua ſuendo, qua ſanctorum imagines pingendo, qua aurum ſcindendo, ſimileſve alias obeundo functiones, implica exercitiis, repentino corripiebatur mentis exceſſu, quæ fixis in cœlum palpebris, imo feneſtris clauſis, oculiſque faſcia velatis, tota immobilis, & extatica, cœptum qualecumque eo modo proſequebatur, & ita abſolute perficiebat opus, quaſi huic unice intenta foret.

Manualia opera in extaſim rapta feneſtris clauſis, oculiſque velatis tota immobilis perficiebat.

Cum autem (ſicut prædictus divinitatis amantiſſimus Auguſtinus) experiretur inquietum eſſe cor ſuum donec requieſceret in Deo, conquerebatur, quod incolatus ejus prolongaretur; amoris igitur æſtu feliciſſime contabeſcens, vigiliis, & afflictationibus corporis pene conſumta, quem delicatiorem cibum ad illam decumbentem ſorores afferebant, ad alias ægrotas mittebat, adeoque caſtitatis cuſtos religioſa fuit uſque ad interitum, & ægreferens ſororis manibus contingi, cum vires illi non eſſent, quibus in aliam ſtrati partem converteret ſe, jucundius ſibi eſſe diceret in lecto marceſcere, quam ab aliis attingi, cumque illi mors inſtaret a confeſſariis interrogata ingenue profeſſa eſt, nullam ſibi unquam in animo cogitationem fuiſſe, quæ quidquam de caſtitatis candore delibaret; atque hunc integerrimæ pudicitiæ florem a Beatiſſima Virgine indultum ſibi fuiſſe aſſerebat, quæ ſe in extaſi candido aliquando velamento operuerat, quo protecta nullis unquam contrariis pudicitiæ maculis infici potuit.

In ultima ægritudine delicatiores cibos ſibi allatos mittebat ad alias ægras.

Uſque ad interitum integerrimam caſtitatem ſervavit.

Confeſſario fatetur nullâ unquam turpem habuiſſe cogitationē.

D. Donum à B. Virgine ſibi indultum teſtatur, & quando.

Quinque omnino menſes cum ægritudine conſtans præbuit argumentum invictæ tolerantiæ, Sacramentis deinde refecta, ſingulari animi dimiſſione veniam a ſororibus flagitavit, quas, nihil ipſa mortem pertimeſcens, conſolabatur: ſpiritualem vero Patrem circa ſeptimam noctis horam rogavit, ut ad quieſcendum pergeret, ſpondens uſque ad proximum mane ſuperfuturam ſibi vitæ uſuram. Sub interitum ſororibus innuit, ut fidei ſymbolum recitarent, eoque inchoato in extaſim rapta eſt, & ſempiternæ præludia felicitatis illius in vultu effulſerunt.

Invicta tolerantia in ægritudine quinque menſium.

Tempus mortis præcidit.

Sub interitum innuit ut fidei Symbolum recitetur.

Eo inchoato in extaſim rapitur.

Cum animam ageret integerrima virgo, juſſa eſt a confeſſario præſtolari quoad uſque ſacrum ipſe faciens cœleſti pane moniales refice-ret, at Magdalena, quæ uſque tunc penitus obmutuerat quaſi reviviſcens dixit, *Benedictus Deus*,

Agens animâ obtemperat Confeſſario.

ac deinde regressis omnibus e sacro Convivio, sanctissimum animum choris cœlestibus inserendum emisit die 25. Maii anno millesimo sexcentesimo septimo, ætatis suæ quadragesimo primo expleto.

Obiit die 25. Maii 1607. ætatis suæ 41.

Consequenti die cum illatum Ecclesiæ fuisset Sacrum virginis corpus, vis hominum tanta confluxit illius vestes incidere studiosissime, ut necesse fuerit occlusis postibus turbam aditu prohibere. Prodigiosum fuit, quod cum ad sinistram vergeret Magdalenæ facies, & feretrum nullo motu concuteretur, in dexteram invertit se, quia sinister illi aderat adolescens profligatæ vitæ, cujus aspectum nec exanimatum virginis corpus tolerare potuit.

Ad ejus feretrum ingens hominum multitudo.

Ad dexteram faciem invertit, quia sinister erat Juvenis profligatæ vitæ.

Humili primum loco sub Ara majori sepultum est virgineum corpus, quod ibidem per annum quievit incorruptum, quamvis loci humiditas vestes penitus absumpserit. Inde translatum manavit liquore suavissimo ad instar balsami, & variis languoribus saluberrimo, & in præsentia cujuslibet corruptionis expers suavissimo etiam odore fragrat.

Humili primùm loco sub Ara majori sepultum, post annum incorruptum corpus reperitur. Translatum liquore adinstar Balsami manat, & incorruptum manat.

Interim crescente fama illius sanctitatis, & miraculorum, editi sunt Processus informativi auctoritate Ordinaria; Cumque illos retulisset in Congregatione Sacrorum Rituum bo. me. Alexander Cardinalis Ursinus die decimo Februarii anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, eadem Congregatio concessit remissoriales literas, ad sumendas probationes in genere, & in specie, & Sacræ Rotæ Auditoribus de more commisit discutiendam Causam.

Processus informativi authoritate ordinaria. S. Congreg. SS. Rituum 1624. concedit literas remissoriales.

Die verò quarta Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, post advectos ad Urbem processus Florentiæ compilatos, referente bo. me. Carolo Cardinali Pio, supradicta Congregatio censuit constare de illorum validitate; Deinde vigesima quarta ejusdem mensis die asseruit constare de virtutibus in gradu heroico, & demum secunda Maii consequentia miracula approbavit.

Die 4. Aprilis 1626. censuit constare de validitate processuum compilatorum. Die 24. dicti mensis asseruit constare de virtutibus. Die 2. sequentis Maii sequentia miracula approbat.

Acerbissimis doloribus urgebatur soror Maria Catharina de Chellis ob ulcus, ex quo pars ossis putrefacti fuerat educta, sed fasciis à Magdalena obligata, illico a dolore, subinde ab ulcere liberata est.

Liberatio ab ulcere.

Omnimoda nervorum attractione laborans Soror Fides, & lecto hærens immobilis inter acerrimos cruciatus, accepta è Magdalenæ manibus Deiparæ Virginis imagine extemplo convaluit.

Laborans attractione nervorum statim convaluit.

Formato signo crucis super Catharinam de Spinis dire cruciatam à Dæmone, illico in fugam egit hostem.

Signo Crucis Dæmonem ejicit.

Sororibus Barbaræ Bassæ, & Mariæ Benignæ de Orlandinis tabifica scabie, & lepræ simillima infectis, purulenta earum ulcera lambendo, sanitatem reddidit.

Tabifica scabie infectis sanitatem reddit.

Sensuum motum, & integram salutem restituit Sorori Paci de Columbinis sinistri lateris apoplexia correptæ.

Sensuũ motũ & integram salutem sinistri lateris reddit correptæ apoplexia.

Destituta jam erat à Medicis Cherubina Rabatta pessimo ulcere in capite infecta, & febri præterea, atque atrocissimis doloribus æstuans, cui tamen ulcus, dolorem, & febrim ademit, productum ter super illam à Maria Magdalena signum crucis, eademque Cherubina alio ulcere, & lethali febri confecta, jamque sacro munita oleo ferè cum morte luctabatur, cum attingens stramentum, in quo Magdalena decumbebat, saluti se restitutam extemplo sensit.

Signo Crucis ter producto adimit ulcus, dolorem, & febrim.

Post mortem verò (præter diutinum liquorem mire fragrantem, qui variis languoribus saluberrimus affluxit e tibiis corporis Sanctissimæ hujus Virginis integri, & incorrupti) Maria de Rovanis 16. jam mense lethali febri correpta, & omni salutis spe destituta, admovit sibi ad pectus fasciculum florum ob contactum Sacri Corporis salutarium, & statim in soporem facta est, & brevi expergefacta prosiliit è strato prorsus incolumis.

Attingens stramentum, in quo Magdalena decubuit ab alio ulcere, & lethali febre convaluit.

Eadem Maria quadriennio post febri molestissima, & variis morbi symptomatibus in vitæ discrimine constituta, ad tactum pulvilli, quo usa fuerat Magdalena, convaluit. Subinde febri, & acerbissimis stomachi doloribus laborans, & duos menses lecto affixa, statim atque Magdalenæ tunicam superinduit, ad sanitatem revocata est; quam etiam post annum recepit, cum duos itidem menses febri æstuasset, producto super illam signo crucis cum velo Mariæ Magdalenæ.

Lethali febre correpta sibi admovens flores Sacri Corpori appositos convaluit.

Ad tactum pulvili Magdalenæ laborans molestissima febri convaluit.

Crudelissimo stomachi dolore, & capitis cruciatu cum vertigine, & febri Catharina de Tassis vitæ marginem attigerat, sed admota stomacho particula vestis Magdalenæ, repentino somno correpta, atque evigilans omni se dolore, & ægritudine exemptam reperit.

Magdalenæ tunicam super induens acerbissimis stomachi doloribus laborans ad sanitatem revocatur.

Magdalena de Rondonis sexenni dolorum tormento propemodum extincta, omni certè humani remedii spe destituta, admotis corpori Magdalenæ vestibus, voto vix nuncupato convaluit: sicut etiam Petrus de Allis Romanus febri, & doloribus contabescens superinduto Magdalenæ velo extemplo convaluit.

Per 2. menses febri æstuans producto signo Crucis cum velo Magdalenæ sanitatem recepit.

Cum autem jam ab illius obitu celeberrima esse cœpisset Mariæ Magdalenæ Sanctitas, & veneratio populorum, ac ipsius intercessione patrata miracula viam illius clarificationi aperirent; formati sunt processus authoritate Apostolica, quibus examinatis fel. rec. Urbanus VIII. Prædecessor noster, tunc suus annuens repetitis precibus dilecti filii nostri, tunc sui nobilis viri Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, ac dilectarum in Christo filiarum monialium dicti Monasterii S. Mariæ Angelorum, die 8. Maii 1626. hanc Dei servam Beatæ titulo insignivit, ac die 22. Augusti universo Carmelitarum ordini indulsit, ut illius officium, & Missam recitaret; die verò 15. Januarii 1628. hujusmodi indultum extendit ad universam ditionem Florentinam.

Affecta crudelissimo stomachi dolore, capitis cruciatu cum vertigine, & febri, particula vestis Magdalenæ stomacho admota liberatur.

Sexẽni dolorum vi ferè extincta admotis corporis Magdalenæ vestibus convaluit.

Item febri, & doloribus tabescens superindutus Magdalenæ velo.

Processus authoritate Apostolica compilati. Urban. VIII. 8. Maii 1626.

S. D. titulo Beatæ insignivit.

Die 22. sequẽtis Aug. ordini Carmelit. indulsit illius Officium, & Missam.

Die 15. Jan. 1628. d. Indultum extendit ad totam ditionem Florentinam.

Post novissima autem Decreta ejusdem Urbani prædecessoris, die 1. Aprilis anno 1662. eadem Congregatio censuit constare de casu excepto, nempe de cultu Beatæ exhibito authoritate Apostolica; die 10. Septembris 1668. cum declaratum jam antea fuisset constare de validitate aliorum processuum super his, quæ beatificationi successerunt, decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatæ venerationem consecutis.

Die 1. Aprilis 1662. d. Sacra Congr. censuit constare de casu excepto.

Die 10. Sept. 1668. decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatificationem.

Perseveravit enim corporis incorruptio cum mirabili flexibilitate quarumdam partium, in quibus caro tactu pressa cedit, & post ad pristinum redit: In manibus, & brachiis cernuntur venæ: Capilli adhuc suo fulvo rutilant colore; candorem servat caro in artubus, qui vestibus teguntur; quæ, & pium inflammant affectum, & sanctæ devotionis stimulos accendunt.

Perseverantia incorruptionis corporis cum mirabili flexibilitate.

Continuavit etiam suavissimi odoris ex singulis membris, sed præcipue, & acurius ex stomacho fragrantia, tam mira suaveolentia, ut ei nec liquorum, nec florum, aut aromatum odores comparari queant: adeo ut plurium medicorum assertione, & testimonio constet non nisi divinitus prodire ex illo virgineo corpusculo talem fragrantiam, quæ adhuc longe suavius emanavit cum anno Domini 1663. pro solemni canonizatione exaratus fuit processus.

Continuatio suavissimi Odoris.

Solemni præterea ritu celebrantes beatificationem illius Moniales cœnobii S. M. Angelorum (in quo ejus Sacrum corpus requiescit) divina virtute factum est, ut vas in quo oleum asservabatur, invenerint (postquam plurimum ex eo hauserant) plenum, & successive auferendo, merito hujus Elianæ Virginis (adinstar sui Patriarchæ) per integram illius celebritatis octa-

Longè suavior emanavit año 1663. dum exaratus fuit processus pro Canonizatione.

In solemni Beatificatione, & octava Vas à quo

oleum hauriebant numquam fuit imminutum.

vam non imminutum fuisse, quod exacta perquisitione in Congregationibus discussum, inter præcipua Cæli de hujus Virginis beatitudine testimonia numeratum fuit, & hoc eo magis, quod ejusdem olei usu plura alia mirabilia Dominus ad suæ Sponsæ glorificationem operari dignatus est.

Usu d. Olei Dominus plura mirabilia patravit.

Inter ea priori non absimile fuit, quod anno 1654. deficiente in mense Augusto oleo (cujus penuria tunc Monasterium illud laborabat) præfecta cellarii, Soror Charitas dicta, interno afflata instinctu, sumens parum olei jam ante per annos cælitus multiplicati, una cum altera ex monialibus Sorore Obedientia nomine, orans, & applicata hujus Beatæ Imagine, obtinuerunt ejus intercessione tantum illius augmentum, ut qualibet hebdomada haustis pluribus mensuris, pro Ecclesiæ, & Monasterii usibus usque ad festum Nativitatis Domini sufficeret, nec imminutus est lecythus usque ad novam in Decembri oleitatem, quo quidem oleo ita multiplicato plura mirabilia patrata fuere.

Parum d. Olei in lecyto Monasterii oleum multiplicat usque ad novam oleitatem.

Magdalena Angela Govina monialis in cœnobio Murattarum Florentiæ, cum per biennium in oculo dextro morbo guttæ serenæ vexata fuisset, ita ut jam ferè omnem videndi vim amiserit; & in lævo etiam notabilem diminutionem ejusdem potentiæ experiretur, cum pluribus adhibitis curationibus adhuc magis visus ille imminueretur, desperans de omni humano remedio, Beatæ Mariæ Magdalenæ invocato nomine ejusque velum sibi transmissum retinens, statuensque firmiter se in posterum, (obtenta restitutionis visus gratia) jejunaturam in pane, & aqua, in ejus pervigilio, & curaturam Missæ celebrationem, cum argenteæ Imaginis appensione ad ejus sepulchrum; cum tota nocte acerbis doloribus cruciata fuisset, & paulisper quievisset, expergefacta, se utriusque oculi visivam virtutem recuperasse, intercessione ejusdem Virginis experta est, quod expedita lectione (ad quam ante omnino impotens erat) Abbatissa ipsius comprobavit, & debitis Deo persolutis gratibus, ejusdemque Beatæ applicato velo visum magis corroborari sensit, quod divina virtute, supra naturæ vires operante, actum fuisse Medici agnoscentes testati sunt.

Morbo guttæ serenæ vexata in oculo dextero, & in lævo parū videns, velum Beatæ retinens, utriusque oculi perfectum visum recuperavit.

His, & aliis supra enarratis ejus sanctitatis coruscantibus signis, quam in cælis adeo acceptam divinæ majestati patronam humana infirmitas experiebatur, accedentibus insuper charissimi in Christo filii nostri, tunc sui Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & charissimarum in Christo filiarum Augustæ illius conjugis, necnon christianissimæ Galliarum Reginæ, ac dilecti filii nostri, tunc sui nobilis viri Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ magni Ducis, & dilectæ in Christo filiæ Victoriæ de Rovere magnæ Ducissæ Hetruriæ, & aliorum catholicorum Principum fere omnium, & universi Carmelitarum ordinis, & monialium S. Mariæ Angelorum precibus, quibus id a dicto Clemente prædecessore summa cum instantia expetebant: auditis insuper ven. Fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, quibus id muneris commissum fuerat, votis, & unanimi consensu, relataque in secreto consistorio per ven. fratrem nostrum, tunc suum, Martium Episcopum Portuensem, & Sanctæ Ruffinæ Cardinalem Ginettum totius summa processus, annuentibus, & approbantibus, aliis tunc præsentibus Cardinalibus, indicta fuere ab eodem Clemente prædecessore nostro consueta jejunia, eleemosynæ, & preces, ut in tanti ponderis negocio divinæ voluntatis beneplacitum clarius innotesceret. Postmodum in semipublico consistorio accersitis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis (de quorum numero tunc eramus) præsentibusque Sedis Apostolicæ Notariis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, peractis omnibus, quæ ad hanc Sacrosanctam functionem ex Sanctorum patrum authoritate, Sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, novorumque decretorum præscripto requirebantur, Dominica die, quæ erat quarto Kalendas Maii Pontificatus sui anno secundo, in celeberrimo Principis Apostolorum Templo, solemni Ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maxima populi frequentia mane convenientibus; post repetitas trinas pro canonizationis decreto petitiones nomine ejusdem Leopoldi Regis in Imperatorem electi, per dilectum filium Jacobum tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem Rospigliosum nuncupatum; post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus Sancti gratia ritè implorata, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, ad Catholicæ fidei exaltationem, Christianæque Religionis incrementum, authoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua, maturaque deliberatione præhabita, divinoque sæpius implorato præsidio, de eorumdem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium Consilio, Beatam Mariam Magdalenam Sanctam esse decrevit, diffinivit, ac Sanctorum in numerum reposuit, statuens ut ab universali Ecclesia quolibet anno memoria ejus inter Sanctas Virgines die 25. Maii recoleretur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

4. Kal. Maii anno 2. ejus Pontificatus, eam Sanctorum catalogo adscripsit in Templo Principis Apostolorum.

Statuitur Sanctæ festū quolibet anno die 25. Maii.

His absolutis Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ visibilium omnium, & invisibilium, ac D. nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & Sanctum Paraclitum Spiritum, necnon unum Deum, unumque Dominum laudibus, precibus, & confessionibus, idem Clemens prædecessor pie veneratus, sacroque Hymno, *Te Deum* omni cum solemnitate decantato, peculiari in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ oratione precatus est, atque in primario ejusdem Templi Altari Missam celebravit cum ejusdem Sanctæ Commemoratione, omnibus, & singulis Christifidelibus tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

In primario ejusdē Templi Altari Missam celebrat cum ejusdem Sanctæ commemoratione.

Omnibus Christi-fidelibus tunc præsentibus indulgentiā plenariam concedit.

Summo igitur rerum opifici, qui sua ineffabili providentia hanc Ancillam suam Christianæ reipublicæ speciali sanctitatis dono decorare dignatus est, quæ, quasi rutilans lucerna super aureum candelabrum posita, undique, suæ sanctitatis radios diffundit, innumeras dictus Clemens prædecessor persolvebat gratias, eamdemque deprecabatur, ut ejusdem pia apud Deum intercessione, ipsum, ac Christianum populum in suo sancto servitio confortare, & conservare, ac ab omnibus periculis liberare dignaretur.

Ejusdem Pontificis gratiarum actio.

Ne autem de decreto, diffinitione, repositione, adscriptione, statuto, concessione, aliisque præmissis, pro eo quod ipsius Clementis prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari: volumus, & apostolica authoritate decernimus, quod decretum, diffinitio, repositio, adscriptio, statutum, concessio, aliaque præmissa a dicta die, quarto Kal. Maii suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ sub data ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, diffinitionem, adscriptionem, repositionem, statutum, concessionem, aliaque præmissa ubique, sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Decreti confirmatio.

Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ut opus esset deferri;

Fides transumptorum.

Leopoldus Imperator, aliique supremi Principes, & totus Ordo Carmelitarum instant pro Canonizatione.

Clemens IX. jejunia, eleemosynas, & preces ad hunc effectum indicit.

volumus ut earum exemplis etiam expreſſis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Edit. 11. Maji 1670. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1670. Quinto idus Maji, Pontificatus noſtri Anno Primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



† Ego Franciſcus Epiſcop. Oſtien. Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius.
† F. M. Epiſcopus Tuſculanus Card. Brancatius.
†
†
† Ego Uldericus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.
†
† Ego Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Urſinus.
†
† Ego Cæſar tit. SS. Quatuor Coronator. Presbyt. Card. Facchenettus.
†
†
† Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyt. Cardin. Cybo.
† Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sforția.
† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presbyt. Card. Odeſcalcus.
†
†
† Ego Aloyſius tit. S. Alexii Presbyt. Cardinalis Homodeus.
† Ego P. tit. S. Marci Presb. Card. Otthobonus.
† Ego Laurentius tit. S. Chriſogoni Cardin. Imperialis.
†
†
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Santacrucius.
† Ego Jo. Baptiſta tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Spada.
† Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Aquaquiva, & Aragonia.
† Ego Carolus tit. Sanctæ Priſcæ Presbyt. Cardin. Pius.
† Ego Carolus tit. S. Euſebii Presbyt. Cardinalis Gualterius.
† Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chiſius.
†
† Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Cardinalis Franzonus.
†
† Ego Petrus tit. Sancti Calixti Presbyt. Cardinalis Vidonus.
†
†
†
†
† Ego Nereus tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyt. Card. Corſinus.
† Ego Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Presbyt. Cardinalis Bonellus.
†
†
† Ego Carolus tit. S. Suſannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.
† Ego P. tit. SS. XII. Apoſtolorum Presbyt. Card. de Alteriis.
† Ego Cæſar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Preſbyt. Card. Raſponus.
†
†
†
† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Ara-cœli Presbyt. Card. Robertus.
†
†
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinalis Roſpiglioſus.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Fridericus tit. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Haſſia.
† Ego Carolus Sancti Cæſarei Diacon. Card. Barberinus.
† Ego Decius Sancti Euſtachii Diacon. Cardinalis Azzolinus.
† Ego Franciſcus Maria SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Mancinus.
†
† Ego Paulus tit. Sancti Georgii Diac. Cardinalis Sabellus.
†
†
†
† Ego Sigiſmundus S. Mariæ in Dominica Diac. Card. Chiſius.
†

Confirmatio quarumdam Conſtitutionum pro Congregatione Miſſionis in conventu generali dictæ Congregationis factarum, & à particulari Congregatione Prælatorum juſſu SSmi Clementis IX. reviſarum, & emendatarum, cum illarum Inſertione. II.

CLEMENS PAPA X.

Nunc primùm impreſſa.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis officio Congregationes perſonarum eccleſiaſticarum in Eccleſia Dei pie, ſancteque inſtitutas, uberesque bonorum operum fructus ad-

spirante superni favoris auxilio proferre assidue satagentes in visceribus paternæ gerimus charitatis, & illa, quæ pro felici, prosperoque illarum regimine, & gubernio, tuendaque, & solidanda in eis pace, ac laudabilibus earum institutis, studiosisque in via Domini progressibus fovendis, & juvantes prudenter, & quæ salubriter constituta esse noscuntur, ut firma, atque irrefragabili stabilitate perennent, Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Expositio facti.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Presbyter Congregationis Missionis, quod ipsi aliàs in eorum conventu generali congregati, nonnullas Constitutiones ad conservandam in eadem congregatione animorum concordiam, primævumque illius institutum, atque spiritum firmius constabiliendum, & fovendum apprime conducibiles ediderunt, quæ à nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis, quibus fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor id negotii dederat, revisæ, ac emendatæ, & ad formam redactæ fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

Clemens IX. committit examen Constitutionum d. Congregationis ut infra.

Tenor dict. Constitutionum.

§. 1. Superior Generalis Congregationis Missionis erit in officio perpetuus, & omnimodam in totam congregationem ideſt in singulas domos, res, & personas superioritatem, atque authoritatem habebit eo modo temperatam, qui infra declaratur.

Superior Generalis esse debeat perpetuus, & quam Jurisdictionem habeat.

§. 2. Tres vel quatuor Assistentes illi adjunget conventus generalis, atque admonitorem dabit, omnes pluribus media parte suffragiis eligendos, quorum officium usque ad electionem alterius superioris Generalis durabit. Assistentium autem partes erunt Generalem ipsum opera, & consilio juvare in regimine congregationis, ita tamen ut facultas decernendi quæ agenda fuerint, sit penes ipsum superiorem generalem, exceptis casibus infra exprimendis.

Assistentes quot esse debeant, & quomodo eligendi; sicut & Admonitor.

§. 3. Illius erit toti congregationi præesse, Visitatores, & præfatæ Congregationis tam Secretarium, quam Procuratorem, superiores domorum cæteroſque officiales ordinarios (Assistentibus suis, & admonitore exceptis) Commissarios etiam, qui ordinarii officiales non sint, instituere, nec non rationabili de causa sibi benevisa destituere, quibus omnibus eas impertietur facultates, quæ in regulis particularibus cujusque officii continentur. Quas tamen facultates augere, vel minuere poterit, cum ita expedire in Domino judicaverit; Ipsi verò ad reddendam ei suæ administrationis rationem tenebuntur.

Eorum Officium.

§. 4. Ex quo fuerit a conventu generali electus, jus habebit tum in hoc ipso conventu, tum in aliis quibuscumque duo ferendi suffragia, sive secreta illa fuerint, sive non secreta, atque prærogativam in paritate suffragiorum non secretorum; si quid tamen ab ipso, & a quibusdam à conventu deputatis suffragiorum non secretorum via diffiniendum erit, unico tantum cum prærogativa in paritate gaudebit. In electione quoque duorum Assistentium, & quatuor Deputatorum ad seligenda proposita unicum habebit suffragium, sed sine prærogativa.

Quid Superior Generalis sine Assistentibus, & Admonitore agere possit.

§. 5. Licet Jus plenum decernendi, & statuendi, quæ ad Congregationis progressum, fœlixque regimen conducere videbuntur apud Conventum generalem resideat concurrente majori suffragiorum parte; poterit tamen quoque superior generalis ordinationes, & statuta condere, modo decretis Conventuum Generalium non repugnent, quæ abrogare, vel immutare nullatenus poterit, nisi de consensu Generalis Conventus, modo etiam licita sint, & honesta, nec sacris Canonibus adversantia, aut contraria Constitutionibus Apostolicis, Bullis, seu Brevibus Summorum Pontificum, quibus præfatæ Congregationis institutum, Constitutiones, Regulæ, & munia declarantur, aut confirmantur, nec speciatim his articulis, quos vel leviter immutare, nec Superiori nec Conventui Generali licebit: Ordinationes autem, & statuta hujusmodi a Superiore Generali edita observanda erunt, donec Conventus Generalis, aliud decreverit, penes quem est potestas vim illis detrahendi, aut etiam addendi, ut in posterum obligent.

Jus plenum statuendi est penes Conventum Generalem. Superior Generalis, quomodo, & quando Ordinationes, & Statuta condere possit.

§. 6. Idem Superior Generalis in Congregatione admittere poterit quos idoneos existimaverit, & indignos post emissa vota dimittere, si retinere non posse absque magno prædictæ Congregationis damno, ipse, & ejus Assistentes ad plura suffragia judicaverint, ita tamen ut ipsi competat unicum suffragium cum prærogativa in paritate.

Nec ei, nec Conventui Generali licet, vel leviter immutare Regulas vel Constitutiones, authoritate Apostolica confirmatas.

Ordinationes, & Statuta Superioris Generalis quamdiu durare debeant.

Potest admittere in Congregatione quos dignos reputet.

Indignos post emissa Vota dimittere nequit sine suffragiis Assistentium.

§. 7. Licebit ei quoslibet contractus, servatis de Jure aliàs servandis, inire, in rebus tamen maximi momenti de consensu suorum Assistentium ad plura nimirum suffragia, cum sua ipsius prærogativa in paritate.

Potest quoslibet contractus servatis de Jure servandis inire.

In rebus maximi momenti consensum requirat Assistentium.

§. 8. Admittere poterit de consensu Ordinarii Fundationes, & Domos, non tamen eas alienare, abolere, aut alio transferre nisi de consensu Conventus Generalis, servatis semper de Jure servandis. Quod si dissolvendi aliquam Domum, aut fundationem deferendi necessitas tanta urgeat, ut Conventus Generalis expectari non possit, tunc res decernetur judicio ipsius Generalis, Assistentium, Visitatorum, qui fuerint in Europa, Secretarii etiam Congregationis, & Procuratoris, aut saltem majoris ipsorum partis servatis, ut supra de jure servandis.

Admittit de consensu Ordinarii fundationes, & Domos.

Eas alienare nequit nisi de consensu Conventus Generalis.

§. 9. Dignitates Ecclesiasticas absque consensu Conventus Generalis acceptare non poterit, nisi Summus Pontifex id in virtute sanctæ obedientiæ præcipiat.

Quid in casu urgentis necessitatis.

Dignitates Ecclesiasticas nequit acceptare absque consensu Conventus Generalis. Secus si Papa præcipiat &c.

§. 10. Penes illum erit facultas Conventum Generalem convocandi, ipsum dirigendi, & congregatos de consensu tamen ipsius Conventus dimittendi.

Convocat, & dirigit Conventum Generalem, & eumdem de cõsensu Conventus dimittit.

§. 11. Porro Conventus Generalis ob causas quascumque congregatus Superiori Generali superior erit: prætereaque Congregatio in eumdem, authoritatem, potestatemque habebit in duobus potissimum casibus, nempe si inutilis foret ad gubernationem, vel gravissimum aliquod peccatum externum committeret. Primo enim casu Congregationis erit substituere illi Vicarium Generalem, si ipse eum nominare non posset, aut nollet. Secundo vero casu, qui tamen speratur non eventurus, poterit eadem Congregatio eum deponere: Quod quidem ultimum, ut legitime fiat, suffragia duas tertias partes excedere debent, ut verò substituatur illi Vicarius, satis erit si major pars Congregatorum in id consenserit.

Conventus Generalis præest Superiori Generali.

In duobus casibus in eum habet potestatem, si sit inutilis, vel gravissimum peccatum externum commiserit.

§. 12. Defuncto autem Superiore Generali ejus erit, quem ipse in Vicarium Generalem nominaverit, vel primi Assistentis, si Vicarius nominatus non fuerit, aut officio suo fungi non possit, Congregationem regere usque ad electionem novi Superioris Generalis; Denique pro ejusdem electione Conventum Generalem intra sex menses, nisi gravis necessitas dilationem aliquam exigeret, convocare, eidem præsidere, donec Superior Generalis fuerit electus.

Defuncto Superiore Generali Congregationem reget Vicarius Generalis ab ipso nominatus, vel primus Assistens, usque ad novam electionem.

§. 13. Præter prædictum casum electionis, Conventus Generalis celebrabitur in casibus sequentibus. Primo singulis duodecim annis post ultimum Conventum Generalem. Secundo quotiescumque Superior Generalis ipsum ob res magni momenti indicendum judicaverit. Tertio si Assistentes cum Visitatoribus, qui sunt in Europa ipsum esse necessario cogendum ad plura suffragia censuerint in causa depositionis ut supra. Quarto si ipsemet Generalis, ejus Assistentes, Congregationisque Secretarius & Procurator cum

In quibus casibus conventus generalis celebrari debeat.

Deputatis, qui ſexto anno poſt ultimum Conventum Generalem, a ſingulis Europæ Provinciis mittuntur, ipſum cogendum eſſe pluribus ſuffragiis decreverint.

Qui intereſſe, & ſuffragium habere debeant in Conventu Generali.

§. 14. Ob quamcumque vero cauſam celebretur, intererunt ei, & jus ſuffragiis habebunt Superior Generalis (niſi forte de ipſius depoſitione ageretur) ſive Vicarius itidem Generalis, Aſſiſtentes Viſitatores, ſeu eorum loco Vice-Viſitatores, Congregationis tam Secretarius, quam Procurator, & duo Sacerdotes ex ſingulis Provinciis quos legitime à Conventibus Provincialibus pluribus ſuffragiis electos eſſe conſtabit: ſi tamen Conventus habeatur pro eligendo Superiore Generali, prædicti Secretarius, & Procurator Congregationis intererunt ei tantum poſt peractam dicti Superioris Generalis electionem, niſi alio titulo ei intereſſe debeant.

Qui habeant Jus proponendi in Conventu Generali.

§. 15. Non proponentur Conventui Generali niſi ea, quæ, vel Superior Generalis proponere voluerit, vel proponenda cenſuerint ad plura ſuffragia, ipſe ſcilicet Superior Generalis, duo ejuſdem Aſſiſtentes, & quatuor de numero Congregatorum ad plura ſuffragia electi.

Electio Superioris Generalis fiat per ſecreta ſuffragia.

§. 16. Proceditur per ſuffragia ſecreta ad electionem Superioris Generalis, quæ mediam Partem neceſſario excedent, ut valide electus habeatur; quod ſi poſt quinque ſcrutinia electio facta non fuerit, totum illud negotium, ſi duæ ſaltem tertiæ partes electorum in id conſenſerint, referendum erit ad quinque compromiſſarios; Deinde vero ſi opus fuerit etiam ad plures, modo omnes ſint de Congregatis, & numero impares. Prædicti autem compromiſſarii eligendi erunt ad plura media parte ſuffragia ſecreta, & ipſi quoque Superiorem Generalem eligent ad plura ſimiliter medietate ſuffragia itidem ſecreta, ex iis tamen, qui ſaltem quatuor ſuffragia in ultimo ſcrutinio habuerint. Porro tam compromiſſarii, quam cæteri electores antequam ſuum ſuffragium dent pro eligendo Superiore Generali juramentum præſtabunt de digniore eligendo, nec eligere poterunt niſi unum ex numero Sacerdotum, qui duodecim ut minimum annis completis poſt emiſſa Vota in Congregatione vixerint.

Si poſt quinque ſcrutinia electio facta non ſit, hæc defertur ad quinque Cõmiſſarios, & quomodo fint eligendi.

Compromiſſarii, & Electores jurent digniorem eligere, quique 12. ann. in Congregatione vixerit ſaltem poſt emiſſa Vota.

§. 17. Ut in re tanti momenti omnis ambitus tollatur occaſio, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurret quivis ex noſtris, qui ab obitu Superioris Generalis cum aliquo externo egerit eo fine, ut ſive ſui, ſive alterius promotionem ad Generalatum, aut ab eo alterius excluſionem procuret, vel quocumque modo electionis libertatem impediat, aut perturbet. Item qui aliquem ex noſtris ad ſuam ipſius electionem ambitioſè ſollicitando Generalatum affectarit, vel qui ad ambientis inductionem pro ejuſdem electione quempiam ex noſtris ſollicitaverit.

Pœnam excommunicationis latæ ſententiæ incurrat, qui quomodolibet electionis libertatē impediat, aut perturbet.

Item qui aliquem ad ſui electionem ſollicitaverit.

Item qui ad ambientis inductionem pro illius electione aliquem ſollicitaverit.

§. 18. Immediate vero ante electionem Vicarius Generalis Congregatos abſolvet in quantum opus fuerit, ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & à quibuſvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis ad effectum legitimæ electionis dumtaxat, ſtatimque ipſe Vicarius idem abſolutionis beneficium, & ad eumdem effectum a Congregatorum antiquiſſimo ratione receptionis in Congregationem percipiet.

Ad effectum legitimæ electionis tantum, omnes congregatos abſolvat a cenſuris, & pœnis Vicarius Generalis.

Hic abſolvetur ut ſupra ab antiquiſſimo Congregatorum.

§. 19. Poſt legitimam promulgationem electionis Superioris Generalis factæ, vel ab omnibus Electoribus, vel a Compromiſſariis ut ſupra omnes acquieſcere tenebuntur, nec ulli fas erit ſuffragium ſuum revocare, aut novam electionem tentare, aut contra ejuſmodi electionem quocumque prætextu proteſtare.

§. 20. Quandocunque tandem habeatur Conventus Generalis, ſi contingat eo quavis de cauſa indicto, vel jam coacto, vel ſtatim poſt ipſum diſſolutum Superiorem Generalem, vel aliquem ex ejus Aſſiſtentibus, vel ipſius admonitorem è vivis decedere, vel ſi accidat Superiorem Generalem in eo ſtatu eſſe, qui Vicarium exigat: in iis caſibus electi a ſingulis Provinciis pro Conventu Generali jus habebunt abſque nova convocatione, vel deputatione Conventuum Provincialium eligendi novum Superiorem Generalem, vel Vicarium, vel Aſſiſtentem, vel Admonitorem. Idem jus habebunt pro ſola electione Superioris Generalis, etiam poſt aliquorum diſceſſum, ſi facile, & intra breve tempus revocari poſſint.

Si interim, vel ſtatim diſſoluto Cõventu Generali, contingat obitus Superioris Generalis, aut Admonitoris, vel alicujus ex Aſſiſtentibus quomodo providendum.

§. 21. Conſtitutiones reviſas, ac emendatas, & ad formam redactas, ut ſupra, Congregatio Prælatorum deputata cenſuit, poſſe confirmari cum illarum inſertione, ſi Sanctiſſimo placuerit. Et facta relatione S. Sanctitas annuit. Die 25. Auguſti 1669.

Congregatio Prælatorum cenſuit has Conſtitutiones poſſe confirmari.

S. Ugolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus.
F. Archiepiſcopus Florentinus.
C. M. Archiepiſcopus Athen.
C. Epiſcopus Amerinen.
P. Fagnanus.
P. Philippus de Rubeis.

§. 22. Cum autem pcut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes eaſdem Conſtitutiones, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos memoratam Congregationem in ſuo laudabili inſtituto confovere, dictoſque exponentes ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis porrectis inclinati, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas authoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Preces Superioris Generalis, & aliorum Sacerdotum Congregationis Miſſionis.

Confirmatio Apoſtolica.

§. 23. Decernentes eaſdem Conſtitutiones præinſertas, ac præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 24. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis etiam eidem Congregationi, ejuſque Superiori Generali, presbyteris, & aliis perſonis quibuſlibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariorum derogatio.

§. 25. Volumus autem ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate

Fides tranſumptorum.

constitutæ munitis, eadem prorsus fides ipsis adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edita 2. Junii 1670.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium Mensis Junii par. 2. fol. 483.

III. Edita An. D. 1670.

Confirmatio Prioris Generalis, & Decretum de Assistentibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo mandat suspendi usque ad aliud futurum Capitulum Generale.

Nunc primũ impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque clementiæ abundantiam constituti, ad ea, quæ Religiosorum virorum cœtibus in Ecclesia Dei pie, sancteque institutis, ubereſque bonorum operum fructus, illo, à quo bona cuncta procedunt, donante, atque adjuvante, proferre jugiter satagentibus, ut ab æris alieni pondere subleventur, ac recte, salubriterque in via mandatorum Domini dirigantur, conducibilia fore speramus, libenter intendimus, & Pastoralis Officii nostri partes propensa charitate desuper interponimus, sicut rerum, temporum, & personarum qualitate mature perpensa, salubriter in Domino arbitramur.

Causa hujus Confirmationis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo ære alieno viginti duorum millium scutorum monetæ, ex causa expensarum occasione Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis factarum, ad interesse, seu interusurium captorum oneratus reperiatur; Si vero dilectus filius Matthæus Orlandi Prior Generalis dicti Ordinis, qui eidem Ordini summa fide, prudentia, & integritate hactenus præfuit, in suo Generalatus Officio ad aliud sexennium confirmaretur, & expensæ capituli generalis dicti Ordinis, quod pro novi Prioris Generalis electione, post lapsum de præsenti currens Generalatus dicti Matthæi sexennium, celebrari deberet, nempe pro accessu, & recessu, ac cibariis vocalium, aliorumque Fratrum ad capitula generalia venire solitorum, per Provincias Ordinis prædicti faciendæ, quæ ad summam duodecim millium scutorum similium, & forsan amplius ascenderent, in extinctionem dicti æris alieni erogarentur, inde non modicum dictus Ordo levamentum acciperet, & fœlici illius regimini peropportune consuleretur: cumque (sicut nobis insinuatum fuit) quatuor Assistentes ejusdem Ordinis, non ita pridem introducti, Ordinem ipsum annua septingentorum scutorum dictæ monetæ impensæ, quæ pro eorum sustentatione fit, gravent, nec ita necessarii videantur, quin illis Ordo ipse sine prosperi gubernii detrimento carere possit.

§. 2. Hinc est quod nos fœlici prosperoque Ordinis prædicti regimini, & gubernio, illiusque levamento quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac de spectata memorati Matthæi Prioris Generalis fide, prudentia, doctrina, integritate, charitate, vigilantia, rerum usu, & Religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit; ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eumdem Matthæum Priorem Generalem in suo Generalatus Ordinis hujusmodi Officio ad sex annos a fine sexennii, ad quod in capitulo generali ejusdem Ordinis novissime celebrato in Priorem Generalem electus fuit, computandos, tenore præsentium confirmamus, eique Generalatus officium hujusmodi ad dictos sex annos, ut præfertur, computandos, cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis prorogamus, ac extendimus, & ampliamus.

Confirmat Priorem Generalem ad aliud Sexennium.

§. 3. Volentes, & motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus decernentes, ut expensæ, quæ pro dicti capituli generalis celebratione per Provincias dicti Ordinis faciendæ essent, ut præfertur, in extinctionem supradicti æris alieni omnino applicentur, & erogentur.

Expensas pro dicti Capituli Generalis celebratione faciendas mandat erogari in extinctionem æris alieni.

§. 4. Præterea Decretum de Assistentibus præfatis alias editum, harum serie suspendimus usque ad capitulum generale Ordinis prædicti, post absolutos a dicto Matthæo Priore Generali sex annos ei, sicut præmittitur, a nobis prorogatos, celebrandum, in quo examinari volumus, utrum expediat Religioni, ut aboleatur in totum, & Ordo prædictus ad formam gubernii a Constitutionibus præscripti restituatur. Interim vero memoratus Matthæus Prior Generalis Ordinem hujusmodi gubernet juxta præscriptum earumdem Constitutionum. Pecuniæ autem, quæ pro sustentatione dictorum Assistentium impendendæ forent, in solutione fructuum censuum ex causa expensarum occasione canonizationis prædictæ factarum, canonicè impositorum, convertantur, & erogentur. Volumus tamen, ut illi duo Fratres, qui actu assistunt dicto Matthæo Priori Generali, remaneant ejus socii usque ad terminationem primi sexennii, juxta Constitutiones ejusdem Ordinis.

Decretum Assistentium suspendit usque ad Capitulum generale, & in eo mandat examinari.

Expensæ pro illorum sustentatione erogentur in dimissionem fructuum Censuum.

Duo Assistentes interim remaneant Socii Prioris Generalis.

§. 5. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, & singulis dicti Ordinis Superioribus Fratribus, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut prædictum Matthæum Priorem Generalem in suo Generalatus Officio, ejusque libero exercitio per sex annos ei per præsentes prorogatos, juxta eorumdem tenorem præsentium continuare sinant, & permittant, eique faveant, & assistant, ac salubria ejus monita humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Præceptum S. Obedientiæ.

§. 6. Ac decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Matthæo Priori Generali plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illas alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effe-

Derogatio contrariorum.

ctum, hac vice dumtaxat, consequendum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edita die 13. Junii 1670.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. Mensis Junii part. 2. fol. 227.

IV. Edita A. D. 1670.

Indultum concessum Clericis Cameræ Apostolicæ tam præsentibus, quam futuris gestandi Galeri redimiculum, *Cordone*, vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibuscumque functionibus, & actibus publicis, & privatis.

Nunc primũ impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex supremus gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, illis quorum fidem, industriam, prudentiam, & dexteritatem in gravibus, & arduis Apostolicæ Sedis muneribus gerendis, multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quæ eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in munerum suorum functione perseverent.

§. 1. Itaque ad eximia dilectorum filiorum Clericorum Præsidentium Cameræ Apostolicæ in nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa condecorare volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, ex certa scientia, & mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Cameræ Apostolicæ Clericis Præsidentibus præsentibus, & futuris, ut ipsi omnes, & singuli galeri redimiculum, *Cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei, in quibusvis functionibus, & actibus publicis, & privatis ubique deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indulget Clericis R. Cameræ deferre Galeri redimiculum coloris violacei.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Junii 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Edit. die 21. Junii 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Junii par 1. fol. 10.

V. Die 23. Junii 1670. An. 1.

Declaratio, quod Vota in Congregatione Missionis post illius Apostolicam confirmationem emissa, & emittenda, ab aliis, quam a Summo Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis in actu dimissionis ab eadem Congregatione licite, & valide dispensari, commutari, aut dissolvi non possint.

Nunc primũ edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia incæptæ, ac olim a Sede Apostolica approbatæ, enata tollere volens, præfatam Congregationem Missionis, sicut præfertur, incæptam, & approbatam Apostolica authoritate confirmavit, & approbavit, cum emissione Votorum simplicium Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti Pauperum rusticanorum applicandi, post biennium probationis faciendæ; In quorum tamen votorum emissione nemo interesset, qui ea acceptaret, sive nomine Congregationis, sive pro tempore existentis Romani Pontificis nomine; Et vota sicut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon, & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis e Congregatione; nemo autem alius etiam vigore cujuscumque Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, & Indulti, aut cujuscumque Constitutionis, sive concessionis, nisi in eis facta fuisset specialis mentio horum votorum sicut supra in dicta Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare posset, & valeret, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die 22. Septembris 1660. expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Alexand. VII. Congregationem Missionis confirmavit prout in Rubrica.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Superior Generalis dictæ Congregationis Missionis nobis nuper exponi fecit, quod aliqui post hujusmodi vota in eadem Congregatione emissa ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum votorum dispensationem, seu commutationem obtinuisse a quibusdam Confessariis vigore literarum Apostolicarum super Jubilæo emanatarum, ac prædictos Confessarios potuisse dispensare, seu commutare hujusmodi vota, quia in dictis literis conceditur facultas commutandi vota quæcumque, castitatis, & religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque, & in specie statutis, & consuetudinibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam confirmatione Apostolica roboratis, necnon Privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret.

Motivum hujus declarationis.

§. 2. Nobis propterea dictus Superior Generalis cupiens occurrere dictæ Congregationis præjudicio, & insimul consulere conscientiis eorum, qui tales dispensationes, seu commutationes obtinuissent, vel obtinere attentarent, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur ipsius Superioris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum

Preces Superioris Generalis.

serie

serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Consilio, quod vota prædicta in dicta Congregatione Missionis post illius confirmationem Apostolicam præfatam emissa, & emittenda ab aliis quam a pro tempore existente Romano Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis in actu dimissionis, ab ipsa Congregatione licite, & valide non potuerint, nec possint dispensari, commutari, aut alias quomodolibet dissolvi vigore cujuscumque Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, Indulti, Constitutionis, sive concessionis non facientium expressam dictorum votorum mentionem, authoritate præfata tenore præsentium declaramus.

Declaratio.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander prædecessor in suis literis præfatis concessit non obstare, cæterisque quibuscumque.

Contrariorũ derogatio.

§. 5. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

Edit. 23. Jun. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Junii part. 1. fol. 230.

VI. Edita An. D. 1670.

Licentia, ut Fratres Ordinis S. Francisci de observantia, etiam Presbyteri, medicinæ, & Chirurgiæ periti de suorum Superiorum licentia artes hujusmodi ad commodum, & utilitatem Christianorum in Terra Sancta existentium, possint exercere.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Hactenus non impressa.

CUm, sicut dilectus filius Jacobus Quintana a Jesu Maria Frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, ac Terræ Sanctæ in Romana Curia Commissarius Generalis nobis nuper exponi fecit, in Civitate Sancta Hierusalem, totaque custodia Terræ Sanctæ dicti Ordinis, nullus adsit Medicus, vel Chirurgus Sæcularis, qui Infirmis & languidis in eorum infirmitatibus medeatur; Ibi vero esse soleant Fratres Ordinis præfati artium Medicinæ, & Chirurgiæ periti, qui medicam, chirurgicamque manum Christianis infirmis adhibere possent.

Exordium.

§. 1. Nobis propterea dictus Jacobus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Jacobi desideriis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratribus dicti Ordinis artium Medicinæ, & Chirurgiæ hujusmodi peritis, etiam in sacro Presbyteratus Ordine constitutis, in Terra Sancta prædicta nunc, & pro tempore commorantibus, ut de Superiorum suorum licentia artes Medicinæ, & Chirurgiæ prædictas juxta illarum præcepta ad commodum, & utilitatem Christianorum in eadem Terra Sancta nunc, & pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen, & sine ulla mercede, ac in casu necessitatis tantum exercere, ac medicamenta, & alia necessaria præbere, & adhibere libere, & licite, ac sine ullo conscientiæ scrupulo, vel irregularitatis, alteriusve pœnæ, vel censuræ Ecclesiasticæ incursu possint & valeant, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Indulget, ut artem Medicinæ, & Chirurgiæ valeant exercere.

Gratis sine ulla mercede, ac in casu necessitatis.

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 7. Julii 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Edita die 7. Julii 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brev. Mensis Julii 1670. par. 1. fol. 484.

VII. Die 19. Julii 1670. An. 1.

Indultum concessum Generali, & Diffinitorio Congregationis Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti pro tempore existen., utendi facultate creandi Abbates titulares, eis per Constitutiones Ordinis attributa &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Nunc primũ edita.

SOlicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, nos admonet, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, laudabilia eorum studia propositis præmiis excitare, atque fovere quantum nobis ex alto conceditur satagamus.

Exordium.

§. 1. Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum PP. VIII. prædecessorem nostrum accepto, quod in Congregatione Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti ex multiplici Abbatum titularium, seu Benemeritorum creatione, seu deputatione nonnulla inconvenientia, non sine monasticæ disciplinæ, & regularis observantiæ detrimento orirentur, idem Urbanus prædecessor his obviare volens, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis Generali, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Diffinitorio, & quibusvis aliis dictæ Congregationis superio-

Urban. VIII. prohibet Abbates Titulares in Congregatione Olivetana.

ribus quocumque nomine nuncupatis, ne de cætero Abbates titulares, seu Benemeritos in eadem Congregatione quovis prætextu, vel quæsito colore facere, creare, constituere, seu deputare auderent, vel præsumerent, sub privationis officiorum per eos obtentorum, ac vocis activæ, & passivæ eo ipso absque ulla declaratione incurren., & nullitatis pœnis interdixit, & prohibuit, & alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 16. Januarii 1627. expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Card. Protectoris d. Congregationis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius noster Cæsar S. R. E. Presbyter Cardinalis Facchinettus nuncupatus Congregationis præfatæ apud nos, & Sedem Apostolicam Protector nobis nuper exposuit, stricta illa Urbani prædecessoris prohibitio, quæ salubri quidem consilio, ad excludendam ambitiosorum importunitatem, cavendaque rei familiaris, atque regularis disciplinæ detrimenta, emanavit, id tamen adferat incommodi, ut præcisa penitus spe præmiorum, Monachos dictæ Congregationis ad subeundos in obsequium ipsius Congregationis labores, ac literarum, aliaque religiosa studia reddere possit segniores: nobis propterea dictus Cæsar Cardinalis, & Protector humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Cæsaris Card., & Protectoris desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, debitumque virtuti honorem, & præmium rependi cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Abbati Generali, & Diffinitorio Congregationis præfatæ, ut facultate creandi Abbates titulares eis per Constitutiones ejusdem Congregationis a Sede Apostolica confirmatas attributa uti liberè, & licite possint, ita tamen ut duos dumtaxat Abbates titulares pro qualibet ex sex Provinciis, quibus tota Congregatio præfata constat, creare, illisque defunctis, alios duos in eorum loca subrogare valeant, expectativas autem concedere, aut Abbates titulares supra numerum præfixum hujusmodi constituere nequeant, nec ad Abbatiam titularem hujusmodi, nisi eos, qui vel lecturam laudabiliter exercuerint, vel verbi Dei prædicatione celebres, aut propter operam rei œconomicæ perfunctam de Congregatione præfata notabiliter benemeriti sint, promovere possint, authoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indulget posse creari 12. Abbates Titulares tantum.

Prohibet expectationes.

Qualitates dictorum Abbatum creandorum.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus præfatis Urbani prædecessoris literis, aliisque ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, ejusque Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Julii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

Edit. 19. Julii 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Julii par. 2. fol. 421.

VIII. Edita An. D. 1670.

Confirmatio Privilegii Leonis X. favore Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, ut invitis Monachis, seu Eremitis, in eorum Ecclesiis Episcopi Locorum Ordinarii divina celebrare non possint.

Quæ hactenus impressa non fuit.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

INjuncta nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam Religiosorum Virorum, eorum, præsertim, qui a sæculi turbis longe remoti, vota sua Altissimo mente quieta, & ad Deum per contemplationis sublimitatem, atque suavitatem elevata reddere satagunt, curam gerentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad confovendam religiosam eorum tranquillitatem pie, provideque concessa esse noscuntur, quo firmius, solidiusque perennent, Apostolici muniminis nostri præsidio constabiliamus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, quod dudum fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor noster eidem Congregationi privilegium concessit, ut invitis ipsius Congregationis Monachis, seu Eremitis, in eorum Ecclesiis Episcopi Locorum Ordinarii divina celebrare non possent, ipsumque privilegium una cum cæteris ejusdem Congregationis privilegiis pluries a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & novissime a rec. mem. Clemente Papa IX. Motu proprio per quasdam suas die 19. Julii 1669. expeditas literas confirmatum fuit.

Causa Indulti.

§. 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, privilegium præfatum dictæ Congregationi ad conservandum in ea solitudinis, atque silentii spiritum maxime sit necessarium, attento, quod ejusmodi functiones Episcopales fieri non soleant sine erectione Baldacchini, ac populi affluentia: unde præfatorum Eremitarum inter silvas, & nemora, ut plurium degentium monastica tranquillitas perturbaretur, simulque orationis, atque contemplationis vigor relaxari posset: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegium supradictum memoratæ Congregationi Eremitarum Camaldulensium a præfato Leone concessum, ut præfertur, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat prout in rub.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, &

fore,

fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, necnon dictæ Congregationi, ejuſque Eremitis in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. An. 1. die 6. Auguſt.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 6. Auguſti 1670. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretaria lib. Brev. Menſis Septembris fol. 304.

IX. Edita An. D. 1670.

Confirmatio quorumdam Decretorum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium in Congregatione generali dicti Ordinis anno 1668. editorum, cum inſertione eorumdem Decretorum.

Antea non impreſſa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Bernardinus à S. Elpidio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, quod in Congregatione generali d. Ordinis anno 1668. habita pro felici, proſperoque ejuſdem Ordinis regimine, & gubernio edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Decreta Congregationis Generalis Ordinis Minorum Conventualium a die 17. *Maji convocatæ.*

Varia Decreta Capituli Generalis.

GEnerale diffinitorium, præſidente Reverendiſſ. P. Magiſtro Andrea Bino ab Hiſpello ejuſdem Ordinis Miniſtro Generali, conferentiis iteratis, quæ nocitura, quæve profutura Ordini perveſtigans, infraſcripta edidit Decreta SS. D. N. Papæ humiliter exhibenda, ut Apoſtolica auctoritate, Urbaniſque Conſtitutionibus inſerta, Fratres omnes ad intactam eorum obſervantiam tenacius adſtringerent.

Ad Provinciales Miniſtros.

Quoad Miniſtros Provinciales.

§. 1. Miniſtros Provinciales in quibuſcumque ſuarum Provinciarum Conventibus, etiam de menſa Rmi, ordinariam habere juriſdictionem tempore viſitationis, & extra, poſſeque ordinationes ferre, & fratres omnes quocumque gradu polleant, ad earum obſervantiam compellere, dummodo in Conventibus ipſi Miniſtro Generali immediate ſubjectis, inconſulto Miniſtro generali, non ferant ſententiam, ſancitum eſt. Teneri inſuper Guardianos, de menſa, Miniſtros Provinciales per eorum Conventus tranſeuntes omnibus charitatis officiis proſequi, & Conventuum expenſis perbenigne tractare.

Ad Provinciales Titulares.

Quoad Provinciales titulares.

§. 2. Hujuſmodi Provincialatus Titulares illis deinceps conferantur (habita Provinciarum diſcretione,) qui cunctis conditionibus in Urb. Conſtitutione expreſſis, decorati fuerint. Et ut talis collatio fiat dumtaxat à Diffinitorio generali in Capitulis, ſeu Congregationibus generalibus per ſchedulas, & ſecreta ſuffragia decernimus Quod ſi aliquem ex Titularibus infra triennium decedere, vel aliqua ex cauſa Officio privari contigerit, tunc Generalis Miniſter, adhibito Aſſiſtentium conſilio, alium ejus loco ſufficiat.

Ad Guardianos, & locales ſuperiores.

Quoad Guardianos, & locales ſuperiores.

§. 3. Quicumque in ſuperiorem localem ſeu Guardianum electus fuerit, & injunctum onus ſuſcipere recuſans, eidem renunciaverit, ad cætera Officia per triennium inhabilis eſto, nullaque admittatur excuſatio, niſi ex urgenti cauſa approbanda. Teneantur vero Guardiani omnes, advenarum fratrum obedientiales literas propriis oculis examinare, & itineris cauſam diligenter perſcrutari. Si quem tamen deprehenderint ſine legitimis ſuorum ſuperiorum literis, carceribus mancipent, ſuperioreſque illos quamcitius admoneant. Si ſecus fecerint, officio ſuo priventur.

Ad Regentes, & Lectores.

Quoad Regentes, & Lectores.

§. 4. Ut virtus decenti præmio irrigata, pulchrius, & amœnius revireſcat, ſtatuimus Gymnaſia primæ claſſis, quæ ab Urban. Conſtitutione aſſignantur; nimirum Venetum, Panormitanum, Mediolanenſe, Ferrarienſe, Perufinum, Florentinum, Viennenſe, Januenſe, & Leopolienſe haberi deinceps debere pro Collegiis, itaut Regentes, qui per novem continuos annos in aliis Gymnaſiis tertiæ, ſecundæ, & primæ claſſis inſudarunt, promoti poſtea ad prædictas Regentias, ad Collegia intelligantur aſſumpti, ut in poſterum frequens Regentium numerus incæpto curſu non privetur, & illi, qui expreſſis ſudoribus per tot annos defatigarunt, ad Bravium Paternitatis comprehendendum, faciliorem habeant acceſſum. Teneantur tamen ſinguli Regentes tractatum unum ad minus quolibet anno ſuis Auditoribus explanare, & complete finire. Inſuper, & diſputationes, & (ut ajunt) *circulos* tribus in hebdomada vicibus ad horam protrahendos habere. Quod ſi non fecerint, atque authenticam fidem a Guardiano Conventus ſubſcriptam de completa lectura, habitiſque diſputationibus, non oſtenderint, non poſſe eis ſufficere ad Provinciæ Paternitatem, immo ſi maxima ſuper hoc remiſſio deprehendatur, lectura etiam ipſa privandos eſſe ſtatuimus.

Ad Diffinitores perpetuos.

Quoad Diffinitores perpetuos.

§. 5. Omnes perpetui Diffinitores, & Provinciarum Patres à Generali Miniſtro per patentes inſtituti, atque Provinciarum Diffinitoriis approbati, & recepti, ſuffragium ferant (ut in Urban. Conſtitutione præſcribitur) in quibuſcumque electionibus, ſeu Capituli, ſeu Congregationis, cum pro illis certus numerus præſcribi non poſſit: quod alias attentatum plurimarum fuit cauſa perturbationum, & a laboribus pro Religione obeundis, multi etiam ex cordatis ani-

mos deflexerunt. Ideo ſtatuitur, ut in futuro Capitulo generali revideantur Patentes, & requiſita illorum, qui non adhuc convenerunt, in Diffinitorio, ſeu Congregatione, & ſolum admittantur illi in Diffinitorium, ſeu Congregationem ad votum ferendum, qui inventi fuerint cum debitis requiſitis. Illegitimi autem talibus indecorati præſcriptis, ab ingreſſu ſolum Diffinitorii excludantur, remanentes in primævo ſtatu circa prærogativas, & præcedentiam, ſicque in qualibet Provincia Catalogus fiat eorum Patrum, qui debent in Diffinitorio admitti. Cautum proinde eſt, ne deinceps ad tales Paternitates ob Conciones præſtitas admittantur, niſi illi, qui per duodecim integros annos in primoribus noſtri Ordinis Templis, videlicet Aſſiſatenſi, Romano, Palavino, Bononienſi, Veneto, Neapolitano, Panormitano, Mediolanenſi, Florentino, Ferrarienſi, Taurinenſi, Cæſenaten., Ariminenſi, Urbinaten., Aſculano, Piſano, ac Senenſi Conciones quadrageſimales (non autem annuales) magna Populorum frequentia, & eruditione habuerint.

Ad Collegiales.

Quoad Collegiales.

§. 6. Collegia Religionis juxta formam, & methodum Urban. Conſtitutionis ad Priſtinum reducantur, itaut quolibet triennio ex convocatis Baccalauris ad examen doctiores eligantur, & juxta numerum ab eiſdem Conſtitutionibus præfixum certis Collegiis deputentur: elapſo triennio iterum ad ſeverius examen cuncti vocentur, qui ſi publicas theſes egregie prius ſuſtinuerint, ac in examine non vulgaris doctrinæ ſpecimen dederint, doctorali Laurea a Generali Miniſtro donentur; illi vero, qui parum profeciſſe inventi fuerint per aliud triennium in eodem Collegio probentur, quod ſi provocati iterum ad examen, poſt ſecundi triennii periodum nullam ſpem profectus dederint, a Collegialium albo penitus proſcribantur, tamquam ſimplices in poſterum Baccalauri habendi. Vetitum tamen eſt, non poſſe Baccalauros non Sacerdotes, etiamſi fuerint multarum literarum, & probatæ doctrinæ ad Collegia concurrere, & multo minus ad illa admitti. Quia vero controverſiæ circa præcedentiam inter Collegiales, & Magiſtros denuo laureatos exortæ, plurimarum fuere cauſa perturbationum, præſenti Decreto ſtatuimus, præcedentiam ſemper debere attendi a die ingreſſus ad Collegia, itaut, qui in eodem anno ingreſſi ſunt, inter eos præcedat, qui prius profeſſionem emiſit. Pari modo, qui per Breve Summi Pontificis laureati ſunt locum cedere debent cunctis, qui eodem tempore erunt Collegiales adſcripti, licet iſti in fine triennii laureati fuerint.

Ad Concionatores.

Quoad Concionatores.

§. 7. Ad Concionatoris munus nemo deinceps promoveatur, qui prius in privatis clauſtris ingenii ſui publica non oſtenderit facinora, & ab examinatoribus deputatis per ſtrictius, & ſeverius examen de ſcientia, & moribus approbatus pariter non fuerit. Nec poſſe prædicationis officium exercere, quamvis à Generali Miniſtro patentes literas obtinuerit, niſi à ſuæ Provinciæ Diffinitorio acceptatus fuerit, præſenti Decreto ſtatuimus.

Ad Patrum, & Fratrum Aggregationes.

Quoad Patrum, & Fratrum aggregationes.

§. 8. Cum adverſus Urban. Conſtitutionem inoleverit abuſus transferendi filiationes à Conventu in Conventum, firmiſſime decernimus, non licere deinceps noſtri Ordinis Religioſis, quacumque fulgeant dignitate, renunciato proprio Conventu, ad alium ſe aggregare, ſine expreſſa, & raro concedenda Miniſtri Generalis auctoritate.

Ad Novitios, eorumque Magiſtros.

Quoad Novitios, & eorum Magiſtros.

§. 9. Cum à Novitiorum recta ſelectione, & inſtitutione totius ædificii ſpiritualis in Seraphica noſtra Religione mittantur fundamenta, quæ ſi perperam jaciantur evidens ruina timenda eſt. Hinc Provincialibus Miniſtris demandatur, ut nonniſi eruditos, ac liberalibus aptos diſciplinis, bonæque indolis, ac probati ſpiritus juvenes tyrocinio committant, quos inde ſolertibus Magiſtris inſtruendos in Regulari diſciplina conſignent. Illi autem Magiſtri inſtituantur, qui judicio, prudentia, & ingeniorum, & ſpirituum diſquiſitione, ſolertia valeant, qui concreditos ad regulam, & Conſtitutiones, maximæque mortificationis ſtudium forment, cum ab hac una, totius Religionis ſpes omnium maxima, vitaque, ac interitus pendeat. Sint propterea Novitiorum Magiſtri (quantum fieri poterit) Seniores Provinciæ Religioſi, moribus graves, ſpiritu probati, pro quibus ſublevandis (ſi opus fuerit) Vicemagiſter etiam inſtituatur, ejuſdem ſpiritus, & indolis.

Quoad tranſitum Capucinorum, ſeu alterius Ordinis ad ipſos Conventuales.

§. 10. Hinc cum experientia longa probatum fuerit, alterius Ordinis Religioſos, & maxime Capucinos ad noſtram admiſſos Religionem, varia experiri Fratrum judicia, cum diverſi ſint unius mores, & alterius, & propterea plurimæ ſint obortæ rixæ, contentiones, & tepor ſpiritus, decernimus, firmiterque ſtatuimus, neminem alterius Ordinis ad noſtram admitti poſſe Religionem, niſi prius a generali Diffinitorio per ſecreta ſuffragia, & paria acceptatum.

Decretum S. Congregationis Epiſcop. & Regul.

§. 11. Sacra Congregatio Emorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione Emi dicti Ordinis apud hanc Sanctam Sedem Protectoris, cenſuit, (ſi SSmo D. N. placuerit) poſſe per literas Apoſtolicas in forma Brevis eidem Emo Protectori committi, ut veris exiſtentibus narratis, petitam ſupraſcriptorum Decretorum confirmationem pro ſuo arbitrio, & prudentia oratoribus impartiatur.

Romæ 22. Novembris 1669.

M. Cardinalis Ginnettus.

Loco ✠ Sigilli.

Ratio petitæ confirmationis.

§. 12. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, nonnulla ex Decretis quibuſdam fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædeceſſoris noſtri literis adverſentur, licet Ordinis præfati Conſtitutionibus ſint conformia, cupiatque propterea dictus Joannes Bernardinus eadem Decreta Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri: Nos ipſius Joannis Bernardini Procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui relationem dilecti filii noſtri Giberti ejuſdem S. R. E. Cardinalis Borromæi nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris ſuper præmiſſis conſiderarunt, conſilio, eidem Giberto Cardinali, & Protectori per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, ſupraſcripta decreta auctoritate noſtra Apoſtolica pro ſuo arbitrio, & prudentia confirmet, & approbet, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciat, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi deſuper quomodolibet intervenerint, eadem auctoritate ſuppleat: ſalva tamen ſemper in præmiſſis

Mandat Cardin. Protect. ut dd. Decreta authoritate Apoſtolica confirmet.

auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Derogat contrariis.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 30. Augusti. 1670.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Septembris par. 1. fol. 213.

X.

Die 30. Sept. 1670. An. 1.

Erectio Custodiæ S. Petri de Alcantara Minorum Discalceatorum S. Francisci in Regno Neapolis.

Nunc primũ impressa.

Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolitano Nuntio.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

De reformatione fratrũ Conventualium, eorumque transitu ad aliam Religionem latam, vel strictiorem, vide Constit. 8. & Constitut. 32. Clem. IX.

Exordium.

APostolicæ servitutis Officium, quod inscrutabilis sapientiæ, atque clementiæ Dei altitudo humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longe impari, committere dignata est, exigit, ut paternam Religiosorum virorum divinis obsequiis sub suavi arctioris vitæ jugo mancipatorum, propriæque, & alienæ saluti laudabiliter incumbentium curam gerentes, cœtibus illorum stabiliendis, prosperoque, & fœlici eorum regimini, & gubernio peculiari charitate intendamus, ac Pastoralis muneris nostri partes desuper interponamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam Religionis incrementum, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Series facti.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Petrus de Aragonia Dux de Segorbe, & Cardona Regno Neapolis Prorex, quod alias fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster, Conventum S. Luciæ de Monte Neapolitano olim Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, Fratribus Discalceatis Hispanis Provinciæ S. Petri de Alcantara Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum pro eorum habitatione, adhoc ut missionibus ad spiritualem militum Hispanorum Neapoli degentium, prout eatenus fructuose fecerant, operam in postremo dare possent, concessit, ac Fratribus Conventualibus Reformatis qui in eodem Conventu reperiebantur, indulsit, ut inter Fratres Discalceatos hujusmodi incorporari possent, attento, quod reformationem eorumdem Fratrum Conventualium extinxerat, & id ipsum permisit quoque Fratribus Conventualibus Reformatis in aliis quatuor ejusdem instituti Conventibus in Regno prædicto consistentibus, nempe S. Mariæ gratiarum de Squinzano, S. Jacobi Licien., Sanctæ Catharinæ Graemi, & S. Joannis Baptistæ de Trippalta respective degentibus; qui Fratres vigore licentiæ hujusmodi institutum prædictorum Fratrum Discalceatorum amplexi sunt, memorato Conventu S. Luciæ dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara Hispaniarum incorporato remanente: Et considerato per eumdem Clementem prædecessorem, quod dictus Conventus nec bene gubernari, nec sustentari poterat sine instituti sui detrimento, si solus remaneret; visum est ipsi Clementi prædecessori ex eodem S. Luciæ, & aliis quatuor Conventibus prædictis institui Custodiam per Custodem Provincialem gubernandam, cum Minister Provincialis dictæ Provinciæ in Hispania residens, propter locorum distantiam Custodiæ hujusmodi curam gerere non posset. Verum suspensa fuit hujus intentionis dicti Clementis prædecessoris institutio, quia Fratres Minores Conventuales allegarunt Conventus prædictos ad se spectare, quippe qui eorum expensis pro Fratribus Reformatis eorum Ordinis ædificati fuissent, & hujusmodi allegationis prætextu, literas Apostolicas in simili forma Brevis expeditas obtinuerunt, ad hoc ut exclusis Fratribus Discalceatis, dicti Conventus eis consignarentur; sed hæ literæ executioni mandatæ non fuerunt, eo quod repertum fuit eosdem Conventus esse de jure patronatus fundatos ab incolis ipsorum Oppidorum, eorumque Dominis, qui ingressui dictorum Fratrum Conventualium, ac egressui memoratorum Fratrum Discalceatorum in eis tunc hodieque degentium minime consentiebant, & hujus Sanctæ Sedis determinationem super erectione Custodiæ hujusmodi expectandam esse censebant.

Preces Petri de Aragonia Regni Neapolis Prorẽgis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Petrus Dux, & Prorex, S. Luciæ de Monte, & alios quatuor Conventus suprædictos in novam Custodiam, quæ institutum, doctrinam, & cæremonias S. Petri de Alcantara servare debeat, ad Dei gloriam, ac tam Hispanorum, quam aliorum Regni prædicti incolarum spiritualem ædificationem, bonorumque operum incrementum a nobis erigi, & institui, ipsiusque novæ Custodiæ Custodem, & Diffinitores pro hac prima vice authoritate nostra deputari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quinque Cõventus in Regno Neapolis Fr. Discalceatorum S. Petri de Alcantara mandat erigi in Custodiam prout in rubr.

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Petri Ducis, & Prorẽgis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & auditis illis quorum interest, prædictos quinque Conventus Fratrum Discalceatorum Provinciæ S. Petri de Alcantara Hispaniarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, videlicet S. Luciæ de Monte Neapolis, S. Mariæ gratiarum de Squinzano, S. Jacobi Licien., S. Catharinæ Grami, & S. Joannis Baptistæ de Trippalta, in novam Custodiam sub prænarrata Provincia S. Petri de Alcantara, quæ pro tempore existentis Commissarii generalis, vel Ministri generalis dicti Ordinis, quando ex familia Cismontana fuerit, quemadmodum in literis d. Clementis prædecessoris circa prædictum Conventum S. Luciæ de Monte in forma Brevis emanatis ordinatum reperitur, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni immediate subjaceat, Provinciam tamen S. Petri de Alcantara prædictam tanquam Matrem agnoscat, itaut reciproca suffragiorum pro defunctis utriusque illorum communicatio fiat juxta discretam distributionem pro numero personarum faciendam; ipsaque Custodia deinceps post hanc primam vicem per unum Custodem, & quatuor Diffinitores, ac Guardianos Conventuum

Post hanc primam vicẽ mandat regi

per unum Custodem, & quatuor Diffinitores ac Guardianos regi prout in rubr.

ex corpore ejusdem Custodiæ, juxta Constitutiones, & stilum ordinis hujusmodi eligendos regi, & gubernari debeat, authoritate nostra Apostolica perpetuo erigas, & instituas; ac ejusdem Custodiæ sic erectæ, & institutæ Custodi pro tempore existenti, ut eamdem in suæ Custodiæ auctoritatem, & facultatem habeat, quæ per literas Apostolicas, aliis omnibus ejusdem Ordinis Custodibus ab hac S. Sede concessa reperitur; ipsa vero Custodia, ac illius superiores, & Fratres omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, gratiis, & indultis, quibus aliæ Custodiæ Ordinis hujusmodi, illarumque superiores, & Fratres ex concessione dictæ Sedis utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, dicta auctoritate concedas, & indulgeas.

Gaudeat omnibus privilegiis, & gratiis quibus gaudent aliæ Custodiæ ejusdem Ordinis.

§. 4. Præterea eidem novæ Custodiæ de idoneis Custode, & Diffinitoribus, qui illam, adjuvante Dño, salubriter dirigant pro hac prima vice providere cupientes, ac de infrascriptorum Ordinis prædicti professorum fide, prudentia, charitate, vigilantia, integritate, & Religionis zelo plurimum in Dño confisi, eidem discretioni tuæ harum serie committimus, pariter, & mandamus, ut dilectos filios Joannem de S. Bernardo in Custodem, ac Bartholomæum immaculatæ Conceptionis, alias de Pectorano, Andream Massiam, Carolum delle Piaghe, & Josephum de Robles Fratres discalceatos supradicti ordinis Sacerdotes expresse professos in Diffinitores novæ Custodiæ hujusmodi respective ad triennium tantum in officiis hujusmodi duraturos, cum omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, auctoritate, facultatibus, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis eadem authoritate deputes, atque constituas; ipsisque Custodi, & Diffinitoribus sic deputatis, Guardianos Conventuum dictæ Custodiæ capitulariter eligendi facultatem dicta authoritate impertiaris: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem tibi harum serie authoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

Pro hac prima vice providet de Custode, & Diffinitoribus ad triennium duraturis.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, omniaque, & singula in illarum executione a te, ut præfertur, facienda, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ aqud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Septemb. 1670. Pontificatus nostri anno Primo.

I. G. Slusius.

Edita die 30. Sept. 1670.

Registrata in Secretaria in lib. Brev. Mensis Septembris 1670.

XI. Edita An. D. 1670.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus Ecclesias Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum tam erectis, quam erigendis in festis SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois Fundatorum ejusdem Ordinis.

CLEMENS PAPA X.

Nunc primum edita.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

REdemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui glorioſos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores aliis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes efficit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, specialium munerum thesauros, quorum dispensatores à Domino constituti sumus, libenter erogamus, sicut ad fovendam, & incitandam fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indulgentiæ plenariæ perpetuæ pro Visitantibus Ecclesias Ordinis Trinitatis in festis ut supra.

§. 1. Itaque præclara Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois Fundatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum merita devote recolentes, ac ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia devotione intenti, nec non de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum tam Calceatorum, quam Discalceatorum, & Monialium dicti Ordinis hactenus erectis, & in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, eorumdem Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis festorum hujusmodi, annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festo præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus perpetuis futuris temporibus valituram.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ..

Edita die 10. Dec. 1670.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1670. Pontificatus nostri anno Primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brev. lib. 1. *Diversor. fol.* 636.

XII. Edita An. D. 1670.

Declaratio super Innovationibus factis circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Regnorum, Portugalliæ, & Algarbiorum, eorumque Indiarum, & Conquistarum, post decessum Regum Sebastiani, & Henrici, quod per eas principaliter, vel accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factarum, juribus Coronæ Portugalliæ nullo

modo

modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones dictarum Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante Innovationes hujusmodi tempore præfatorum, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si eædem nullo modo unquam factæ fuissent.

Antea non impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium, & ratio hujus Declarationis quoad provisiones factas Ecclesiarum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, atque Indiarum, ac Conquis. tantum.

CUm sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri Principis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Gubernatoris per dilectum filium, & nobilem virum Franciscum de Sausa Comitem de Prado, & Marchionem de las Minas, ejusdem Petri Principis Gubernatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem, Nobis nuper expositum fuit, circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, in dictis Regnis, eorumque Indiis, & Conquistis consistentium, nonnullæ innovationes post decessum clar. mem. Sebastiani, & Henrici, dum vixerunt, Portugalliæ, & Algarbiorum Regum illustrium factæ fuerint, propter quas prætendi forsan posset juribus Coronæ Portugalliæ aliquo modo præjudicatum esse.

§. 1. Nos eumdem Petrum Principem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quæ circa provisiones Ecclesiarum prædictarum post decessum memoratum Sebastiani, & Henrici Regum principaliter, & accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factæ fuerunt, juribus Coronæ prædictæ nullo modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones earumdem Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante innovationes hujusmodi tempore prædictorum Sebastiani, & Henrici, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere, in omnibus, & per omnia, perinde ac si eædem innovationes nullo modo factæ fuissent, tenore præsentium declaramus.

Mandat dd. provisiones post decessum dd. Sebastiani, & Henrici Regum factas Juribus Coronæ nullatenus obesse.

Omnia dd. Ecclesiarum provisiones concernentia mandat in eo statu remanere, quo erant tempore dd. Regum, & Antecessorum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans cum clausula sublata.

§. 3. Non obstantibus præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit dictarum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, aliisque quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserrentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1670. Pontificatus nostri Anno Primo.

Edit. die 22. Dec. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. 1. Diversorum fol. 457.

Declaratio ad favorem Sedis Apostolicæ super Innovationibus circa Provisiones Ecclesiarum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum ejusque Indiarum, & Conquistarum post decessum Regum Sebastiani, & Henrici factis, quod per eas nullum sit illatum præjudicium Juribus S. Sedis Apostolicæ.

XIII.

Edit. An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Hactenus non impressa.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio facta favore Jurium Coronæ Portugalliæ.

§. 1. CUm Nos hodie motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine per quascumque Innovationes, quæ circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, eorumque Indiis, & Conquistis consistentium post decessum clar. mem. Sebastiani, & Henrici, dum vixerunt Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illustrium quomodolibet factæ fuerunt, Juribus Coronæ Portugalliæ nullo modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones earumdem Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante innovationes hujusmodi tempore præfatorum Sebastiani, & Henrici, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere in omnibus, & per omnia, perinde acsi eædem Innovationes nullo modo unquam factæ fuissent, declaravimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Et (sicut accepimus) prætendi forsan possit per innovationes hujusmodi aliquid præjudicii juribus hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ illatum esse, aut inferri quoquo modo posse.

Ratio hujus novæ Declarationis.

§. 2. Hinc est, quod Nos, qui ex debito Pastoralis officii Nobis divinitus commissi jura dictæ Sedis tueri, & illibata conservare tenemur ejusdem Sedis indemnitati hac in re quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus per præfatas, & alias quascun que inno-

Amplissime derogat contrariis.

Declarat provisiones Ecclesiarum sequutas in Regno Portugalliæ &c. post decessum Sebastiani, & Henrici Regum nullatenus obesse juribus S. Sedis.

vationes, quæ circa provisiones Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum præfatarum, seu alterius illarum post decessum memoratorum Sebastiani, & Henrici Regum principaliter vel accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factæ fuerunt, seu quas factas fuisse in posterum quandocumque apparuerit, ac inde secuta, & secutura quæcumque nullum omnino, etiam quantumvis modicum, & minimum præjudicium quibuslibet Sedis Apostolicæ præfatæ juribus circa provisiones Ecclesiarum hujusmodi illi undecumque, ac quomodocumque, & qualitercumque competentibus, & competituris, vel ab ea prætensis illatum esse, seu fuisse, aut illatum dici, censeri, intelligi, vel prætendi umquam posse, neque quidquam juris, etiam quantumvis modicum, & minimum, in præjudicium dictæ Sedis per innovationes hujusmodi Coronæ præfatæ, & aliis quibusvis, etiam specifica, & individua mentione dignis, quovis modo additum, vel acquisitum esse, vel fuisse, aut quandocumque fore, sed omnia, & singula ejusdem Sedis jura hujusmodi semper integra, illæsa, intacta, illibata, ac in nihilo diminuta, vel labefactata tam in possessorio, quam in petitorio, & alias quomodolibet, perpetuo remanere in omnibus, & per omnia, perinde acsi eædem innovationes, indeque secuta, & secutura quæcumque numquam factæ, nec secutæ fuissent, neque unquam sequerentur, tenore præsentium declaramus, & decernimus.

S. Sedem adversus dictas provisiones restituit in integrum.

§. 3. Ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, eamdem Sedem, ejusque jura præfata adversus præjudicialia quæcumque, quæ illis ex præmissis, seu eorum occasione quoquo modo enata esse dici, censeri, vel prætendi unquam possent, in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antequam præfatæ innovationes fierent quovis modo erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Tollit facultatem impugnandi dictam declarationem ex quocumque capite.

§. 4 Decernentes pariter easdem ipsas præsentes literas etiam ex eo quod præfati, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, neque vocati, & auditi fuerint, vel ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali defectu notari, redargui, impugnari, vel infringi, aut in controversiam vocari, seu ad tramites juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, alios, vel quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans cum clausula sublata.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, necnon Ecclesiarum præfatarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Decembris 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo. Edit. die 22. Dec. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium lib. primo diversorum fol. 461.

XIV.

Exemptiones Collegii Germanici, & Ungarici Urbis confirmatæ à SSmo D. N. Clemente Papa X. Die 14. Jan. 1671. An. 1.

Hieronymus Gastaldus Protonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ SSmi D. N. Papæ Referendarius, ejusdemque Sanctissimi, & Rev. Cam. Apostolicæ Thesaurarius Generalis. Nunc primùm impressa.

Illustri D. Cæsari Baldinotto Dohanarum Almæ Urbis Generali Appaltatori, & ad quem spectat. De mandato SSmi D. N. Papæ, ac in vim specialis Chirographi manu ejusdem SSmi signati, nobisque directi, & præsentati tenoris sequentis videlicet. *Monsignor Girolamo Gastaldi nostro Tesoriere Generale. Volendo Noi far grazia particolare al Collegio Germanico di Roma per le singolari qualità, e circostanze, che in esso concorrono, vi ordiniamo, che facciate intendere a Cesare Baldinotti Doganiere di Roma essere nostra mente, che non ostante la Bolla publicata sopra la rivocazione dell'esenzioni, lascino passare franche di Dogana nel numero delle quattro mila cento cinquanta Botti di vino di Ripa al d. Collegio per quella quantità di Botti di vino, che bisognerà di più ogn'anno per servizio di esso oltre le Botti ottanta, che ha avuto per il passato, purchè in tutto non passino. Botti cento trenta l'anno, tanto nelle Barche, come ne' Magazzeni, anco quantro alli quattro per cento, & alli quatto giulj a Botte in conformità della Bolla della fe. me. di Gregorio XIII. nostro predecessore data sotto li 15. Luglio 1574. quale in tutto approviamo, e confermiamo, e darete in ciò gl'ordini necessarj, acciocchè gli ne siano fatte le spedizioni opportune in esecuzione di questa nostra volontà, ancorche il presente nostro Chirografo non si presenti, nè ammetti in Camera, e nelli suoi libri, non ostante la Bolla* Chirographum super exemptione vini, prout in corpore.

Tenor Bullæ Greg. XIII. super exemptionibus Collegii Germanici, & Hungarici.

di

di Pio IV. Nostro predecessore de registrandis, *e la revocatoria dell' esenzioni, e qualsivoglia altra cosa che facesse in contrario, alle quali tutte avendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza per questa volta sola deroghiamo, non volendo però, che passi in esempio. Dato nel Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì* 31. *Decembre* 1670. Clemens Papa X. Tenore præsentium committimus, & mandamus quatenus statim visis, & receptis, præsentibus &c. debeas in computum doliorum quatuor mille centum, & quinquaginta vini Ripalis de quibus in capitulis sui Appaltus fit mentio, totam quantitatem vini Ripalis quolibet anno Collegio Germanico Urbis necessariam ultra dolia octoginta in præteritum habita, dummodo in totum quantitas ipsa non excedat dolia centum triginta, tam in Barchis, quam Magazenis existen. liberam, immunem, & exemptam, à solutione Gabellæ, & Dohanæ etiam quoad quatuor pro centenario, ac pariter Julios quatuor pro quolibet dolio vini juxta formam Bullæ fel. rec. Gregorii Papæ XIII. sub dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Julii Pontificatus sui anno III. tenoris sequentis, videlicet: Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ut cæteri de Republica benemeriti immunitate interdum juvandi sunt, ita maxime eorum ratio hac in re habenda est, quos ad fidei catholicæ incrementum in sinu nostro confovemus. Quo circa, ut Collegium Germanicum pridem à Nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus, quam centum pueros ex universa Germania, septentrionalibusque illi adjacentibus regionibus colligendos liberalibus scientiis, ac disciplinis, necnon sacris Canonibus, & Theologia institui, atque eruditi voluimus, & ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, motu proprio, deque nostra mera liberalitate Collegium præfatum, ejusque res, & bona quæcumque præsentia, & futura, ac ipsius Collegii res, Scholares, & alios in eo degentes ab omnibus, & singulis portarum, molendinorum farinæ trium pro centenario, & quatuor Juliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, vectigalibus, angariis, ac Terræ, Marisque Gabellis, & Dohanis ordinariis, & extraordinariis hactenus quomodolibet impositis, & imposterum quandocumque, quavis occasione, vel causa etiam de necessitate exprimenda imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum Cameræ Apostolicæ Clericorum, etiam ratione Ripæ, & Ripettæ, Dohanæ Terræ, ac etiam Grasciæ nuncupatæ Urbis prædictis, necnon Carnium, Vinorum, Granorum, pannorum lini, lanæ, serici, & quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum, & vestitum necessariarum, ex toto statu Ecclesiastico, & quibuscumque aliis locis extra dictum statum consistentibus ad Collegium præfatum, tam per terram, quam per mare, & aquam dulcem; ac alias quomodolibet conducen., ac etiam jam ad dictam Urbem quomodolibet conductarum, & in ea existentium, & pro eodem Collegio in magna, seu parva quantitate, tam in Barchis, quam in Magazenis, & alias ubilibet emendarum, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, & liberamus, liberaque, immunia, & exempta esse volumus. Districtius inhibentes omnibus, & singulis tam Urbis, quam status prædictorum Gabellarum, Datiorum, & vectigalium eorumdem Datiariis, Conductoribus, seu Appaltatoribus, cæterisque, ad quos spectat, & spectare poterit quomodolibet in futurum, ne Collegium præfatum, illiusque Scholares, & personas, vel pro eis agentes, & eorum bona quæcumque, aut eorum quemlibet directe, vel indirecte quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, impedire, vel perturbare audeant, seu præsumant. Quinimmo eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant ipsos, & eorum quemlibet immunitate, exemptione, & aliis præmissis pacifice frui, & gaudere. Ac decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon d. Urbis, & Dohanarum prædictarum, ac quorumcumque Tribunalium, & Curiarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Tribunalibus, & Curiis, Judicibus, necnon Appaltatoribus, & Dohaneriis prædictis, ac quibuscumque aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentibus transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici ejusdem Collegii Secretarii subscriptis, & sigillo Communi ejusdem Collegii munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ac alias ubicumque opus fuerit adhibeatur, acsi præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum anno incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Julii, Pontificatus nostri anno tertio. Cæsar Glorierius M. A. de Alexiis.

§. 1. Quæ quidem Bulla per SSmum D. N. in omnibus, & per omnia in suo præinserto Chirographo confirmata, & approbata. Nos pro omnimoda illius executione tibi, tuisque prædictis præmissorum, & superius ordinatorum observantiam committimus, & ordinamus, & sic d. dolia vini libera à dictis Gabellis, & Dohana transire permisisse, & ordinasse, dictumque Collegium Germanicum pariformiter in libris Dohanæ, & ubi opus fuerit pro executione, & paritione ejusdem præinserti Chirographi liberum, & exemptum, ut supra à prædicta solutione dictarum Gabellæ, & Dohanæ, etiam quoad dd. quatuor pro centenario, & Julios quatuor pro quolibet dolio vini, & sic pro hujusmodi, ac superius expressa quantitate vini, ibi in dictis libris distincte descripsisse, & adnotasse, ac per tuos Agentes, & Ministros fieri, & describi fecisse, mandasse, & curasse. Quam quantitatem vini per te, ut supra exemptam facien., & transeundam in numero dictorum quatuor mille centum, & quinquaginta doliorum vini exemptorum juxta formam capitulorum Appaltus Dohanarum acceptamus, & admittimus, acceptarique, & admitti, ac respective bonam fa iemus juxta formam præinserti Chirographi SSmi D. N. Papæ: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Confirmatio & executio d. Bullæ.

que. In quorum fidem &c. Dat. &c. hac die 14. Jan. 1671.

Edit. 14. Jan. 1671.

Hieronymus Gastaldus Thesaurarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli. Joseph Gezzius.

Mandatum vigore Chirographi SSmi.

XV.

Bulla Confirmationis, & ampliationis Privilegiorum Auditorum Sacræ Rotæ.

Nunc primum impressa.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis consueta benignitas ea, quæ per prædecessores suos præsertim personarum non solum pro ipso Romano Pontifice, sed etiam pro universali Ecclesia, ac Sedis Apostolicæ honore, & personis ad illam in dies confluentibus justitia administranda continuos, & indefessos labores impendentium commodum, & utilitatem concernentia concessa sunt, ut firma perpetuo, & illibata persistant, libenter approbat, aliaque etiam ipsis concedit, prout in Domino salubriter prospicit expedire. Cum itaque felicium recordationum Julius II., Leo X., Clemens VII., Paulus III., & Alex. VII. Romani Pontifices prædecessores nostri dilectis filiis Cappellanis nostris, Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac eorum Locumtenentibus tunc, & pro tempore existentibus, eorumque Collegio hujus Urbis, atque adeo totius Christiani orbis supremo Tribunali diversa perampla privilegia, concessiones, exemptiones, antelationes, prærogativas, libertates, facultates, gratias, ac indulta tunc expressa benignè concesserint, & approbarint:

Enumerantur Pontifices, qui varia privilegia S. Rotæ Auditoribus concesserunt.

§. 1. Nos Auditorum, & Locumtenentium prædictorum, quorum assidui labores quotidie probantur, & incorrupta justitia Orbi Christiano elucet, meritis invigilantes, ac eos amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, omnia, & singula privilegia, exemptiones, antelationes, prærogativas, concessiones, gratias, libertates, facultates, literas, ac indulta hujusmodi per dictos prædecessores eisdem Auditoribus, & Locumtenentibus, ac eorum singulis in genere, vel in specie concessa quæcumque, & qualiacumque sint, ac cujuscumque tenoris, & continentiæ existant, quorum omnium formas, & tenores, ac si de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro expressis habentes cum omnibus, & singulis derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis in omnibus, & per omnia motu proprio, non ad ipsorum Auditorum, & Locumtenentium, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ vim, robur, & efficaciam adjungimus, & innovamus, illaque eisdem, & eorum cuilibet, & prout dicti prædecessores nostri concesserunt, de novo pro potiori cautela concedimus, indulgemus, & ampliamus.

Pontifex omnia dd. privilegia motu proprio confirmat.

§. 2. Et insuper cum idem Clemens inter alia per eum tunc eisdem Cappellanis, Auditoribus, & eorum Locumtenentibus concessa, quod singuli Auditores, & Locumtenentes prædicti quascumque provisionum, commendarum, dispensationum, unionum, ad vitam præfectionum, reservationum, fructuum, pensionum, & aliorum quorumcumque, ac facultatum, mandatorum, gratiarum, & indultorum, ac alias literas gratiam, vel justitiam separatim, seu utrumque mixtim concernentes, à Sede prædicta etiam ratione quarumcumque dignitatum, etiam Episcopalium, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque pro tempore, ut præfertur, ab eodem Clemente, & successoribus suis Romanis Pontificibus pro tempore existentibus à Sede prædicta qualitercumque impetrandas, ac sibi etiam motu proprio, & ex certa scientia concedendas, & de personis eorum confistorialiter faciendas, in Abbreviatorum, Scriptorum Bullarum, ac Registri, nec non qui etiam de suis Apostolicis gratiis expectativis taxam recipiebant, Solicitatorum literarum Apostolicarum, nec non Secretariorum, & Procuratorum Audientiæ suæ literarum contradictarum, ac aliis quibusvis Romanæ Curiæ officiis gratiis cum subscriptione, videlicet: *gratis pro Auditore, seu Locumtenente Rotæ* per Rescribendarium literarum earumdem facienda expedire possent, & deberent, Apostolica auctoritate, motu pari pariter indulserit, mandans tunc, & pro tempore existentibus literarum prædictarum Rescribendario, & aliis Scriptoribus, & Abbreviatoribus, Solicitatoribus, Secretariis, dictæ audientiæ Procuratoribus, & quibusvis aliis dictæ Romanæ Curiæ officialibus expeditioni literarum hujusmodi pro tempore præsidentibus, & ministris, sub excommunicationis latæ sententiæ, privationis, & suspensionis suorum officiorum, & perceptionis emolumentorum eorumdem pœnis per eos, ad quos pertinet, & qui eas gratis subscribere, vel concedere noluerint eo ipso incurrendis, absque alio suo, & successorum, & Sedis prædictæ ulteriori mandato eas gratis subscriberent, & per omnia usque ad, & alia necessaria inclusive omni contradictione, & dilatione cessante expedirent, prout in literis ejusdem Clementis desuper expeditis plenius continetur:

Clem. VII. mandavit literas Apostolicas pro Auditoribus, eorumque Locumtenentibus gratis expediri, prout in rubrica.

§. 3. Nos eorumdem Auditorum, & eorum Locumtenentium indemnitati consulere, eosque amplioris gratiæ favore prosequi volentes, ipsosque Auditores, & Locumtenentes hujusmodi, dictique Collegii singulares personas à quibusvis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non privilegiorum, exemptionum, facultatum, aliorumque præmissorum, & inde secutorum quorumcumque, etiam veriores, & totos tenores, etiam datas, causasque, occasiones, & qualitates, etiam circumstantias, ac litium si quæ sint, merita, statum, cum omnibus aliis de necessitate exprimendis, præsentibus pro expressis habentes, motu simili, ac ex scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine prædictis indultum circa dictarum literarum expeditionem, gratis, ut præfertur, faciendam, à dicto Clemente, ut præfertur, concessum, etiam quoad expeditionem gratiarum prædictarum in eorumdem Auditorum, & Locumtenentium favorem per viam secretam gratis faciendam, perinde ac si in dictis literis ejusdem Clementis de eadem via secreta circa dictam expeditionem expressa, & individua mentio facta fuisset, motu pari extendimus, & ampliamus.

Hoc indultum iterum Pontifex confirmat.

§. 4. Ac propterea cum post suppressionem, & abolitionem Collegii Subdiaconorum Apostolicorum nuncupatorum à prædicto Alexandro prædecessore factam, idem Alexander prædecessor dictos Auditores Subdiaconos Apostolicos fecerit, creaverit, constituerit, & declaraverit; ipsumque prædictorum Auditorum Collegium in locum Subdiaconorum, per eum, ut præfertur suppressorum, & abolitorum, cum eodem omnino onere assistendi, & inserviendi Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici in quibusvis functionibus Pontificiis, ad quod dicti Subdiaconi

Alexan. VII. Auditores S. Rotæ creavit Subdiaconos Apostolicos in locum Collegii suppressi dd. Subdiaconorum quibusdam exceptis

redditibus, & emolumentis.

coni ante officiorum ſuorum ſuppreſſionem, & extinctionem, ut præfertur factas quomodolibet tenebantur, & obligati erant, & cum omnibus, & ſingulis honoribus, prærogativis, præcedentiis, & præeminentiis, quæ de jure, & ex Conſtitutionibus, & Indultis Apoſtolicis, ut præfertur, ſuppreſſis, & abolitis, illorumque Collegio ante ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi competebant, quibuſdam tamen redditibus, & emolumentis exceptis, motu ſuo proprio ſubſtituerit, & ſubrogaverit, indeque eiſdem Auditoribus cura, & cuſtodia Palliorum, quæ de Corpore Sancti Petri ſumpta in Conſiſtorio Patriarchis, Archiepiſcopis, & nonnullarum Eccleſiarum inſignium uſu Pallii hujuſmodi gaudentium Epiſcopis diſtribui ſolent, incumbat.

Dictis Auditoribus committit cuſtodiam Palliorum.

§. 5. Ratio poſtulat, ut qui ſentit onus, ſentiat & commodum; Nos proviſionem ſcutorum octo monetæ, quæ idem Alexander prædeceſſor intuitu curæ, & Cuſtodiæ prædictarum uſque ad ſuum beneplacitum Canonicis Altariſtis Sancti Petri pro tempore exiſtentibus in ſingulos menſes aſſignaverat, ex nunc Collegio Auditorum prædictorum perpetuo aſſignamus, applicamus, & appropriamus: mandantes dilectis filiis Proviſoribus Montis Pietatis, ut deinceps in perpetuum dictam proviſionem octo Scutorum ſingulis menſibus juxta formam, & tenorem Chirographi dicti Alexandri prædeceſſoris ſub die 19. Martii anni Domini 1658., illiuſque confirmationis, quorum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, emanatorum, non amplius Canonicis Altariſtis S. Petri pro tempore exiſtentibus, ſed Collegio Auditorum prædictorum ſolvant, itaut Altariſtis menſtrua proviſio prædictorum octo ſcutorum non amplius proveniat, nec ab ipſis ratione Curæ, & Cuſtodiæ Palliorum prædictorum, vel ſub quovis alio prætextu, aut colore prætendi, vel exigi poſſit, ſed Collegio Auditorum prædictorum obveniat, & cedat, illique perpetuo aſſignata, applicata, & appropriata ſit, & eſſe cenſeatur tenore præſentium, per quas Ven. Fratri noſtro Archiepiſcopo Sebaſten. moderno Canonico Altariſtæ, cui, donec officium, ſeu Beneficium Altariſtæ hujuſmodi obtinuerit, prædicta proviſione octo ſcutorum frui, & gaudere permittimus, quoad emolumentum prædictum præjudicare non intendimus.

Pontifex menſtrua ſcuta 8., quæ ratione hujuſce Cuſtodiæ dabantur Canonicis Altariſtis S. Petri applicat Collegio Auditorum S. Rotæ.

Canonico Altariſtæ exiſtenti d. proviſionem permittit donec officium, ſeu beneficiū exerceat.

§. 6. Ac omnes, & ſingulos juris, & facti, necnon ſolemnitatum quarumcumque, tam ex juris Canonici, & Conſtitutionum Apoſtolicarum præſcripto, quam alias quomodolibet in ſimilibus, & de neceſſitate obſervandarum, & alios quoſcumque, etiam quantumvis magnos, formales, incognitos, & inexcogitabiles defectus, ſi qui in præmiſſis, & eisdem partibus, vel eorum aliquo, vel earum parte principaliter, vel acceſſorie, antecedenter, vel conſequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, pleniſſime, & ampliſſime ſupplemus, ſanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Omnes defectus, & ſolemnitates ſupplet.

§. 7. Decernentes ipſas præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, quacumque ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digna, etiamſi in præmiſſorum, vel eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes quomodolibet illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas præſentes emanarunt adductæ, ſpecificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut alias ex alia quacumque quantumvis juſta, pia, juridica, privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, & enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſu, aliove quomodolibet, quantumvis magno formali, ſubſtantiali, aut inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, limitari, aut in controverſiam vocari, aut adverſus illa aperitionis oris, & reſtitutionis in integrum, aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, vel impetrato, vel etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, & extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe.

Mandat nulla ex cauſa hujuſmodi literas poſſe impugnari, & invalidari.

Prohibet impetrari aperitionem oris, aut reſtitutionem in integrum.

§. 8. Sed præſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac dictis Auditoribus, illorumque Locumtenentibus, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; nec ſub quibuſvis ſuſpenſionibus perpetuis, vel ad tempus derogationibus, revocationibus in contrarium factis, vel faciendis minime comprehendi, neque illis derogari poſſe, niſi eorumdem Auditorum, vel Locumtenentium ad id acceſſerit aſſenſus. Sicque, & non alias in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Præſidentes, Clericos, Auditorem, Theſaurarium, & Commiſſarium generales, alioſque Officiales, & Miniſtros, cæteroſque quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat illis derogari non poſſe niſi dd. Auditorum accedat aſſenſus.

Decretum irritans.

§. 9. Quo circa pro tempore exiſtentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellario, & Datario, ac Curiæ cauſarum Cam. Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes, ac in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Auditorum, Locumtenentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacioris defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos, & eorum quemlibet, confirmatione, adjunctione, innovatione, conceſſione, indulto, ampliatione, aſſignatione, applicatione, approbatione, ſuppletione, ſanatione, abolitione, decreto, ac aliis præmiſſis pacifice frui, & gaudere; non permittentes, per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato adhoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

Executores deſignat.

§. 10. Non obſtan. quatenus opus ſit piarum memoriarum Simmachi, & Pauli II. Pauli IV., & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ, & Cameræ prædictæ non alienandis, ac rec. mem. Pii Papæ IV. prædeceſſoris pariter noſtri, de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, ita ut ipſas præſentes literas ibidem præſentari, admitti, & regiſtrari nunquam neceſſe ſit, necnon noſtræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non tollendo jure quæſito, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis editis, & edendis, necnon etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, & perpetuis indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis in contrarium præmiſſorum per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, cum quibuſvis

Derogat contrariis.

Etiamſi ſpecialem mentionem requirant.

Quibusvis clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus, Secretariis Apostolicis, ac Cancellariæ, & Cameræ Apostolicarum Officialibus, ac de communi, & annata, ac plumbo, necnon de quibusvis aliis emolumentis Participantibus, & quibuscumque aliis quocumque nomine nuncupentur, & dignitate, seu, majoritate præfulgeant in genere, vel in specie, seu eorum Collegiis, & in actu eorum erectionis concessis, approbatis, & innovatis, & inposterum concedendis, & innovandis: quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia causa, exquisita forma adhoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, ac sine consensu interesse habentium derogari possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & & forma in illis tradita, observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, motu, ac scientia similibus expresse derogamus. Necnon omnibus illis, quæ in literis eisdem Auditoribus, & Locumtenentibus, seu eorum Collegio voluerunt dicti prædecessores non obstare, quæ pro repetitis habeantur, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis eadem prorsus fides in Judicio, & extra, ac alias ubicumque adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per præsentes autem non intendimus illa, quæ per Concilii Tridentini decreta, & alias posteriores Constitutiones Apostolicas specifice revocata sunt in aliquo approbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, adjunctionis, innovationis, concessionis, Indulti, ampliationis, assignationis, applicationis, approbationis, suppletionis, sanationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Edita die 14. Jan. 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Quartodecimo Kalen. Jan. Pontificatus nostri anno primo.

Locus ✠ plumbi.

XVI.

Edita An. D. 1671.

Diversæ Declarationes, & Ordinationes super æqualitate in Abbatiis, aliisque Officiis servanda inter Monachos Congregationis S. Bernardi Hispaniæ Ordinis Cistercien. ex locis citra, & ultra Montes Castellam Veterem a Nova separantes, sitis, respective oriundos.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nunc primū impressa.

Exordium.

INjunctæ nobis cælitus Apostolicæ servitutis ratio exigit, ut paternam Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Monasticæ jugo mancipatorum curam gerentes, fœlici illorum regimini, & religiosæ tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere satagamus. Cum itaque fel. rec. Clem. Papa IX. prædecessor noster, ut opportunum malis, quæ ex nationalibus factionibus in Congregatione S. Bernardi Hispaniæ Monachorum Ordinis Cistercien. nata erant, remedium adhiberet, per quasdam suas in simili forma Brevis die 14. Octobris 1669. expeditas Literas, multa decreverit circa distributionem æqualem Abbatiarum, Officiorum Capitularium, & mutuam alternativam Generalatus prædictæ Congregationis inter Monachos oriundos ex terris sitis citra, & ultra Montes Castellam Veterem, & Novam dividentes, prout in dd. Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Clemens IX concessit Congregationi Cistercien. Hispaniæ alternativam Generalatus, & æqualem distributionē Offi iorum Capitulariū.

§. 1. Exortis vero circa Literarum hujusmodi intelligentiam nonnullis dubitationibus: dilecti filii Michael de Fuentes in Sacra Theologia Magister, Generalis Reformator, ac Joannes Aracho, Ludovicus Sanchez, Petrus de Guadalaxara, Antonius de S. Petro, Josephus de Almonacid, & Benedictus de Oroscho Diffinitores ejusdem Congregationis in Monasterio Palaziolensi Palentin. Diœcesis congregati pro celebrando Capitulo intermedio die 8. Maii 1670., eisdem Literis debita cum veneratione, ac reverentia susceptis, decreverint esse nobis humiliter supplicandum, ut dubitationes hujusmodi nostræ declarationis oraculo, dilucidare, ac decidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces d. Cōgregationis post susceptas literas pro declarandis dubiis inde exortis.

§. 2. Hinc est, quod nos specialem prædictis Reformatori Generali, ac Diffinitoribus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Reformatione Ordinis Cistercien. deputatorum consilio quia in memoratis Clementis prædecessoris Literis habentur sequentia verba: Concordiam autem præinsertam auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus sub hac moderatione, ut omnes Dignitates Abbatiales, & omnia Officia tam intra, quam extra Capitulum Generale a Reformatore Generali d. Congregationis conferri solita distribuantur in æquali quantitate, & qualitate Religiosis ex utraque parte, ut supra divisa oriundis, ita ut si sint Vocales in numero pari, tot sint ex una parte, quot ex alia, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus præinserta verba ita esse ab omnibus intelligenda, & observanda, ut omnia Officia Capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio sive intra, sive extra Capitulum Generale distribuantur æqualiter Religiosis, oriundis ex terris ultra montes, & citra prædictos montes sitis, taliter quod si prædicta officia Capitularia, quorum electiones quolibet triennio celebrantur, sint paria, tot habeant Monachi oriundi ex terris ultra montes, & Monachi oriundi ex terris citra montes sitis, ideſt Officia Diffinitorum, & Procuratorum Generalium habeat una, & alia; ex terris sitis ultra montes sit unus Visitator generalis, & unus Suppletor, alius Visitator generalis, & alius Suppletor ex terris sitis citra montes. Et si Promotor Fiscalis sit ex una parte sic divisa, Secretarius Capituli Generalis sit ex alia.

Absolutio a censuris.

Primum Dubium.

Declaratio.

§. 3. Præterea, quia in prædicta Congregatione sunt triginta octo Abbatiæ Capitulares, quarum aliquæ conferuntur per electionem factam a Generali Reformatore, & Diffinitoribus, ut Salmanticensis, Matritensis, & Complutensis, cætera alia per nominationem aliquorum Monachorum pro quolibet Monasterio factam a prædictis Generali, & Diffinitoribus, & per electionem Monasteriorum, ut strictius servetur æqua-

litas

Altera declaratio.

litas in quantitate, & qualitate, quam in memoratis Literis decrevit idem Clemens prædeceſſor, declaramus ex prædictis triginta octo Abbatiis, ad novemdecim Abbatias promovendos eſſe Monachos oriundos ex terris ſitis ultra montes, & ad alias novemdecim Monachos oriundos ex terris citra montes memoratos ſitis.

Quoad ſex Abbatias Theologiæ.

§. 4. Rurſus ut in qualibet Abbatiarum ſervetur æqualitas, declaramus prædictas triginta octo Abbatias Capitulares dividendas eſſe in tres Claſſes. Prima Claſſis ſit Abbatiarum Collegiorum, Artium, & Theologiæ, quæ ſunt ſex, videlicet Abbatia Salmanticenſis, Complutenſis, Matricenſis, Montis Romenſis, Bellomontenſis, & S. Martini de Caſtaneda, & quod ad tres Abbatias ex prædictis promoveantur Monachi oriundi ex terris ultra montes, & ad alias tres Monachi oriundi ex terris citra montes ſitis.

Quoad Abbatias nuncupatas Matrices.

§. 5. Secunda Claſſis Abbatiarum, quæ nuncupantur *Matrices*, ſive *Monaſteriorum*, in quibus recipiuntur, educanturque Novitii, & emittunt Profeſſionem, & quod ſi prædictæ Abbatiæ fuerint pares, tot dentur Monachis oriundis ex una Terra, ut ſupra diviſa, quot oriundis ex alia; Si vero fuerint in numero impari, una Abbatia, in qua unus numerus alium excedat ad libitum Generalis, & Diffinitorum poſſit conferri, ſive Monacho oriundo ex una Terra, ſive ex alia, dummodo habeat qualitates juxta ſtatuta Congregationis requiſitas, ita tamen, ut ſi una vice conferatur Monacho oriundo ex terra ultra montes, alia vice conferatur Monacho oriundo ex terra citra Montes, & e contra ſi una vice conferatur Monacho oriundo ex terra citra Montes, alia vice conferatur Monacho oriundo ex terra ultra Montes, & ſic deinceps alternis vicibus.

Quoad alias Abbatias, quæ Matrices non ſunt.

§. 6. Tertia Claſſis Abbatiarum Monaſteriorum, in quibus non educantur Novitii, nec admittuntur ad profeſſionem, nec vulgo nuncupantur *Domus Matrices*, & quod ſi prædictæ Abbatiæ fuerint pares, tot Abbatias obtineant oriundi ex terris ultra Montes, ac citra Montes conſtitutis. Si vero impares fuerint, una Abbatia, in qua numerus Abbatiarum excedit alium, pro libito Generalis, & Diffinitorum detur Monacho alias habili, ſive oriundo ex una terra, ſive ex alia, ſervato tamen ordine alternativæ ut ſupra proxime dictum eſt in matricibus, & dummodo æqualitas in diſtribuendis Abbatiis taliter ſervetur, ut ex triginta octo Abbatiis ſupra memoratis novemdecim diſtribuantur Religioſis oriundis ex una parte, & aliæ novemdecim Religioſis ex alia parte, ut ſupra in memoratis literis diviſa.

Vacante Generalatu vel Abbatia, aut Officio ante Capitulum, quomodo ſit providendum.

§. 7. Inſuper declaramus, quod ſi in decurſu triennii vacaverit per mortem, aut aliam ob cauſam dignitas Generalatus, aut aliqua Abbatia Capitularis, vel Officium Diffinitoris, aut aliud quodlibet Officium Capitulare ex iis, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, ad dignitatem Generalatus, Abbatiæ, vel Officii Capitularis ſic vacantis promoveri debet Monachus oriundus ex eadem terra ſic diviſa, ut erat ille, ob cujus mortem, promotionem, renunciationem, aut privationem, talis dignitas, Abbatia, vel Officium Capitulare vacaverit, ita tamen, ut ſic promotus durare debeat pro reſiduo temporis dumtaxat, quod ſupererat ei, in cujus locum fuerit ſuffectus.

Abbatia de Palazuolos non cadit inter alias æqualiter dividendas.

§. 8. Ulterius declaramus Abbatiam Monaſterii de Palazuolos non eſſe annumerandam pro computando numero æquali Abbatiarum, quæ in æquali quantitate, & qualitate diſtribuendæ ſunt Religioſis ex utraque parte ſic diviſa oriundis, cùm Generalis Reformator, qui eſt Abbas Palazuolen., non habeat ſuffragium in Capitulo Generali, nec componat numerum vocalium cum cæteris Abbatibus, & Capitularibus pro celebrando Capitulo Generali: Generalemque Reformatorem poſſe pro libito Monachum habilem, quem maluerit, in Priorem Monaſterii de Palazuolos eligere ſive ex hac, ſive ex illa terra in literis ſupradictis diviſa oriundum, cum Prior Palazuolenſis numerum parem, cum aliis Capitularibus, qui vocem habent in Capitulo ratione Abbatiarum, & Officiorum, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, non componat, ſed numerum imparem conſtituat. Cæterum ſi una vice Prior eligatur oriundus ex terra ultra Montes, alia vice eligi debeat ex terra citra Montes, & e converſo, ſervato ſemper ordine Alternativæ.

Item nec Prioratus.

Abbas Monaſterii S. Annæ qualis eſſe debeat.

§. 9. Ad hæc decernimus, ut triennio, quo Generalis Reformator eligitur ex terris ſitis citra Montes, Abbas Monaſterii Matritenſis S. Annæ ſit oriundus ex alia parte diviſa, ſcilicet ex terris ultra Montes ſitis: & e contra, quando Generalis Reformator oriundus fuerit ex terris ſitis ultra Montes, Abbas prædicti Monaſterii Matriten. oriundus eſſe debeat ex terris citra Montes conſtitutis. Si quis vero Monachorum contra præſentium tenorem quidquam facere, vel attentare præſumpſerit, pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ eo ipſo abſque alia declaratione incurrat.

Sanctio pœnalis contra Monachos inobedientes.

§. 10. Volumus autem, ac præcipiendo mandamus, ut in proximo immediato Capitulo Generali omnes Capitulares, antequam ad aliquam electionem procedant, jurent ſuper ſancta Dei Evangelia obſervare memoratas literas Clementis prædeceſſoris, ac præſentes noſtras, & tam illæ, quam præſentes collocentur inter diffinitiones juratas, & futuris temporibus in ſingulis Capitulis Generalibus celebrandis omnes Capitulares jurejurando ſe adſtringant ad illarum obſervantiam ante quamlibet electionem ut moris eſt, jurare diffinitiones, quæ in d. Congregatione nuncupantur *juratæ*.

Præceptum S. Obedientiæ pro obſervantia harum declarationum.

Decretum irritans.

§. 11. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illos, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deſignat exequutorem.

§. 12. Quocirca Venerabili Fratri Epiſcopo Salmanticen. præſentes committimus, & mandamus, ut Capitulo Generali in dicta Congregatione proxime celebrando auctoritate Apoſtolica præſideat, ac per ſe, vel per alium, ſeu alios, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte intereſſe in præmiſſis habentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat eadem auctoritate noſtra illos, & eorum quemlibet præſentium literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacifico frui, & gaudere, non permittens illos deſuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas

ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstan. rec. me. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Monasteriorum, ac Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & expresse sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Februar. 1671. Pontificatis nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. Mensis Februarii part. 2. fol. 202.

XVII.

Nunc primum impres.

Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ editum de Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Augustini Congregationis Lateranen. ad Curam Animarum in Ecclesiis Secularibus exercendam non admittendis.

Motivum.

CUm fel. record. Gregorius XIII., aliique nonnulli Summi Pontifices ejus successores ad regularem disciplinam in Congregatione Canonicorum Lateranensium Ordinis S. Augustini magis magisque firmandam Decretis suis mandaverint, ne dicti Canonici Curæ Animarum in Ecclesiis secularibus exercendæ juxta Constitutionem Innocentii III. rec. mem. incipien. *Quod Dei timorem &c.* cæteroquin capaces ad hujusmodi Curam in prædictis Ecclesiis exercendam, admittantur, quorum Decretorum observantiam retinendam esse non semel declaratum fuit: asserentibus vero e contra quibusdam dictorum Pontificum mentem haud fuisse, certa perpetua lege lata Innocentianam Constitutionem prorsus abrogare, sed immo illorum Decreta, seu mandata cum ipsis expirasse, ac propterea pro diversitate temporum diversas forsan editas fuisse declarationes, & interpretationes, nec uniformem servatam praxim. Ideo ex prædictis non infrequentes dubitationes, & controversiæ subortæ noscuntur, ob quas religiosa quies perturbari facile posset, accuratius in hoc sacro Ordine custodienda, cum illius Apostolica Instituta primævam disciplinæ, ac sanctimoniæ antiquorum Clericorum imaginem, & symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiæ primordia florebant.

§. 1. Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas, & controversias definiendas, atque ut magis accurata disquisitione eorum Canonicorum spiritus, & vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion cælestium contemplatione suavissime pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet e Claustro ad regimen descensuri Parochialium) invitantur. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, re mature examinata, atque audito P. Procuratore Generali dictæ Congregationis Lateranen., speciali sibi auctoritate per SS. D. N. Clementem Papam X. vivæ vocis oraculo attributa declarat, atque decernit, ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum in Ecclesiis sæcularibus, etiam de Jurepatronatus in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam, admittatur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat, quod juxta sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concederetur, itaut quælibet collatio, institutio, & deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta irrita prorsus, atque inanis censeatur, & sit; ac nulla etiam triennali longior possessio iisdem suffragetur: Canonicus vero, cui ejusmodi concessum fuerit Indultum, ad mentem præfati Innocentii III. (si commode fieri possit) socium unum ex suo Ordine, & Congregatione secum habeat cujus in iis, quæ Dei sunt, & Regularis observantiæ, tam consortio, quam solatio perfruatur.

Decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regular. auctoritate Apostolica sibi attributa factum, ne Canonici Regular. Lateranen. præficiantur Ecclesiis Sæcularibus Parochialibus absque Indulto Sedis Apost. Collationes, seu Institutiones aliter factas irritat.

Canonicus cui erit concessum dictum Indultum habeat socium ejusdem Ordinis, seu Congregationis.

§. 2. Cæterum si forte aliqui ex prædictis Canonicis ante hujus Decreti promulgationem, ad Curam Animarum hujusmodi Ecclesiis Parochialibus exercendam quoquo nomine, saltem cum licentia sui Abbatis Generalis jam admissi reperiantur, eadem Sacra Congregatio itidem speciali sibi auctoritate per Sanctissimum D. N. attributam benigne indulget, ut illi (quatenus aliud non obstet canonicum impedimentum) in hujusmodi exercitio Curiæ Animarum, juxta collationem, Institutionem, seu Deputationem per ipsos jam obtentam licite valeat (Socium juxta prædicta secum habendo) continuare.

Admissi ad curam animarum in Ecclesiis Sæcularibus ante promulgationem hujus Decreti in ea valeant continuare secum habendo socium ejusdem Instituti.

§. 3. Non obstantibus quoad supradicta omnia, & singula in præsenti Decreto contenta supradicta Constitutione Innoc. III., aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam necessario, & individue exprimendis, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, formula professionis in eo Ordine, & Congregatione emitti solitæ, consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque Indultis, & Privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis; necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extentionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur (illis alias in suo

Derogat quibuscumque contrariis, & etiam formulæ Professionis.

Etiam habentibus derogatorias derogatoriarū. & requirentibus specialem, & individualem mentionem.

robore

robore permanſuris) eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſſe derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Mandat dictum Decretum publicari.

§. 4. Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sac. Congregatio, ut ſupradictum Decretum in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixum, omnes, ad quos pertinet ita arctet, & afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet. Utque eiſdem tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ hac die 18. Martii 1671.

Fides tranſumptorum.

Edit. 18. Martii 1671.

F. M. Cardinalis Brancatius.

Loco ✠ Sigillo.

C. de V. Archiep. Athen.

Publicatio d. Decreti.

Die 29. Auguſti 1671. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Franciſcum Perinum S. D. N. Papæ Curſ.

Joſeph Pizzardus Mag. Curſor.

XVIII.

Canonizatio S. Ludovici Bertrandi Ordinis Prædicatorum. Hujus Ludovici Clemens IX. decrevit poſſe tuto deveniri ad ſolemnem Canonizationem, ſed morte præventus explere non potuit. Ideo hic Pontifex nedum ejuſdem Ludovici, cujus inſuper Bullam expedivit, ſed, & aliorum quatuor, ſcilicet Roſæ d. Ordinis Prædicatorum, Cajetani Thienæi, Franciſci Borgiæ, & Philippi Benitii Canonizationem ſolemniter peregit.

Nunc primum impreſſa.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Cœli Terræque Conditor ab ipſo mundi exordio uſque ad hæc noſtra tempora, in quibus ſeculorum fines deveniſſe creduntur, nuſquam per ſingulas ætates tanquam per horas diſtributas Operarios in Vineam ſuam mittere deſtitit; qui pondus diei, & æſtus portantes, labore, ſudore, ac ſanguine illam irrigarent, & omnium Cœleſtium virtutum, ac æternæ vitæ fructibus germinare eam facerent; donec juxta divina Scripturarum oracula ex omnibus Gentibus, Tribubus, Populis, & linguis à ſolis ortus Cardine uſque ad Terrarum limites omnes ad cœnam Agni providi congregati in regno cœleſti vinum noviſſimum biberent, quod Dei ſapientia electis ſuis miſcere conſuevit. In excolenda Sanctæ Crucis vite omni cura potiſſimum inſudarunt in operibus diverſi, in virtute uniformes, ut etiam per Regna, & Provincias noſtris majoribus antea ignotas, ita innotuerit ejus virtus, ac vigor in totius Orbis victoria, ipſiuſque de mundi Principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis Poteſtatibus nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ſibi jam barbaras nationes ſubegerit, & in Nomine JESU omne genu flectatur, ac omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria eſt Dei Patris.

S. Ludovici admirabilis vita, & præclara geſta unitim referuntur.

§. 1. Plures hujuſmodi, & ſtrenuos Operarios continuata ſerie Catholicæ Eccleſiæ Prædicatorum Ordo miniſtrare non deſtitit, inter quos noviſſime egregius Dei Servus LUDOVICUS BERTRANDUS mirifice claruit, qui ardentiſſima in ipſum Deum, & proximum caritate flagrans, cæterarum virtutum excellentia, prophetiæ dono, & Apoſtolico miniſterio coruſcus, omnium linguarum laudibus merito celebratur, cujus pietas, & devotio adhuc in ipſa tenera ætate effulſit, quibus, & mundi contemptum, & Religioſi ſtatus perfectionem jungens veteranis Profeſſoribus admirationi, & exemplo fuit. Poſtmodum ad Occidentales Indos Evangelicus Prædicator miſſus plurimos ad Chriſti fidem adduxit. Apoſtolicis etiam ſignis, chariſmatibus, & auctoritate decoratus, & cunctis virtutibus fulgens inventus eſt dignus, qui ſuper excelſum Candelabrum in Sancta Eccleſia collocaretur, ut cæteris, qui in Domo Dei ſunt ejus radii eluceſcant. Rationi, & æquitati convenit, ut præclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloria, & animarum ſalute, multos maximoſque labores, & ærumnas pertulit, cujus nomen Deus ipſe glorioſum efficit, à nobis quoque, qui ejus vices in terris (licet immeriti) gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur ut merito in Eccleſia militante Populus fidelis, & Plebs Deo dicata Sanctorum faſtis adſcribi plenius agnoſcat, ejus præclara geſta, & eximia virtutum ornamenta tanquam præcellentia, ad imitandum proponenda duximus, ut Chriſti nomine decorati geſta ſua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes eum in opportunitatibus, & tribulationibus Advocatum apud Deum Patrem Omnipotentem habere mereantur. Atque ut Chriſtifidelium ora promptius in divinis laudibus exultent, & pietatis fervor erga tantum Jeſu Chriſti Servum magis in dies excitetur, ejus admirandam, & omni laude digna in Terris peractam vitam in primis exponere, & brevi incluſam eloquio patentem reddere decrevimus.

Ratio editionis Bullæ.

Nativitas S. Ludovici, ejuſque Parentes.

§. 2. Valentiæ igitur in Hiſpania Tarraconenſi ex piis, honeſtis, Catholiciſque Parentibus Joanne Ludovico Bertrando, & Joanna Anna Exarch editus eſt in lucem Ludovicus Bertrandus anno Dominicæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexto, Kalendis Januarii, & ibidem in Parochiali Sancti Stephani Eccleſia, eodemque fonte, quo olim S. Vincentius Ferrerius in Chriſto renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum cui Ludovicus carnali proſapia junctus erat communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infans à Parentibus eidem Sancto Vincentio mire devotis, pie, honeſteque educatus, nec non optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illa tenera ætate defuerint argumenta futuræ Sanctitatis; vagientis enim, ac plorantis lacrymæ nulla re ſiſti certius poterat, quam Sanctorum Imaginibus ejus conſpectui oblatis, quarum ad intuitum domi, & in Templo mirifice geſtiebat.

Infans à vagitu deſiſtit inſpiciens SS. Imagines.

§. 3. Creſcente ætate, crevit pariter virtutum Amor, & erga res divinas pronus affectus. Vix pueritiæ limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad ſolitudinem Cubiculi ſe ſe recipere, ut geniculans prolixæ rationi incumberet. Illic Dominum in ſe loquentem audiens ſuimet corpuſculi robuſtus domitor evaſit, illic ſpreta delicati cubilis mollitie, aut humo, aut duro in ligno modicum ſomnum capiebat, illic jejuniis, victuique parciſſimo corpus aſſuefcere docuit, ac variis pœnitentiæ auſteritatibus extenuare cœpit. Exinde frequentando Gymnaſio, & literarum ſtudiis addictus non minus prava conſortia, nugas, atque illecebras, quam otii laxamenta, velut bonarum artium ærugines, & virtutum peſtes cautiſſima ſedulitate jugiter evitavit.

Puer orationi, ac Pœnitentiis incumbit.

§. 4. In ſimplicitate cordis ſui quæſivit Dominum, & invenit illum; in Eccleſiis enim, & maxime Ordinis Prædicatorum ſæpiſſime orationi vacans, morabatur: Sacris etiam lectionibus, diviniſque colloquiis mentem reficiens, invenit quem diligebat Anima ejus: Sanctiſſimæ Euchariſtiæ frequenti, humili, & occulta ſumptione delectatus, in Dei ac Proximi amorem totus exar-

Actus virtutum in pueritia exerciti.

Eremi desiderio clam Domo aufugit.

Revocatus Ord. Prædic. ingreditur reluctantibus domesticis.

In novitiatu Genitoris querelas, & blanditias superavit.

Post præclara indicia vitæ Regularis professionem emisit.

Promotus ad Sacerdotium, Novitiorum Magister eligitur.

Factus Superior cæteros etiam virtute, & exemplo præivit.

Per quatuor integras horas orationi mentali vacabat.

His aliam dimidiam horam addebat contẽplandis gaudiis B.V.

Sæpe visus est non spiritu tantum, sed & corpore à Terra sublevari, & splendoribus circumfundi.

Familiares vehementer hortatur ad frequentem sumptionem, vel saltem visitationem Ss. Sacramenti Altaris.

Ad Sacrificium Missæ nunquam sibi satis paratus videbatur.

Impeditus à sacrificando S. Eucharistia reficiebatur.

Humilitas.

Paternitatis titulo Prior se honorari inhibuit.

Alii actus heroicæ humilitatis referuntur.

sit, Xenodochia magna caritate visitans: pauperibus tota animi sui demissione inserviebat.

§. 5. Ut Domini consilium de relinquendis Domo, Fratribus, & Parentibus perfectius impleret, Eremi desiderio clam Domo aufugit, sed speciosa pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis seculi fugam auspicatus, primo Clericalem admisit habitum, mox vero non sine magna cum domesticis lucta, Ordini Sancti Dominici nomen dedit in Conventu Prædicatorum Valentino, & Religionis habitu susceptо præclara S. Vincentii Ferrerii ejusdem familiæ celeberrimi Alumni vestigia sibi sequenda proposuit; ejus exemplo in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas, & blanditias invicto animo superavit, & tyrocinii anno expleto (in quo regularis militiæ præclara dedit indicia) solemnia religiosæ professionis vota emisit; postquam multis, magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit. Sacros Ordines peracto novitiatu suscepit, & ad sacrum Presbyteratus ordinem promotus, paulo post novitiorum Magister raro exemplo eligitur; quod munus cum pluribus annis magna cum laude exercuisset, Vicarius Conventus de Albayda, deinde Prior S. Honuphrii fuit designatus; Demum Conventui Valentiæ præfuit, in quibus cæteris Fratribus non tam prælatione, quam virtute, & exemplo semper præivit.

§. 6. Inter cætera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicæ Passionis Mysteria magno cum fervore, & mentis Jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis Beatissimæ Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his cœlestium illustrationum commerciis persæpe visus est non solum spiritu rapi in estasim, sed & corpore à terra sublevari, & luculentis splendoribus conspicue circumfundi.

§. 7. Erga Sanctissimum Altaris Sacramentum miro ex intimis præcordiis ardore flagrabat sciens hoc esse pulchrum, & optimum electorum frumentum, ac vinum germinans Virgines; propterea familiares ad ejus sumptionis, vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur: Sacrum Missæ Sacrificium celebraturus Angelicæ puritatis candorem æmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione, & mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus numquam satis paratus videbatur esse; à sacrificando impeditus Sacra Eucharistia reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, & in eo ipse quoque assidue maneret.

§. 8. Ut cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mira simplicitate in omnibus semper se gessit, magna tamen cum prudentia qua præditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sua nihili cognitione, & vili existimatione perpetuo moraretur; se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum prædicans, omnibus subesse satagebat, ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam sæpe imperans se ipsum perturbantem omnia, ac solum Judæ proditoris, ac Dæmonum consortio dignum appellans, innumeris aliis se ipsum probris, & convitiis onerabat. Summo mœrore cum honorifice aut tractaretur, aut exciperetur, afficiebatur; ita ut procumbens in genua ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac Paternitatis titulo Prior se honorari inhibuerit.

§. 9. Si quem læsisse sua mæstitia, aut aliter timuisset, genuflexus veniam poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat ministrum se jungebat, nec ullius quamvis inerauditum sermonem despexit. In ipsis favoribus cœlestibus, & divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus se in Infernum demergi sibi ipsi videbatur; cui timorem filialem à Deo precibus, & pœnis obtentum jungens, mœstus, & pavidus continuo apparebat. Eumdem profundæ humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inserere studuit; dicere solitus Religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere Mundum, & spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere dicebat, ut quantavis virtute, & meritis clarus esset, numquam tamen de se præsumeret, aut se alicui præferret.

§. 10. Magis æstuavit caritatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquæ extinguere potuerunt; Unde, & zelo Dei ardens utebatur, si quid contra Dei præcepta moliri, aut videret, aut audiret: quin, & sermones ejus ut faces ardebant, nihil de seculi vanitate mixtum continentes; sed vel ad Dei famulatum, vel ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem directi erant: frequens fuit in sacræ scripturæ sententiis, aut Sanctorum gestis enarrandis: Magno fervore exaggerans, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, & irati. Hinc plures re ipsa experti sunt ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse.

§. 11. Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad se singulariter credidisset à B. Ludovico directam: Mortem quam ei comminatus fuerat, nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti stricto in eum sclopo intentat, illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur, ipso Aggressore miraculi vi prostrato, ac veniam enixe petente. Beatusque Ludovicus suæ humilitati consulens, plus timens laudantem populum, quam sclopum: suo socio Christophoro de Mora præcipit, signans in ejus pectore Crucem, ut prodigium celaret: usque dum annis triginta transactis interrogatus panderet veritatem.

§. 12. Usque adeo ardebat in eo Martyrii desiderium, ut in tremendi Sacrificii elevatione cum Divo Petro Martyre ex intimis præcordiis Divinam Majestatem exoraret: Da mihi Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti. In prospectu enim Imaginis S. Vincentii Martyris eisdem pœnis, & suppliciis quibus ipse certavit, & vicit, affici vehementer optavit. Audiens pœnas quibus pro fide Christi sua ætate aliqui glorioſe diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilum erumpens eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi cupiebat.

§. 13. Eadem caritate etiam erga proximum ardens animarum solatia, & progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis duris se flagellis cædens, quibus mulierem honestæ (quoad Seculum) conditionis, cujus peccandi consuetudinem Deo revelante noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus, & pœnis à Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset, ad Conventum S. Annæ Albaidæ quamquam inopia laborantem, ubi tunc munus agebat Superioris, reficiendos adducebat: Dicere solitus, Deum numquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias, & montes procedens, peste extinctos sepultura donabat. In Xenodochiis, & Domibus infirmos sæpe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, & pro eis deprecans, sanitati restituit; Inter quos non sine evidenti miraculo Religiosus vir Franciscus Allemanus jam morti proximus à B. Ludovico de recuperanda valetudine certior factus paulo post omnino liber convaluit.

Timore judiciorum Dei semper mœstus, & pavidus apparebat.

Ut aliosPrior in humilitate instrueret, quid dicere solebat.

Caritas erga Deum.

Ejus sermones, & prædicationes quæ essent.

Audientes novis in Deum fervoribus excitati recedebant.

Sclopus quo aggreditur in Crucifixum mutatur.

Ejus Socio præcipit ut prodigium celet usque ad annos 30. Desiderium Martyrii.

Caritas erga Proximum.

Mulierem a peccandi consuetudine revocat.

Adolescentulam ne caderet à Deo obtinuit.

Mendicos quoscumque sibi obvios in Monasterio quamvis inope reficiebat.

Peste extinctos, quos per vias, & Montes invenisset sepeliebat.

In Xenodochiis, & Domibus ægrotos sæpe invisens plures impositione manuum, & oratione sanavit.

Morti proximo sanitatem prædicit, eamque paulo post recuperat.

Sedandis odiis incúbit. In carcere detentos, aut morti addictos miro modo, & suaviter liberat.

§. 14. In sedandis odiis, & reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri charitas enituit, in carcere etiam detentis, aut morte addictis, ope, & auxilio non deerat, quorum plures è miseriis, & injustis vexationibus miro modo, & suaviter liberavit.

Pedester Occidentalem Indiam petit.

§. 15. His Dei, & proximi amoris ardoribus incensus in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum Animas Deo lucraretur, a quo nec Amicorum, vel fratrum, aut Sororum artibus, precibus, vel lacrymis dimoveri potuit, omnibus enim magna cum animi submissione non sine fletibus valedicens pedestre iter occidentalem Indiam versus arripuit, & Hispalim novam ingressus omnibus ædificationi, solatio, & auxilio in opportunitatibus fuit; in qua sui Ordinis Religiosum a cadente ponderosa trochlea gravissime læsum, vulnere aqua loto sic sanitati pristinæ restituit, ut postridie mirantibus cunctis, ne vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenæ Portum ibique in Conventu S. Josephi sui Ordinis habitavit, & inde ad diversos Indorum Populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatum, Monpoix, Sertam, Sanctæ Marthæ, Turcarum, Tenerifem, & aliis, ibique plura, & mirabilia pertravit.

Hispalim novam ingressus gravissime læsum à cadente ponderosa trochlea sanat.

Evangelizans diversis Indorum Populis plura mirabilia patravit.

§. 16. Orationibus à Deo obtinuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis. Vigilias, sitim, famem, æstum, & frigora, in hoc Apostolico Ministerio ferens, semper pedes incedens, & sæpe æger cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat, quin etiam præter expectationem, ut ei subveniret apparuit Arbor pomifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet, & convivaret, qui postea eum inurbane deserens, misere sicut ei vir Dei prædixerat, reliquum vitæ tempus, & finem consumpsit.

Loquens sua lingua hispana intelligebatur ab Indis.

Semper pedibus incedens, ac sustinens famē, sitim, æstum, & frigora, suum cursum consummabat.

Socio vulnus in capite curavit. Ab ipso desertus misere vitam transegit, sicut ei S. prædixerat.

§. 17. Visus est etiam sæpe in itinere à via secedens flagellis se cædere. Pluries obvias habuit Tigres, aut alias Feras, quæ signo Crucis ab eo mites redditæ, itinerantibus illæsis relictis alio iter arripiebant.

Tigres, aliasque feras signo Crucis mites reddidit.

§. 18. Carthagenæ Concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire, & auditores non nisi compunctos, & amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis, sed Angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter hæc à carnalibus, ac etiam probris, & irrisionibus appetitus gaudebat, quod pro nomine JESU talia pati dignus haberetur.

Quid Carthagenæ in Concionando egerit, & sustinuerit.

Tubaram suis Concionibus ad Religionem Catholicam convertit.

§. 19. Tubaram à Superiore missus, ut Gentes illas Dei cognitione imbueret, & Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis initiaret: Omnibus illius loci infidelibus orationibus, jejuniis, flagellationibus, & aliis pœnis, à Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus Noster exequi dignatus est. Dæmonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit, & ululantem abire coegit. Infantem (quæ fuit primus quem Sacro fonte abluit) ab Indo quamvis Idololatra delatum Michaelem appellavit, ipsomet Indo palam testante se ab Angelo Domini admonitum consecuturum eum cum Baptismo salutem æternam, & ad hoc ipsum B. Ludovicum à Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, & tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras illas Gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam Ministrum (sola præsentia tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus mirantibus cunctis telo in terram cadente, incolumis, & intrepidus evasit.

Dæmonem mentito habitu ab his laboribus dehortantem deregit, & ab ira cogit.

Indi testimonium de Baptismate dato ejus filio.

Quanta fuerit fama Sanctitatis apud illas gentes.

§. 20. Nec ab hominibus solum, sed etiam a Dæmonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit: præsertim apud quemdam veteranum Idolorum Sacerdotem morti proximum, quem Sacro Baptismate initiavit, & ab ipsorum immundorum spirituum infestatione fixo apud illum S. Crucis signo liberavit. Jacobum Raphaelem Frances, ex eo loco prævidit naufragum futurum, quem propterea per diem, & binas noctes natantem, & Beatiss. Virginis Sanctiss. Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad litus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus, & vestitus expectaverat, & a mortis instantis faucibus eripuit.

Ab Adultero acriter reprehenso armis invasus telo cadente incolumis evadit.

Etiam à Dæmonibus plurima invicte pertulit.

Naufragante per diem, & duas noctes natantem salvum ad litus recepit.

§. 21. Ab ipsis Indis visus fuit a terra in estasi elevatus, quem postmodum summa veneratione coluerunt, & abeuntem amare defleverunt; creditque Populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare ad cujus Hospitium in Oratorium commutatum etiam nunc, & Indi, & Hispani ad Divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt.

Visus est à terra in estasi elevatus.

Abeuntem Tubaræ gentes amare deflent.

Etiam hodie in fide perseverant, & ejus Hospitiū in Oratorium commutarunt.

§. 22. His similia in Oppidis Cipacoe, & Peluati egit, ubi etiam evangelicam paupertatem servans lætus in rerum summa inopia, & volens vitam degebat, ac orationibus præter spem optatos obtinuit imbres, & Cinagam fluvium præ aquarum redundantia impervium signans Cruce aquas prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviæ, illo Beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum, nec socios attigerunt.

Similia egit in Oppidis Cipacoe, & Pelvati.

Latus in summa rerum inopia volens vitam degit.

Fluminis impervii aquas prout voluit transegit.

Cadentes pluviæ nec ipsum, nec socios attingunt.

§. 23. Sub monte Sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis prædicationibus ad fidem conversa baptizavit. Et non procul inde potentissimum venenum sibi ab Idolorum sacrificulo propinatum ebibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus, seu parvis serpentibus stomacho ejectis, ac incolumis magno præsentium stupore perduravit.

15. m. Indos Montis S. Marthæ sua prædicatione convertos baptizavit.

Venenum propinatum ei non nocet.

§. 24. Dæmones visibiliter Gentibus illis apparentes, signo Crucis, & miris modis sæpe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In oppido Monpoix visi sunt ei genuflexo assistere Sancti Doctores Ambrosius, & Thomas de Aquino.

Dæmones visibiliter illis gentibus apparētes signo Crucis sæpe fugavit, & inde alios plures cōvertit. Ei genuflexo visi sunt assistere SS. Doctores Ambrosius, & Thomas de Aquino in Oppido Monpoix.

§. 25. In Insula Sancti Thomæ dum furentes pagani arreptis lapidibus viro Sancto necem intentant, monitus ut fugeret, constantissime renuit, solaque Divini Verbi efficacia ducentos ex Aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex Pegionis proceribus de salutiferæ Crucis arcano mysterio doceri cupientem repentino miraculo convertit, nam Arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus conspicuam figuram Crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi, tum aliis Baptismum in fide vivificæ Crucis persuasit.

In Insula Sancti Thomæ 200. ex Aggressoribus convertit.

Procerem cū aliis repentino miraculo pariter convertit.

§. 26. Sane vir iste Apostolicus non solum juxta promissionem S. Evangelii, quod prædicabat, in Nomine Domini Nostri Jesu Christi Dæmonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter Gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitæ superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem sua zona præcingi jussam una cum prole ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam cum Marito, propinquis, ac domesticis lavacro Sacr. Baptismatis ab infidelitate mundavit.

In eo promissio Evangelii, quod prædicabat verificatur. Indam infidelem in partu extreme periclitantē una cum prole ab interitu liberat.

§. 27. Navigans cum aliis in Flumine à Magdalena nuncupato irruente tempestate Navi eversa, cunctisque in aqua immersis, orans emersionem, & incolumitatem obtinuit. Pristi-

Eam deinde cum Marito, & tota familia cōvertit, & baptizat.

Navigans cū aliis irruente tempore navi eversa,

tunctisque in aqua immersis orans incolumitatem obtinuit.

nam valetudinem pluribus reddidisse, & defunctam ad vitam Sanctissimi Rosarii applicatione revocasse compertum fuit.

Plures sanitati restituit, & mortuam ad vitam revocavit.

§. 28. Videns, nec impedire, aut ferre valens angustias, quibus ut plurimum violenter à Præfectis quibusdam etiam vulneribus, & cæde Indi opprimebantur, obedientia obtenta in Hispanias rediit; cumque in Mari Navis periclitaretur, rogatus à Navigantibus, tumentes undas tandiu Cruce signavit, donec optata tranquillitate reddita, omnes ad Portum Hispali incolumes pervenerunt.

Obedientia obtenta in Hispanias revertitur.

Secum navigantes signo Crucis à tempestate liberat.

§. 29. In Conventu S. Honuphrii post reditum ab Indis ex obedientia præfuit, quem ære alieno gravatum, & inopia ex annorum sterilitate orta laborantem invenit, & omnibus satisfaciens, Religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin, & plurimis egenis, miserabilibusque Personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, & mirabiliter ei pecunias ministrante, quin & in ædificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit regente Domino servis ejus nihil deesse.

In summa inopia Religiosis, quibus præfuit in Conventu S. Honuphrii nihil defuit.

Deus ei pecunias ministravit ad sustentationem pauperum.

§. 30. In Cœnobio Valentiæ Superiorum jussu licet invitus Prior constitutus, in Cella S. Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante meruit amplexu honorari, atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam Chori, & summam abstinentiam, quibus se exercebat, nec concionando, nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in Sanctis, aut eruditis exercitiis occupatos, quorum è claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: Si hominibus placerem, Servus Dei non essem. Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo rudentis consilia, fratris familiaritatem, Patris benignitatem, Viri Sancti perfectionem, & omnium virtutum compendium invenerit.

Item pro eis orans ab imagine S. Vincentii Ferrerii elevatur.

Mortificationes, summam abstinentiã, & alia nec concionando, nec regendo dimisit.

Studia promovit.

Subditis egredi à Claustro non permisit, nisi urgente necessitate.

Quid Ostio sui Cubiculi inscribi voluit.

Omnia omnibus erat.

§. 31. Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim pœnitentis (qui eumdem Beatum verbo læserat) testantem, Deum nolle eam ad Gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente, & pro ea celebrante, quo facto sequenti nocte illam in Sanctorum Gloria conspexit.

Animam sui Pœnitentis in SS. gloria conspexit.

§. 32. Aliis etiam Beatorum in æterna felicitate regnantium, & maxime sanctorum sui Patriarchæ Dominici, & Franciſci, quin, & ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibique omnia sua peccata dimissa fuisse audivit.

Sanctorum, & ipsius Christi Domini Visionibus pluries recreatus.

§. 33. Sætabi (vulgo Xativa) à Primoribus Civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadragesima apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum, & naturaliter impotentem se agnosceret, à Deo, & velle, & cursum integrum quadragesimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentiæ Jacobo Ferrerio indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

Conciones Quadragesimæ licet infirmus, & naturaliter impotens absolvit.

Deperdita Divinitus recuperat.

§. 34. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit, ut & plurimas res futuras, cum in spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines, & mortes, quam circa Animarum profectus, & mores sæpissime pronunciavit; Nam & S. Teresiæ à Jesu suam Excalceatorum Claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores Sanctæ Ecclesiæ Religiones (ut reipsa evenit) connumerandam esse prædixit. Tribus Regularibus diversos ipsorum successus, & fines, prout contigerunt, pronunciavit. Virum nobilem, injuria Prælatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore dixit, quod mors ejus repentina à Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima tam in rebus corporeis, quam secretis cordium latentia, nuda, & aperta fuisse oculis mentis ipsius à Deo illustratæ (stupentibus omnibus) rerum eventus ostensa fuisse indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis, ac admirandus fuit. Alia quoque quamplura naturaliter ignota, tam clare, distincte, & ordinate, prout erant, aut acta, aut cogitata enarravit, ut solum Deo revelante hæc illi innotuisse compertum fuerit.

Spiritu Prophetico clarus.

Congregationem Excalceatorum Carmelitar. tunc fundatã prædicit brevi inter Illustriores Religiones esse connumerandam.

Tribus Regul. diversos eorum successus, & fines prænunciat.

§. 35. Virtus ejus in toto decursu vitæ à Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit, in complexione enim ipsius satis delicata, non solum potentia vitiva parum valens & auditus imperfectus inerat; sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos, & vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin, & viscerum pravis affectionibus, & aliis occultis infirmitatibus maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerante ut frequenter ex ejus ore verba Doctoris S. Ecclesiæ Augustini resonarent: Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.

Ultionem Dei Viro nobili prænunciat, & sequitur.

Arcana plurima tam in rebus corporeis, quam cordium detegit.

Quam plura naturaliter ignota, clare & dictincte refert.

Ingens patientia in infirmitatibus.

Biennio ante obitum plures morbos invicte toleravit.

§. 36. Ubi primum convalescebat, ad mortificationis, & observantiæ communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus, & convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur: quin, & saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens arctam esse viam, quæ ducit ad vitam.

In suis Infirmitatibus quid diceret.

Convalescens ad mortificationem, & communem observantiam redit.

Levamina Convalescentium aliis infirmis dispertit.

Saxo decumbens quid diceret.

§. 37. Sic infirmando fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimpletionem Divini promissi, quod olim in festo S. Catharinæ Virginis & martyris obtinuerat, quando ex medio magnæ lucis sponsum ei fuit tandem ex his tenebris in lucem illam æternam, quæ lucet Sanctis Dei in perpetuas æternitates migrandum esse. Nam inter labores concionum morbo ingravescente febribus decubuit, & susceperus pro Viatico Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis Sanctæ fidei Catholicæ accuratam professionem emisit; imploravit etiam ferventissime Domini nostri Jesu Christi auxilium, & Sanctissimæ Virginis Deiparæ patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, & præcipue sui Ordinis, expressoque nomine Sancti Vincentii Ferrerii subjunxit: Pater mihi currus Israel, & auriga ejus.

Instantem sibi mortem agnovit.

Susceperus SS. Eucharistiæ Viaticum quid fecerit.

§. 38. Enixe petiit à circumstantibus, ut simul cum eo Dominum deprecarentur, ne mortis sententiam revocaret, & Joanni Boil mœrenti de gravi suæ filiæ infirmate, eam tunc non migraturam à vita vere prædixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate assistentem, & sæpissime ministrantem, non sine magna sua confusione, & animi demissione habuit Joannem à Ribera Patriarcham Antiochenum, tunc Archiepiscopum Valentinum, qui dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in Divinæ voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illud dicentem, se pœnas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere, & chariores habere. Ab his cruciatibus quantumvis vehementibus, nec detineri, aut retardari potuit, quin per singulos dies per binas horas consuetæ orationi vacaret, & sæpe Sacra Exomologesi se purificans divino altaris Epulo reficiebatur, aliisque infirmis horum Sacramentorum frequentiam suadebat, sæpe repetens, hæc Divina mysteria non solum animæ, sed etiam corporis, ut plurimum salutem operari.

Circumstantes rogavit, ut secum Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret.

Mœrenti de gravi morbo suæ filiæ prædicit eã tunc non morituram. Remissa paulisper vi morbi surgebat ad Sacrũ celebrandũ.

Eo ingravescente habuit assistentem, & sæpissime Ministrantẽ Archiepiscopum Valentiæ.

Dicto Archiepiscopo hortanti ad resignationẽ in suis cruciatibus quid responderit.

In suis cruciatibus quotidie per binas horas orationi vacabat.

§. 39. Con-

Sæpe S. Exomologesi se purificans Divino Altaris Epulo reficiebatur.

Aliis Infirmis frequentiam Sacramentorum suadens quid diceret.

Elevatus in Deum concentus musicos audiebat.

Ante annum prædixit se moriturum in festo S. Dionysii.

Dux Gandiæ petit à S. D. benedictionem, quam humillime impertit.

Monialis eum præsentialiter veneratur, & iterum miraculose redditur suo Monasterio.

Prædicit sibi quatuor superesse dies vitæ, & frequenti S. Vincentii Visitatione recreatur.

Biduo ante mortem S. Olei Unctione se munit.

Ad verba prout in rubrica &c. obiit die 9. Octobris 1581.

Prodigia, quæ in ejus obitu evenerunt.

Populus undique Sanctum proclamavit.

Quæ post ejus obitum contingunt.

S. C. SS. Rituum censuit constare de validitate processuum, virtutibus S. D. & miraculis in vita, & post mortem.

§. 39. Concentus musicos in ea ægritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique variis remediis, & morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante S. Dionysii festivitate, qua die ante annum se moriturum esse prædixerat, plures occurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel suis Rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius Ducis Gandiæ genuflexus, & pedes ejus lacrymabundus osculatus benedictionem devote, & singultiens præstolabatur, quod vir Dei se quidem maximum Peccatorum cum Divo Paulo dictitans, & mente ad nihilum suum conversus humillime præstitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelæ à Guglione Virgini Religiosæ Ordinis S. Francisci in perpetua Clausura degenti concessum fuit dum ex corde optabat præsentialiter Christi Domini Servum venerari, illico enim (ministerio creditur Angelico) ante ejus pedes constituta, & voti compos facta, suæ cellæ iterum miraculose reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi, & esse cum Christo, nec aliter, quam, aut Sanctissimi Altaris Sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi Imagine colloquiis suas moras solabatur. Feria sexta ante obitum referenti diem Veneris esse, Benedictus Deus (respondit ille) adhuc quatuor supersunt dies, frequente cœlesti S. Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summa veneratione, & imitatione colere studuerat, recreabatur.

§. 40. Biduo ante decessum e vita sacram Olei Infirmorum unctionem devote petiit, & singulis orationibus respondens, seque Sanctis orationibus, & mortificationis exercitiis muniens, Sanctissimi Crucifixi Imaginem frequentibus osculis venerans, & orans, in die festo S. Dionysii, ut sæpe prædixerat, hora quindecima sentiens se paulatim deficere, assistentem ex more Patriarcham pro impetranda benedictione, & Sancti Evangelii lectione precatus est. Quod amantissimus Antistes uberrime lacrymans præstitit. Cumque commendationis Animæ juxta sui Ordinis Ritum preces persolverentur, ad illa verba, ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad Gloriam Regni cœlestis, præstante D. Nostro Jesu Christo, Spiritum suum in manus Patris vinculis carnis absolutum commendavit, septimo Idus Octobris anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo octogesimo primo, ætatis suæ quinquagesimo quinto; Eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris recta in cœlos evibrata totam cellam illuminare, & supra Conventum Divina claritas fulsit. Quin & in Ecclesia pluries militiæ cœlestis harmonici concentus à diversis auditi sunt, & pluribus aliis signis servi sui Gloriam Omnipotens Deus notam fecit, quibus publica Populi veneratio successit, Ludovicum undique sanctum proclamantis, & certatim coronis, ac Rosariis Sacrum Corporis pignus attingere tentantis, misericordiam enim à Domino, ac Divina quæcumque beneficia se obtenturos omnes sperabant, si eum apud Divinam Clementiam Protectorem, & Advocatum obtinere digni forent.

§. 41. His accessit Altissimi erga suum servum assistentia, ita ut ejus suffragantibus meritis, & vivens, & post obitum populis in necessitatibus per opera mira, & prodigia, quibus ipse Deus in sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector, & adjutor semper extiterit. Ex Processibus enim confectis, & ad Urbem transmissis, ac aliis auctoritate Apostolica, causam Beatificationis, & Canonizationis ejus respicientibus, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare, non solum de illorum validitate, & de fama Sanctitatis, deque virtutibus Theologicis, & Cardinalibus in gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere insignium Miraculorum ejusdem tam viventis, quam defuncti.

§. 42. Cum enim esset Prior Albaidæ, Pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, & flamma succrescente, jam ardentibus arboribus in vineis, & frutetis, magnum excitandum esse, ad destructionem, ignem, timebatur, non sine magno Conventus detrimento, accurrit vir Dei, & elevatis oculis in cœlum signo Crucis flammam benedixit, quæ illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset, eædem arbores læsæ exigua solum linea in signum miraculi apparente, immunes ab adustione visæ sunt remanere.

Liberatio ab incendio.

§. 43. Moncadæ in Domo Josephi à Campo neptis hospitis Speranzi Assentia dicta ab exitiali struma in collo afflicta cum fœtore horrendo ex ulceribus manante, non solum circumstantibus, sed etiam ipsimet infirmæ, intolerabili, facto signo crucis super parte affecta, & lingua linita a dicto Beato Ludovico veluti à sensibus alienato, & facie ejus luce fulgida remanente, statim ægra convaluit.

Sanatio ab exitiali struma.

§. 44. Cadaver ipsius quadam veluti crystallina puritate sic nituit, ut adstantes in ejus virginea carne, velut in limpidissimo speculo suosmet vultus fuerint conspicati.

Ejus Cadaver nituit ut speculum.

§. 45. Toto etiam corpore suavissimus odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos mirifice peregrinæ fragrantiæ oblectamento adhalavit.

Odorem suavissimum reddit.

§. 46. Sex circiter mensibus loco humido, ac stillicidiis obnoxio sepultum jacuerat Sancti Viri Cadaver, quando extractum, ut decentiori tumulo inferretur, integrum, incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis repertum est, iterumque mirabili suaveolentia circumstantes implevit.

Post sex menses integrum, incorruptumque reperitur.

§. 47. Ursulæ Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omne capillitium radicitus abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum à lampade, quæ coram B. Viri sepulcro ardebat, hujus oleo perunctum caput puellæ, non solum abactis penitus doloribus, integram valetudinem, sed & capillos recuperavit.

Uncta oleo lampadis sepulcro S. D. ardentis, ab immani dolore capitis liberatur, & capillos recuperat jam amissos.

§. 48. Quædam Puella oculis orbata ad fontem loci Ruzafa e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis pristinum eorum usum recuperavit.

Oculis orbata, ejusque ad fontem S. D. lotis visum recuperat.

§. 49. Gaspar Ramirez cæcus, ad tumulum Sancti novenam peragens, ultimaque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito cæcitatis suæ caliginem lætus absterst.

Cæcus pariter ad sepulcrum S. D. visum pariter recipit.

§. 50. Lactanti Andracæ Abreus cum aruissent mamillæ, novena ad sepulcrum sancti exacta, mox pristinam lactis affluentiam impetravit.

Aridis Mamillis lactem recuperat.

§. 51. Isabella Joanna Salon cum pluribus annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attacta, feretro, quod S. Cadaver gestaverat, perfectæ sanitatis beneficio potita est.

Ulceroso abscessu tota ad feretrum S. D. sanitate recuperat.

§. 52. Isabella Gerbin supradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, simul, & febrim, & dysenteriam, & herniam incolumis abegit.

Benedicto fonte abluta à febri, dysenteria, & hernia liberatur.

§. 53. Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, & morbi violentia situm oris fœdissime distorserat, hausto aquæ ex eodem Ruzafæ Fonte, ac invocato Sancti Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi restitutum fuit.

Paralytica hausto ejusdē aquæ, & invocato nomine S. D. pristinæ valetudini restituitur.

§. 54. Hieronymæ Capell filiolus rupto peritonæo, forasque extrusis intestinis jugiter ejulans, & sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafæ pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre sanus domum reportatur.

Rupto Peritonæo, forasque extrusis intestinis, pannis in eodē fonte madefactis incinctus integre sanus evadit.

§. 55. Vincentia Morell vidua ex nervorum dira attractione per undecim menses decubua, fœdisque ulceribus, undique plena, dum panno, quo Sanctus usus fuerat, nervos, & ulcera successive obsignat, eodem ordine, & hæc sanari,

Nervis attracta, fœdisque ulceribus plena pānō S. D. se obsignat, & sanatur.

& illos vivide sensit explicari, finitaque singulorum obsignatione, vegeta lectum reliquit.

Panes multiplicat in Conventu S. Honuphrii.

§. 56. Cum in Conventu S. Honuphrii Priorem agens reficiendæ Religiosorum Communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quæ solum domi superfuerant, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in prima mensa Fratribus triginta, & amplius in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secunda mensa congrue saturaverint.

Fractis cruribus ad sepulcrum S. D. in pedes exiliit.

§. 57. Joanni de Pedevera domestico Valentini Archiepiscopi famulo delapsum ex alto pondus gravissimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menses aliter, quam grallis innixus moveri non potuerit. In his ægerrime usque ad Sancti viri sepulcrum accedens, fusa oratione confestim in pedes exiliit, grallisque inibi relictis, domum incolumis repedavit.

Acuta febri medullitus exusta ad tactum Rosarii S. D. statim febris abscessit.

§. 58. Isabella Vincentia Pajades acuta febri medullitus exusta, jamque à Medicis derelicta, morti appropinquabat; Sed ad contactum Rosarii, quod S. Ludovico, dum vixit usui fuerat, subito mirantibus quotquot aderant, febris abscessit.

Paulus V. S. D. Catalogo Beatorum adscripsit.

§. 59. His, aliisque non paucis virtutibus, ac signis permotus fel. rec. Paulus V. prædecessor noster, Servum Dei Ludovicum Catalogo Beatorum adscripsit. Exinde aliis Processibus rite confectis approbata insuper fuere miracula, quæ subsequuntur.

Miracula post Beatificationem.

Incorruptio Corporis post 66. annos ab ejus obitu.

§. 60. Primum incorrupti Sacri Corporis post annos fere sexaginta sex ab ejus sepultura, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum, aut illis adversus corruptionem condimentis imbutum. Et nihilominus dum anno 1647. transferebatur in pretiosius monumentum, adhuc flexibile, illæsum, atque tractabile inveniebatur.

Repentina sanatio à febri, Dysenteria, & Vomitibus.

§. 61. Secundum in repentina sanatione Pueruli Aloysii Vincentii Montesinos, qui ardentissima correptus febri, exhaustus dysenteria, & vomitibus, scaturiens vermibus, jamque costulis stomacho adnatis eo deductus erat, ut domesticis plane videretur extinctus, unde mortalibus involucris obfasciatus parabatur ad sepulturam. At mœstissimus parens facto ad S. Ludovici tumbam recursu, atque ibidem emisso voto, cum festinus domum revertitur, filioli pulsum explorans vitæ indicium reperit, statimque Puer oculos aperiens, ex integro sanus deprehenditur.

Præservatio Puellæ in curru mole Carbonum onusto rapido tractu currente.

§. 62. Tertium in stupenda præservatione quadriennis Puellæ Gesualdæ Gildæ Ramirez, quam currus mole carbonum onustus, rapidoque sex mulorum tractu celer obterendam humi dejecerat, ac duabus Rotis substratam valide opprimebat: sed implorato Sancti Ludovici præsidio surrexit incolumis Puella, & in evidentiam miraculi apparuerunt in ejus capite, collo, & humeris clavorum signa à rotis leviter impressa.

Liberatio instantanea à deformi hernia.

§. 63. Quartum in Bartholomæo Christophoro Damingue, quem deformis hernia pendulis intestinis adeo laxaverat, ut ficubi in genua procumberet, scrotum ulceribus jam erosum, ac putrescens humum tangeret. Sed ad invocationem S. Ludovici tota hæc miselli calamitas illico evanuit.

Clemens IX. decrevit posse tuto deveniri ad solemnem d. Beati Canonizationem.

Preces Leopoldi Imperatoris Caroli II. Hispaniarum Regis, & Ordinis Prædicator.

§. 64. His, & aliis deductis, approbatisque Miraculis emanavit Decretum à piæ mem. Clemente IX. etiam prædecessore nostro, posse tuto deveniri ad solemnem prædicti Beati Canonizationem, pro qua obtinenda accesserunt Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Leopoldi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli II. Hispaniarum Regis, necnon, & Ordinis Prædicatorum preces, quibus à prædictis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & à nobis eamdem sæpius postulaverunt. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis exigentibus, & ad prædictorum preces inclinati, cum jam nihil deesset eorum, quæ ad hanc Sacrosanctam functionem necessario ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & servanda requirebantur, justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in Terris, hodie in Sacrosancta Basilica Beati Petri Principis Apostolorum, in qua solemni Ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, officialibus, & Familiaribus nostris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus, post trinas pro Canonizationis Decreto nobis nomine dicti Caroli Regis per dilectum filium nostrum Ludovicum tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Portocarrero pro parte ejusdem Regis porrectas petitiones, post Sacros Hymnos, Litanias aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam.

Pontifex in Basilica S. Petri convenit pro solemni illius Canonizatione cum solitis cæremoniis.

§. 65. Ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Sanctæ Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate D. N. Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra matura deliberatione præhabita, & Divina ope sæpius implorata, ac de Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium Consilio, Beatum Ludovicum Bertrandum Sanctum esse decrevimus, & diffinivimus, ac Sanctorum eum Catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, diffinimus, & adscribimus: statuentes ab Ecclesia Universali quolibet anno die 10. Octobris memoriam ejus inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Canonizatio.

Sancti festum decernitur.

§. 66. Eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S. Ludovici ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit visitandum accesserint, septem annos, ac totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Dño relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Indulgentia 7. annor. & totid. quadragenarum visitantibus sepulcrum dicti Sancti in die festo singulis annis.

§. 67. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque Gloriæ Christum Dñum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque Hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari in honorem Beati Ludovici Oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad Altare S. Petri Apostoli Missam celebravimus cum ejusdem S. Commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus.

Præmissis laudibus, & confessionibus Pontifex Missam celebrat cum ejusdem Sancti commemoratione.

Omnibus præsentibus Indulgentiã plenariam concedit.

§. 68. Æquum igitur est nos gratias agere, & laudare Deum Patrem Omnipotentem, qui servum suum benedixit in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus, & immaculatus coram ipso, & dedit illum Universis Christifidelibus tanquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum, & tribulationum nostrarum, ut Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, Principibus Christianis optatam concordiam, & infidelibus à via salutis errantibus lumen veritatis obtineat. Adeamus igitur cum fiducia Thronum Divinæ pietatis, ore, & opere supplicantes, ut S. Ludovicus universo Christiano Populo prosit meritis, & exemplis, precibus adsit, ac patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

Gratias agit Deo.

§. 69. Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca ubi opus esset deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis,

Fides transumptorum.

& sigillo

& sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 7o. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, diffinitionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Edit. 12. Apr. 1671. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Pridie Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno primo.

† Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† *Ego Franciscus Episcop. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego F. M. Episcopus Portuen. Card. Brancatius.*
† *Ego Uldericus Episcopus Tusculanus Card. Carpineus.*
†
†
† *Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus.*
†
† *Ego Cæsar Presbyter Card. Fachenettus.*
†
†
† *N. Tituli S. Mariæ Transtyberim Cardin. Ludovisius.*
† *Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyt. Cardin. Cybo.*
† *Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sfortia.*
† *Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presbyt. Card. Odescalcus.*
†
† *Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyt. Cardinalis Homodeus.*
† *Ego P. tit. S. Marci Presb. Card. Otthobonus.*
† *Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Cardin. Imperialis.*
† *Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Preb. Card. Santacrucius.*
† *Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Spada.*
† *Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.*
† *Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Aquaquiva, & Aragonia.*
† *Ego Carolus tit. Sanctæ Priscæ Presbyt. Cardin. Pius.*
† *Ego Carolus tit. S. Eusebii Presbyt. Cardinalis Gualterius.*
† *Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chisius.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Cardinalis Franzonus.*
†
† *Ego Petrus tit. Sancti Callixti Presbyt. Cardinalis Vidonus.*
† *Ego Franciscus Maria tit. S. Matthæi Presbyter Cardinalis Mancinus.*
†
†
†
† *Ego Nerius tit. SS. Nerei, & Achillei Cardin. Corsinus.*
† *Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presbyt. Cardinalis Bonellus.*
† *Ego Carolus tit. S. Susannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.*
† *Ego P. tit. SS. XII. Apostolorum Presbyt. Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.*
† *Ego Cæsar tit. S. Jo: ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Mariæ de Pace Presb. Cardin. Ninius.*
† *Ego Julius tit. S. Martini in Montibus Presbyt. Cardin. Spinula.*
† *Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyter Card. Robertus Vitor.*
†
†
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinalis Rospiglioſus.*
† *Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presbyter Cardin. Portocarrerus.*
†
†
† *Ego Joannes tit. S. Bernardi Presbyt. Cardinalis Bona.*
† *Ego Federicus tit. S. Augustini Presbyter Cardin. Borromeus.*
† *Ego Camillus tit. S. Mariæ Dominica Presbyter Card. Maximus.*
† *Ego Gaspar tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardin. Carpineus.*
†
†
† *Ego Fridericus tit. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hassia.*
†
† *Ego Carolus Sancti Cæsarei Diacon. Card. Barberinus.*
† *Ego Decius Sancti Eustachii Diacon. Cardinalis Azzolinus.*
† *Ego Paulus tit. S. Nicolai Diac. Cardinalis Sabellus.*
†
† *Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Chisius.*

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

Loco ✣ Plumbi,

D. Ciampinus.

Registrat. in Secretaria Brevium.

XIX. Die 15. Maji 1671. An. 2.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici, tam erectas, quam erigendas ubicumque locorum in Festis SS. Ludovici Bertrandi die 10. Octob., & Rosæ de S. Maria die 30. Augusti.

Nunc primum impres.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui glorioſos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in Terris, spiritualium munerum Thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos Cœli incolas fidelium devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium fratrum nostro-

rum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatum Ludovicum Bertrandum Ordinis Prædicatorum professorem, & Beatam Rosam de S. Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctos esse decreverimus, & definiverimus, illosque Sanctorum Catalogo solemni Ritu adscripserimus: Hinc est quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, diebus festis eorumdem Sanctorum Ludovici Bertrandi, & Rosæ de S. Maria, nempe S. Ludovici quidem die 10. Octobris, S. Rosæ vero dies 30. Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis festorum hujusmodi, annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæretum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Canonizatio SS. Ludovici Bertrandi, & Rosæ de S. Maria Ordin. Prædicat.

Perpetuis futuris temporibus die 10. Octob. & 30. Augusti.

§. 2. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1671. Pontificatus nostri Anno secundo.

Edit. 15. Maji 1671.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium lib. 2. diversor. fol. 692.

XX. Die 10. Julii 1671. An. 2.

Indultum pro Patribus Congregationis Missionis, ut illius Presbyteri, aliorum ipsius Congregationis iter cum ipsis agentium confessiones audire possint, & Generalis in singulis Domibus deputare valeat Confessarios cum facultate aperiendi, & exequendi literas Pœnitentiariæ Apostolicæ.

Nunc primum edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APostolici muneris, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati nostræ imponere dignata est, ratio nos admonet, ut paternam Congregationum virorum in Ecclesia Dei uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium, curam peculiari studio gerentes, illas quo laudabilia earum Instituta cum majori spirituali consolatione, uberiorique animarum fructu prosequi valeant, Apostolicis favoribus, & gratiis decoremus.

Motivum hujus Indulti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Renatus Almeras Superior Generalis Congregationis Missionis, quod cum ipse Sacerdotes, aliosque dictæ Congregationis Missionum obeundarum, aliisque de causis in varias partes, ex officii sui debito mittat, frequenter contingit ut illi per Diœceses transeant, in quibus ad confessiones audiendas approbati non sunt, & proinde non audent sibi invicem peccata sua sacramentaliter confiteri, tametsi multi Theologi existiment id eis licere vigore quarumdam fel. rec. Alexandri PP. VII. prædecessoris nostri in simili forma Brevis literarum, per quas à Jurisdictione Ordinariorum in iis, quæ ad Disciplinam domesticam spectant, eximuntur: quam tamen opinionem, abundantioris cautelæ gratia, sequi hactenus noluerunt, sed in ejusmodi occasionibus peccata sua Confessariis, in locis per quæ transibant approbatis, confessi sunt.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Presbyteris, aliisque præfatis non solum commodius, sed etiam eorum animabus utilius futurum sit, si in itinere personis per eorum Superiores deputatis, ac Instituti præfatæ Congregationis peritis peccata sua confiteri valeant:

A'terum simile motivum.

§. 3. Et persæpe eveniat, ut in Missionibus, aliisque functionibus, quibus Presbyteri Congregationis præfatæ juxta eorum Institutum incumbunt, eis offerantur casus, in quibus oporteat literas a Pœnitentiariæ Apostolicæ officio obtinere, ejusmodi vero literæ inutiles interdum remaneant, propter defectum personarum, quæ illas aperire, & executioni mandare valeant, nec ejusmodi defectum supplere possint Presbyteri præfati, quippe, qui licet Sacræ Theologiæ, tam moralis, quam speculativæ studiis operam sedulo navent, nullum tamen gradum scholasticum suscipere consueverunt: Nobis propterea d. Renatus Superior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superioris Generalis.

§. 4. Nos igitur piis ejusdem Renati Superioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quibuscumque Congregationis præfatæ Presbyteris, qui tamen in Diœcesibus ubi residere soliti sint, seu unde discesserint, ad confessiones audiendas approbati reperiantur, ut Sacramentales quorumvis aliorum ejusdem Congregationis una cum ipsis iter pro tempore agentium confessiones, tametsi in illis Diœcesibus, in quibus iter agendo reperirentur, approbati non fuerint, audire, illosque à peccatis suis pœnitentia salutari, & aliis, quæ fuerint injungenda, eis injunctis, absolvere libere, licite, & valide possint auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Absolutio a Censuris.

Presbyteri Congregationis Missionis aliorum ejusdem Congregationis cum eis iter agentium ubique locorum confessiones excipere possunt, si unde discesserint ad confessiones audiendas, fuerint approbati.

§. 5. Præterea memorato Renato moderno, ejusque successoribus Superioribus Generalibus Congregationis præfatæ per se, vel per alios sibi subordinatos ejusdem Congregationis Superiores certum in unaquaque ipsius Congregationis Domo (prout expedire in Domino judicaverint) numerum Presbyterorum d. Congregationis, integritate, pietate, doctrina, & prudentia conspicuorum, qui dummodo ab Ordinariis Locorum ad confessiones audiendas approbati fuerint, literas per præfatum Pœnitentiariæ Apostolicæ officium pro tempore expeditas aperire, ac illas servata cæteroqui earum forma, & dispositione, exequi libere pariter, & licite valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si Magisterii, vel Doctoratus, aliosve gradus, quos

Superior Generalis sive per se, sive per alium sibi subjectum in qualibet Domo d. Congregationis ex Confessariis jam approbatis certum numerum deputare valet cum fa-

haben-

habentibus Confessariis literæ ipsæ directæ fuerint, suscepisse reperirentur, dicta auctoritate designandi, ac eligendi, & deputandi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impertimur.

cultate aperiendi, & exequendi literas Pœnitentiariæ Apost.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere,, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstan. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu Superioris Generalis ejusdem Congregationis muntis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Edit. 10. Julii 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Julii 1671. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Julii par. 2. fol. 266.

XXI.
10. Septemb. 1671. An. 2.

Erectio Montis non vacabilis Ursini Quintæ Erectionis, cum amplissimis gratiis, & Privilegiis favore Montistarum, & Montis Depositariorum.

CLEMENS PAPA X.

Motu proprio, &c.

Nunc primũ impressa.

Exordium ab ampliandis gratiis erga benemeritos de S. Sede.

ROmanum decet Pontificem gratias personis de se, ac S. Sede Apostolica benemeritis alias concessas, prout occasio, vel necessitas expostulat ampliare, & super eis disponere, prout salubriter in Domino conspicit expedire.

Paulus V. motu proprio erexit Montem non vacabilem Ursinum tertiæ Erectionis ad favorem Virginii Ursini Brachiani Ducis, super castris Cerveteris, & Galeriæ prout in rubrica.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor noster per suam motus proprii cedulam sub datum 7. Idus Septembris anno sui Pontificatus octavo, Montem non vacabilem Ursinum Tertiæ Erectionis nuncupatum locorum, seu portionum quatuor millium; redditus vero annui scutorum quinque monetæ pro quolibet loco ad favorem, & pro commodo Virginii Ursini tunc Brachiani Ducis super Castris Cerveteris, & Galeriæ Portuen. Diœcesis, illorumque Territoriis, Tenimentis, Agris, Agrorum culturis, Molendinis, Ferreriis, aliisque membris, pertinentiis, & juribus quibuscumque, ac eorum redditibus, & fructibus annuis ad scuta triginta quinque millia monetæ annuatim circiter ascenden. cum assignatione annuorum scutorum viginti millium monetæ pro fructibus dictorum locorum quatuor millium, ac assignamenti prædicti dismembratione à Ducatu Brachiani, donec Mons ipse duraret, erexit, ac instituit cum amplissima derogatione, & respective translatione quarumcumque obligationum realium, & personalium, hypothecarum, investiturarum, Concessionum, Ordinationum, Legatorum, Fideicommissorum, Primogenitur arum, aut alienandi, obligandi, seu hypothecandi prohibitionum per quoscumque dicti Virginii Ursini Ducis Antecessores, sive etiam transversales, vel extraneos, ac forsan per Romanos Pontifices prædecessores nostros tam in contractibus, concessionibus, & constitutionibus, quam in ultimis voluntatibus, codicillis, & aliis quibuscumque dispositionibus quomodolibet purificatis, & purificandis factarum, appositarum, & confirmatarum, necnon etiam cum liberatione prædictorum bonorum, & jurium à quacumque caducitate, devolutione, aut quavis alia pœna ad quarumvis personarum, & pupillorum, & Viduarum, & aliarum quarumvis privilegiatarum, aut Monasteriorum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum favorem, & sub quibusvis clausulis, & vinculis, cautelis, etiamsi bona prædicta ex quocumque capite, aut quavis de causa, vel alias quomodolibet ex causa Dotium, sive alimentorum, vel alterius causæ quantumlibet privilegiatæ gravata, & onerata essent, vel forent, prout latius in præcitata Motus proprii cedula continetur.

Deinde dict. Paulus V. & Gregor. XV. alia loca 2500. d. Monti Ursino tertiæ Erectionis crearunt, & instituerunt prout in rubrica.

§. 2. Deinde vero idem Paulus prædecessor alio simili motu proprio sub datum Kal. Octobris anno sui Pontificatus XIII. alia loca 1350. pro extinctione Montis Viani super fructibus Castrorum Viani, Orioli, ac Tenutarum Rotæ, & Ischiæ, Viterbien. Diœcesis, aliaque Loca quingenta super Castro Cessani, illiusque Tenutis, & præsertim Posi Portuen. Diœcesis, vigore sui motus proprii septimo Idus Septembris anno XV., & postremo similis memoriæ Gregorius XV. etiam prædecessor noster per suam motus proprii cedulam Kal. Junii an. Pontificat. I. signatam, alia loca duo millia quingenta ante dicto Monti Ursino, Tert. Erect. respective ediderunt, crearunt, & instituerunt, & pro ultimo dictorum locorum duorum millium quingentorum congrua dote, annuisque fructibus Civitatem Brachiani, Castrum Montis Rani, Villam Montis Virginei, & Tenutam, seu Casale Juliani nuncupat. Portuen., & Sutrinen. respective Diœcesis, cum illorum Territoriis, Tenimentis, Agris, Agrorum cultura, Molendinis, Ferreriis, Fabricis, aliisque membris, & pertinentiis quibuscumque in totum, & illorum responsionibus, & afflictibus annuatim redden. summam scutorum sexdecim millium monetæ de Juliis decem pro quolibet scuto, tunc ad Paulum Jordanum Ursinum Brachiani Ducem, pro cujus commodo eadem additio facta fuit respective, spectan., & per eum pacifice possesso assignavit, & specialiter applicavit, & prout latius in singulis præcitatis motuum propriorum Erectionis, & additionum præmissarum cedulis continetur; Mons vero prædictus prout accepimus attentis pluribus extractionibus in ipso hactenus factis reperiatur ad præsens in summa, & quantitate locorum duorum millium trecentorum viginti septem cum uno tertio tantum.

Pontifex motu proprio confirmat dd. erectiones, & alium Montem Ursinum quintæ Erectionis, creat favore Flavii Ursini prout in rubrica.

§. 3. Nos volentes Dilectum filium nobilem virum Flavium Ursinum modernum Brachiani Ducem à majoribus suis non degenerem, & caput familiæ Ursinæ inter omnes alias de Sede Apostolica benemeritæ, aliquo speciali prosequi favore, eidemque super gravi ære alieno, quo premitur opportunum levamen afferre, habentes hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, omnes, & singulas motuum propriorum cedulas super Erectione dicti Montis, ejusque prænarratis additionibus emanatas non ad ipsius Flavii Ducis, seu alterius pro eo desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra scien-

tial, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ nobis attributæ potestatis plenitudine, ut idem Dux minori, quo fieri possit interusurio pecunias reperire, illisque mediantibus, conditionem suam meliorem reddere valeat, unum Montem Ursinum Quintæ Erect. nuncupandum à Kalen. Mensis Septembris præsentis anni 1671. inchoan. scutorum trecentorum millium monetæ Juliorum decem pro quolibet scuto, & sic Locorum, seu portionum trium millium resignabilium ad instar aliorum Montium non vacabilium Romanæ Curiæ scutorum centum monetæ pro quolibet loco, & portione computatis, quorum fructus iis, qui d. Ducis Flavii fidem sequuti, in eodem Monte pecunias collocaverint de bimestri in bimestre solven. ad rationem scutorum quatuor monetæ pro quolibet Loco, seu centenario, & anno, sint, esseque debeant constituti, & assignati super infrascriptorum bonorum per ipsum Ducem Flavium possessorem, scilicet Civitatis Brachiani annui fructus scutorum 12. m. similium, ac Castri Cerveteris in districtu Almæ Urbis nostræ respective posit., & existen. annui fructus scutorum 25. millium introitibus, redditibus, fructibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac emolumentis universis certis, incertis, ordinariis, & extraordinariis præsentibus, & futuris ad scuta 25. mill. monetæ, & ultra, ut asseritur ascendentibus, Apostolica auctoritate tenore præsentium creamus, erigimus, & instituimus, & ex dd. redditibus annuam summam scutorum duodecim millium monetæ ab omni onere prorsus liberam, immunem, & exemptam annuam dividimus, & separamus, illamque sic divisam, & separatam eidem Monti, & illius locorum futuris emptoribus applicamus, & appropriamus.

Providet securitati Emptorum, Depositariorum, & aliorum quorumvis subditorum dicti Montis 5. Erectionis prout in rubrica.

§. 4. Ut autem Emptorum, Depositariorum, & aliorum quorumvis futurorum Creditorum Montis hujusmodi, qui dict. Ducis Flavii fidem sequuti, pecunias suas in eo collocare volunt, securitati magis provisum sit, volumus, & decernimus, quod d. Dux Flavius teneatur, & debeat ex redditibus, & proventibus Civitatis, & Castri prædictorum pro congrua dote ejusdem Montis scutorum 12. millium monetæ Romanæ penes Bancum Depositarii ejusdem Montis annuatim deponere ad effectum illa per Depositarium ipsum pro tempore existentem solvendi Montistis, & Creditoribus d. Montis pro fructibus illius ad d. rationem scutorum 4. monetæ Romanæ pro quolibet loco, & anno, de bimestre in bimestre, & in fine cujuslibet bimestris Romæ libere, & omni mora cessante, durante dicto Monte, summamque ex quovis casu etiam fortuito, & inopinato, ex introitibus, & redditibus præfatis deficientem d. Dux Flavius de proprio, & cum aliis redditibus, & pecuniis supplere teneatur, & si contingeret prædicta bona dicto Monti assignata, sive in toto, sive in parte locari, teneatur Affictuarios, & Arrendatarios hujusmodi, nec non Administratores etiam in forma Cameræ Apostolicæ obligare facere in favorem Montistarum, & Depositarii d. Montis de solvendo in manibus dicti Depositarii annuam summam pecuniarum pro hujusmodi effectu debitarum, & debendarum usque tamen ad summam dicto Monti pro illius Dote, & fructibus ut supra assignatam: alias omnes locationes nullæ sint, & esse censeantur, prout nos nullas, & invalidas esse decernimus, volumus, & declaramus.

Mandat dicto Duci Flavio, quod elapsis viginti annis ab erectione d. Montis computan. illius extinctionem incipere, & facere debeat prout in rub.

§. 5. Elapsis vero viginti annis ab erectione hujusmodi montis computan., Dux Flavius prædictus extinctionem ejusdem Montis incipere, & facere debeat extinguendo quolibet anno scuta quindecim millia monetæ, & restitutis singulis Montistis scutis centum monetæ pro quolibet loco, & portione liberis, & absque ullo vinculo, præcedente tamen edicto, juxta solitum, & per extractionem ad instar aliorum Montium extinguibilium Romanæ Curiæ, & sic quolibet anno in hujusmodi extinctionem continuare usque ad totalem ejusdem Montis extinctionem. Ita tamen quod Montista, & Creditores præfati extractionem, & extinctionem hujusmodi procurare minime teneantur, sed quo ad eos Mons ipse donec fuerit extinctus perpetuus sit, & esse censeatur.

D. Dux qualem Depositarium pro tempore eligere debeat ad contentamentum Thesaurarii Generalis Rev. Cameræ.

§. 6. Dictus autem Dux Flavius teneatur eligere, & deputare, in Depositarium dicti Montis aliquem Mercatorem hic in Urbe fide, & facultatibus idoneum ad contentamentum dilecti filii nostri Hieronymi Galstaldi nostri, & Cameræ nostræ Thesaurarii Generalis, & illius in officio hujusmodi successorum, qui principaliter, & in solidum se obliget pro solutione fructuum dicti Montis per novennium proximum ab ipso die erectionis dicti Montis inchoante, & ut sequitur continuan. de bimestri in bimestre, & in fine cujuslibet bimestris libere etiam cessantibus, & exactis, vel non exactis prædictis, & aliis quibusvis assignamentis, & alio quocumque impedimento, & quavis exceptione non obstantibus, & successive hujusmodi aliam æque idoneam cautionem bancariam, de triennio in triennium, & per sex menses ante finem triennii durante Monte prædicto eisdem modo, & forma, ac pro omnibus, & singulæ superius expressis obligatum præstare, & renovare, & in eventum mortis, deteriorationis conditionis, vel absentiæ ab Urbe Depositarii dicti Montis pro tempore existentis, alium Depositarium atque idoneum Mercatorem in Urbe habentem Bancum apertum simili modo, & forma obligatum præstare, & renovare infra quindecim dies à tali eventu proximos, & hoc toties servare, & adimplere quoties casus hujusmodi evenerit, cui Duci Flavio, ut per se, vel ejus Procuratorem prædicta loca tria millia dicti Montis libere, & exempta à solutione emolumentorum pro expeditione literarum præsentium Annonæ Urbis, Archiconfraternitati pietatis carceratorum, proxenetico Collegio, ac mercedum Secretario, Ratiocinatori dicti Montis debitorum pro ipso Duce Flavio, & aliis, qui loca prædicta ab eo prima vice acquirent, vendere, & alienare; illorumque pretium ad infrascriptum tamen effectum exigere, recipere, & habere, & de exactis, habitis, & receptis solventes, & quos opus fuerit quietare, ad effectum tamen illud unico contextu penes dicti Montis Depositarium deponendi, & ut infra convertendi tenore præsentium licentiam, & opportunam facultatem concedimus, & impartimur.

Indulget dict. Duci, ut loca 3. præfati Montis libere vendere, & alienare possit ad effectum illorum pretiũ deponendi penes d. Montis Depositarium.

§. 7. Pretium vero ex venditione dicti Montis redigen. deponi debeat penes Depositarium ejusdem Montis ad effectum illud erogandi, & convertendi in extinctionem diversorum debitorum à Duce Flavio, suisque antecessoribus contractorum cum licentia, & beneplacito Apostolico, & habentium ad eorum favorem obligata etiam Bona Jurisdictionalia, & Feudalia quæcumque juxta notam ab ipso dandam, & respective erogare pro aliis ipsius Flavii indigentiis, Creditores autem qui dictum pretium Montium recipient, teneantur, & obligati sint, pro ut nos teneri, & obligatos esse volumus cedere Collegio Montistarum hujusmodi Montis Ursini 5. Erect. omnia, & singula eorum Jura, & actiones, ac privilegia quæcumque etiam anterioritatis, & potioritatis sibi quomodolibet competentia, occasione & pro rata suorum Creditorum translative, & non extinctive, & talia qualia &c. ad effectum, ut dictum Collegium, illiusque Montistæ dd. Juribus uti possint tam agendo, quam excipiendo, & ad omnes alios effectus sibi magis proficuos, & necessarios.

Depositarius d. pretium erogare teneatur in extinctionem Debitorum Domus Ursinæ contract. cum beneplacito Apost. & habentium obligata etiam Loca jurisdictionalia, & feudalia prout in rubrica.

§. 8. Nec non pro majori cautela Montistarum, ac Depositariorum pro tempore ejusdem

Quod d. Dux cum aliis germanis fratri-

Quod d. Dux cum aliis germanis fratribus consentiat omnibus contentis in præsenti Motu proprio, ac pro illorum observantia se insolidum obligare.

§. 8. Nec non pro majori cautela Montistarum, ac Depositariorum pro tempore ejusdem Montis prædictus Flavius Ursinus Brachiani Dux, & Ven. Frater noster Virginius Episcopus Albanen. S. R. Cardinalis, & Lelius Vico Varronis Princeps germani fratres de Ursinis, omnibus, & singulis in præsenti motu proprio contentis, & expressis consentire teneantur, & cum effectu consentiant, ac sese omnes, eorumque hæredes, & successores, ac bona omnia præsentia, & futura insolidum tam pro solutione fructuum Montis prædicti, & illius extinctione, & evictione, & obligatione de præstando, & renovando Mercatorem, & Depositarium (ejusdem Montis, & aliorum quorumcumque, ac etiam ad favorem eorumdem Mercatorum, & Depositariorum) ac pro observatione, & adimplemento omnium, & singulorum in præsenti Cedula Motus proprii, & Instrumento, seu Instrumentis desuper celebrandis contentorum, seu continendorum æque principaliter, & insolidum, & in forma Cameræ nostræ Apostolicæ cum Juramento, & aliis cautelis necessariis, & opportunis promittant, & accedant, & se obligent, sine tamen præjudicio quorumcumque Jurium Cameræ nostræ quomodolibet in, & super Civitate, & Castro prædictis competentium, & competiturorum, tam in quocumque casu, & eventu caducitatis, & devolutionis illorum, quam ex quovis capite forsan hucusque evento, & quod in futurum quovis modo evenire possit, ac purificatum, & purificandum ad favorem ejusdem Cameræ, & Sedis Apostolicæ etiam quoad præstationes in casu venditionis eorumdem Civitatis, & Castri, quam etiam ex quavis alia causa, & occasione, promissiones, & obligationes, contractus, Instrumenta, & alia inde facienda, æque, ac si in quavis legitima, & magis requisita forma, & cum solitis solemnitatibus facta fuissent, validas fore, & esse, suosque plenarios effectus sortiri, vimque, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & declaramus, & ex nunc confirmamus, & approbamus, nostræque firmitatis robur adjicimus, omnes, & singulos Juris, & Facti, ac solemnitatum defectus etiam substantiales, & formales, si qui intervenerint, Apostolica auctoritate supplemus.

Præservat jura Cam. Apostolicæ prout in rubrica.

Supplet omnes defectus etiam substantiales, & formales.

§. 9. Præterea eidem Monti, illiusque Depositario, & Montistis, aliisque Personis quibuscumque pro tempore existentibus, omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, aliisque favoribus, & gratiis universis, quibus Montes Restaurati primæ, & tertiæ Erectionis, aliique Montes nostræ Cameræ, ac Baronum, & Universitatum, & alii quicumque Romanæ Curiæ non vacabiles tam ex concessionibus Apostolicis, quam de Jure, usu, vel consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet in futurum similiter, pariformiter, & sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri & gaudere libere, & licite valeant, concedimus.

Eidem Monti, ejusq; Depositario, & Montistis indulget omnia privilegia, quibus gaudent omnes alii Montes R. Cameræ Baronum, & Universitatum.

§. 10. Nec non ex prædictorum Civitatis, & Castri fructibus, redditibus, proventibus, ac emolumentis quibuscumque certis, & incertis tam ordinariis, quam extraordinariis d. annuam summam scutorum duodecim millium monetæ pro solutione fructuum, & dotis dicti Montis ab omnibus, & quibuscumque oneribus liberam, immunem, & exemptam dicto Monti, illiusque Collegio, & Montistis pro sua dote, & fructibus & emolumentis, ut supra respective assignamus, concedimus, & applicamus; & pro illis exigendis, habendis, percipiendis, & consequendis dd. Montistas, Collegium, & Depositarium tam uti singulos, quam universos Procuratores irrevocabiles, & Dominos, ut in rem propriam cum potestate exigendi, quietandi, jura cedendi, judicialiter agendi, & cum clausula, & effectu constituti, & facultate substituendi, & aliis facultatibus opportunis constituimus, & deputamus.

Pro exigenda annua dote sc. 12. m. dicti Montis ex fructibus Civitatis Brachiani, & Castri Cerveteris dictos

§. 11. Et nihilominus pro potiori cautela decernimus, & declaramus, quod in eventum non observationis, aut non adimplementi præmissorum, vel alicujus eorum, ac etiam in omnes, & singulos casus contraventionis, & impedimenti, seu invaliditatis, & rescissionis, & quocumque capite, ratione, prætextu, causa etiam in corpore Juris clausis, liceat Collegio, & Depositario dicti Montis pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios d. Montis nomine propria auctoritate, sine alicujus Judicis, seu Curiæ decreto, vel mandato, & absque vitio spolii, & attentatorum, corporalem, & actualem possessionem Civitatis, & Castri prædictorum, illorumque membrorum, & Jurium d. Monti, ut supra assignatorum, & obligatorum libere, & licite capere, apprehendere, captamque, & apprehensam retinere, & continuare; nec non fructus, & emolumenta ex dictis Civitate, & Castro provenientia percipere, exigere, & levare, ac si magis ipsis expedire videbitur in toto, vel in parte, etiam quibusvis personis, ac pro pretio, seu pretiis, conditionibus, & responsionibus reperibilibus, & ad tempus eis beneviſum, semel, & pluries, & quoties eis placuerit locare, arrendare, & in locationem, & arrendam concedere, ac in administrationem dare, fructus, affictus, & responsiones hujusmodi pro concurrenti rata dicto Monti pro dote, & fructibus, ut supra assignata percipere, exigere, & recuperare, & de exactis, &c. & habuisse confessis solventes, & quos erit opus quietare, & in solventium favorem Jura, & actiones cedere, & transferre, ad quæ, & alia præmissa omnia necessaria, & opportuna dict. Montistas, & Collegium, & Depositarios, Procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam cum facultate substituendi, & aliis clausulis, & facultatibus necessariis, & opportunis specialiter, & expresse constituimus, & deputamus.

In omnem casum contraventionis liceat dd. Montistis, & Depositario ut supra propria auctoritate possessionem capere dd. Civitatis, & Castri, eorumq; fructus exigere pro rata d. Monti pro dote assignata.

§. 12. Eosque tam uti singulos, quam universos, quoad annuam summam prædictam, illiusque exactionem, & consecutionem in omne Jus, & locum, & privilegium dd. de Ursinis, eorumque hæredum, & descendentium, & successorum ponimus, subſtituimus, & subrogamus; ac bona supradicta non obstante quod sint cuivis Fideicommisso subjecta, & alias quomodolibet gravata, & onerata ex tunc pro integra solutione fructuum, & extinctione dicti Montis ejusdem Montis Creditoribus, nec non Depositariis nunc, & pro tempore eligendis pro eorum indemnitatis relevatione, tam ex causa Pecuniarum, quas dicti fratres de Ursinis quovis tempore deficerent, in Banco dd. Depositariorum deponere ad effectum solvendi fructus ejusdem Montis, quam provisionis Cedulæ per dd. Depositarios ad favorem Montistarum, ut supra facien., ac Cambiorum, & recambiorum, quæ super summis, ut supra à prædictis Ursinis debito tempore in Banco eorumdem Depositariorum non depositatis decurrere contigerit, ac damnorum, & interesse per eosdem Depositarios forsan patien. aliorumque promittendorum observatione usque ad integram ipsorum Montistarum, & respective Depositariorum satisfactionem, aliisque præmissis, ac perpetua validitate, observatione, & adimplemento omnium, & singulorum præmissorum ultra quascumque alias obligationes, cæterorum omnium bonorum etiam Jurisdictionalium, & Feudalium, & tam præsentium, quam futurorum, generaliter, ac specialiter, & expresse, sine tamen præjudicio quorumcumque Jurium Cameræ nostræ, ut supra, & circa illius obligationem,

Eos pro consequutione d. annuæ dotis in omne jus, locum, & privilegium dd. de Ursinis constituit.

Eorum quæcumque bona non obstan. cujusvis fideicommissi vinculo, vel alio onere pro integra satisfactione Montistarum, & Depositariorum pro tempore obligat & hypothecat.

Præservat jura R. Cameræ.

& non

& non alias &c. obligamus, & hypothecamus, & obligata, & hypothecata fore, & esse, easdemque obligationes, hypothecas, nec non Montis hujusmodi Erectionem, omniaque, & singula præmissa, & quæ inde sequentur quæcumque perpetua, valida, firma, & efficacia fore, & esse, ac plenum firmitatis robur habere, & obtinere volumus, decernimus, atque declaramus tam in favorem dicti Montis, & illius futurorum Creditorum, quam dicti Depositarii dicto tempore, & aliorum obligandorum.

Præmissa omnia, & quæ inde sequentur decernit valida fore, & efficacia.

§. 13. Et si super dictis Civitate, & Castro, seu eorum aliquo per quoscumque eorundem de Ursinis Antecessores, Ascendentes, seu Collaterales, vel quovis modo Auctores, & transversales, & extraneos quodvis Fideicommissum, pactum de succedendo, Primogenitura, majoratus, substitutiones, & quævis aliæ conditiones, dispositiones, seu alienandi prohibitiones sub quibusvis legibus, conventionibus, & prohibitionibus etiam quantumvis pœnalibus, & gravissimis, etiam ex pacto, & providentia pro conservatione Familiæ agnationis, & in favorem liberorum descendentium, ac etiam pro dote, seu alias quomodolibet facta, apposita, & inducta fuerint, & sint, & tam purificata, quam purificanda ad favorem quorumvis tam de Familia dictarum de Ursinis, quam aliorum, ac etiam Ecclesiarum, & quorumcumque locorum piorum, & personarum quantumvis piarum privilegiatarum, ac speciali, ac individua expressione dignarum quomodocumque, & qualitercunque, quorum omnium, & singulorum veros, integros, totosque tenores hic pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis haberi volumus, illaque omnia, dicto Monte durante in favorem ipsius Montis, & illius Depositarii, Montistarum, & aliorum prædictorum suspendimus, locumque minime habere, effectumque sortiri non posse volumus, atque decernimus, quamvis dicta Fideicommissa, & alia, ut supra cum Inventariis sint posita, registrata, & producta in Archivio juxta formam Constitutionis Urbani VIII. prædecessoris nostri.

Omnia Vincula, & onera super dd. Civitate, & Castro durante d. Monte in favorem illius, Montistarum, & Depositarii suspendit.

§. 14. Nec non annuam summam præfatam, ut præfertur dismembratam, & dicto Monti, illiusque Montistis, Depositariis, & Creditoribus eodem Monte durante, à dictis Fideicommissis, & pactis de succedendo, majoratibus, substitutionibus, alienandi prohibitionibus, caducitatibus, devolutionibus, privationibus, necnon etiam prioribus, & potioribus quantumvis privilegiatis hypothecis, obligationibus, aliisque dispositionibus, nexibus, vinculis, & oneribus ex quavis pia, & privilegiata causa per dictos de Ursinis, & quoscumque alios Auctores, seu alios quosvis etiam extraneos ut supra, & alios quomodolibet factos, impositos, inductos, quibus Civitas, ac Castra prædicta, eorumque membra, & pertinentiæ quomodolibet subjecta sunt, & esse dici, vel prætendi possunt penitus omnino eximimus, & liberamus.

Durante eodem Monte summam ut supra pro dote assignatam eximit, & liberat à quolibet fideicommisso, pacto, vel hypotheca.

§. 15. Et quoscumque Creditores dd. de Ursinis, eorumque auctorum, & aliorum, ut supra quantumcumque privilegiatos, etiam priores, & potiores, ac prævio assensu, beneplacito, & derogationibus dictorum Fideicommissorum, & aliorum supradictorum, & tam à nobis, quam à nostris prædecessoribus emanati si qui sint, vel fuerint, tam vigore obligationis in forma Cameræ nostræ Apostolicæ, vel alias sub quavis forma, expressione verborum cum uno, vel pluribus juramentis, & ex causa Dotis, & alimentorum in, & super dictis Civitate, & Castro super expressis, & Monti assignatis, generales, & speciales, tacitas, vel expressas obligationes, hypothecas habentes non posse donec dictus Mons durabit, & donec sequuta fuerit integra satisfactio, tam Montistarum, quam Depositariorum pro tempore ex causis supra expressis in, & super Civitate, & Castro præfatis, eorumque membris, & juribus nec in proprietate, nec in fructibus, & redditibus eidem Monti assignatis, vel contra eorum Conductores, Affictuarios, Administratores, & Debitores nunc, & pro tempore existentes pro dicta summa, ac pro solutione fructuum, & extinctione, ut supra assignata, easdem obligationes, & hypothecas exercere; nec actionem, seu Judicium aliquod intentare, minusque super illis Montistas, Depositarios, aliosque præfatos molestare, vel impedire, nisi facta aliorum bonorum dd. de Ursinis, eorumque Auctorum eis obligatorum excussione, & quatenus alia bona pro eorum Creditorum satisfactione non sufficiant.

Mandat quoscumque Creditores dd. de Ursinis, eorumque Authores quantumvis, priores, potiores, & privilegiatos non posse suas actiones exercere super dd. Civitate, & Castro donec sequuta sit integra satisfactio tam Montistarum quam Depositariorum pro tempore.

Quod iidem Creditores nequeant dd. Montistas, vel depositarios molestare nisi facta aliorum bonor. dd. de Ursinis excussione, & quatenus alia bona pro eorum Creditorum satisfactione non sufficiant.

§. 16. Nos enim obligationes, & hypothecas omnes, & singulas præfatas si quæ sint ad effectum præfatum, d. Monte durante, & donec sequuta fuerit prædictorum satisfactio suspendimus, & in alia quæcumque dictorum de Ursinis, eorumque Auctorum &c. bona tam allodialia, quam jurisdictionalia jura, & introitus (eodem Monte durante) modo, & forma præmissis ad effectum præfatum, prædictorum omnium tenores hic pro expressis, & insertis habentes transferimus, & translata esse declaramus, cum hoc quod omnes præfatæ clausulæ, & facultates semper censeantur, & sint appositæ ad majorem securitatem, & cautelam dd. Montistarum, & Depositarii quomodolibet resultan. & cum facultate semper variandi, itaut una via electa, non præjudicetur Montistis, Depositariis, & aliis præfatis, quin ad alia redire possint, sed simul, & semel tam conjunctim, quam divisim illis uti, & experiri valeant.

Omnes dictas obligationes, & hypothecas durante dicto Monte, & donec sequuta fuerit prædictorum satisfactio transfert in alia bona dd. de Ursinis.

Omnes dictæ Clausulæ sunt appositæ ad majorem securitatem Montistarum, & Depositariorum quibus etiam dat facultatē variandi.

§. 17. Decernentes Montem hujusmodi, illiusque loca respectu Dotis, fructuum, & emolumentorum, aliarumque assignationum præfatarum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut mensium, seu mensatarum retentionibus, & quibuscumque aliis contrariis dispositionibus etiam prætextu enormis, & enormissimæ læsionis, urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, & ex quavis alia cogitata, vel incogitata etiam necessario exprimenda causa, vel alias quomodolibet obnoxia fore, & esse; firmaque, & valida semper persistere, & ab illis fore semper excepta, & exempta; nec dictos de Ursinis, minusque quosvis d. Montis futuros Creditores, ac Depositarios, illorumque hæredes, & successores quoscumque, seu jus, & Causam ab eis quomodolibet habentes, & habituros super prædictis, seu illorum aliquo quoquo modo molestari, perturbari, vel impediri.

Decernit d. Montem, ejusque loca respectu dotis, & fructuum ex quacumque causa obnoxia non esse reductionibus, aut diminutionibus.

§. 18. Et insuper volentes Montem prædictum specialibus favoribus, & gratiis decorare, Motu, scientia, & potestate similibus perpetuo statuimus, & ordinamus, quod quicumque etiam laici utriusque sexus, ac Presbyteri, & alii Clerici, necnon Ecclesiastici, & alii quicumque præfati etiam S. R. E. Cardinales, aut cæteri cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis seculares, & quorumcumque ordinum, etiam in communi Mendicantium, & militantium, vel Hospitantium Regulares, aut aliæ quæcumque Personæ cujusvis generis etiam minores, & Pupilli, ac etiam spurei, illegitimi, aut alias quomodolibet inhabiles, & incapaces, nec non Communitates, Universitates, Ecclesiæ, Capellæ, Collegia, Congregationes, Conventus, Societates, Hospitalia, & alia quævis tam profana, quam pia, & Religiosa loca, tam intus, quam extra jurisdictionem nostram temporalem, ac etiam quacumque Mundi parte pro tempore existen. (Infidelibus tamen exceptis) nihilominus in Monte hujusmodi quascumque pecuniarum summas etiam ex Metropolitanarum, Cathedralium, aliarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum,

Decernit ut omnes utriusque sexus, ac etiam Clerici sæculares, & Regulares exceptis Infidelibus quascumque summas in hujusmodi Monte conferre possint, ac pro singulis locis, & portionibus annua scuta quatuor consequi, prout in rubrica.

Abba-

Abbatiarum, Hospitalium, Commendarum, & quarumvis Ecclesiarum, tam sæcularium, quam Regularium, beneficiorum, seu etiam pensionum annuarum ex fructibus, & redditibus, & proventibus Ecclesiasticis tam hactenus acquisitis, quam in futurum acquirendis, semel, vel pluries, & quoties eis visum fuerit non tamen infra summam scutorum 100. monetæ conferre, ponere, & erogare pro singulis locis, & portionibus annua scuta quatuor monetæ in fine cujuslibet bimestris illorum ratam sine aliquo conscientiæ scrupulo, seu sortis principalis diminutione, aut quovis alio restitutionis onere, & omni prorsus impedimento cessante percipere, consequi, & in eorum usum, & utilitatem convertere libere, & licite possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

Constituit Thesaurariũ Generalem Cameræ Protectorem, & Administratorem d. Montis cum facultatibus prout in rub.

§. 19. Ut autem dicti Montis regimen, & gubernium rectius, & fidelius geratur, & dirigatur dilectum filium Hieronymum Gastaldum nostrum, & Cameræ nostræ Thesaurarium Generalem, & successive alios pro tempore existentes Thesaurarios Generales in dicti Montis Protectores, & administratores cum potestate literas patentes Locorum dicti Montis sub eorum nominibus, & sigillo subscriben., & conceden., ac Secretarium, & Ratiocinatorem d. Montis a d. Duce Flavio, suisque &c. nominan., & eligen., necnon omnes, & quascumque Causas d. Montis, & ab eo quomodolibet dependen., ac moven. per se, vel alium, seu alios cognoscen. deciden., & terminan., & ab aliis Judicibus, & Tribunalibus, etiam quod vigore obligationis Cameralis agatur, avocandi, & reassumendi, ac omnia alia eidem Monti utilia, & necessaria privative quoad omnes alios Romanæ Curiæ Judices, & Tribunalia peragendi, eligimus, & deputamus.

Quod Montistæ non teneantur probare versionem pecuniarum.

§. 20. Volumus autem atque decernimus, quod Montistæ dicti Montis Ursini non teneantur, nec cogi possint in Judicio, nec extra probare, nec curare, quod pecuniæ per eos in emptionem locorum dicti Montis expositæ, fuerint erogatæ, & conversæ in extinctionem supradictorum debitorum, vel aliam quamvis probationem quantumvis necessariam facere. Decernentes pariter, & declarantes præsentem nostri Motus proprii cedulam, & literas forsan conficien. etiam ex eo, quod quicumque interesse haben. &c. vel habere prætenden. &c. ad id vocati, seu auditi, aut etiam Instrumentis, & aliis circa illorum executionem facien. solemnitates statutariæ, & alia de jure, vel consuetudine, & quomodolibet requisitæ, adimpletæ, & observatæ non fuerint, aut alias de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel nostræ intentionis, aut quocumque alio defectu, seu quovis alio prætextu, jure, colore, ratione, vel causa notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, vocari, limitari, moderari, aut in jus, vel controversiam adduci, illorumque effectum, & executionem retardari, vel impediri, minusque adversus eas quodcumque Juris, & Facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, nec debere; minusque sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, moderationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, & sub posteriori data emanatas fore, & esse censeri, semperque validas, firmas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec ad illas, in Camera Apostolica præsentan., & in illius libris registrari facien., juxta Constitutionem fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris nostri, aut alias quomodocumque teneri, & nihilominus in suo robore, viribus, & effectu semper persistere.

In hac Cedula. seu literis supplet omnes & quoscumque defectus.

Eis decernit semper firmas, & validas fore, & esse.

Decretum irritans.

§. 21. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Extraordinarios, Commissarios, Delegatos, & Subdelegatos, etiam Causarum Palatii nostri Apostolici, & Causarum Curiæ dictæ Cameræ Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, Camerarios, eorumque vice-Camerarios, ac dictæ Cameræ Thesaurarios, Clericos, Præsidentes, Commissarios, cæterosque Camerales, necnon etiam Cardinales de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque contrariis amplissimè derogat.

§. 22. Non obstantibus præmissis, aut quibusvis Testamentis, Codicillis, donationibus, ultimis voluntatibus, dispositionibus, fideicommissis, substitutionibus, etiam ad favorem Ecclesiarum, locorum piorum, & aliorum supranominatorum &c. Primogenituris, pactis de succedendo, alienandique, seque obligandi prohibitionibus per quoscumque quomodolibet factis, ac etiam pluries, iteratisque vicibus quomodolibet confirmatis, innovatis, & approbatis, ac obligationibus, & hypothecis etiam juramento, & obligatione Camerali, & Apostolica licentia, & beneplacito vallatis, ac Pii IV. de registran., ac aliis quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, excepta Constitutione fel. rec. Clementis VIII., qua jura Cameræ nostræ Apostolicæ in Montium erectionibus præservan. necnon nostra de jure quæsito non tollendo, & gratiis ad instar non conceden., aliisque Cancellariæ nostræ Regulis, Statutis Urbis, eorumque Reformationibus, consuetudinibus, Decretis, stabilimentis, usibus, & naturis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, etiam consistorialiter, & de Fratrum consilio, & assensu roboratis, & cum quibusvis clausulis derogatoriis, ac derogatoriarum derogatoriis, Privilegiis quoque, & Indultis, facultatibus, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis irritantibus eidem Thesaurario, necnon Congregationi super Montibus, & quibusvis aliis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & aliis Decretis, usibus, naturis, etiam juramento, firmitate, & motu similibus, ac etiam consistorialiter præmissa etiam, aut eorum aliqua expresse fieri prohibentibus, seu impedientibus, aut aliis in contrarium quomodolibet facientibus concessis &c. ac non obstante, quod supradicta fideicommissa, & alia ut supra sint in Archivio cum Inventariis registrata, & exhibita, & non obstante Constitutione Urbani VIII. moderatoria Bullæ Baronum, quibus omnibus etiamsi de illis &c. eorum tenores &c. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes &c. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Mandat quod sola Signatura hujus Motus proprii Cedulæ sufficiat, & literæ tam in forma Brevis, quam sub plumbo expediri possint.

§. 23. Cæterum volumus quod præsentis nostri Motus proprii cedula sola nostra Signatura, absque alia data, & si non registretur, sufficiat, & tam in judicio, quam extra plenam fidem faciat, regula quacumque contraria non obstante, & nihilominus literæ tam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, quam sub Plumbo, & per Officium minoris gratiæ cum supradictorum omnium, & singulorum majoris specificatione, & expressione, aliisque clausulis necessariis, & opportunis, ac solitis, & consuetis, ac aliis, & prout videbitur, expediri possint. Et quia nimis arduum, & difficile foret præsentem Cedulam, sive literas desuper conficien., omnibus, & quibus opus foret, originaliter, ac ubique locorum exhibere, volumus, atque decernimus, quod tam præsentis Motus proprii Cedulæ, quam literarum, si quas desuper in quavis forma expediri contigerit transumptis, & exemplis etiam impressis manu Secretarii d. Montis, aut alicujus Cameræ nostræ Notarii subscriptis, sigilloque Thesaurarii Generalis obsignatis

Transumptorum fides.

eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsismet originalibus adhiberetur si ostenderentur, exhiberentur, vel producerentur, regula quacumque contraria pariter non obstante &c.

Fiat Motu Proprio E.

Die 20. Septembris 1671.

Acceptatio d. Cedulæ Motus proprii facta per Ducem Flavium Ursinum, & juxta illius formam obligatio aliorum fractrum.

Illmus, & Exmus D. Dom. Flavius Ursinus Brachiani Dux acceptavit supradictam Cedulam Motus proprii, & juxta illius formam d. Monti Ursino Quintæ Erectionis constituit, & assignavit fructus supra dicta Civitate Brachiani, ac Cerveteri, ex quorum redditibus &c. dismembravit &c. ann. summam sc. 12. mil. monetæ, illamque d. Monti pro ejus dote, & Fructibus assignavit, & cessit, ac applicavit, Montistas, ac Depositarios ejusdem Montis in ejus locum substituit, ac obligationes in favorem ipsius Montis, ac Depositariorum pro adimplemento sibi a Sanctiss. D. Nostro Papa injunctorum, juxta formam Cedulæ Motus proprii prædicti fecit &c. Et in solidum cum dict. Excmo D. Duce Flavio pro observatione omnium præmissorum accesserunt, fidejusserunt, & se se obligarunt Emus, & Rmus D. Virginius Cardinalis, ac Illmus, & Excmus D. Lelius Vicovarii Princeps germani Fratres de Ursinis, & sic se se in forma Cameræ Apostolicæ obligarunt, & tactis &c. pectore, & scripturis respective jurarunt, prout latius in Instrumento sub dat. die per acta mei infrascripti desuper rogato ad quod &c.

Franc. Antamorus R. C. A. Not.

Cedula Bancharia Benedicti Candolphi, & Caroli Rossi.

Noi Benedetto Candolfi, & Carlo Rossi in vigor della presente nostra Cedula Bancaria promettemo, e insolidum ci obligbiamo in forma C. A. di pagar qui in Roma liberamente, e senza eccezione alcuna alli Sig. Montisti del nuovo Monte Orsini Quinta Erezione li frutti delli luoghi tre mila, che sono stati eretti in esso Monte a ragione di scudi quatro per luogo l'anno, e questo pagamento lo promettiamo nelli modi sudetti per nove anni prossimi venturi già cominciati il 1. Settembre passato, e da finire l' ultimo Agosto dell' anno 1680. cioè ogni bimestre in fine la rata parte a ciascheduno di essi Sig. Montisti spettante in confirmità delle liste bimestrali, che ci verranno consegnate dal Computista del medesimo Monte, alle quali liste per la quantità de' Luoghi, e per l'annuo frutto si abbia relazione, e questa Cedola dichiaramo farla ad istanza dell' excellentissimo Sig. Don Flavio Orsini Duca di Bracciano, del quale ne doveremo esser rimborsati, e rilevati da ogni danno in conformità del contenuto nel Moto proprio dell' Erezione, e nell' Instromento della deputazione, & accettazione di Depositaria del medesimo Monte, che si deve rogare in questo giorno per gl' atti dell' Angelucci Notaro A. C., a' quali Motu proprii,, & Istromenti in tutto, e per tutto s'abbia relazione. In fede &c. Roma dal Banco questo di 6. Ottobre 1671.

Benedetto Candolfi, e Carlo Rossi.

XXII. Die 6. Nov 1671. An. 2.

Statutum pro Civitate Avenionen. circa ætatem, & qualitates requisitas in Judicibus Curiæ Ordinariæ S. Petri, & quod Avenionenses trahi nequeant ad Romanam Curiam nisi in Causis scutorum mille in sorte, & scutorum centum in annuo redditu exceden., cum confirmatione Privilegiorum Universitatis dictæ Civitatis ac ordinatione, ut fundationes septem Collegiorum juxta primævam institutionem serventur, & aliis circa nominationem ad officia dictæ Civitatis, cum confirmatione Brevium Urbani VIII., cum præter Legatos, Vice-Legatos, Archiepiscopum, & Præfectos Armorum dictæ Civitatis nemo sit immunis ab impositionibus, quæ in ingressu Civitatis prædictæ solvuntur.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nunc primum impress.

Exordium.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis, affectus, quem dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostræ Avenionen. erga Nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobantur, Nos adducit, ut eorum commodis paterna benignitate libenter consulamus. Itaque specialem eidem Communitati, & hominibus gratiam facere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut Judices Curiæ Ordinariæ *S. Petri* nuncupatæ dictæ Civitatis, qui annuales sunt, in ea ætate constituti, illisque qualitatibus præditi esse debeant, quas statuta ejusdem Civitatis requirunt, ita ut junior quidem saltem vigintiquinque annorum ætatem, & tres annos practicæ, sive usus forensis compleverit, senior vero saltem sit quadragenarius; nec his per Vice-Legatos in dicta Civitate pro tempore existentes ullo modo derogari possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Absolutio à Censuris.

Preces Communitatis, & hominum Civitatis Aven.

Qualitates, quas habere debent Judices Curiæ Ordinariæ S. Petri.

Vice-legatus pro tempore statutis d. Civitatis derogare nequit.

§. 1. Porro ut indemnitati Partium litigantium ne expensis supra modum graventur, consulamus, Cives, & Incolas dictæ Civitatis juxta privilegia Apostolica eis concessa ad Romanam Curiam ex quacumque Causa, & sub quovis prætextu in prima instantia trahi minime posse, nisi Partes se extra eamdem Civitatem conveniri posse obligaverint, nec in eorum Causis ad eamdem Romanam Curiam appellari, vel recurri posse, vel debere, nisi Causæ ipsæ summam mille scutorum monetæ Romanæ, vel redditum annuum centum scutorum parum excesserint, auctoritate, & tenore prædictis pariter ordinamus, atque ita inviolabiliter observari mandamus.

Causæ trahi nequeunt ad Urbem nisi summam 1000. sc. mon. Romanæ, aut redditum annuum sc. 100. parum excesserint.

§. 2. Præterea Privilegia, gratias, & Indulta quæcumque, Universitati studii generalis Civitatis Avenionen. præfatæ, ejusque Rectoribus, Scholaribus, & Personis quibuslibet a quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, neque Concilii Tridentini decretis, aut posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis adversentur, dicta auctoritate harum serie confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat Privilegia, & Indulta Universitatis Studii Generalis prout in rub.

Fundationes Septem Collegiorum serventur juxta primam eorum institutionem.

§. 3. Volentes, ut fundationes septem Collegiorum ejusdem Civitatis juxta primam eorum institutionem accurate serventur. De Capitaneatus autem Portarum, aliisque officiis dictæ Civitatis per resignationem, vel obitum, aut alias quomodolibet nunc, & pro tempore vacantibus, ad quæ nominatio, seu præsentatio Personarum idonearum eidem Civitati juxta privilegia ei desuper concessa, seu alias legitime competere dignoscitur, ita de cætero disponi volumus, ut nominatio quidem, seu præsentatio officialium ad dilectos filios Concilium dictæ Civitatis, admissio vero, seu institutio ad dilectum filium nostrum Palutium Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Alterium nuncupatum modernum, & pro tempore existentem nostrum, & Apostolicæ Sedis in Civitate præfata, & Comitatu nostro Venaysino de Latere Legatum respective spectent: Et proinde sic pro tempore nominatos, seu præsentatos, & in specie dilectum filium cognominatum Robert, qui ad officium Capitaneatus Portæ

Nominatio, seu præsentatio ad Officia pertineat ad Consilium d. Civitatis, admissio autem, seu institutio ad Cardinalem Legatum pro tempore.

Sancti

Confirmat literas Urbani VIII. & Alexand. VII., quod præter Legatos, Vicelegatos, & Archiepiscopos nemo sit immunis ab impositionibus, quæ in ingressu d. Civitatis solvuntur.

Sancti Michaelis dictæ Civitatis de præsenti vacans per Consilium prædictum nominatus, seu præsentatus reperitur, si idonei fuerint, ad officia hujusmodi admitti, seu in illis institui, solitasque provisionum literas ad eorum favorem respective expediri mandamus.

§. 4. Postremo fel. rec. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri anno 1643. expeditas, aliasque Romanorum Pontificum prædecessorum pariter nostrorum in simili forma Brevis literas a rec. mem. Alexandro PP. VIII. etiam prædecessore nostro per Chirographum die 19. Februarii 1663. emanatum confirmatas quoad illum articulum, quo disponitur, quod in dicta Civitate præter Legatos, Vice-Legatos, & Archiepiscopos Avenionen., ac Præfectos Generales Armorum ibidem pro tempore existentes, nemo ab oneribus, & cujusvis generis impositionibus, quæ in ingressu dictæ Civitatis solvuntur, immunis, seu exemptus existat, auctoritate præfata, earumdem tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque, & non alias in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, eorumque Vice-Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Civitatis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. die 6. Nov. 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Novembris 1671. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Novembr. par. 2. fol. 80.

XXIII.

Diversæ Ordinationes circa extractionem Reliquiarum ex Cœmeteriis Urbis, & Locorum circumvicinorum, illarumque custodiam, & distributionem.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Nunc primū impressa.

Exordium.

EX commissæ Nobis cælitus curæ pastoralis Officio providere volentes, ut Sanctorum Martyrum corpora, & reliquiæ, pie, ac decenter, & sine turpi quæstu ex hujus Almæ Urbis Nostræ, & Locorum circumvicinorum Cæmeteriis extrahantur, recondantur, asserventur, ac fideliter, prudenterque distribuantur; de nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumque doctrina, rerum usu, & prudentia præstantium virorum, qui rem jussu nostro mature discussserunt, & quorum sententia nobis a dilecto filio nostro Gasparo S. R. E. Presbytero Cardinale Carpineo nuncupato, in Urbe præfata Vicario in spiritualibus Generali, ac Prodatario Nostro relata fuit, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut nemo ad extrahendas a Cæmeteriis præfatis reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Cardinalis moderni, seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis sigillo munitum, & illius manu subscriptum sit; nec ossa, vel corpus ullum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ effodiat, & ex aliquo Cæmeteriorum hujusmodi extrahat aliter, quam coram Sacerdote per d. Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat, & recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quæ certiora esse censuit Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis præposita.

Mandat neminem accedere ad extrahendas à Cœmeteriis Urbis, & locorum adjacentium reliquias, nisi de licentia Card. Vicarii pro tempore.

Excommunicatio latæ sententiæ adversus Contravenientes.

Reliquiæ, seu Corpora extrahi debent coram Sacerdote per Cardinalem Vicarium pro tempore designato.

§. 1. Qua omni recognitione facta, statim singula corpora, & cujuscumque Martyris Reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem, in Palatio Nostro asservandas, & a Venerabili Fratre Josepho Eusavio Episcopo Helenopolitano moderno, & pro tempore existente Sacrarii Apostolici Præfecto, vel ab alio per præfatum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium designando, qui probatis moribus, ac Presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas.

Officium hujus Sacerdotis.

Extractæ deferri debent ad Urbem in Palatio Apostolico prout in rubrica.

Custodiendæ sunt à Præfecto Sacrarii Apostolici pro tempore vel ab alio Sacerdote per Cardinalem Vicarium designato.

§. 2. Hæc autem Martyrum corpora, & reliquiæ ne distribuantur, & publice ad cultum, & venerationem exponantur, antequam per dict. Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium, vel alios, quibus hæc cura demandata est, examinata, & examinatæ, ac Romani Pontificis, vel memoratæ Cardinalium Congregationis auctoritate approbata, & approbatæ fuerint.

Antequam distribuantur, & publicè ad cultum exponantur quid agendum sit.

§. 3. Quoniam vero eadem Sacra corpora, & insignes Reliquias, videlicet caput, crus, brachium, & eam corporis partem in qua passus est Martyr, si tamen integra est, nec in privatis ædibus, neque apud laicos homines, sed in Ecclesia religiose collocari, & asservari par est. Ideo jubemus ea, & eas nemini in posterum concedi, qui Ordinarii literas non asserat, quibus apud præfatum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium commendetur Ecclesiæ, pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat operæ pretium esse petitis Sanctorum Reliquiis Ecclesiam illam donari, & ibi futurum, ut ea, qua decet, religione custodiantur, & colantur.

Insignes reliquiæ nec in privatis ædibus, nec apud Laicos collocari, aut observari par est.

§. 4. Excipiendos tamen volumus magnos Principes, & præcipuos Ecclesiæ Prælatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne cæterorum quoque fidelium pietas hoc Sancto munere omnino privetur, minus insignes Reliquiæ illis concedentur.

Qua cautela sint concedendæ.

Cum Magnis Principibus, & Prælatis liberalius est agendum.

Aliis fidelibus minus insignes Reliquiæ concedantur.

§. 5. In omnibus autem modum servari jubemus, quoniam præ copia sæpius accidit, ut sanctiora quæque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est. Conficiatur etiam liber, in quo sacra corpora, & reliquiæ a Cæmeteriis prædictis extractæ adnotentur, tum nomina illorum, quibus reliquiæ ipsæ distributæ, & Ecclesiarum, pro quibus impetratæ fuerint. Porro qui ornant, & vendunt capsulas, thecas, & vasa, quibus reliquiæ Sanctorum includuntur, reliquiis,

Liber in quo SS. Reliquiæ, & Corpora à dd. Cæmeteriis extracta adnotantur, & nomina illorū, quibus ipsæ distributæ, ac Ecclesiarū pro quibus impetratæ fuerunt.

alia ne adscribant nomina, nisi, quæ a dicto Gaspare Cardinale moderno, seu pro tempore existente Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetæ, aliisque pœnis ejusdem Vicarii arbitrio infligendis. Atque ut omnis tollatur occasio turpis quæstus iis, quorum operam, & ministerium in effodiendis, & extrahendis sacris corporibus: Idem Gaspar Cardinalis modernus, seu pro tempore existens Vicarius adhibebit, de pecuniis, & eleemosynis, quæ piis operibus applicandæ forent, & de mandato ipsius Vicarii accipient quantum æquum fuerit pro expensis omnibus, & juxta eorum mercedem.

Pœnæ adversùs inscribentes alia nomina SS. Reliquiis, quam à Card. Vicario pro tempore fuerint imposita.

Pro expensis, & juxta mercedem Operariorum Card. Vicarius adhibeat pecunias, & eleemosynas piis operibus applicandas.

§. 6. Postremo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per transgressores ipso facto incurrenda districte prohibemus, ne in tradendis sacris corporibus, & reliquiis, & pro confectione literarum patentium desuper expediendarum, earumque sigillo, aliquid etiam modicum, ullo umquam prætextu, etiam a sponte dantibus, accipiatur.

Excommunicatio latæ sententiæ adversus recipientes aliquid pro traditione SS. Reliquiarum quolibet titulo etiam a sponte dantibus.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definire debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quarumvis Ecclesiarum, & Basilicarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, specificatis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Etiam habentibus derogatorias derogatoriarum, & specialem, & individuam mentionem requirentibus.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii 1672. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slusius.

Edit. 13. Jan. 1672.

Registrata in lib. Brevium mensis Januarii fol. 1. parte utraque.

Confirmatio Decretorum Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium favore totius Ordinis Minorum observantium S. Francisci circa eleemosynas funerales, & funera Defunctorum, qui in eorum Ecclesiis sepulturam elegerint, scilicet, quod Parochi ab hæredibus dd. Defunctorum majorem eleemosynam petere nequeant, quam percepissent, si in eorum Parochiali, vel alia Sæculari Ecclesia sepeliri voluissent, & quod tali casu functiones super Cadaveribus ad ipsos Regulares, non autem Parochos pertineant.

XXIV. Hæc constit. hic repetita est, quòd amplior sit, contenta in Tomo VI. fol. 382.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Nunc primum impress.

ALias pro parte tunc existentis Commissarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ de Geverano Brundusinæ Diœcesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro Defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dd. Fratrum, quam accipiebant pro iis qui in ipsorum Parochorum, seu Presbyterorum Sæcularium Ecclesiis sepeliebantur: Emanavit die 7. Decembris 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis, videlicet -- *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ, ut proponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum prout præsentis Decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino, cæterisque locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero Sæculari majorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri Sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Romæ die 7. Decembris* 1640. -- Ita reperitur in regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem &c. Romæ 31. Dec. 1671.

Decretum S. Congregationis Episc., & Regular. edit. die 7. Dec. 1640.

C. d. V. Archiep. Athenar.

§. 1. Et subinde cum tunc existentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ prædicti Ordinis Congregationi præfatæ exposuissent, functiones funerales Defunctorum, quorum Cadavera in eorum Ecclesiis sepulturæ mandarentur, facere, ad eos, non ad Parochos spectare. Congregatio præfata die 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet --- *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, juxta alias resoluta censuit, functiones funeralium super cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa præmissa servandum esse, prout servari mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Rom. die 31. Aug.* 1657. -- Ita reperitur in Regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem &c. Romæ 31. Decembris 1671.

Aliud Decretum ejusdem Sac. Congregationis die 31. Augusti 1657.

C. de V. Archiep. Athenar. &c.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Min. Obſerv. S. Franciſci.

§. 2. Cum autem, ſicut pro parte dilecti filii Franciſci Mariæ a Caſtro S. Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis præfati Nobis nuper expoſitum fuit, ipſa Decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ Patrocinio communiri, ſummopere deſideret: Nos ſpecialem ipſi Franciſco Mariæ Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis humiliter ſuper hoc porrectis inclinati, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Abſolutio à Cenſuris.

DD. Decretorum Confirmatio Apoſt.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Januarii 1672. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Edit. 18. Jan. 1672.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in lib. Brevium Menſis Januarii Parte utraque fol. 145.

XXV. Die 18. Jan. 1672. An. 2.

Confirmatio Decreti Congregationis Epiſcoporum, & Regularium favore Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Provinciarum Hiſpaniæ ſuper facultate eligendi Conſervatores, non deſignatos in Synodo Diœceſana in Civitatibus, & Diœceſibus in quibus nulli ſunt Judices Synodales.

Nunc primum edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

NUper pro parte dilecti filii Didaci de Mendibil Commiſſarii generalis, Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod in multis Diœceſibus Regnorum Hiſpaniæ Synodi a plurimis annis celebratæ non fuerint, nullique proinde ibidem Judices in ejuſmodi Synodis deputati reperiantur, quos Fratres Conventuum dicti Ordinis in illis partibus conſiſtentium in conſervatores eligere, ſeu nominare valeant; ipſe Didacus Commiſſarius Generalis plurimum cupiebat facultatem nominandi in Conſervatores alias Perſonas, quæ qualitatibus per Conſtitutionem fel. rec. Gregorii PP. XV. Prædeceſſoris noſtri de Conſervatoribus editam requiſitis cæteroqui præditæ ſint, Fratribus præfatis concedi, quemadmodum alias in ſimilibus caſibus à Sede Apoſtolica conceſſa fuit: emanavit a præfata Congregatione Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit Oratori dandam infraſcriptam declarationem alias editam ſequentis tenoris: Sac. Congregatio &c. cenſuit Epiſcopos quamprimum Diœceſanam Synodum omnino celebrare teneri: Et interim in Civitatibus, & Diœceſibus in quibus nulli Judices extant in Concilio Provinciali, aut Diœceſano deſignati, licere Regularibus ſervata in reliquis forma Conſtitutionis fel. recor. Gregorii XV. hac de re editæ, Conſervatores nominare habentes qualitates a Jure requiſitas. Quorum tamen Conſervatorum facultas eo ipſo expiret, cum primum hujuſmodi Synodus celebrata fuerit, in eaque Judices deſignati extiterint Romæ 4. Decembris 1671. -- F. M. Cardinalis Brancatius -- C. de V. Arch. Athenar.

Decretum S. Congregationis Epiſc. & Regular. edit. 4. Dec. 1671.

Preces Commiſſarii Generalis Curiæ Ord. Minor. Obſervantiæ S. Franciſci.

§. 1. Cum autem ſicut pro parte dicti Didaci Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat Apoſtolicæ confirmationis noſtræ Patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Didacum ſpecialibus gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Abſolutio à Cenſuris.

Ejuſdem Decreti Apoſtol. confirmatio.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, ac delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obſtantibus præfata Gregorii prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Edit. 18. Januar. 1672.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Januar. 1672. Pontificatus noſtri anno Secundo.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium in lib. Menſis Januarii parte utraque fol. 150.

XXVI.

Facultas Prioris Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo conferendi Lauream Doctoralem Fratribus Magiſtris in Collegiis, & ſtudiis ſui Ordinis.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ALias fel. rec. Clemens PP. IX. prædeceſſor Noſter dilecto filio Matthæo Orlando moderno, & pro tempore exiſtenti Priori Generali Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo facultatem conferendi Lauream Doctoralem illis Fratribus d. Ordinis, qui ex præcepto Conſtitutionum Ordinis hujuſmodi Magiſterio inſigniti forent, auctoritate Apoſtolica conceſſit. Ita tamen ut illa extra Collegium Salamantinum non niſi in

Clem. IX. facultate conceſſit Priori Generali Ordin. Carmel.

conferendi lauream Doctoralem fratribus Magistris in Collegio Salamantino, & S. Mariæ Transpontinæ de Urbe.

Collegio S. Mariæ Transpontinæ de Urbe ejusdem Ordinis uti possit, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 20. Julii 1668. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Motivum ampliandi dictum Indultum.

§. 1. Cum autem, sicut præfatus Matthæus Prior Generalis Nobis nuper exponi fecit, Fratres Magistri à Priore Generali d. Ordinis pro tempore existente instituti, secundum formam regularium Institutorum ante susceptionem Laureæ Doctoralis hujusmodi nullis frui possint Privilegiis: sæpe vero contingat Priorem Generalem Ordinis hujusmodi, Visitationis, aliorumque negotiorum ejusdem Ordinis causa per plures annos extra Urbem præfatam manere, eo autem absente, Fratres Magistri Lauream Doctoralem suscipiendi gratia ad eamdem Urbem frustra sint accessuri, nec propter eorum paupertatem ejusmodi lauream in aliqua studii generalis Universitate suscipere valeant, attentis intolerabilibus pecuniarum summis ibidem expendendis, quibus pauperrima inter mendicantes Religio nimium gravaretur.

Preces Prioris Generalis dicti Ordinis.

§. 2. Nobis propterea dictus Matthæus Prior Generalis, ne præfatos Fratres Magistros Privilegiis suis diu carere contingat, humiliter supplicari fecit, ut sibi, suisque successoribus Prioribus Generalibus in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsius Matthæi Prioris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; præfato Matthæo moderno, ejusque Successoribus Prioribus Generalibus Ordinis prædicti pro tempore existentibus, quando fuerint in Conventibus ejusdem Ordinis, ubi Collegium, seu studium pro studentibus Religionis institutum sit, Lauream Doctoratus prænarratis Magistris ipsius Ordinis, servatis tamen quoad reliqua omnibus ex præcepto Constitutionum Ordinis hujusmodi servandis, auctoritate nostra Apostolica conferendi facultatem, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Absolutio à Censuris.

Hic Pontifex facultatē ampliat Priori Generali pro tempore dandi lauream Doctoratus fratribus Magistris in Conventibus ubi Collegium, seu Studium pro Studentibus sit institutum.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præfati Clementis prædecessoris nostri literis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Jun. 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Edit. 20. Jun. 1672. An. 3.

Registrata in libro Brevium Mensis Jun. parte utraque fol. 585.

Statutum pro Congregatione Lateranensi Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ut illius Capitulum generale de cætero de Sexennio ad Sexennium celebretur cum prorogatione Officialium, ac diversis ordinationibus pro ejusdem Congregationis levamento &c.

XXVII.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à debitis Monasteriorum Congregationis Lateranensis Ord. S. Augustini cū Capsa publica in Urbe d. Congregationis in summa sc. 764553.

CUm ad notitiam nostram perveniſſet, Congregationem Lateranensem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ejusque monasteria propter varios casus, diversis debitis, in sorte, & residuis, quæ capsæ publicæ dictæ Congregationis in Urbe debentur ad summam septingentorum sexaginta quatuor millium quingentorum quinquaginta trium scutorum monetæ, salvo veriori calculo ascendentibus, gravata existere, & pro Capitali septingentorum, & duorum millium quingentorum septuaginta quinque scutorum similium quotannis fructuum, sive interusuriorum nomine viginti vovem millia quadringenta quinquaginta duo scuta paria solvi, ex his autem annua viginti unum millia septingenta septuaginta duo scuta hujusmodi redimibilia, seu francabilia esse.

Quod pro hujusmodi Debito, d. Capsa publica fructus solvere debeat in summa sc. 29452.

Pro levamento d. Capsæ Papa erigit Congregationem Prælatorum.

§. 1. Nos ejusdem Congregationis levamento consultum esse cupientes, mandavimus nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis doctrina, prudentia, & rerum usu eximie præditis, ut de opportunis remediis consultarent, nobisque sententias suas referrent, illi vero mandatis nostris obsequentes, re mature, diligenterque perpensa pro ipsius Congregationis levamento expedire censuerunt, Capituli generalis ejusdem Congregationis celebrationem à triennio ad sexennium prolongari, inde enim expensas considerabiles pro accessu, mora, & recessu a loco Capituli necessarias resecari; Capitulo autem hujusmodi non posse, nec debere sub quocumque prætextu interesse alios, præter solos Abbates regiminis, & titulares, per quæ duo capita Congregatio præfata annuis expensis mille scutorum dictæ monetæ exoneraretur; visitationes alternis annis fieri debere, posse enim eo anno, quo visitatio non fieret, casibus occurrentibus per Visitatorem illius Provinciæ, in qua casus eveniret, provideri, hacque ratione mille sexcenta scuta paria annuatim compendii fieri. Abrogandum omnino, atque tollendum esse usum cujusdam recreationis in dicta Congregatione quotannis fieri solitæ, quæ Ventura vocatur, confirmandumque Decretum prohibitorium illius ab eadem Congregatione pluries reiteratum, unde annis singulis expensæ quadringentorum scutorum similium parcetur.

Eadem Congr. Præl. censuit 1. Capitulum Generale esse protrahendum ad sexennium eique interesse non posse nisi Abbates Regiminis, & titulares.

Utilitas exinde Congregationis Lateranensis in scut. 1000.

§. 2. Porro resecationum, & compendiorum hujusmodi, quæ quotannis ad summam trium millium scutorum monetæ præfatæ ascendent, repartitionem inter omnia Monasteria dictæ Congregationis, excepto Monasterio Tremiti nuncupato, ab Abbate generali ipsius Congregationis proportionatim fieri debere ad ratam, quam unumquodque Monasterium pro taxis Visitationum solvit, & singulorum Monasteriorum portiones quotannis mittendas fore ad capsam publicam, quemadmodum circa præstationes aliorum onerum, quæ de præsenti solvunt, servatur. Applicanda quoque fore eidem capsæ publicæ spolia Canonicorum Regularium dictæ Congregationis pro tempore decedentium, illaque prævia æstimatione per duos Peritos ab Abbatibus, & Capitulis Monasteriorum eligendos facienda, vendi, ac Inventarium una cum pretio, & æstimationibus in libro per unumquodque Monasterium ad hunc finem retinendo annotari debere, quæ licet incerta sint, tamen de præterito ad summam mille, & quingentorum scutorum similium annuatim calculata fuerunt.

2. Censuit Visitationes Monasteriorum faciendas esse alternis annis & exinde utilitas aliorum sc. 1600.

3. Censuit abrogandum abusum annualis recreationis nuncupat. la Ventura ex quo parcitur expensis annuis sc. 400.

4. Censuit d. Capsæ publicæ esse applicanda Spolia Canonicorum Regul. Later. quæ antea summam fecerunt scut. 1500.

5. Censuit esse exequendas literas Pauli V. & Chirographum Alex. VII. prout in rubrica.

§. 3. Et quia unicum assecurationis Capsæ publicæ hujusmodi remedium supereſt, si literæ fel. rec. Pauli PP. V. prædecessoris nostri die 12. Aprilis 1608. emanatæ, & Chirographum rec. mem. Alexandri PP. VII. prædecessoris pariter Nostri manu subscriptum, & die 6. Decembris 1664. expeditum executioni mandentur, ordinandum fore, ut singuli superiores Monasteriorum, Provinciarum Mediolanensis, & Pedemontii, seu Ducalinæ nuncupatæ, bona stabilia vendere, pecunias ad censum capere, & alia omnia, quæ per literas, & Chirographa hujusmodi ordinantur, facere debeant cum participatione tamen Abbatis Generalis, & consensu dilecti filii nostri Caroli Barberini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, adhoc ut proprium unius cujusque Monasterii debitum extingui possit, atque ita dictæ literæ, & Chirographum executioni mandata remaneant ea forma, quæ opportunior fuerit, ita ut saltem omnes solutiones, quas Capsæ publicæ in suis Provinciis faciunt, seu facere debent, inde retrahantur, obligenturque ipsi Superiores ad remittendum eidem Capsæ tantam pecuniæ quantitatem, quæ ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario sufficiat ad extinctionem annuæ præstationis cuilibet Monasterio assignatæ, & in reparatione assignandæ, unde extinguantur Capitalia francabilia, & residue debita, atque ita effectus liberationis Capsæ publicæ hujusmodi inde consequatur.

6. Censuit posse alienari duo Monasteria illarum Provinciarum ære alieno gravatarum, prout in rubr.

§. 4. Quod si ne hoc quidem remedium sufficiat, quia forsan non adsint tot bona, quæ distrahi possint, aut id fieri non expediat, eo casu liceat vendere, & alienare duo ex Monasteriis præfatarum Provinciarum, & aliarum ære alieno oppressarum, si ita pro utilitate dictæ Congregationis expedire memoratis Carolo Cardinali Protectori, & Abbati Generali matura deliberatione prævia, visum fuerit, pretium autem erogetur in extinctionem primo loco debitorum Monasterii, & successive Provinciæ, in qua alienatio facta fuerit.

Datur biennium ad hujusmodi executionem.

§. 5. Et ut ordinationes præfatæ effectum habeant, Abbates locales in termino biennii debeant Procuratorem generalem, & dictum Carolum Cardinalem Protectorem certiores reddere se illas cum effectu adimpleviſſe per extinctionem debitorum, vel illorum abductionem in suam Provinciam, itaut Capsa publica Romana libera remaneat, alioquin pœnis infrascriptis subjaceant videlicet; Transacto biennio hujusmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non possit in illo Monasterio acceptari quisquam ad habitum Canonici, vel Conversi, nec deveniri ad electionem Abbatis, quamdiu satisfactum non fuerit; Abbas vero Abbatia, ac voce activa, & passiva, necnon gubernio, omnique alia prærogativa privatus remaneat, & Minister, seu Gubernator Monasterii eligatur; remaneant similiter privati ii Procuratores, qui pro eorum parte non adimpleverint, quod eis injungitur: Elapso autem dicto biennio Abbas Generalis, ejusque Diffinitorium ordinationes supradictas in ea parte, in qua non fuerunt in biennio hujusmodi adimpletæ, rigorose exequi debeant: Quod si in termino sui Generalatus ordinationes præfatas ad effectum non deduxerint, idem Abbas Generalis, & Visitatores illius Provinciæ, in qua defectum fuerit, remaneant in proxime futuro Capitulo privati voce activa, & passiva, ac quacumque prærogativa, & gradu, quos vigore Regularum, seu Constitutionum, vel consuetudinum dictæ Congregationis in Dietis, & Diffinitorio, per sexennium subsequens obtinere possent, & eorum loco eligantur alii, ac à diffinitorio eligi debeant.

Biennio transacto pœnæ adversus contravenientes.

Eo elapso Abbas Generalis, ejusque Diffinitorium curet hujusmodi ordinationes adimplere.

DD. Ordinationes in Dieta ejusdem Congregationis Placentiæ fuerunt tum infra acceptatæ.

§. 6. Cum autem sicut dilecti filii Abbas Generalis, & Diffinitores dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, præmissis sic per Prælatos præfatos prudenter cogitatis, atque deliberatis in Dieta ejusdem Congregationis Placentiæ proxime celebrata per dictos exponentes, aliosque tam vocales, quam non vocales dictæ Congregationis mature, diligenterque consideratis, atque trutinatis, ipsi, quo eadem præmissa ad effectum deducantur, publicæque utilitati ipsius Congregationis magis consulatur, expedire censuerint, non solum fieri celebrationis dicti Capituli generalis prolongationem de triennio ad sexennium, ipsumque Capitulum sine Sociorum interventu celebrari, ac recreationem præfatam, quæ *Ventura* vocatur abrogari; sed etiam visitationes, non alternis annis, sed singulis trienniis semel tantum fieri, quo insuper cujusque anni impensæ resecentur, hisque mediantibus tria millia scutorum parium annuatim Capsæ publicæ prædictæ assignari, loco spoliorum autem, quæ incerta sunt, certam assignationem mille tercentorum tresdecim scutorum, & octoginta bajoccorum annuatim fieri, atque ita in totum quatuor millia ducenta nonaginta sex scuta, & quinquaginta octo bajoccos monetæ hujusmodi quotannis eidem Capsæ applicari, eamque de communi consensu æquam applicationis hujusmodi repartitionem inter omnia ipsius Congregationis Monasteria, concurrente etiam ad id Provincia Veneta, fecerint.

Quoad Visitationes ut fierent singulis trienniis tantum, & ex iis & aliis ut supra utilitas esset sc. 3000. pro publica capsa.

Pro spoliis dd. Canonicorum posse solum assignari sc. 1313 & ob. 80.

Adducitur etiam consensus Provinciæ Venetæ.

Assignatum biennium ad quadriennium prorogatur pro venditione stabilium.

§. 7. Verum considerantes, quod si intra brevem biennii terminum ad venditionem Bonorum stabilium esset deveniendum, illa vilissimo pretio distrahi necesse foret propter tergiversationes, atque machinationes Emptorum, qui Superioribus sic ad vendendum coactis vilia, & vix dimidia justi valoris pretia afferrent, atque ita venditiones cum gravissimo detrimento, & ruina Monasteriorum extorquerent, & proinde è re ipsius Congregationis magnopere fore existimaverint, si terminus hujusmodi ad quadriennium ampliaretur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces d. Congregationis Lateranensis.

§. 8. Nos igitur Congregationis præfatæ statui, & levamento quantum nobis ex alto conceditur prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac literarum, & Chirographi præfatorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac audita super præmissis memorati Caroli Cardinalis, & Protectoris relatione, ut Capitulum generale dictæ Congregationis, quod de triennio in triennium celebrari hactenus consuevit, deinceps de sexennio in sexennium celebretur, illique soli Abbates regiminis, & titulares, non autem alii sub quocumque prætextu interesse debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus; ac proinde præfatis modernis Abbati Generali, & Visitatoribus, ac Procuratori Generali ejusdem Congregationis sua respective officia ad aliud triennium à fine triennii, ad quod in proxime præterito ipsius Congregationis Capitulo Generali electi fuerunt, computandum, itaut interea in suis officiis hujusmodi cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis continuare libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate harum serie prorogamus, extendimus, & ampliamus.

Singulares illius personas à Censuris absolvit.

Relatio Cardinalis Protectoris.

Auctoritate Apost. statuit Capitulum Generale singulis sexenniis celebrandum, eique solum Abbates Regiminis, & Titulares interesse posse.

§. 9. Visitatores autem Monasteriorum Congregationis prædictæ, quæ annis singulis fieri solebant, in posterum singulis trienniis semel tantum

Mandat Visitatores fieri duntaxat trienniis singulis.

Usum Recreationis nuncupatæ la *Ventura* penitus tollit.

fieri volumus ; necnon ſupradictæ recreationis, quæ Ventura vocatur, in eadem Congregatione, quamvis fieri ſolitæ uſum auctoritate, & tenore prædictis perpetuo, tollimus, & abrogamus, ipſamque recreationem de cætero fieri prohibemus. Porro taxam, & repartitionem annuorum quatuor milliu'n ducentorum nonaginta ſex ſcutorum, & quinquaginta octo bajocchorum capſæ publicæ præfatæ ſolvendorum, communi conſenſu inter omnia dictæ Congregationis Monaſteria in dieta proxime præterita factam, ut præfertur dicta auctoritate earumdem tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac unum quodque ex dictis Monaſteriis ſuam portionem ejuſdem taxæ juxta repartitionem hujuſmodi eidem Capſæ publicæ annis ſingulis realiter, & cum effectu ſolvere debere decernimus, & ordinamus.

Repartitio inter Monaſteria juxta modum in d. Dieta præſcriptum confirmatur.

§. 10. Præterea ut Pauli literæ, & Alexandri prædeceſſorum præfatorum Chirographum ſupradicta executioni mandentur, omnibus, & ſingulis ſuperioribus Monaſteriorum, Provinciarum Mediolanen. & Pedemontis, ſeu Ducalinæ nuncupatæ præfatarum harum ſerie præcipimus, & mandamus, ut bona ſtabilia ad eorum Monaſteria reſpective ſpectantia vendant, pecunias deſuper ad cenſum capiant, aliaque omnia, quæ per literas, & Chirographum hujuſmodi ordinantur, reſpective faciant, & omnino exequantur, cum participatione tamen Abbatis Generalis, & conſenſu dicti Caroli Cardinalis, & Protectoris, ad hoc, ut proprium uniuſcujuſque Monaſterii debitum extingui poſſit, atque ita eædem literæ, & Chirographum, ea forma, quæ opportunior fuerit executioni mandata remaneant, ita ut ſaltem omnes ſolutiones, quas Capſæ publicæ in ſuis Provinciis faciunt, ſeu facere debent, inde retrahantur ; ac eoſdem Superiores obligatos eſſe volumus, ad remittendum ad eamdem Capſam publicam tantam pecuniæ quantitatem, quæ ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario ſufficiat ad extinctionem annuæ præſtationis cuilibet Monaſterio, etiam in præfata repartitione, aſſignatæ, unde Capitalia francabilia, & reſidua debita extinguantur, atque ita Capſa publica hujuſmodi liberetur.

Præcipit exequi dd. literas Pauli V. & Chirographum Alexand. VII. prout in rubr.

In ſubſidiu dat facultatem alienandi duo Monaſteria Provinciarum ære alieno oppreſſarum.

§. 11. Cæterum ſi ne hoc quidem remedium ſufficiat, qu'a forſan non adſint tot bona, quæ diſtrahi poſſint, aut id fieri non expediat, eo caſu licentiam, & facultatem tribuimus vendendi, & alienandi duo ex Monaſteriis præfatarum, & aliarum dictæ Congregationis Provinciarum ære alieno oppreſſarum, ſi ita pro utilitate ipſius Congregationis expedire eiſdem Carolo Cardinali, & Protectori, ac Abbati Generali, matura deliberatione prævia, viſum fuerit ; pretium autem inde proventurum erogari volumus in extinctionem primo loco debitorum Monaſterii, & ſucceſſive Provinciæ, in qua alienatio facta fuerit.

Eorum pretium quomodo diſtribuendum.

Abbates locales intra quadriennium dicere debent ſe dd. Ordinationes adimpleſſe.

§. 12. Porro Abbates locales in termino quadriennii proxime venturi Procuratorem Generalem dictæ Congregationis, ac præfatum Carolum Cardinalem, & Protectorem certiores reddere, & per notam diſtinctam edocere debeant, quod præſentes Ordinationes cum effectu adimpleverint per extinctionem debitorum, vel illorum abductionem in ſuam Provinciam, ita ut ſupradicta Capſa publica Romana libera remaneat, alioquin tranſacto quadriennio hujuſmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non poſſit in illo Monaſterio, quod moram in adimplendo commiſerit, acceptari quiſquam ad habitum Canonici regularis, vel Converſi, nec deveniri ad electionem Abbatis quamdiu eiſdem ordinationibus ſatisfactum non fuerit : Abbas vero, Abbatia, & Gubernio, ac voce activa, & paſſiva, omnique alia prærogativa privatus remaneat, & ejus loco Miniſter, ſeu Gubernator Monaſterii eligatur ; Procuratores quoque, qui pro eorum parte ſibi injuncta non adimpleverint, pariformiter privati remaneant.

Tranſacto Quadrienio pœnæ ſtatuuntur contra Inobedientes.

§. 13. Elapſo autem eodem quadriennio, moderni, ſeu pro tempore exiſtentes Abbas Generalis, & Diffinitorium dictæ Congregationis ordinationes ſupradictas in ea parte, in qua non fuerint in decurſu quadriennii hujuſmodi adimpletæ, rigoroſe exequi debeant ; quod ſi Abbas Generalis in termino ſui Generalatus ordinationes præfatas ad effectum non deduxerit, idem Abbas Generalis, & Viſitatores illius Provinciæ, in qua defectum fuerit, remaneant in proxime futuro Capitulo generali privati voce activa, & paſſiva, ac quacumque prærogativa, & gradu, quos vigore Conſtitutionum, ſeu Regularum, vel conſuetudinum dictæ Congregationis in dietis, & Diffinitorio per ſexennium ſubſequens obtinere poſſent, eorumque loco alii eligantur, prout a Diffinitorio eligi debere volumus, & ordinamus.

Poſt d. Quadriennium Abbas Generalis & Diffinitorium tenentur dd. ordinationes adimplere in ea parte in qua non fuerunt adimpletæ. Pœnæ adverſus negligentes.

§. 14. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari. Sicque, & non alias in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere ; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 15. Non obſtantibus piæ me. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum pariter noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum, & Monaſteriorum quorumcumque, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & Conſuetudinibus, etiam immemorabilibus ; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Congregationi, ejuſque Provinciis, & Monaſteriis, ac Superioribus, & perſonis quibuſvis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ in Literis, & Chirographo ſupradictis conceſſa ſunt non obſtare. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio, ad id ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Obſtantia memorat.

Eis derogat.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum

Edit. 19. Aug. 1672. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19 Augusti 1672. Pontificatus nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Augusti par. 2. fol. 96.

XXVIII.

Extensio Indultorum recitandi officium S. Juliani Episcopi, & Confessoris cum octava tam die festo ejusdem S. quam die Commemorationis illius, Episcopo, ac Capitulo, & Clero Civitatis, & Diœcesis Conchen. a Clem. VIII. & Paulo V. concessorum, ad omnia, & singula Hispaniarum Regna.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

A Postolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Sanctorum Christi Confessorum, qui feliciter decurso vitæ mortalis studio, immarcescibilis Gloriæ coronam in Cœlis a justo Judice consequi meruerunt, cultum, & venerationem in terris promovere, atque ampliare studemus, sicut pia sublimium personarum non minus virtutis, quam regii culminis splendore conspicuarum, ac Catholicorum Antistitum in partem solicitudinis nostræ vocatorum, aliorumque Christifidelium vota postulant, & nos ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque Sanctæ decus, atque ædificationem expedire in Domino arbitramur.

Preces Epis. & Capituli, Cleri Civitatis, & Diœcesis Conchen. datæ Clementi VIII.

§. 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentium Episcopi, & Capituli, & Cleri Civitatis, & Diœcesis Conchen. fel. rec. Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro exposito Beatum Julianum Episcopum, & Confessorem ejusdem Civitatis, & Ecclesiæ Patronum, in maxima apud eos veneratione haberi, & illius natalem diem festum hiemali tempore, quo per temporis ejusdem, & ipsius Civitatis Conchen. situs asperitatem, convicini Populi ejusdem Sancti devoti illuc accedere non poterant, & propterea ejus Commemorationem die 5. Mensis Septembris, qua frequentes Christifideles devotionis causa illuc accedebant, celebrari solere, cupereque Episcopum, ac Capitulum, & Clerum præfatos ad majorem ejusdem Sancti Venerationem, eorumque spiritualem consolationem, utroque tempore hujusmodi in officio, quod de ipso Sancto recitabant, orationem propriam, & lectiones ex ipsius S. Juliani historia desumptas recitare posse.

Clem. VIII. indulsit Episcopo, & Capitulo, ac Clero universo d. Civitatis, & Diœcesis ut in festo & commemoratione S. Juliani orationem propriã, & tres lection. 2. Nocturni desumptas ex historia ejusdem S. recitare possent.

§. 2. Idem Clemens prædecessor de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Coggregationi Sacrorum Rituum præpositorum, qui Orationem, & lectiones hujusmodi jussu ipsius Clementis prædecessoris examinaverant, & approbaverant, sententia, eisdem Episcopo, Capitulo, Canonicis, & Clero universo Civitatis, & Diœcesis Conchen. ut in festo, & commemoratione præfati Beati Juliani Episcopi, & Confessoris ejusdem Civitatis, & Ecclesiæ Patroni, orationem propriam, & tres lectiones secundi nocturni ex ipsius S. Juliani historia desumptas, quas literis sujs adscribi voluit, recitare libere, & licite possent, & valerent, auctoritate apostolica concessit, & indulsit.

Eorundem preces datæ Paulo V.

§. 3. Et subinde rec. mem. Paulo Papæ V. prædecessori pariter nostro tunc existentium Episcopi, & Capituli Conchen. nominibus, etiam exposito, quod ipsi eumdem Beatum Julianum in eorum, & suæ Ecclesiæ Conchen. Patronum agnoscebant, & venerabantur, ac illius proprium officium die festo ipsius Beati Juliani, & per totam octavam ejusdem festi in Civitate, & Diœcesi prædictis recitari, & celebrari posse cupiebant: dictus Paulus prædecessor officium præfatum cum ejus octava in ejus literis insertum, quod a memoratis Cardinalibus approbatum fuerat, de eorumdem Cardinalium consilio, dicta auctoritate perpetuo confirmavit, & approbavit, utque in Civitate, & Diœcesi Conchen. ab Episcopo, & Capitulo, ac toto Clero Ecclesiæ, & Diœcesi Conchen. hujusmodi recitari, & celebrari posset, concessit pariter, & indulsit, & alias prout in eorumdem Clementis, & Pauli prædecessorum literis desuper in simili forma Brevis die 18. Octobris 1594. & die 21. Maji 1613. respective expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Paulus V. eisdem indulsit posse recitare proprium Officium ipsius S. Juliani in ejus festo, & per tot. oct.

Preces Card. Nidhardi nomine Regis Catholici, & fere omnium Archiepiscoporum, & Episcoporum Regn. Hisp. dat. Pontifici.

§. 4. Cum autem sicut dilectus noster Joannes Everardus ejusdem S. R. E. Cardinalis Nidhardus nuncupatus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis nuper exposuit, tam ipse Carolus Rex, quam omnes fere venerabiles fratres Archiepiscopi, & Episcopi, ac dilecti filii Capitula plurimarum Ecclesiarum, necnon Communitates, & homines plerarumque Civitatum, Regnorum Hispaniarum, pio erga memoratum Sanctum Julianum devotionis affectu ducti indulta præfata ad omnia Hispaniarum Regna hujusmodi extendi summopere desiderant.

Absolutio à Censuris.

§. 5. Nos ejusdem piis Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus paterno affectu favorabiliter annuere cupientes, dictosque Archiepiscopos, Episcopos, & Capitula, & Communitates, & homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus præfati Joannis Everardi Cardinalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio. Indulta quoad orationis propriæ, & lectionum, ac officii S. Juliani cum octava hujusmodi recitationem, & celebrationem respective tam die festo ejusdem S. Juliani, quam die Commemorationis illius, Episcopo, & Capitulo, & Clero Civitatis, & Diœcesis Conchen. a memoratis Clemente, & Paulo prædecessoribus concessa, ut præfertur, ad omnia, & singula Hispaniarum Regna, servata tamen cæteroqui literarum præfatarum respective forma, & dispositione, eadem auctoritate tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Pontifex præfata Indulta Clem. VIII & Paul. V. extendit ad omnia Hispaniarum Regna, servata tamen illorum forma, & dispositione.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irrirum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quarumvis Ecclesiarum, & Basilicarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Edit. 26. Aug. 1672. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Augusti 1672. Pontificatus nostri anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Sec. Brevium in lib. mensis Augusti par. 2. fol. 112.

XXIX. Declaratio nullitatis transactionis, seu cautionis ab Archiepiscopo Januense cum Duce, & Gubernatoribus Reipublicæ Januensis in controversia super Sedis Archiepiscopalis collocatione, &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab immemorabili quo Sedes Archiepiscopalis cum Baldachino in Ecclesia Januen. fuit semper juxta Altare à Cornu Evangelii.

CUm ex Apostolicæ Sedis Decretorum, ac sacrorum Rituum, & Cæremoniarum Ecclesiasticarum dispositione per consuetudinem immemorabilem roborata sedes Archiepiscopalis una cum Baldachino superimposito in Ecclesia Metropolitana Januensi juxta Altare a cornu Evangelii usque ad proxime elapsa tempora semper sita fuerit, non contradicentibus Duce, & Gubernatoribus Reipublicæ Januensis Sedem Ducalem a cornu Epistolæ in eadem Ecclesia, vel a dicto cornu Evangelii infra tamen Sedem Archiepiscopalem prædictam retinentibus.

Post cessionem d. Archiepiscopatus factam a Card. Stephano Duratio Dux & Senatores fecerunt illam amovere a Cornu Evangelii, & collocare a Cornu Epist.

§. 1. Verum post dimissionem dictæ Ecclesiæ Januensis a bon. mem. Stephano dum vixit S. R. E. Cardinale Durazzo nuncupato ejusdem Ecclesiæ Januen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsule in manibus fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædecessoris nostri factam, & ab eodem Alexandro prædecessore admissam, tunc existentes Dux, & Gubernatores d. Reipuplicæ de facto, & propria auctoritate prædictam Sedem Archiepiscopalem a memorato cornu Evangelii amoveri, illamque a cornu Epistolæ collocari fecerint, violata inde Archiepiscopali dignitate, ac jurisdictione, necnon prædictorum Decretorum Rituum, & Cæremoniarum Ecclesiasticarum dispositione: cui attentato per ven. fratrem Joannem Baptistam modernum Archiepiscopum Januensem, apud hanc Sedem Apostolicam deducto, & denunciato, quamvis prædictus Alexander prædecessor, & rec. mem. Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster, compluribus officiis, & paternis adhortationibus interpositis, occurrere studuerint, causa hujusmodi iterum cum omnibus illius annexis ad se, & Sedem Apostolicam prædictam, prout ex literis Congregationis tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositorum die 18. Augusti 1675. scriptis fusius pariter avocata, inhibita quoque specialiter Archiepiscopo Januen. pro tempore existenti facultate utendi sede Archiepiscopali prædicta ad cornu Epistolæ sicut præmittitur translata.

Alex. VII., & Clem. IX. paterne eos hortantur ab hujusmodi attentato desistere Archiepiscopo inhibita facultate sedendi a Cornu Evangelii.

§. 2. Nihilominus dum Nos eadem paterna, qua memorati prædecessores nostri longanimitate confidebamus fore, ut aliquando ejusmodi controversia congruum, & Apostolicis Decretis, Ritibusque, & Cæremoniis Ecclesiasticis, ac dignitati Archiepiscopali consentaneum finem sortiri deberet, attenta præcipue antiqua Reipublicæ prædictæ in Ecclesiam pietate, præter omnem spem, & non sine gravi animi nostri molestia ad aures nostras pervenerit, inter prædictum Joannem Baptistam Archiepiscopum ex una, ac dilectos filios nobiles viros Ducem, & Gubernatores dictæ Reipublicæ ex altera partibus initam fuisse Nobis, & Apostolica Sede inconsultis, quamdam assertam transactionem, sive conventionem, per quam si valida foret, grave Metropolitanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopali Dignitati Januen. præjudicium inferretur.

Inter eos, & Archiepiscopum Joannem Baptistam initur tractatio, seu conventio super modo collocandi Sedem Archiepiscopalem in Ecclesia Januen.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, Metropolitanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopalis dignitatis prædictarum honorificentiam, præeminentias, prærogativas, & jura quæcumque sarta tecta, atque illis bona tueri, & conservare, ac in præmissis ex commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere opportune providere cupientes, necnon prædictæ transactionis, seu conventionis, ejusque articulorum, seu Capitulorum quorumcumque seriem, ac scripturarum, & Decretorum quorumlibet desuper forsan quovis modo confectorum, & emanatorum tenores, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime, atque accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eamdem transactionem, seu conventionem a memorato Joanne Baptista Archiepiscopo cum prædictis Duce, & Gubernatoribus, vel Senatu, aut Magistratibus, aliisque quibusvis Ministris dictæ Reipublicæ Januen. super prænarrata controversia quomodolibet initam, ejusque articulos, & Capitula, seu pacta quæcumque, necnon scripturas, & Decreta quælibet desuper confecta, & emanata respective cum omnibus, & singulis in eis, eorumque quolibet contentis, ac inde sequutis, & quomodocumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, & invalida, inania, & de facto attentata, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua, & nullius roboris, & momenti fuisse, & esse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, nec dictum Joannem Baptistam, & futuros Archiepiscopos Januenses illa, seu eorum aliquod quodcumque observare posse, vel debere, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, sed illa omnia, & singula pro non factis, nec gestis perinde, ac si nunquam emanassent perpetuo haberi debere tenore præsentium decernimus, & declaramus; Quinimo ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula harum serie reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus omnino vacuamus, ac adversus illa quatenus de facto processerunt, Metropolitanam Ecclesiam, & dignitatem Archiepiscopalem Januensem prædictas, ipsumque Joannem Baptistam Archiepiscopum in integrum, & pristinum, ac in eum, in quo antequam prædicta tractatio, seu conventio iniretur, aut de ea tractaretur, vel cogitaretur quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Hæc tractatio, sive conventio Apost. auctoritate irritatur, & reprobatur.

Mandat dicto Joanni Baptistæ Archiepiscopo in virtute S. Obedientiæ,

chino super impoſito a cornu Epiſtolæ ſicut præmittitur collocatam, inde intra triduum a die notificationis ipſarum præſentium literarum, ſeu earum affixionis ad valvas ejuſdem Eccleſiæ numerandum omnino amoveat, & amoveri curet.

ut intra triduum a die notitiæ eamdem Sedem a Cornu Epiſt. amoveat.

§. 5. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Joannes Baptiſta Archiepiſcopus, ac Dux, & Gubernatores, aliique præfati, & cæteri quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Cauſæ propter quas præſentes literæ emanarint adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præſentes literæ nulla de cauſa, prætextu, vel colore valent impugnari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon prædictæ Eccleſiæ, & aliis quibuſcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, uſibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis, præfatis, & aliis quibuſvis Perſonis, etiam quacumque Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, ſeu quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & quantiſcumque vicibus iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Septemptis 1672. Pontificatus noſtri anno Tertio.

Edit. 5. Sept. 1672. An. 3.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretar. Brevium in lib. 3. diverſorum fol. 129.

Confirmatio Decretorum à Generali Ordinis Eremitarum S. Auguſtini de ſuorum Aſſiſtentium conſilio editorum, circa introductionem, obſervantiam, & perpetuam conſervationem vitæ communis in Lycien., & Terræ Soleani, aliiſque dicti Ordinis Conventibus, in quibus vita hujuſmodi introducetur.

XXX.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1672.

Exordium.

SOlicitudo Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ Regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus, Nos admonet, ut ad ea, quæ ſalutem Chriſti fidelium Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis Jugo mancipatorum directionem concernunt, favorabiliter intendentes, quæ à ſuperioribus regularibus reſtituendæ, conſervandæque religionis ſtudio, provide facta eſſe noſcuntur, Apoſtolici muniminis Noſtri præſidio conſtabiliamus.

Series facti expoſita à Procuratore Generali Ordin. Fratr. Eremit. S. Auguſtini.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, quod cum quondam Ignatius Valente Conventum Civitatis Lycien. dicti Ordinis hæredem inſtituit, ea lege, ut obſervantia, & exacta vita communis, quam dilectus pariter filius Auguſtinus de Soleano Frater expreſſe profeſſus ejuſdem Ordinis, in Sacra Theologia Magiſter, dum Provincialatus Provinciæ Apoſtolicæ dicti Ordinis munere fungebatur, in eodem Lycien., & S. Mariæ *del Repoſo* nuncupatæ Terræ de Soleano Hydruntin. Diœceſis Conventibus introduxerat, in ipſo Conventu Lycien. reſtitueretur, ac dict. Auguſtinum cum onere procurandi reſtitutionem vitæ communis hujuſmodi in eodem Conventu Lycien., teſtamentariæ ſuæ diſpoſitionis Executorem deputaverit, dilectus etiam filius Hieronymus Valvaſorius Prior Generalis Ordinis præfati de Aſſiſtentium ſuorum conſilio, circa reſtitutionem, obſervantiam perpetuamque conſervationem vitæ communis tam in præfatis Lycien., & Terræ Soleani, quam in quibuſvis aliis ejuſdem Ordinis Conventibus vitam communem hujuſmodi ad præſcriptum Decretorum à Congregatione S. R. E. Cardinalium ſuper ſtatu Regularium deputata juſſu fel. rec. Alex. Papæ VII. prædeceſſoris noſtri die 13. Septembris 1604. emanatorum, benedicente Domino, amplexuris, non nulla Decreta edidit, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Prior Generalis d. Ord. cum conſilio ſuorum Aſſiſtentium pro reſtitutione & conſervatione vitæ communis in quibuſdam Convêt. bus Lycien., & Terræ Soleani, & aliis edidit nonnulla Decreta.

Tenor dd. Decretorum.

§. 2. In Conventu S. Angeli de Lycio reſtituatur, & quatenus opus eſt de novo inſtitua-

tur,

tur, & in Conventu S. Mariæ Reposi de Soleano continuetur observantia, & exacta vita communis ad præscriptum Regulæ &c., ut inferius.

§. 3. Exacta vita communis in dd., & hujusmodi Conventibus jam, & in futurum observantibus fiat ab omnibus, & singulis Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis de familia degentibus, juxta Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regular. de mandato fel. rec. Alexandri Papæ VII. sub die 13. Septemb. 1655. ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum Ordinis, non obstante quavis laxiori consuetudine, servataque forma Sac. Canonum Concil. Tridentin., & Const. Apostolic., & præcipue Decretorum sanmem. Clement. PP. VIII., necnon statutorum prædicti nostri Ordinis (quæ pro certiori, & firmiori observantia ne allegari unquam possit ignorantia,) una cum his Decretis, & aliis hactenus in Ordine factis de consilio etiam admodum RR. PP., qui nobis assistunt excerpsimus, & declaravimus, & hac ipsa die 5. Septembris 1672. nostra manu, & sigillo munita observanda illis, & omnibus Conventibus, & Fratribus, qui eamdem vitam jam amplexi, & Deo dante, in futurum amplexuri sunt, dedimus ad literam absque ulla interpretatione, aut glossa, & indispensabiliter, nisi cum infirmis, & impotentibus, sub pœnis in eisdem Decretis, Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contentis, necnon dd. Constitutionum Ordinis *par. 3. cap. 6. & par. 6. cap. 9.*, & statutorum supradictorum.

§. 4. Postquam (restituta jam observantia) octo circiter Novitii Choristæ recepti fuerint, & suam professionem emiserint in Novitiatu Lycii, remaneant ibidem pro secundo Novitiatu, seu professorio clauso, quod eos nunc pro tunc ad studium pro ipsis tantum observantibus deputamus ad studendum, si fuerint habiles, & primus Novitiatus, qui de mandato Sac. Congregationis super Stat. Regular. erat Lycii, transferatur (de assensu ejusdem Sac. Congregationis) ad Conventum Soleani.

§. 5. Conventus Lycii sit sub immediata jurisdictione nostra, & Priorum Generalium pro tempore, Conventus vero Soleani sub Jurisdictione Procuratoris Generalis, prout sunt cæteri Conventus Provinciæ, cum conditionibus tamen infradicendis.

§. 6. Pro hac prima vice confisi plurimum de integritate, doctrina, prudentia, ut supra, vitæ Communis, exactorisque observantiæ zelo ejusdem Magistri Fratris Augustini de Soleano eum deputamus, & declaramus, prout tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate deputatum, & declaratum esse volumus, in Priorem prædicti Conventus nostri S. Angeli de Lycio ad triennium, & ultra ad aliud, & plura, si vocales dicti Conventus Lycii elapso primo triennio, eum alia, & alia vice, & pluries proponere, nominare, & præsentare voluerint, etiam solum, & non inter tres, aut duos, ut in forma inferius ponenda. Pro Conventu vero S. Mariæ Reposi de Soleano confirmamus in Priorem Fratrem Lucam de Melpiniano electum a Diffinitorio Provinciæ ad biennium a die dictæ suæ electionis.

§. 7. Deinceps Priores eligantur ex ipsis solis Observantibus, & ab ipsis, itaut primum in Conventu Lycii sibi deligant duos, vel tres, & ipsos sic delectos deinde nominent, & præsentent P. Generali pro tempore, & demum Generalis ex duobus, vel tribus ita præsentatis eligat unum, qui erit Prior, & pariter in Conventu Soleani primum sibi deligant duos, vel tres, & deinde illos duos, vel tres repræsentent Diffinitorio Provinciæ, quod demum ex duobus, vel tribus eligat unum, qui erit Prior.

§. 8. Quod si Prioratus ex morte, privatione, renunciatione, aut aliqua ex alia causa quandocumque vacaverit, tunc sit Vicarius tam Lycii, quam Soleani secundus, qui cum Priore electo fuit præsentatus, duraturus usque ad tempus novæ electionis. Quod si illi etiam, aut alter ex illis mortui fuerint, aut aliqua ex causa nolint, & nequeant esse Vicarii, tunc Lycii deligant tres, vel duos ad Prioratum, ex quibus Generalis, ut supra, eligat unum, qui erit Prior ad biennium, & tot menses, quot defuerint, usque ad consuetum tempus instituendi, & ipsum adventum de novo instituti Prioris. Et Soleani deligant duos, vel tres, ex quibus Provincialis, ut supra, eligat unum, qui erit Vicarius usque ad proximum Capitulum, seu Congregationem, in quibus Diffinitorio præstabunt duos, vel tres, dictum Vicarium, & alium, vel alios ab ipsis, & ex ipsis Observantibus deligendis, ex quibus duobus, vel tribus Diffinitorium eliget unum, ut supra.

§. 9. Ita pariter cæteri quicumque eorum Officiales eligantur ex ipsis, & ab ipsis, proponente tamen ad electionem, & post electionem eos confirmante eorum Priore jam, ut supra, electo.

§. 10. In Lectorem Theologiæ, seu Regentem, & in Lectorem Philosophiæ deputabitur a P. Generali aliquis ex ipsis idoneus illis doctrinæ sufficientia exemplaris, & maxime exactæ communis vitæ studio, juxta prædicta, & præcipue Clementis PP. VIII. Decreta probandus, & approbandus. Quod si apud se non habuerint idoneum, aut pro Lectore, aut pro Regente, supplicabunt pro altero, aut pro utroque eidem Patri Generali, qui providebit de idoneo a se probato, & qui sponte velit, & debeat observantiam, & exactam vitam communem eamdem cum omnibus, & per omnia juxta dicta, & Clement. Papæ VIII. Decreta sectari.

§. 11. In actu visitationis in Conventu Lycii per nos, aut per a nobis deputandos, & in Conventu Soleani per Patrem Provincialem, inquiratur super instituta observantia, & transgressores ibidem corrigantur regulariter, non autem inde removeantur inconsultis Priore, & PP. Consilii, & relinquantur, aut mittantur Decreta, quod si aliqua judicaverint observantiæ conducere, fideliter referant Priori Generali, qui si ei videbitur, decerant.

§. 12. Nulli volenti venire zelo observantiæ licentia denegetur, dummodo ejus præcedat acceptatio a Priore cum PP. Consilii. Non eligantur ipsi Observantes in Priores locales, nec in Officiales Conventuum, ubi dicta observantia non viget. Non amoveantur, aut transeant de familia in dd. Conventibus, ubi dicta observantia non viget, sed tantum donec, Deo juvante, alii Conventus observantes juxta pariter Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regular., & hæc nostra Decreta, & Statuta, quæ, ut supra, pro dictis, & pro omnibus Conventibus, & Fratribus, qui eamdem vitam jam amplexi, & in futurum amplexuri sunt, fecimus, fuerint, mutari possint ab uno in alium ex Conventibus observantibus, tam si eam vitam post Decretum Sac. Congregationis super Statu Regular. professi fuerint, quam si professi ante dictum Decretum, aut ex dd. Conventibus Lycii, & Soleani pro hac prima vice remanserint, aut ex aliis Conventibus, quandocumque advenerint, & elapso anno (quo tempore iis erit liberum abire (a PP. Vocalibus acceptati fuerint, nisi forte in pœnam, utpote sitam sanctæ ordinationi de observantia, & exacta vita communi in dd. Conventibus, & aliis observantibus contradicere, aut modo aliquo se opponere ausi sint, vel fuerint, qua propter juxta dictum Decretum Sac. Congregationis super Stat. Regular. amovendi sint, aut si emendatoriam ferre recusaverint, & juxta Regulam, & Constitutiones a Priore de consensu PP. Consilii a Societate, ne contagione pestifera plurimos perdant, projiciendi.

§. 13. Pro quibus omnibus inviolabiliter observandis præcipimus omnibus, & singulis nostris inferioribus, ne quovis prætextu, occasione, aut

quæsito

quæsito colore, dicto, facto, directe, vel indirecte, per se, vel per alium ullis umquam futuris temporibus dicta Decreta violare, infringere, aut eis quoquo modo contraire, nec supradictos fratres a dd. observatione turbare, aut molestare, & ne a dd., & aliis in futurum simili modo Observantibus Conventibus d. observantiam, & exactam vitam communem auferre, aut auferendam audeant quomodolibet attentare, sub pœnis numero tertio memoratis, necnon privationis Officiorum, graduum, & vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & excommunicationis latæ sententiæ, quam trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, ipso facto absque alia declaratione, sed sola protestatione, & attestatione in scriptis, juramento, & subscriptione majoris partis Conventus firmata, cum expressione causæ, propter quam, & expressione pariter hujus nostri Decreti decimi, virtute cujus declarantur incursi, incurrenda.

§. 14. Hæreditas Ignatii Valente de Lycio vigore ejus testamenti sub die 10. Octobris 1671., in quo reliquit prædictum nostrum Conventum S. Angeli de Lycio suum hæredem universalem, cum adjecta conditione, quod in eo restituatur observantia, & exacta vita communis, juxta Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regul. de mandato Alexand. PP. VII., acceptatur ad seriem, & tenorem ejusdem testamenti a nobis visi, discussi, & considerati, prout tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate illam acceptamus, & acceptandam esse volumus, & mandamus.

§. 15. Et ad perpetuam validitatem, firmitatem, subsistentiam, durationem, & ad cautelam, ad tollendos defectus, supplicamus S. Sedi Apostolicæ, ejusque Sacris Congregationibus, Primo, quod non obstantibus Constitutionibus nostri Ordinis 3. *part. Cap.* 4., quod supposito Conventuum sub immediata cura Patris Generalis fiat per Capitulum Generale; supradictus Conventus Sancti Angeli de Lycio ponatur, & sit in futurum, & in perpetuum sub immediata cura, & Jurisdictione Procuratoris pro tempore, quemadmodum alii Conventus Generales, cum d. tamen observantia, & exacta vita communi, & modo, ac forma, ut supra. Secundo quod non obstante Bulla sac. mem. Beati Pii V. pro Reformatione Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Quoniam in reparanda* 1570. de duratione Officiorum ad biennium, & Decreto P. Generalis Fivisani, confirmato a sac. mem. Clemente PP. VIII. *Universalis* 1596. de non protrahendis Officiis ultra sexennium prædictus Magister Frater Augustinus de Soleano possit esse & sit Prior, ut supra; & aliis non obstantibus quibuscumque, & ad tollendos, si qui sunt, alios quoscumque defectus, & ut prædicta omnia, & singula approbare, confirmare, & Apostolica auctoritate roborare dignetur.

Preces Procuratoris Generalis, & Fr. Augustini de Soleano d. Ord.

§. 16. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Procurator Generalis, & Augustinus præfati Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Procuratori Generali, & Augustino gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta a memorato Hieronymo Procuratore Generali edita, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Absolutio à Censuris.

Confirmatio Apostol. dd. Decretorum.

§. 17. Cæterum tam præfatum Hieronymum modernum, & pro tempore existentem Procuratorem Generalem, quam dilectos filios modernos, & futuros Vicarios Generales Congregationum, & Procuratores Provinciales Provinciarum, & Superiores locales Conventuum Ordinis præfati per præsentes serio monemus, ut suæ obligationis memores exactam vitam communem in Conventibus potissimum designatis pro Novitiatibus, & Professoris ubi introducta non est, omnino introduci, quavis contraria consuetudine, seu potius corruptela non obstante, & ubi introducta est, conservari maxime procurent, in districto Dei judicio neglecti muneris rationem reddituri.

Monitio ad Superiores d. Ordinis ut vitam communem introducant in Conventibus designatis pro Novitiatibus, & Professoris quavis contraria consuetudine non obstante.

§. 18. Decernentes easdem præsentes literas & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 19. Quocirca dilecto filio Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolis Nuncio, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Hydruntin., & Lycien., ac Bisignanen. Episcopis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel tres, aut duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi, ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari, omnesque, & singulos, quos ipsæ præsentes literæ concernunt, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere: non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Exequutores designat.

§. 20. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, ejusque Congregationum, Provinciarum, & Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, illis alias in suo robore permansuris, ac præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 21. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate

Transumptorum fides.

constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, quam extra illud habeatur, ipsis quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 8. Oct. 1672. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Octob. 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Octob. parte utraque fol. 161.

XXXI.

Statutum perpetuum Collegii Germanici, & Ungarici, quod Convictores quicumque in d. Collegium recepti, & quandocumque recipiendi, juramentum de discedendo ab Urbe, ac in Germaniam revertendo statim atque studiorum tempus fuerit absolutum, præstare teneantur.

Edita An.D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alumni Collegii Germanici, & Hungarici in ingressu vel paulo post jurant statim in Germaniam reversuros.

CUM (sicut accepimus) dilecti filii Alumni Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe in ipsius Collegii ingressum, sive paulo post, inter alia Juramentum præstare soleant, quod absoluto ibidem studiorum tempore, quando inde dimittentur, ab Urbe statim discessuri, & in Germaniam reversuri sint. In d. vero Collegium præter Alumnos, etiam recipiuntur nonnulli Convictores, qui Juramentum hujusmodi non præstant, sed peracto studiorum curriculo in Urbe præfata quandoque moram trahunt, & excusso disciplinæ, quam in eodem Collegio præfato servaverant, jugo, eam morum innocentiam, quam ex Patria attulerant, & in Collegio præfato coluerant, non satis studiose tuentur, in animarum suarum perniciem, ipsiusque Collegii existimationis detrimentum.

Convictores hoc Juramentum non præstant.

§. 1. Nos ex commissæ Nobis cœlitus Apostolicæ solicitudinis munere opportunum huic malo remedium quantum cum Domino possumus adhibere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut Convictores quicumque in Collegium præfatum recepti, & quandocumque recipiendi juramentum pariter de discedendo ab Urbe supradicta, ac in Germaniam revertendo, statim atque studiorum cursum ibidem absolverint, seu alias ex ipso Collegio dimittentur, ad instar memoratorum Alumnorum præstare omnino teneantur, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Motu proprio mandat teneri ad præstandum d. Juramentum de revertendo in Germaniam statim ac studia absolverint, aut ab ipso Collegio dimittentur.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque integros & plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore & quandocumque spectabit inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales Collegii præfati Protectores, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dicti Collegii, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Octob. 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Edit. 16. Oct. 1672. An. 3.

I. S. Slusius.

Registrata in Secretaria in libro Brevium Mensis Octob. parte utraque fol. 133.

XXXII.

Confirmatio, & innovatio Brevis Urbani VIII. contra violatores libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ, ac Jurisdictionis Apostolicæ in Portugallia &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus munere ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro tuitione, & defensione Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, ac jurisdictionis Apostolicæ Sedis, ejusque Ministrorum contra temerarios illarum violatores, atque perturbatores provida censita esse dignoscuntur, ut firma semper, atque inviolabilia persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter corroboramus.

Urban. VIII. motu proprio irritat, & annullat, quæ a Judicibus Sæcularibus etiam supremis Portugalliæ, & Algarbiorum acta, vel ordinata fuerunt adversus Collectorem Generalem Spoliorum, & Jurium, ejusque Ministros.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. prædecessor noster motu proprio, ac certa scientia, & mera deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine nonnulla, quæ contra tunc existentem jurium, & expoliorum Cameræ Apostolicæ Debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Collectorem Generalem, ejusque Auditorem, seu Delegatum, Officiales, Ministros, res, & bona, ex Regnorum præfatorum Judicibus Sæcularibus, etiam supremis, quocumque nomine, titulo, & prærogativa, & gradu insignibus in certis tunc expressis causis, & earum occasione, quocumque prætextu, vel quæsito colore quomodolibet decreta, mandata, acta, facta, ordinata, & sive scriptis, sive verbis quomodolibet attentata fuerant, quæ omnia, & singula pro expressis haberi voluit, nulla invalida, irrita, & inania, ac nulliter, invalide, inaniter, & de facto contra Sacros Canones, Conciliorum Decreta, & Apostolicas Constitutiones, attentata, & præsumpta esse decrevit, & declaravit.

Prohibuit eisdem Judicibus ne talia, vel similia attentarent adversus Immunitatem Ecclesiasticã sub pœna excommunicationis majoris, cujus absolutio sit reservata S. Sedi, & aliis.

§. 2. Et ne imposterum similia præsententur omnibus, & singulis judicibus Sæcularibus etiam Supremis dictorum Regnorum quocumque nomine nuncuparentur, cujuscumque gradus, conditionis, & prærogativæ existerent, ne talia, aut similia adversus Immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam etiam quocumque prætextu contra Ecclesias, Prælatos, Judices, & personas, res, & bona, ac eorum Jurisdictionem, & auctoritatem, ejusque liberum exercitium quomodolibet committere, aut attentare præsumerent, sub excommunicationis majoris, cujus absolutio Sedi Apostolicæ reservata esset, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & privationis quorumcumque Beneficiorum, Pensionum, officiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum, ac Militarium, & ordinum quorumcumque, perpetuæque inhabilitatis tam quo ad ipsos delinquentes, seu contumaces, quam quo ad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa imposterum quomodolibet obtinenda, necnon amissionis quorumcumque Juriumpatronatus, privilegiorum, gratiarum, concessionum, & investiturarum tam emphyteuticarum, quam feudalium eisdem delinquentibus

seu

seu contumacibus, suisque ut præfertur usque ad quartum gradum descendentibus quocumque titulo Apostolico, aut alio Ecclesiastico quomodolibet tunc, pro tempore competentium, & acquirendorum, pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis, interdixit, & prohibuit, & alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis uberius continetur, tenoris, qui sequitur videlicet.

Tenor dd. literarum Urbani VIII.

§. 3. Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ad audientiam Apostolatus nostri non sine justo, & gravi cordis dolore pervenit, quod procedente nuper in diversis Causis Ecclesiasticis in in Civitate Ulyssiponen. sui muneris auctoritate dilecto filio Magistro Joanne Baptista Pallotto in utraque Signatura Referendario, Jurium, & Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Collectore Generali, seu ejus auditore uti Judice Delegato, cum pars altera ad Judices Sæculares temere recursum habuisset, Judices hujusmodi, & postmodum alii pariter Sæculares non solum contra Auditorem prædictum, sed etiam contra eumdem Joannem Baptistam Collectorem occasione dictarum Causarum suis injustis, & invalidis Decretis, ac mandatis contra Immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam attentatis, Jurisdictionem pariter Ecclesiasticam, & S. Sedis Apostolicæ Officialium violando, impediendo, & perturbando procedere præsumpserunt, & ad quædam eidem Ecclesiasticæ libertati, & immunitati, ac ipsius Joannis Baptistæ Collectoris auctoritati maxime adversantia devenerunt, per quæ inter alia decreverunt, ut dictus Auditor caperetur, e Regnis prædictis expelleretur, ipsiusque bona, & temporalitates sequestrarentur: unde in eorumdem decretorum, seu alicujus eorum executionem satellites Domum ipsius Joannis Baptistæ Collectoris (ipsius salutaribus monitis temere contemptis) ingressi sunt, Sententias excommunicationis, & alias Ecclesiasticas Censuras, & pœnas gravi cum scandalo totius Civitatis, ac Divinæ Majestatis offensa graviori incurrendo.

§. 4. Quamobrem nos, qui in Sede B. Petri, quamquam immeriti a D. positi sumus, ne excessus hujusmodi, ac Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis tam enormis violatio dissimuletur, ac transeat in exemplum pro nostro Pastoralis Officii debito providere, & malorum graviorum segetem, & radicem, quantum à Deo permittitur, nostra auctoritate Apostolica evellere volentes, Motu proprio non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula præmissa à prædictis dd. Regnorum Judicibus Sæcularibus, etiam supremis quocumque nomine, titulo, & prærogativa, ac gradu insignitis in Causis prædictis, & earum occasione contra dictum Joannem Baptistam Collectorem, ejusque Auditorem, seu delegatum, Officiales, Ministros, Familiares, res, bona, quocumque prætextu, vel quæsito colore quomodolibet decreta, acta, facta, ordinata, & sive scriptis, sive verbis quomodolibet attentata, quæ omnia, & singula præsentibus haberi volumus pro expressis, nulla, invalida, irrita, & inania, ac nulliter, invalide, inaniter, & de facto contra Sacros Canones, Conciliorum Decreta, & Constitutiones Apostolicas attentata, & præsumpta: præsentesque literas, & in eis contenta quæcumque de intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in jus vel controversiam vocari nullatenus posse, sed semper valida, firma, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, ac integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari debere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

§. 5. Et nihilominus ne imposterum similia præsumantur, omnibus, & singulis Judicibus Sæcularibus etiam supremis dd. Regnorum quocumque nomine nuncupentur, cujuscumque gradus, conditionis, & prærogativæ existant, ne talia hujusmodi, aut similia adversus immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, etiam quocumque prætextu contra Ecclesiasticos Prælatos, Judices, & Personas, res, & bona, ac eorum Jurisdictionem, & auctoritatem, ejusque liberum exercitium quomodolibet committere, aut attentare præsumant, sub excommunicationis majoris, a qua non nisi a nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo absolvi possint, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac privationis quorumcumque Beneficiorum, Pensionum, Officiorum, ac Dignitatum Ecclesiasticarum, militariumque, & Ordinum quorumcumque, perpetuæque inhabilitatis tam quoad ipsos delinquentes, seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem ad illa imposterum quomodolibet obtinendum, necnon amissionis quorumcumque Juriumpatronatus, privilegiorum, Indultorum, gratiarum, concessionum, investitutarum, tam emphyteuticarum, quam feudalium eisdem delinquentibus, seu contumacibus, suisque, ut præfertur, usque ad quartum gradum descendentibus quocumque titulo Apostolico, aut alio Ecclesiastico quomodolibet nunc, & pro tempore competen., & acquiren. pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurren. interdicimus, & prohibemus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 6. Quorum omnium, & singulorum tenorem, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, aut si prædictis, vel quibusvis aliis personis ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 7. Volumus autem, quod præsentes literæ, seu illarum exempla manu alicujus Notarii publici subscripta, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita, & ad valvas Ecclesiæ Ulyxibonen. affixa ita omnes arctent, & afficiant, ac si unicuique intimata fuissent.

Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 20. Junii 1625. Pontificatus Nostri Anno secundo.

V. Theat.

§. 8. Nunc autem nos præmissa omnia, & singula a memorato Urbano prædecessore decreta, & ordinata perpetuo, atque inviolabiliter observari cupientes, motu simili, non ad cujusquam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, atque Apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas Urbani prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & innovamus, ac approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus.

Pontifex dict. Urbani VIII. literas, & omnia in eis contenta confirmat, & innovat.

§. 9. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus,

Mandat præsentes literas ex nullo capite, nullo-que prætextu posse impugnari.

gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, aliive quilibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, aut individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, vel facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes, & præinsertas literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse in omnibus, & per omnia observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 10. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Urbani prædecessoris literis decreta sunt non obstare, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in contrarium præmissorum in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Omnia obstantia præter expressa in dd. literis Urbani VIII. commemorat.

Eis specialiter, & amplissime derogat.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, vel extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ; utque pariter ipsæ præsentes literæ, seu earum transumpta, vel exempla hujusmodi ad valvas dictæ Ecclesiæ Ulyssiponen. affixæ, seu affixa ita omnes arctent, & afficiant, acsi unicuique personaliter intimatæ, seu intimata fuissent.

Transumptorum fides.

Affixio dd. literarū ad valvas Ecclesiæ Ulyssiponen. arctat omnes, ac si unicuiq; fuissent intimatæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Novemb. 1672. Pontificatus nostri Anno tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretar. Brevium in lib. 3. fol. 160.

Edit. 12. Nov. 1672. An. 3.

XXXIII.

Variæ Provisiones Pauli V. Gregorii XV., & Urbani VIII. ad consulendum indemnitati Notariorum Auditoris Cameræ cum erectione centum, & undecim Officiorum vacabilium Militum Piorum quas hic Pontifex refert, & innovat, cum erectione aliorum quinquaginta quatuor similium Officiorum.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium pro commodo & utilitate Notariorum Auditoris Cameræ.

ROmanus Pontifex in supremo Dignitatis Apostolicæ culmine Divina disponente Clementia constitutus, illud in primis paternis, & in nullo intermissis studiis curare, & excogitare consuevit, ut nimirum suis, & futuris temporibus non solum Cameræ, & Sedis Apostolicæ Officialium potissime pro tempore existentis Auditoris ejusdem Cameræ Notariorum quantum potest obvietur, immo vero illorum utilitati, & commodis prospere consulatur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Paulus V. refert eo tunc Collegium Notariorum, Auditoris Cam., seu majorem eorum partem esse ære alieno gravatam, prout in rub.

§. 1. Alias per fel. rec. Paulum PP. V. prædecessorem nostrum accepto, quod Collegium Notariorum Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, seu saltem major pars eorundem Notariorum, Officia, seu eorundem titulum alienis pecuniis emerant, & acquisiverant, & exinde Notarii ipsi gravibus inter usuriis gravati erant, & licet ipsi ratione officiorum suorum hujusmodi plura, & diversa emolumenta ab ipsis Officiis dependentia, & præcipue ex Massa communi, quæ juxta ejusdem Collegii Constitutiones ex collectione, seu contributione certæ portionis emolumentorum ex universis expeditionibus, quæ in singulis ejusdem Collegii Officiis, ac Tribunali dicti Auditoris expediri consueverunt, provenientium ex quot annis ad summam septem millium, & octingentorum scutorum monetæ ascendentium componebatur, & ex qua detractis quibusdam oneribus tunc expressis eidem Collegio quot annis summa quatuor millium, & quadringentorum, & sexaginta trium scutorum similium inter singulos ejusdem Collegii Notarios æquis portionibus repartienda, & distribuenda remanere solita erat, haberent, ac propterea ex residuis aliorum Officiorum suorum emolumentorum, quæ in ipsa Communi massa minime conferebantur, sed penes eorum singulos remanebant, aliam duodecim millium scutorum parium summam, vel circa aliunde ex quibusdam aliis expeditionibus in eorum singulorum Officiis expedire solitis perciperent; ipsi nihilominus ex interusuriis, & aliis oneribus, quæ dictis ratione suorum Officiorum hujusmodi tribui tenebantur ab ære alieno per eorum singulos contracto eximi, & liberari non poterant, immo potius eo crescente Officia præfata in grave eorum, familiarumque suarum detrimentum dimittere cogebantur.

Ad consulendum indemnitati dd. Notariorum erigit 100. Officia Militum Piorum.

§. 2. Idem prædecessor hisce rationibus adductus, ac eorundem Notariorum indemnitati consulere volens motu suo proprio centum officia Militum Piorum vendibilia, atque resignabilia, ac ad instar aliorum Officiorum Collegii Militum Piorum hujusmodi antea erectorum, & institutorum ad beneficium, utilitatem, & commodum præfatæ Cameræ perpetuo vacabilia ejusdem naturæ, speciei, essentiæ, & qualitatis, quorum antiqua Militum

Piorum Officia existebant, cum eorum emolumentis, & massa eis ex emolumentis, & redditibus Collegii præfati proportionabiliter assignanda perpetuo erexit, & instituit, illaque sic erecta, & instituta antiquo Militum Piorum præfatorum Collegio sub certis modo, & forma tunc expressis perpetuo aggregavit, & incorporavit.

Ea unit Collegio Militum Piorum antea erecto sub certis modo, & forma.

§. 3. Ac illis sic erectis, & institutis pro eorum dote, seu massa, emolumentis, ac Juribus summam annuam quinque milium, & quadringentorum scutorum monetæ certis ex tunc expressis modo, & forma, ut infra liberas, immunes, & exemptas ex emolumentis expeditionum inter ipsos Notarios ratione Massæ eorum Collegii repartiendorum, & dividendorum, & quæ in cumulo dictæ Massæ aliis antiquis oneribus superius expressis, detractis supererant, & aliis emolumentis de novo conferri solitis, sed eisdem Notariis, ut præfertur, & alias quomodocumque remanentibus prævia, perpetua dictæ summæ ab aliis ejusdem Collegii Notariorum emolumentis dismembratione, atque separatione etiam perpetuo sub quoque tunc expressis modo, & forma assignavit.

Dotem assignat.

§. 4. Voluitque idem Prædecessor pro potiori Militum Piorum, eorumque Collegii hujusmodi cautela, quod singuli tunc existentes dicti Collegii Notarii, tam quam suorum in eorum Officiis successorum nominibus præmissis omnibus, & singulis expresse non consentire, nec non tam illi, quam successores præfati ex Massa, ac aliis redditibus, proventibus, emolumentis, ac juribus præfatis singulis mensibus, & in fine cujuslibet mensis præfato Militum Piorum Collegio, aut eorum Depositario menstruatim summam quadringentorum, & quinquaginta scutorum monetæ pro rata dictorum centum Officiorum, tunc erectorum assignatorum realiter, & cum effectu persolvere, seu contribuere.

Emolumenta expeditionum dd. Notariis assignat.

§. 5. Ac pro illorum faciliori solutione præfato Piorum Militum Collegio, & illius Depositario facienda, cautionem, seu cedulam Bancariam alicujus Mercatoris, fide, & facultatibus idonei ad quinquennium duraturam, & de quinquennio in quinquennium perpetuo renovandam præstare, ac seipsos, & quemlibet eorum in solidum, ita quod unus pro alio, etiam in solidum obligati essent, eorumque Collegium, ipsiusque Collegii, & eorum Officiorum præfatorum emolumenta, ac Jura omnia, & singula tunc expressa, ac reliqua omnia tunc existentia, & futura, tam conjunctim quam divisim principaliter, & quilibet eorum in solidum de sum. hujusmodi præscriptis temporibus persolvenda, & cum effectu Depositario Collegii Militum Piorum hujusmodi consignanda in amplissima, & strictissima Cameræ Apostolicæ, & alia quacunque valida Juris forma obligare, & respective hypotecare tenerentur.

Obligat Notarios, eorumque Successores id. Collegio novorum Militum Piorum menstruatim summam sc. 450.

§. 6. Ita etiam quod tempore solutionis transacto, manu Regia unica citatione, & domi dimissa copia facta vel per affixionem in Acie Campi Floræ affixa executione realiter, & personaliter pro omnibus, & singulis in literis desuper expeditis contentis, cum effectu adimplendi cogi, compelli possent, & deberent, obligationesque, & hypothecas, quæ ipsos Notarios donec viverent, & Officia Notariatus hujusmodi obtinerent, eorumque in dictis officiis Notariatus successores pari modo, & forma obligarent, & afficerent, conficere tenerentur.

Varias cautelas assignat pro faciliori illorum solutione.

§. 7. Quodque de cætero omnes, & singuli de hujusmodi Notariatuum Officiis per cessum, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, seu privationem illos pro tempore obtinentium, seu alias quomodolibet vacaturis providendi, antequam ad Officia hujusmodi admitterentur, & reciperentur, seu in actu illorum receptionis, & admissionis, modo, & forma superius expressis, præmissa omnia promittere, & ad illa observanda se se obligare, simulque obligationes conficere, ipsique, & Notarii tunc existentes, se ipsos, & unumquemque eorum ex Massa, & emolumentis præfatis percipiendis, & exigendis pecuniarias summas eorum Mensario pro tempore existenti sub excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrendæ pœna, rationem reddere omnino deberent, & tenerentur, prout idem prædecessor eosdem Notarios, eorumque singulos, ac etiam ipsorum in præfatis Officiis successores, ac præfatum eorum Collegium, dictique Collegii emolumenta, redditus, proventus, & jura pro omnibus, & singulis præmissis in simili forma Cameræ, in solidum obligare, & respective hypothecare teneri decrevit obligatione hujusmodi, donec dicti Notarii tunc, & pro tempore existentes viverent, & officia præfata obtinerent, & non ultra respective duratura, præterquam quod ad summas decursas, & alias obligationes purificatas, tempore, quo officia Notariatus hujusmodi obtinerent pro quibus idem prædecessor eos, ut præfertur obligatos semper remanere, præfatosque Notarios nonaginta ex dictis centum officiis inter decem, eosdem Notarios tum præsentes dividere, ita quod cuilibet ipsorum novem officia tangerent, quæ in illa prima vacatione tantum ad eorum liberam dispositionem, quo ad pretia dumtaxat pertinerent.

Tempore solutionis transacto decernitur manus Regia.

§. 8. Quodque integrum pretium ex venditione, & resignatione nonaginta officiorum ante dictorum Militum Piorum, ut supra erectorum ad instar aliorum per Datariam Apostolicam expediendorum proventurum tantum de prima vice penes personas fide, & facultatibus idoneas per eosdem Notarios eligendas, vel in Banco Archihospitalis S. Spiritus in Saxia prout eisdem Notariis videretur ad effectum illud tam iis, qui præfata Notariorum officia cum alienis pecuniis, ut præmittitur emerant, ad hoc, ut ipsi Notarii pretio, & interusuriis, quibus gravabantur pro præfata summa sublevarentur, quam iis, qui eorum officia libera haberent pro rata eorum pretii consignandi deponi debere.

Transfert obligationes, & hypothecas in Notarios successores.

§. 9. Cæterum idem prædecessor voluit, quod si quondam Dominicus Amadeus unus ex præfatis Notariis tunc superstes nollet pro sua rata uti hujusmodi gratia, sicque officia Militum Piorum sibi obtingentia recipere recusaret, tunc & eo casu reliqui novem Notarii deberent ea inter se repartiri cum simili tamen obligatione in solidum facienda, quod illi eidem Dominico, vel cuicumque successori intra tempus duorum mensium a die, qua Dominicus, & illius in suo officio successores requisivissent, ut sibi illa consignarentur inchoandorum tradere, vacante vero ipsius Dominici Notariatus officio per ejusdem Dominici cessum, vel decessum, privationem, dimissionem, vel amissionem tunc, & ejus successor se obligare, & partes officiorum Militum Piorum hujusmodi prout reliqui tunc existentes Notarii fecerunt recipere tenerentur.

Quid statuit in casu quo ex dd. Notariis ratam sibi obtingentem dd. Officiorum Militum recipere recusasset.

§. 10. Et subinde, cum piæ memor. Gregorius Papa XV. etiam prædecessor noster similiter accepisset, quod dictus Dominicus gratia, ut præfertur ei facta uti nolle declaraverat, immo etiam illi cesserat, & renunciaverat, ac pro se, suisque in dicto Notariatus officio successoribus præfatis officia Militum Piorum ipsum tangentia acceptare recusaverat, ut illa inter reliquos Notarios præfatos denuo libere repartiri possent coram Notario, & Testibus consenserat.

D. Notarius huic gratiæ renunciat.

§. 11. Ipse Gregorius prædecessor cessionem, & renunciationem hujusmodi admittendo, nec non quamcumque obligationem per alios Notarios præfatos de officiis Militum Piorum hujusmodi Dominicum, ac successores suos præfatos tangentibus ipsi, vel successoribus suis præfatis factam, seu faciendam uti ab illis requisiti fuissent cassando, & penitus abolendo Motu suo proprio reliquis ejusdem Collegii Notariis, & ut præfata officia

Gregor. XV. hanc renunciationem admittit, & debet obligationem ab aliis Notariis assumptam de illi restituendo pretium 9. Officiorum Militum Piorum.

Omnes dicti Notarii in actu eorum admissionis, seu receptionis ad quid se obligare, & promittere teneantur.

Eorum obligatio durare debeat quousque durat in eis Notariatus Officium.

Singulis Notariis novem dd. Officia Militum assignat, eorumque pretium in 1. vacatione cõtingens ad ipsorum liberam dispositionem relinquit.

Pretium dd. Officiorum apud quem sit deponendum, & quomodo erogandum.

circumscripta obligatione per eos ad favorem Dominici, & successorum præfatorum juxta literarum Pauli prædecessoris hujusmodi formam facta, seu facienda superiori eorum obligatione quoad reliqua in dictis literis contenta firma remanente repartiri, & de eis ad instar aliorum inter eos prius repartitorum, seu repartiendorum non secus, quam si decretum posterioris obligationis præfatæ ad favorem Dominici, & ejus successorum præfatis literis appositum non fuisset, libere disponere possent, & valeant Apostolica auctoritate concessit, & indulsit, eisque plenam, & absolutam auctoritatem, & facultatem desuper impertitus est, declarans etiam quod D. Dominicus, & ejus successores præfati se obligare & officia ipsos tangentia recipere non tenerentur, quodque emolumenta, ac redditus, & proventus, necnon jura officii Dominici, & ejus successorum præfatorum pro præfatis centum officiis Militum Piorum obligata, & hypothecata remanerent.

In reliquis confirmat literas d. Pauli V.

§. 12. Postmodum vero per recolendæ memoriæ Urbanum Papam VIII., etiam prædecessorem nostrum pariter accepto reliquos novem Notarios præfatos vigore ejusdem Gregorii prædecessoris facultatis sibi concessæ centum officia præfata inter se divisisse, præfataque onera supportasse, ac omnia, & singula in Pauli & Gregorii prædecessorum præfatorum literis contenta adimplevisse, eundemque Dominicum ab humanis decessisse.

dd. novem Officia Militum indulget a cæteris Notariis A. C. inter se dividi posse.

§. 13. Idem Urbanus prædecessor officium præfatum per obitum Dominici prædicti vacans quondam Adriano Gallo, tunc in humanis agenti Apostolica auctoritate concessit, sed cum ejusdem Notariatus officii pretium summam undecim millium septingentorum scutorum monetæ longe excederet, præfatusque Adrianus præter traditionem undecim millium septingentorum scutorum hujusmodi Datariæ Apostolicæ in pecunia numerata solutorum ad ejusdem pretii complementum per Acta Ruffini Plebani Cameræ præfatæ, tunc Notarii pro solutione fructuum undecim officiorum Militum Piorum modo, & forma superius expressis facienda, se ac suos in eodem suo Notariatus officio successores in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligasset.

D. Notariũ renunciantem a contractis obligationibus aliorum.

Urban. VIII. refert dd. novem Notarios A. C. eorum Officia Militum Piorum inter se divisisse, & omnia onera in dd. Pauli V., & Gregor. XV. contenta adimplesse.

§. 14. Alia undecim Officia Militum Piorum vendibilia, & resignabilia ad instar aliorum centum Officiorum Militum Piorum hujusmodi per Paulum prædecessorem erectorum Motu pari perpetuo erexit, & instituit, ac illis sic erectis, & institutis pro eorum dote, seu Massa, emolumentis, ac Juribus eamdem pecuniariam summam, seu quantitatem per unumquemque ex Notariis præfatis ratione partis aliorum similium Officiorum solvi, & ex eisdem emolumentis, ex quibus fructus aliorum centum officiorum præfatorum persolvuntur, & præfato Dominico dum in humanis ageret, ac præfatum Notariatus Officium obtineret præstari solitam, prævia perpetua præfatæ summæ a præfati Collegii Notariorum Massa, divisione, separatione, dismembratione, ac segregatione eidem Collegio Militum Piorum, & ejus Massa communi assignavit, & applicavit, illaque sic erecta, & instituta præfato Collegio Militum Piorum hujusmodi univit, & incorporavit, præfatumque Adrianum ad solutionem fructuum centum, & undecim Officiorum Militum Piorum, una cum aliis novem officiis, Notariis, ut supra faciendam se, & suos in dicto suo Officio Successores modo, & forma supradictis obligari, & teneri voluit, & mandavit prout in Pauli, & Gregorii literis desuper expeditis, ac Urbani Prædecessorum præfatorum Motus proprii Cedula manu sua signata plenius continetur.

Urbanus VIII. Notariatus Officium A. C. tunc vacans confert.

Refertur pretium ejusdem Notariatus.

Novus Notarius se obligat ad onera ejusdem Officii prout in rubrica.

Idem Pontifex erigit alia undecim Officia Militum Piorum.

His dotem assignat ex Massa Collegii Notariorum A. C.

§. 15. Cum autem sicut accepimus dilecti Filii Thomas Palutius, Hieronymus Simoncellus, Joannes Baptista Angeluccius, Marcus Atilius Monaldus, Antonius Felix Petrochius, Joseph Fecchius, Laurentius Belcus, Nicolaus Florellus, & Nicolaus Mazzeschius Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ præfati Notarii, seu saltem major eorum pars onerosis interusuriis Officia præfata obtineant; quamobrem nos ut eorumdem Notariorum indemnitati consulere, eisque, & ab ipsis, & majoribus interusuriis eximi, & liberari possint in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Dicta undecim Officia Militum Piorum antiquo Collegio unit.

Mandat novo Notario aliisque ejusdem A. C. solutionem iis Officiorum Militum Piorum teneri prout Paulus V. & Gregor. demandaverant.

§. 16. Nos igitur eosdem amplioris gratiæ favore prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac pœnis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Absolutio à Censuris.

§. 17. Motu proprio, & non ad alicujus instantiam, sed ex nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quinquaginta quatuor Officia Militum Piorum vendibilia, & resignabilia ad instar dictorum centum, & undecim, per Paulum, & Urbanum præfatos, & aliorum Officiorum Militum Piorum hujusmodi antea per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & forsan, etiam per Nos erectorum, & institutorum ad beneficium, utilitatem, & commodum Datariæ, seu Cameræ Nostræ perpetuo vacabilia ejusdem naturæ, speciei, essentiæ, & qualitatis, quorum antiqua Officia hujusmodi alias etiam ab initio erectionis Collegii Militum Piorum hujusmodi erecta fuerunt, ac ita, & taliter quod qui illa pro tempore obtinebunt omnibus, & singulis, ac quibuscumque Privilegiis, Immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, honoribus, favoribus, præeminentiis, indultis, concessionibus, aliisque gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus hi, qui cætera antiqua Officia hujusmodi obtinent, & pro tempore obtinebunt de Jure, usu, stylo, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, aut uti, frui, potiri, & gaudere possent, & potuerunt quomodolibet in futurum non solum ad instar dictorum Officiorum jam ut præfertur erectorum, sed pariformiter, & æque principaliter, ac absque ulla prorsus differentia in omnibus, & per omnia, gaudeant, utantur, & fruantur, ac gaudere, uti, & frui possint, & valeant.

Pontifex alia 54. Officia Militum Piorum ad instar aliorum tertio erigit.

Mandat esse ejusdem naturæ & essentiæ cum antiquis Officiis.

Eis communicat omnia Indulta, & gratias tam spirituales, quam temporales quibus gaudent cætera Officia.

§. 18. Ita tamen quod hujusmodi quinquaginta quatuor Officia de novo erigenda cum aliis antiquis Officiis, & eorum emolumentis, officiis, ac Massa, ut infra confundantur, & etiam, ut infra de redditibus, proventibus, emolumentis, ac Juribus Collegii Militum Piorum participent perpetuo erigimus, & instituimus, illaque sic erecta, & instituta præfato Collegio Militum Piorum, etiam si illorum numerus a primæva Collegii præfati erectione, seu alias forsan quomodolibet præscriptis existat, ac in ipsa erectione, vel alias forsan expresse caveatur quod amplius augeri non possit, etiam perpetuo aggregamus, unimus, annectimus, & incorporamus, itaut quinquaginta quatuor Officia præfata cum aliis antea erectis faciant unicum corpus in confuso, & inter ipsa, & quinquaginta quatuor Officia hujusmodi nulla adsit differentia, perinde ac si omnia simul erecta fuissent.

Cum antiquis emolumentis, & Massa confundi mandat.

Antiquo Collegio unit etiamsi illius numerus augeri non possit.

Faciunt unicum corpus.

§. 19. Dictisque quinquaginta quatuor Officiis sic novissime erectis, & institutis pro eorum congrua dote, seu Massa, emolumentis, ac juribus annuam summam duorum millium noningentorum sexdecim scutorum Monetæ ab omni, & quocumque onere ordinario, ac extraordinario præsenti, & futuro prorsus liberam, immunem, & exemptam ex emolumentis expeditionum inter ipsos Notarios ratione Massæ eorum Collegii distribuendis, necnon portionibus dictam Massam non ingredientibus, sed penes eosdem Notarios, ut supra, & alias quomodolibet remanentibus,

Dotem annuam assignat sc. 2916. ex Massa Notariorum A. C. tam distribuenda quam apud ipsos Notarios remanente.

Preces No-

rega-

regalibus, instrumentis publicis, exterisque processibus, regiſtris, extractis, aliisque scripturis in actis percipi solitis provenientem singulis annis assignamus, atque assignata esse volumus.

§. 20. Dictamque duorum millium noningentorum sexdecim scutorum hujusmodi summam sic assignatam ab hujusmodi, & quacumque alia Massa, redditibus, regalibus, Instrumentis, Processibus, regiſtris, extractis, aliisque scripturis præfatis dividimus, separamus, dismembramus, & segregamus, ac divisam, separatam, dismembratam, & segregatam esse volumus, & decernimus, eamque sic separatam, & dismembratam, eidem Collegio Militum Piorum, & ejus Massæ communi Motu simili perpetuo applicamus, & pariter annectimus, & incorporamus.

D. summam annuam à qualibet alia Massa dismembrat, & applicat Massæ dicti Collegii Militum Piorum.

§. 21. Adeo quod præfati Milites Pii, & pro eis modernus, & pro tempore existens eorum Depositarius ratam partem, præfatique summæ per Nos sic assignatæ quolibet mense sicut alii Notarii præfati eidem Depositario in fine cujuslibet mensis prout de reliquis redditibus Collegii quolibet mense fieri solet solvendam exigere, percipere, & levare, ac inter se ipsos dividere, necnon in eorum usu, & utilitate convertere libere, & licite possint, & valeant, itidem decernimus, & mandamus.

Modernus depositarius ratam d. summæ quolibet mense ab eisdem Notariis exigere valet, sicut de aliis Officiis exigi solet.

§. 22. Volentes etiam pro potiori Militum Piorum, eorumque Collegii hujusmodi cautela, & securitate, & ut ipsis amplius consulatur, quod dicti Notarii etiam nomine suorum in dictis suis Notariatuum Officiis Successorum dismembratione, & incorporatione, aliisque præmissis omnibus, & singulis expresse consentire, ac summam, ipsos, & quemlibet ipsorum tangentem realiter, & cum effectu persolvere, & exbursare, ac alia, ad quæ Notarii præfati ex serie Literarum Pauli, & Gregorii, necnon Urbani prædecessorum præfatorum cedulæ Motus proprii, vel alias quomodolibet tenentur, & quoad præstationem cedulæ Bancariæ ad quinquennium, & illius renovationem facere, præstare, atque adimplere, ficque in solidum, ita, quod unus suo alio etiam in solidum obligatus remaneat, obligare teneantur, prout nos ex nunc, pro tunc, in solidum in ampliori forma Cameræ Apostolicæ pariter obligamus obligatione hujusmodi, donec dicti Notarii, tam præsentes, quam futuri vixerint, & Officia Notariatuum præfatorum obtinuerint, & non ultra respective duratura præterquam ad summas decursas, & alias obligationes purificatas tempore, quo Officia Notariatuum hujusmodi obtinebunt, immo quibus volumus eos, ut præmittitur obligatos semper remanere.

Mandat Notariis, præmissis omnibus consentire, & ad ea se obligare, & alia prout continentur in literis dd. Pauli V. Gregorii XV., & Urbani VIII.

Cedula Bancaria de quinquennio in quinquennium reservanda.

§. 23. Ita quod tempore solutionis transacto, Manu Regia unica tantum citatione, etiam domi dimissa copia, vel per affixionem in Acie Campi Floræ intimata, vel affixa, executionem realiter, & personaliter pro omnibus, & singulis in Literis Pauli, & Gregorii, necnon Urbani prædecessorum hujusmodi cedulæ motus proprii contentis cum effectu adimplendis per opportuna Juris, & facti remedia cogi, & compelli possint, & valeant.

Decernitur manus Regia.

§. 24. Cæterum cum Franciscus Serantonius unus ex Notariis præfati Collegii, qui in hujusmodi nostra gratia non est comprehensus, ut indemnitati dictorum Notariorum, etiam cautum, & consultum existat, volumus, statuimus, & mandamus, ut quinquaginta quatuor Officia Militum Piorum per nos sic erecta hujusmodi inter novem Notarios præfatos dividantur, ita quod cuilibet ipsorum sex Officia tangant, quæ in hac prima vatione tantum ad eorum liberam dispositionem quo ad pretium ex quinquaginta quatuor Officiorum præfatorum venditione retrahendum, & deinde ad Datariam nostram pertineat.

Pretium dd. §4. Officiorum Militum Piorum pro prima vice inter novem Notarios A. C. est dividendum, & deinde pertineat ad Datariam.

§. 25. Præfatique novem Notarii debeant pretium præfatum ex quinquaginta quatuor Officiorum sic erectorum venditione percipiendum, in Monte Pietatis Almæ Urbis nostræ, seu in Banco Archihospitalis S. Spiritus in Saxia in eadem Urbe erecto pro eisdem Notariis videbitur reponere ad effectum illud in extinctionem æris alieni per ipsos, & eorum singulos super eorum Notariatuum Officiis reservatione de communi, seu debitorum respective contractorum erogandi.

Pretium supradictum est deponendum, & respective erogandum in extinctione debitorum per ipsos Notarios contractorum.

§. 26. Volumus autem quod Notarii præfati quadriennio transacto singulis annis in fine cujuslibet anni, etiam teneantur, & debeant deponere in præfato Monte, aut Baneo S. Spiritus ad creditum Datariæ nostræ pretium unius ex quinquaginta quatuor Officiis per eos in eorumdem Officiorum venditione perceptum, quo temporis processu, neque minui, neque augeri possit, factoque deposito pretii primum Officii militum pii totius corporis eorumdem militum quod vacare contigerit ad favorem Datariæ Apostolicæ suppressum censeatur, eo ipso, & ubi suppressum prout ex nunc supprimimus per Officiales componendarum, suppressio hujusmodi in Officiorum nostræ Datariæ adnotari mandamus, ut idem singulis annis observetur donec quinquaginta quatuor ex præfatis Officiis primo vacatura totaliter suppressa remaneat, ac Officia Notariatuum præfata in solutione fructuum pro Officiis, ut præmittitur, suppressis proportionabiliter liberata existant.

Elapso quadriennio mandat Notarios deponere pretium unius ex dd. §4. Officiis ad Creditum Datariæ singulis annis.

Facto deposito primum Officium primò vacaturum censeatur eo ipso suppressum.

Idem quot annis servetur donec dd. §4. Officia Militum Piorum suppressa remaneat.

Obstantia tollit.

§. 27. Decernentes easdem præsentes, etiam quod forsan præfati Notarii, vel aliqui eorum ac alii quicunque de quorum interesse quomodolibet agitur præmissis non consenserint, seu consentire recusaverint, & recusent, & seu alio quovis defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut ad viam, & terminos Juris reduci, vel in Jus, & controversiam vocari, aut adversus eas aperitionem oris, & beneficium restitutionis in integrum, seu reductionis ad viam Juris ex quocunque capite, & defectu etiam enormissimæ læsionis, ac evidentis utilitatis, aut quocunque alio titulo, ratione, & Causa, seu aliud quodcumque Juris, & facti, vel Justitiæ, ac gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus unquam posse, sed eas ab omnibus, & singulis, quos concernunt, & concernent quomodolibet in futurum firmiter, & inviolabiliter modis, & formis præfatis observari debere sic, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem Auditorem, necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, & irritum decernimus, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 28. Non obstantibus præmissis, necnon Collegii præfatorum Notariorum a fel. rec. Pii Papæ IV., aliisque Constitutionibus, necnon Cancellariæ nostræ regulis, etiam de Jure quæsito non tollendo, & de gratiis ad instar non concedendis, dictorumque Collegiorum Militum Piorum, & Notariorum, ac Auditoris præfati respective, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Notariorum, & Militum Piorum Collegiis, aliisque Superioribus, & personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore

Derogat contrariis.

Etiam Juramento munitis, & specialem individuamque mentionem requirentibus.

Sanctio pœnalis.

bore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse harum serie motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, aggregationis, unionis, annexionis, incorporationis, assignationis, divisionis, reparationis, dismembrationis, segregationis, applicationis, decreti, mandati, statuti, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Edit. 23. Decembris 1672.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1672. decimo Kalendas Januarii, Pont. anno Tertio.

XXXIV.

Indulgentia centum dierum pro Confratribus, & Consororibus Archiconfraternitatis SSmi Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de Urbe, & pro quibuscumque Confraternitatibus sub eodem titulo erectis, & erigendis toties, quoties Fideles defunctos ad sepulturam comitati fuerint.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex motivo Charitatis & pietatis.

EX commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere Christifideles ad Christianæ charitatis, atque pietatis opera specialium gratiarum donis incitare cupientes, ac supplicationibus dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Archiconfraternitatis SSmi Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de Urbe canonice erectæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus, tam præfatæ Archiconfraternitatis, quam quarumvis Confraternitatum sub eodem titulo, seu denominatione Sanctiss. Corporis Christi ubicumque locorum canonice hactenus erectarum, & institutarum, ac in futurum quandocumque ex vi Decreti Congregationis Indulgentiis præpositæ de mandato fel. rec. pauli PP. V. prædecessoris Nostri die 16. Februarii 1608. emanati itidem canonice erigendarum, & instituendarum, qui, & quæ cadavera Christifidelium defunctorum, dum ad sepulturam deferuntur devote comitati fuerint, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia 100. dierum Confratribus, & Consororibus SS. Corporis Christi comitantibus defunctos ad sepulturam.

Transumptorum fides.

§. 1. Volumus autem, ut earundem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 14. Jan. 1673. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 14. Jan. 1673. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretar. in lib. 3. Brevium diversorum fol. 457.

XXXV.

Prohibitio ne quisquam etiam Regularis, & individua mentione dignus, sine licentia in scriptis Congregationis de Propaganda Fide, quam in operis initio imprimere teneatur, edat libros, & scripta per se, vel alium in quibus agatur de Missionibus, vel de rebus ad ipsas pertinentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici reservata, privationis Officii, ac vocis activæ, & passivæ, & operum suppressionis ipso facto incurren.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a tollendis abusibus.

CReditæ Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut si quos in Ecclesia Dei abusus pullulare, atque invalescere noscamus, eos opportunæ sanctionis sarculo recidere, atque è medio tollere studeamus.

S. Congreg. de Propaganda Fide vetuit posse typis evulgari libros in quibus aliquo pacto ageretur de Missionibus.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) licet alias Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium justis de causis vetuisset, ne quis sine ipsius licentia typis evulgaret libros, & scripta, in quibus aliquo pacto de Missionibus ageretur; nihilominus multi, vel ignari quid eadem Congregatio decreverit, vel temere Decretum ejus transgredientes, scripta edant, & libros sæpe falsa, & inepta continentes, non sine piorum, & doctorum hominum offensione: Nos his, aliisque gravibus causis adducti, de memoratorum Cardinalium consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ne quis cujuscumque status, gradus, & conditionis etiam Regularis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam JESU, licet is esset, de quo specifica, & individua mentio facienda foret, sine licentia in scriptis Congregationis eorumdem Cardinalium, quam in operis initio imprimere teneatur, libros, & scripta, in quibus de Missionibus, vel de rebus ad Missiones pertinentibus agatur, per se, vel per alium edat sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo à quoquam præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ac privationis officii, & vocis activæ, & passivæ, necnon operum suppressionis pœnis ipso facto incurrendis.

Pontifex iterum prohibet ne ullus Regularis libros edat de Missionibus, vel de rebus ad Missiones pertinentibus.

Statuuntur pœnæ adversus contravenientes.

§. 2. Hoc autem denunciari volumus omnibus, & singulis Superioribus Generalibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam JESU, qui sub eisdem pœnis, ut ipsi præsentes literas servent, & à subditis suis curent omnino servari; ac præcipimus, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut quolibet anno teneantur superiores præfati easdem præsentes literas, sive earum tenorem in capitulis legere, seu legi curare, ne aliquis sub prætextu ignorantiæ se excusare possit.

Mandat Regularibus, ut hoc decretum quolibet anno in Capitulis legant.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullo modo posse: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institu-

Contrariis derogat.

torum,

torum, & Societatum, etiam Jesu, aliisve quibuscumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis præfatis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus etiam Jesu, illorumque Superioribus, & Personis, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, vel sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 6. April. 1673. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1673. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrat. in Secretar. Brevium in lib. Mensis Aprilis par. 1. fol. 59.

XXXVI. Commissio Episcopo Majoricen. super erectione Studii dictæ Civitatis in publicam Universitatem cum Indulto lauream Doctoratus conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, Privilegiis, & prærogativis, quibus Universitas Illerden. ex dispensatione Apostolica potitur, & gaudet.

VEN. FRATRI EPISC. MAJORICEN.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab expositione facti.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Consules, & Jurati istius Civitatis Majoricen., quod licet dicta Civitas ex præcipuis Regnorum Hispaniarum existat, in eaque studium generale, in quo Sacra Theologia, Sacri Canones, & Leges Civiles, Philosophia, aliæque scientiæ, & artes liberales à Præceptoribus Regularibus, & Secularibus docentur, jamdiu institutum, amplissimisque privilegiis à Regibus Hispaniarum Catholicis pro tempore existentibus decoratum reperiatur, nihilominus illi, qui literarum studiis ibidem operam navant pro consequendis Baccalaureatus, ac Licentiaturæ, & Doctoratus gradibus in regiones longinquas se conferre coguntur, cum Universitas vicinior inde ducentorum circiter milliarium intervallo distet, & quod gravius est, suscipiendæ sint navigationes periculosæ, maximaque dispendia subeunda: Unde studium præfatum parum frequentatur, & Incolæ Regni Majoricæ studiorum suorum præmiis destituti remanent.

Preces Hispaniarum Reginæ, Consulum &c.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes, ac dilecti pariter filii, Rectores & Scholares dicti Studii ipsis Rectoribus Collegialibus ejusdem studii pro tempore existentibus lauream Baccalaureatus, ac Licentiaturæ, & Doctoratus in Sacra Theologia, Sacris Canonibus, Legibus Civilibus, Medicina, & Philosophia illis Scholaribus, qui studiorum earumdem scientiarum cursum ibidem absolverint, prævio rigoroso examine conferendi facultatem a Nobis concedi, ipsosque Rectores, Lectores, & Scholares prærogativis, præeminentiis, Indultis, & favoribus, quibus Universitates studiorum generalium gaudent decorari plurimum desiderent: Nobis propterea etiam Charissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariannæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio à Censuris.

§. 2. Nos igitur ejusdem Mariannæ Reginæ votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac Exponentium Rectorum, & Scholarium præfatorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, præfatum Studium, quod in ipsa Civitate Majoricen. jam institutum reperitur in publicam Universitatem cum Indulto lauream Doctoratus, ac Baccalaureatus, & Licentiaturæ gradum conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, privilegiis, & prærogativis, quibus Universitas Illerden. ex dispensatione Apostolica potitur, & gaudet auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & prudentia erigas; Ita tamen ut certas determinatas conditiones tibi benevisas, Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus non adversantes statuere, ac præfinire debeas, ab iis, qui hujusmodi laureæ gradum consequi voluerint, religiose, & fideliter observandas: Nos enim tibi facultates desuper necessarias, & opportunas eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impartimur, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Committit Episcopo Majoricen. ut d. Studium in publicam Universitatem erigat cum Indulto lauream Doctoratus &c. conferendi cum omnibus aliis Juribus, & privilegiis quibus gaudet Universitas Illerden.

Eidem committit præfinire certas conditiones fideliter observandas ab iis, qui hujusmodi laureæ gradum consequi voluerint.

Præservat auctoritatem S. Congregationis Episc. & Regular.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 17. Apr. 1673. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. April. 1673. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in libr. Mensis Aprilis par. 1. fol. 416.

XXXVII. Extensio, & declaratio Brevis circa Confraternitates sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum erectas, & erigendas, & alia nuper emanata, ad Confraternitates à Ministro Generali, & Procuratore Generali Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum dict. Ordinis erectas, & erigen. cum omnibus clausulis, concessionibus, & Decretis expressis in d. Brevi.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex confirmavit certas Indulgentias, quas Paulus V. concessit Confraternitatibus SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

ALias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Petri Mercier Ministri Generalis, & Dominici Tafuri in Romana Curia Procuratoris Ceneralis Ordin. Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati certas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis dudum à fel. rec. Paulo PP. V. prædecessore Nostro concessas, ac desuper emanatas ipsius Pauli prædecessoris literas auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus, necnon earumdem Confraternitatum, tam erectarum, quam erigendarum Confratribus, & Consororibus certa tunc præscripta pietatis opera peragentibus, nonnullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes dicta auctoritate concessimus.

Alias præter sic confirmatas revocasse.

§. 1. Alias verò Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, si quæ præter sic confirmatas, & de novo concessas Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ essent, aut quomodolibet prætenderunt, eadem auctoritate perpetuo revocavimus, & annullavimus. Præterea præfatis Petro, & Dominico, ac pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori Generali d. Ordinis, ejusmodi Confraternitates ubi vis locorum erigendi, & instituendi, illisque præfatas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, servata tamen cæteroqui Constitut. rec. mem. Clementis PP. VIII., prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ forma communicandi facultatem impertiti fumus. Ac novam formulam in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque certis anni diebus Fratribus d. Ordinis in eorum Ecclesiis fieri solet, de cetero servandam præscripsimus, & alias prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, tenoris qui sequitur, videlicet.

Refert Ministro Generali, & Procuratori Generali Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum facultatem dedisse erigendi dd. Confraternitates eisque præfatas Indulgentias communicandi.

Refert præscripsisse novam formulam in communicatione dictarum Indulgentiarũ servandam.

Tenor literarum Pontificis.

§. 2. Clemens PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injunctæ Nobis cœlitus dispensationis munere, spiritualium gratiarum largitiones, ad excitandam, fovendamque Christifidelium pietatem a Romanis Pontificibus pia, prudentique liberalitate factas, ut firmius subsistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio libenter roboramus, easque etiam pari Pontificiæ charitatis benignitate interdum ampliamus, & alia desuper ordinamus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Christiani populi ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor Noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati, & Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cætero fruerentur, duxerat præscribendas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis, illarumque Confratribus, & Consororibus eatenus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos concessas, revocans, & nullius roboris, & momenti fore declarans omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui Confraternitates sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubi vis locorum tam eatenus canonice institutas, quam deinceps instituendas imposterum ingrederentur, & habitum, sive scapularium Religionis benedictum de manu alicujus Superioris ejusdem Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, sine alicujus voti emissione suscepissent, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent plenariam; Ac tam ipsis tunc, & pro tempore describendis, quam jam descriptis d. Confraternitatibus, & Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere pœnitentes, & confessi, Sacraque Communione refecti, & Scapularium d. Ordinis deferentes, nomen JESU ore si possent, sin minus, corde devote invocarent, etiam plenariam.

§. 3. Necnon eisdem Confratribus, & Consororibus, qui similiter vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti die Festo SS. Trinitatis, Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria d. Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oravissent, plenariam similiter; Eisdem etiam Confratribus, & Consororibus, qui pro Captivorum redemptione facienda ad partes Infidelium proficiscuntur, si ante discussum vere pœnitentes, & confessi idem SS. Eucharistiæ Srcramentum suscepissent, plenariam pariter; Necnon ipsimet Captivis Redemptis, si idem post reditum intra Mensem egissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

§. 4. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictum habitum, sive Scapularium benedictum cum signo Redemptionis nostræ pio cordis affectu gestarent, & semel in die sexies Orationem Dominicam cum versiculo Gloria Patri &c., & totidem vicibus salutationem Angelicam cum eodem versiculo pro pace Christianorum Principum, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, & hæresum extirpatione recitarent septem annos, & totidem quadragenas: Qui vero in Festis Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Agnetis secundo, in quo die dictus Ordo nutu divino fuit institutus, Ordinis, vel Confraternitatum prædictarum Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria visitassent, & ibi ut præfertur oravissent septem annos, & totidem quadragenas; Necnon etiam ipsis Confratribus, & Consororibus, qui una cujuslibet Mensis Dominica die à Superioribus dicti Ordinis præscribenda, in qua de Ordinarii licentia processio fieret, quam appellant Scapularii eidem processioni vere pœnitentes, & confessi interfuissent, septem annos, & totidem quadragenas.

§. 5. Ipsis similiter Confratribus, & Consororibus pia opera exercentibus tam spiritualia, quam temporalia in peccatorum suorum remissionem, pro Redemptione Captivorum a Turcarum, & aliorum infidelium servitute, septem annos, & totidem quadragenas; Illis verò utriusque sexus Confratribus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quotidie per annum recitavissent ter Orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutationem

nem Angelicam, & in fine semel versiculum Gloria Patri &c. cum versiculis, & responsoriis, ac oratione à prædictis Superioribus præscribendis, & oravissent pro iis, qui Captivi apud Turcas detinentur, ne nomen Salvatoris Nostri abnegent, sed fortes in fide Christi persistant, & quanto citius à servitute liberentur semel quotannis, & anni die quo mallent septem annos. Ac eisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictos Redemptos processionaliter recepissent, & ad Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium dicti Ordinis, vel Confraternitatis associavissent, si confessi essent, vel saltem confitendi propositum haberent dicto tempore septem annos, & totidem quadragenas; Ipsis quoque etiam utriusque sexus Confratribus, qui cum lumine, si possent, vel sine eo SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuissent, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effudissent, quinque annos, & totidem quadragenas; Necnon qui corpora defunctorum tam Confratrum & Consororum, quam aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associavissent, & pro eorum animabus oravissent centum dies.

§. 6. Quoties verò Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia, vel Cappella, seu Oratorio dictarum Confraternitatum celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis earumdem Confraternitatum interfuissent, aut pauperes hospitio suscepissent, vel quodcumque aliud pietatis, & charitatis opus exercuissent, toties pro quolibet prædictorum operum, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit.

§. 7. Præterea tunc, & pro tempore existenti Ministro Generali d. Ordinis, seu Generali ejus etiam Procuratori in Romana Curia commoranti, ut hujusmodi Confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptions Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes supradictas Indulgentias, servata tamen forma Constitutionis rec. mem. Clem. PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, communicare libere, & licite posset, & valeret auctoritate Apostol. facultatem concessit, & impertitus est.

§. 8. Ac postmodum idem Paulus prædecessor volens Confraternitates sub ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatæ Mariæ Virginis de Remedio nuncupatæ invocationibus in Ecclesiis Domorum Regularium Fratrum Ordinis præfati per Universum Orbem (ut asserebatur) canonice institutas, illarumque Confratres, & Consorores qui (sicut dictus Paulus prædecessor acceperat) in una Dominica cujuslibet Mensis solemnem processionem magna cum Populi frequentia peragere solebant, speciali dono decorare, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui processioni per easdem Confraternitates in una Dominica cujuslibet Mensis in Ecclesiis prædictis fieri solitæ devote interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent quoties id egissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in binis literis ipsius Pauli prædecessoris, unis die 6. Augusti 1608., & alteris die 6. Novembris 1620. respective in simili forma Brevis desuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, & quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 9. Cum autem sicut dilectus filius Petrus Mercier Minister Generalis, & Dominicus Tasuri in Romana Curia Procurator Generalis, dicti Ordinis Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt, super Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, quæ Confraternitatibus præfatis auctoritate Apostolica concessæ, seu communicatæ esse asserebantur, variæ in diversis mundi partibus exortæ sint controversiæ, quæ, & Christifideles magnopere perturbarunt, & gravibus scandalis causam dederunt; ut verò ejusmodi controversiis, atque scandalis ansa præcidatur, omnisque dubietatis tollatur occasio, iidem Petrus Minister Generalis, & Dominus Procurator Generalis plurimum cupiant opportune in præmissis a Nobis provideri.

§. 10. Nos ipsorum Petri Ministri Generalis, ac Dominici Procurat. Gener. Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas memoratus Paulus prædecessor Confraternitatibus tam erectis, quam erigendis præfatis, earumque Confratribus, & Consororibus, aliisque personis supradictis per binas suas literas præfatas sicut præmittitur concessit, ipsiusque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illasque eisdem Confraternitatibus, tam erectis, quam in futurum quandocumque erigendis, earumque Confratribus, & Consororibus de novo concedimus.

§. 11. Præterea eosdem Confratres, & Consorores ad pietatis, & Christianæ charitatis erga Christifideles, qui dura Turcarum, aliorumque Infidelium servitute opprimuntur, exercenda opera, uberiorum gratiarum spiritualium, quarum dispensationem Nobis commisit Deus elargitione incitare cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Canonice hactenus erectarum, & in futurum quandocumque erigendarum Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, vel suarum respective Confraternitatum Ecclesias, vel Oratoria in Nativitatis, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac S. Michaelis Archangeli, Sancti Clementis Papæ, & Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, & Nativitatis S. Joannis Baptistæ festis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, extirpatione hæresum, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon Captivorum præfatorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in Christianæ Religionis, Catholicæque fidei professione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 12. Illis vero, qui aliquam ejusdem Ordinis Ecclesiam, aut suarum respective Confraternitatum Ecclesias, seu Oratoria hujusmodi in diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis Nostræ,

prout in Missali Romano exprimuntur, pariter devote visitaverint, & ibidem sicut jam dictum est oraverint, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem Ecclesias Urbis in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitarent dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus.

§. 13. Cæterum alias omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, si quæ præter eas, quas ut præfertur confirmavimus, & de novo respective concessimus, Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ sint, aut quomodolibet prætendantur, auctoritate, & tenore præfatis perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris, & momenti esse, & fore decernimus, & declaramus. Ac tam præfatis Petro, & Dominico modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali Ordinis præfati, ut hujusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas suprad.ctas à Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem ullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicare libere, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata tamen cæteroqui præfatæ Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione, facultatem dicta auctoritate earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

§. 14. Porro in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque à Fratribus Ordinis præfati certis anni diebus in eorum Ecclesiis fieri solet, abrogata veteri formula, quæ dudum à tunc existente Romani Pontificis in Urbe præfato Vicario in spiritualibus generali composita, & per quoddam Decretum Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum in aliqua sui parte correcta fuit post Antiphonas, Versiculos, & Orationes ibidem expressas, de cætero servari volumus formulam infrascriptam videlicet -- *Dominum Nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas fel. rec. Paulus V., & ejus Successores Sum. Pontifices Ordini Nostro cum specifica facultate eas Confraternitatibus Nostris communicandi concesserunt juxta Privilegiorum Apostolicorum tenorem, ac Sanctæ Sed. Apostolicæ Decretorum dispositionem. Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

§. 15. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Februarii MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Preces Ministri Generalis, & Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

§. 18. Cum autem sicut dilecti pariter Filii Antonius a Conceptione Minister Generalis, & Philippus a Jesu in eadem Romana Curia Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum d. Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt Congregatio præfata, ejusque Superiores, & Fratres quicumque à Jurisdictione, & Superioritate Ministri Generalis, aliorumve quorumvis Superiorum Ordinis præfati Apostolica auctoritate perpetuo exempti reperiantur, ac ipsius Congregationis Minister Generalis, & in Romana Curia Procurator Generalis ejusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erigendi, illisque certas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicandi parem habeant ex Indulto Sedis Apostolicæ facultatem, & functio prædicta, quam communicationem Indulgentiarum vocant a Fratribus d. Congregationis Hispaniæ in eorum Ecclesiis pariformiter fieri soleat; Ipsi vero Antonius Minister Generalis, & Philippus Procurat. Gen. difficultates, & dubietates super Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, quæ Confraternitatibus hujusmodi ab eadem Sede concessæ sunt, seu prætenduntur exortas pariter recidi plurimum desiderent.

§. 19. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Antonii Ministri Generalis, & Philippi Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas per literas præinsertas confirmavimus, ac de novo concessimus respective omnibus, & singulis Confraternitatibus, sub Invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum per Ministros Generales, & in Romana Curia Procuratores Generalis dict. Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ hactenus, cæteroqui Canonice erectis, & in futurum quandocumque erigendis, illarumque

Absolutio à Censuris.

Omnes Indulgentias, quas Pontifex confirmavit, ac de novo concessit dd. Confraternitatibus pariter concedit aliis hujusmodi Confraternitatibus erectis, & erigendis per Ministrum Ge-

Con-

neralem, & Procuratorem Generalem Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. ac conceſſas eſſe, & fore declarat.

Confratribus, & Conſororibus, ſervata tamen præinſertarum literarum forma, & diſpoſitione auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, ac perpetuo conceſſas eſſe, & fore decernimus, & declaramus.

Alias Indulgentias revocat.

§. 20. Alias vero omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, ſi quæ præter ſic à Nobis confirmatas, & de novo conceſſas his Confraternitatibus quovis modo generaliter conceſſæ, & nondum revocatæ ſint aut prætendantur dicta auctoritate harum ſerie itidem perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus.

Eiſdem Miniſtro Generali, & Procuratori Generali Congregationis Fr. Diſcalceat. Hiſpaniæ dat facultatem erigendi dd. Confraternitates eiſque dd. Indulgentias communicandi.

§. 21. Porro tam præfatis Antonio, & Philippo modernis, quam pro tempore exiſtentibus Miniſtro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali dictæ Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ, & hujuſmodi Confraternitates ſub Invocatione Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis Captivorum pariter erigere, & inſtituere, illiſque omnes ſupradictas à Nobis confirmatas, & de novo reſpective conceſſas, non autem alias illas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicare libere ſimiliter, & licite poſſint, & valeant, & eorum quilibet poſſit, & valeat, ſervata pariter ſupradictæ Conſtitutionis Clementis prædeceſſoris forma, & diſpoſitione facultatem auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impartimur.

Mandat ſervari formulam præſcriptam in Communicatione Indulgentiarum.

§. 22. Cæterum in functione præfata quam communicationem Indulgentiarum vocant per Fratres Diſcalceatos dictæ Congregationis Hiſpaniæ poſthac obeunda formulam in præinſertis Noſtris literis, ſicut præmittitur præſcriptam de cætero ſimiliter ſervari volumus.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 24. Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in literis præinſertis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 25. Volumus autem ut ipſarum quoque literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſius præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 3. Junii 1673. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Edit. 3. Junii 1673. An. 4.

I. G. Sluſius.

Regiſtr. in Secret. in Libro Brevium Menſis Junii par. utraque fol. 592.

XXXVIII. Indulgentia plenaria perpetua in Eccleſiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonſtratenſium in Feſtivitatibus Aſſumptionis B. M. V. & S. Auguſtini, ac Feſto S. Norberti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua fit commemoratio Sanctorum dicti Ordinis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CŒleſtium munerum Theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ commiſit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium Religionem, fovendamque, & incitandam erga Beatos Patriæ cœleſtis incolas pietatem arbitramur in Domino profuturum.

Exordium.

§. 1. Volentes itaque Eccleſias tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonſtratenſium à S. Norberto, qui tanquam lucerna ardens ſupra candelabrum in domo Domini poſitus, Apoſtolicis Chariſmatibus, aliiſque eximiis divinæ gratiæ donis longe lateque refulſit, ſub ſpeciali Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ protectione, ac Sancti Auguſtini regula ſalubriter inſtituti, ut condignis frequententur honoribus, & fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo gratiarum ſpiritualium munere decorare, ſupplicationibus dilecti filii Franciſci Buyrette Canonici Regularis expreſſe profeſſi, & Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Monaſteriorum, tam Canonicorum Regularium, quam Monialium dicti Ordinis Præmonſtratenſis hactenus erectis, & in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus, in Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Auguſtini feſtivitatibus, ac die feſto S. Norberti prædicti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis præfati commemoratio ibidem fieri ſolet, necnon quamcumque Eccleſiam ejuſdem Ordinis die feſto ſpecialis Patroni, ſeu Titularis ipſius Eccleſiæ, cujus nomen in Martyrologio Romano annotatum reperiatur, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi, annis ſingulis, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia plenaria perpetua viſitantibus Eccleſias Ord. Præmonſtratenſis tam erectas, quam erigendas in aliquibus feſtis prout in rubrica.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Julii 1673. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Edit. 5. Julii 1673. An. 4.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretaria in lib. 4. Brevium Diverſorum fol. 184.

Confirmatio, & innovatio Brevis Pauli V. quo conceditur Miniſtro, & Commiſſario Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia facultas erigendi Confraternitates Chordigerorum S. Franciſci in

XXXIX.

Ecclesiis eorum Ordinis, ubi non adsint Ecclesiæ, vel Conventus Minorum Conventualium, cum declaratione, quod eis licuerit, & liceat ejusmodi Confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque Indulgentias communicare.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Paul. V. revocat omnes Indulgentias Archiconfraternitati Chordigerorum Ecclesiæ Min. Conventualium Assisien. concessas.

DUdum fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati indulgentias, & gratias spirituales, quibus in posterum frueretur, duxerat præscribendas; omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum Sancti Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, & illius Confratribus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos concessas revocans, & annullans, ac nullius roboris, & momenti exinde fore declarans, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostol. ejus auctoritate confisus omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci chordam benedictam ab ejusdem Ordinis superioribus suscipientes, prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingrederentur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, plenariam, ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Archiconfraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium in festo principali ejusdem Archiconfraternitatis à primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem festi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent etiam plenariam: In mortis quoque articulo eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequirent, saltem vere pœnitentes nomen Jesu ore si possent, sin minus corde devote invocarent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit. Necnon ipsis Confratribus, & Consororibus, qui prædictæ Archiconfraternitatis Processioni singulis mensibus fieri solitæ interfuissent tres annos, & totidem quadragenas, qui vero officio Beatæ Mariæ Virginis ab ejusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuissent, centum dies, insuper eisdem qui Sanctiss. Sacramentum, quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent quinque annos, & totidem quadragenas. Qui vero pariter vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, in ejusdem S. Francisci, ac S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, & S. Claræ festivitatibus similiter à primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi singulis annis visitavissent, & oravissent, ut præfertur, quo die festivitatum hujusmodi id egissent, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero copora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicujus pauperi personæ in ejus necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent toties pro quolibet prædictorum operum centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus, ut supradictas Indulgentias, & gratias spirituales consequi, & illas Animabus defunctorum per modum suffragii applicare possent, concessit, & indulsit.

Deinde omnibus ingredientibus dict. Archiconfraternitatem die 1. eorum ingressus concessit Indulgentiam plenariam.

Item Confratribus, & Consororibus Ecclesiam, seu Oratorium d. Archiconfraternitatis in illius festo principali visitantibus prout in rubrica.

In mortis articulo nomen Jesu ore sin minus corde devote invocantibus.

Tres annos, & totid. quadragenas concessit interessentibus Processioni dict. Archiconfraternitatis, quæ singulis annis fieri solet. 100. dies interessentibus Officio B. V. vel alteri à Confratribus pro tempore recitando. SS. Viaticum comitantibus quinque annos, & totidem quadragenas. Visitantibus Ecclesias Minor. Conventualium in certis festis prout in rubrica septem annos, & totid. quadragenas. Comitantibus corpora Defunctorum ad sepulturam, aut alia pietatis opera exercentibus 100. dies.

§. 1. Præterea tunc, & pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates laicorum utriusque sexus sub dicta invocatione Chordigerorum S. Francisci in qualibet Ecclesia Fratrum sui Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci erigere, & instituere, servata tamen forma præscripta in Constitutionibus re. me. Sixti Papæ V. sub datum XIII. Kalendas Decembris Pontificatus sui Anno Primo, & Clementis Papæ VIII. prædecessorum suorum super hoc editis posset, & valeret, facultatem impertitus est. Quæ quidem Confraternitates sic, & postquam erectæ, & institutæ fuissent, eidem Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien. juxta prædictam Sixti V. Constitutionem essent, & esse intelligerentur aggregatæ, & alias prout in ipsius Pauli prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 2. Martii 1607. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus durare voluit, continetur.

Indulsit Confratribus, ut dd. Indulgentias, & gratias animabus defunctorum valeant applicare. Facultas Ministro Generali Minist. Conventualium erigendi hujusmodi Confraternitates in qualibet Ecclesia sui Ordinis. Quod Confraternitates sic erectæ intelligerentur aggregatæ d. Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien.

§. 2. Et subinde cum ex concessione præfati Sixti prædecessoris Ministro Generali, & Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet, in quibus Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitates Chordigerorum erigendi, & instituendi facultas attributa fuisset, memoratus Paulus prædecessor eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali, & eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum in locis, in quibus non extarent conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum Sancti Francisci utriusque sexus erigere, & instituere, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicare libere, & licite possent, & valerent, servata tamen forma in prædictis Constitutionibus Sixti, & Clementis prædecessorum tradita, quemadmodum in supradictis Pauli prædecessoris literis expressum reperitur, facultatem perpetuo duraturam auctoritate Apostolica concessit, & impertitus est, & alias prout in alterius ipsius Pauli prædecessoris literis pariter in forma Brevis die 25. Septemb. ejusdem anni 1607. emanatis, quarum, & priorum ejus literarum præfatarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

Sixtus V. facultatem concessit Ministro & Cõmissario Generali Ord. Fr. Minor. S. Francisci de Obser. erigendi dd. Confraternitates in Ecclesiis eorum Ordinis ubi non existerent Fr. Conventuales.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Maria à Bononia Prior Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit quo firmiora sint ea, quæ iterato Apostolicæ Sedis patrocinio muniuntur, & aliquod dubium exortum decidatur, An dilectis pariter filiis Ministro Generali, & Commissario Generali ejusdem Ordinis hujusmodi Chordigerorum Confraternitates in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus erigendi, illisque Indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicandi facultas per posteriores Pauli prædecessoris lireras præfatas attributa reperiatur. Nobis propterea dictus Franciscus Maria Procurator Generalis, etiam eorumdem Ministri Generalis, ac Commissarii Generalis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Fratr. Minor. S. Franciscí de Obs. pro confirmatione dd. literatum.

Item pro illarum declaratione prout in rubrica.

§. 4. Nos

Absolutio a Censuris, & pœnis.

§. 4. Nos igitur ipsos Franciscum Mariam Procuratorem Generalem, ac Ministrum, & Commissarium Generales spiritualibus favoribus, & gratiis annuere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem erigendi, & instituendi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci utriusque sexus in Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia tantum, nempe in locis in quibus non extent Conventus, vel Ecclesiæ dicti Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas, sicut præmittitur communicandi pro tempore existentibus Ministro Generali, & Commissario Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia a memorato Paulo prædecessore concessam, ut præfertur, expeditasque desuper ipsius Pauli prædecessoris literas præfatas cum omnibus, & singulis in eis contentis, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Pontifex facultatem dat dd. Ministro, & Commissario erigendi hujusmodi Confraternitates, eisque communicandi suprad. Indulgentias ubi non sunt Conventus vel Ecclesiæ Fr. Conventualium confirmat.

Declarat eis hanc facultatem competere ubicumque etiam in Indiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus ubi non sunt Conventus, vel Ecclesiæ d. Ordinis Fr. Conventualium.

§. 5. Sic ac eisdem Ministro, & Commissario Generalibus, eorumve cuilibet ejusmodi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in Ecclesiis eorum Ordinis tantum ubicumque, etiam in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus consistentibus, in locis tamen ubi non sint Ecclesiæ, vel Conventus præfati Ord. Minorum S. Francisci Conventualium erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales præfatas, servata tamen dictarum Constitutionum Sixti, & Clementis, ac literarum Pauli prædecessorum præfatorum forma, & dispositione communicare licuisse, & deinceps perpetuis futuris temporibus licere auctoritate, & tenore prædictis declaramus.

Confratribus, & Consororibus hujusmodi Confraternitatum visitantibus Ecclesias d. Ordinis Fr. Min. in certis festis septem annos, & totid. quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxat prout in rub.

§. 6. Præterea Confratres, & Consorores Confraternitatum hujusmodi ubicumque locorum, etiam in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus per Ministrum Generalem, & Commissarium Generalem dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia pro tempore existentes: seu eorum alterum, hactenus, sicut præmittitur erectarum, & deinceps quandocumque erigendarum ad Christianæ pietatis opera peramplius incitare cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis earumdem Confraternitatum Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis d. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in ejusdem S. Francisci Sacrorum Stigmatum, S. Didaci, S. Petri de Alcantara, Sanctorum Martyrum ejusdem Ordinis, S. Ludovici Regis Francorum, & S. Elisabethæ Reginæ Hungariæ festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatum hujusmodi id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis Pauli prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 9. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Julii 1673. Pontificatus nostri Anno quarto.

Edit. 13. Julii 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. Brevium in lib. Mensis Julii par. utraque fol. 594.

Indultum, ut in omnibus Hispaniarum Regnis Festum B. Ferdinandi tertii Regis Castellæ, & Legionis de præcepto servari, & celebrari possit, ac Officium de illo sub ritu Duplici cum lectionibus propriis a S. Congregatione Rituum approbandis, recitari valeat. XL.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab exaudiendis piis votis sublimium Principum.

EXigit Apostolicæ servitutis ministerium, quod imbecillitati nostræ committere voluit Divina dignatio, ut pia sublimium Principum Orthodoxæ Fidei tuendæ, & propagandæ zelo, aliisque multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis conspicuorum vota, quibus Beatorum Cœlestis Hierusalem Civium immarcescibili gloriæ corona redimitorum veneratio in terris promovetur, ad exauditionis gratiam paterna charitate admittamus.

Missa, & Officium de Comu. Conf. non Pont. die 30. Maji de S. D. Ferdinan. III. Castellæ, & Legionis Rege.

§. 1. Alias siquidem nos piis, enixisque Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ viduæ ejus Genitricis precibus nobis humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus Regnis Hispaniarum, & ditionibus eidem Carolo Regi subjectis, in Ecclesia SS. Jacobi, & Idelphonsi de Urbe Nationis Hispanorum de Servo Dei Ferdinando III. Rege Castellæ, & Legionis, cognomento Sancto, Missa, & Officium de Communi Confessorum non Pontificum sub ritu Duplici juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani quotannis in perpetuum die 30. Maji, qua idem Servus Dei obdormivit in Domino, celebrari, & ab omnibus utriusque

sexus Christifidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitari libere, & licite possent, & valerent respective auctoritate Apostolica concessimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 7. Februarii 1671. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Urban. VIII. idem prohibuit.

Preces Capituli Generalis Pontifici pro dd. literarum confirmatione.

§. 2. Nunc autem ampliorem memoratis Carolo Regi, & Mariannæ Reginæ gratiam facere, piisque, & devotis eorum supplicationibus nobis per dilectum filium nostrum Joannem Everardum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Nidhardum nuncupatum dicti Caroli Regis apud nos, & Sedem Apostolicam Oratorem super hoc humiliter porrectis favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, ut in omnibus Hispaniarum Regnis prædictis, festum prædicti Beati Ferdinandi Regis de præcepto servari, & celebrari possit, ac officium de illo sub ritu Duplici cum lectionibus propriis a Congregatione eorumdem Cardinalium approbandis recitari valeat, auctoritate prædicta harum serie concedimus pariter, & indulgemus.

Ad iteratas preces Hispaniarum Regis de novo indulget, ut in omnibus Hispaniarum Regnis festum d. B. Ferdinandi servari, & celebrari possit, ac Officium de illo sub ritu Duplici cum lectionibus propriis recitari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 26. Aug. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in lib. 4. Brevium diversorum fol. 121.

XLI.

Declaratio, quod Religiosi Congregationis Fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum expresse professi, nequeant e dicta Religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto se transferre.

Edita An. D. 1673.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a perseverantia in Divina vocatione.

Sacrosancti Apostolatus Officium humilitati nostræ, meritis licet imparibus, ab Altissimo commissum salubriter exequi, adjuvante Domino jugiter satagentes, peculiarem Christifidelium divinis obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum curam gerimus; & ut in ea vocatione, qua vocati sunt, constanter perseverent, providere studemus, sicut ad felicem religionis progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Callixtus III. cavit ne Religiosi Congregationis Fr. Excalceat. Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum ad aliam Religionem transire possent.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Franciscus de S. Marco Procurator Generalis Congregationis Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum nobis nuper exponi fecit, per quasdam fel. rec. Callixti Papæ III. prædecessoris nostri literas anno Incarnationis Dominicæ 1457. Kalendis Novembris sub plumbo expeditas cautum fuerit, ne præfati Ordinis Religiosi ad aliam Religionem transire possent; ut subinde rec. mem. Urbanus Papa VIII., etiam prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 19. Januarii 1628. emanatas Literas Fratribus excalceatis d. Ordinis transitum ad Religiosos Calceatos ejusdem Ordinis, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia interdixerit, & alias prout in dd. Literis uberius dicitur contineri; in Capitulo autem Generali præfatorum Fratrum Excalceatorum, quod anno proxime præterito 1672. a die 4. usque ad 14. mensis Junii celebratum fuit, omnium calculo decretum fuerit, Nobis esse supplicandum, ut Literas præfatas confirmare, ac dictis Fratribus Excalceatis transitum etiam ad Ordinem Carthusianorum, prohibere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio à Censuris.

§. 2. Hinc est, quod nos præfati Francisci Procuratoris Generalis votis in præmissis quantum cum D. possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus totius Congregationis præfatæ nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, Religiosos Ordinem Fratrum Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum expresse professos, non posse e sua Religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto, se transferre, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Pontifex declarat dd. Fratres non posse à sua Religione ad aliam quamcumque etiam Carthusianorum transire.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inserdis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum

Edit. 26. Aug. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 26. Auguſti 1673. Pontificatus noſtri Anno quarto.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secr. in lib. Brevium menſis Septembris par. 1. *fol.* 119.

XLII.

Diverſæ Ordinationes pro felici Statu, Regimine, & Manutentione Cuſtodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, juxta reſolutionem S. Congregat. Epiſcoporum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium a confovendo Religioſos in eorum laudabilibus Inſtitutis.

EXigit injunctæ Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio, ut Religioſorum Virorum cœtus ſub ſuavi ſeverioris Diſciplinæ jugo Chriſto militantes, ubereſque bonorum operum fructus adſpirante ſuperni favoris aura proferre jugiter ſatagentes in eorum laudabilibus Inſtitutis confovere, illorumque tranquillitati, ac felici regimini, & incremento, quantum Nobis ex alto conceditur proſpicere ſtudeamus.

Cuſtodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolit. Fr. Diſcalceat. Hiſpaniæ Ordin. Min. S. Franciſci de Obſer. initium, & progreſſus.

§. 1. Cum itaque Cuſtodia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum alias in executionem quarundam Noſtrarum in ſimili forma Brevis literarum auctoritate Apoſtolica erecta, & inſtituta, variiſque gratiis, & Ordinationibus pro felici ejus gubernio emanatis per alias Noſtras pariter in forma Brevis literas decorata, atque ſtabilita, multis tamen in ſui primordio, tam Romæ, quam ſubinde in Hiſpania contradictionibus vexata, & per illas tamquam aurum in fornace probata, & purificata, ac ab illis, quippe inſubſiſtentibus, & ex animoſitate provenientibus, tum Judicia Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, tum chariſſimi in Chriſto filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, qui pro eximia ſua erga Nos, & Sedem Apoſtolicam reverentia, rem omnem ad ſupremum Noſtrum, & dictæ Sedis Judicium remiſit, æquitate, atque pietate liberata fuerit.

§. 2. Hinc eſt quod Nos felici, proſperoque ejuſdem Cuſtodiæ ſtatui, regimini, & incremento quantum cum Domino poſſumus providere, ac ejuſmodi perturbationibus anſam in futurum præcidere cupientes de memoratorum Cardinalium, qui relationem Venerabilis etiam Fratris Noſtri, necnon dilectorum filiorum Cuſtodis, & Diffinitorum, ac Fratrum dictæ Cuſtodiæ ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Franciſci Epiſc. Oſtien. ejuſdem S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris perpenderunt, conſilio, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne de cætero quiſquam etiam quavis præeminentia, poteſtate, officio, vel ſuperioritate fungens, ſeu quandocumque functurus quidquam contra ſtatum, perpetuamque conſervationem Cuſtodiæ præfatæ, quæ matura conſideratione prævia, auctoritate noſtra erecta fuit, & in qua S. Franciſci Regula ſtricte, ac debito rigore ſervatur, aut contra literarum præfatarum diſpoſitionem quovis quæſito colore, prætextu, vel ingenio attentare audeat, ſeu præſumat, tenore præſentium diſtricte, & perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Abſolutio a Cenſuris.

Motu proprio interdicit ne quiſquam contra ſtatum perpetuamque conſervationem d. Cuſtodiæ, & literas Apoſtol. deſuper editas quovis colore, vel prætextu aliquid audeat attentare.

§. 3. Nos enim eamdem Cuſtodiam Dei ſervitio, ac Animarum ſaluti, fideliumque ædificationi promovendæ perutilem eſſe, nec ullum præjudicium, aut incommodum, ſed potius decorem Ordini præfato adferre harum ſerie declaramus. Ac præfato Franciſco Cardinali Protectori, ut audito dilecto filio Commiſſario Generali Curiæ d. Ordinis, qui durante abſentia Miniſtri Generalis, Superior dictæ Cuſtodiæ exiſtit, Capitulum ipſius Cuſtodiæ celebrari facere, & pro hac vice tantum Commiſſarium Viſitatorem illuc mittere, ſeu etiam pro ſingulari, quam habet Fratrum ejuſdem Cuſtodiæ meritis magis conſpicuorum notitia, electiones, ſeu deputationes Cuſtodis, Diffinitorum, Guardianorum, & aliorum Officialium ipſius Cuſtodiæ facere, & quatenus aliquis ex ſic electis, ſeu deputatis, renunciare vellet, ejuſmodi renunciationis acceptationem committere, & officium renunciatum alteri Religioſo idoneo conferre, ſeu demandare libere, licite, & valide poſſit, & valeat, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem tribuimus, & impartimur.

Durante abſentia Miniſtri Generalis Commiſſarius Generalis Curiæ pro hac vice tantum Commiſſarium Viſitatorem ad Capitulum d. Cuſtodiæ mittere poſſit, ac electiones Cuſtodis Guardianorum, aliorumque Officialium facere, & renunciationes recipere.

§. 4. Et quia ex quinque Conventibus, quibus d. Cuſtodia conſtat, duo, videlicet S. Jacobi Civitatis Licien., & S. Mariæ Gratiarum Terræ de Squinzano Conventus tanto locorum intervallo à reliquis tribus diſtant, ut opportune gubernari nequeant, nec viſitari, nequeillis de Religioſis provideri, niſi cum magna difficultate poſſit, quod etiam agnovit dilectus filius Miniſter Generalis d. Ord., qui in viſitatione ejuſdem Cuſtodiæ, duos Conventus hujuſmodi admittendos fore cenſuit, ideo Cuſtodi, & Diffinitorio d. Cuſtodiæ, ut eoſdē duos Conventus S. Jacobi Civitatis Licien., & Sanctæ Mariæ Gratiarum Terræ de Squinzano dimittere, & ab ipſa Cuſtodia diſmembrare, itaut ſic diſmembrati, quantum ad Ordinem prædictum ſpectat, in præfati Miniſtri Generalis diſpoſitione remaneant, & ſubinde in vicinia reliquorum trium Conventuum ipſius Cuſtodiæ alios duos Conventus à piis, & devotis Chriſtifidelibus, qui pro eorum pietate illos ædificare voluerint, in locis tamen in quibus nullus Conventus Fratrum de Obſervantia, vel Reformatorum Ordinis prædicti exiſtat, de Ordinariorum dumtaxat conſenſu, prout dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædeceſſor Noſter per quaſdam ſuas in forma Brevis literas die 25. Junii 1639. expeditas, quarum initium eſt, Cum ea &c. Fratribus Minoribus Diſcalceatis Hiſpaniæ, quorum Privilegiis dicta Cuſtodia ex conceſſione Noſtra gaudet, conceſſiſſe reperitur, ac ſervata in reliquis Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum diſpoſitione recipere, & acceptare libere, & licite poſſint, & valeant, earumdem tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Cuſtodia conſtat ex quinque Cōventibus prout in rubrica. Duo ex quinque Conventibus valde diſtant ab aliis.

Dat facultatem Cuſtodi, & Diffinitorio d. Cuſtodiæ, ut dd. duos Conventus valeant diſmembrare, & alios duos a pietate fidelium de novo erigendos ſibi unire, prout in rub.

§. 5. Ut autem Cuſtodia præfata in humilitatis ſpiritu, & morum ſimplicitate, quibus virtutibus S. Franciſcus Ordinem ſuum reſplendere voluit, conſervetur, & ambitionis vitio, quod Religioſis Congregationibus, atque Communitatibus, etiam maxime reformatis inquietudinem, & perniciem adferre ſolet, aditus præcludatur, ſtatuimus, & ordinamus, ut in eadem Cuſtodia nulla ſit præcedentia inter illius Religioſos alia præcedentia, præter eam, quæ ex antiquitate

In eadem Cuſtodia nulla ſit præcedentia inter illius Religioſos niſi quæ ex an-

tiquitate susceptionis habitus resultat. Custodes, & Guardiani licet durantibus eorum Officiis alios præcedere debeant iis finitis ad locum suum revertantur, juxta antiquitatem susceptionis habitus.

susceptionis habitus resultat, quam Sacerdotes Clerici, & Laici inter se respective servent, nec ullam aliam habeant, etiam illi qui officiis actu funguntur, cum prærogativæ, & exemptiones officiorum hujusmodi illa ambitiose prætendendi ansam præbere soleant, exceptis tamen Custode, & Guardianis actualibus, qui durantibus eorum officiis tantum alios præcedere, illis vero finitis ad locum, qui eis juxta antiquitatem susceptionis habitus competierit, reverti debebunt.

Officia vacantia per Electionem a Custode, & Diffinitoribus actualibus, & in defectum alicujus ex eis a Guardiano S. Luciæ faciendam prout in rubrica.

§. 6. Et quando ex quacumque causa vacaverit aliquod Officium ex illis, ac in iis casibus in quibus per viam substitutionis, & subrogationis subintrari solet, semper in officium vacans subintrari debeat per electionem a Custode, & Diffinitoribus actualibus, & aliquo illorum deficiente, vel satis cito venire non valente, a Guardiano Conventus S. Luciæ faciendam. In ipsa vero Custodia stricte observetur Constitutio d. Urbani prædecessoris, quæ incipit — *Admonemur &c.* contra Fratres d. Ordinis, qui per favores Sæcularium officia consequi prætendunt edita.

Nullus nisi occasione transitus in d. Custodia recipiatur qui a sua Provincia apostataverit, etsi literas Obedientiales alterius Superioris afferat.

S. 7. Porro nullus in d. Custodia, nisi transitus occasione recipi possit Religiosus, de quo notitia habeatur, cum sua Provincia apostatando fuisse egressum, tametsi literas obedientiales ab alio Superiore, quam suo Ministro Provinciali emanatas adferat, nec in eadem Custodia incorporari valeat ullus Religiosus, qui sine obedientia sui Ministri Provincialis illuc advenerit, licet literis obedientialibus, cujusvis alterius Superioris munitus sit. Quod si aliquis Novitius Custodiæ hujusmodi in aliquo ex tribus scrutiniis intra annum probationis fieri solitis suffragia sufficientia non reportaverit, habitu illico spolietur; prout etiam Superior Conventus Novitiatus, vel Custos si in eo resederit, ac Magister Novitiorum, si aliquem Novitium Religioni ineptum esse, nec sine incommodo in Novitiatu detineri posse cognoverint, illum non expectato tempore emissionis votorum habitu spoliari, & dimittere possint.

Novitius d. Custodiæ, qui in aliquo ex tribus scrutiniis intra annum probationis sufficientia suffragia non habuerit habitu spolietur Superior Conventus Novitiatus, vel Custos in eo residens, aut Magister Novitiorum si Novitium Religioni ineptum agnoscat habitu eum spoliare possint.

§. 8. Quia vero intra breve tempus quo Capitulum d. Custodiæ durare solet, confici non poterunt statuta, & ordinationes necessariæ, quibus Custodia ipsa perpetuo gubernetur; Volumus, & ordinamus, ut Capitulum ipsum compromittat in personas quatuor Religiosos, zelo, prudentia, & virtute præditorum, qui a memorato Francisco Cardinale, & Protectore approbati, seu alias ab ipso nominati sint, ipsique Compromissarii statuta, & ordinationes hujusmodi quibus eadem Custodia in perpetuum regi, & gubernari debeat secundum datam sibi a Domino prudentiam conficiant, & componant; Ita tamen ea Sacris Canonibus, seu Concilii Tridentini præfati Decretis, vel Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aut regularibus Ordinis præfati Institutis non adversentur.

Capitulum d. Custodia compromittat in quatuor Religiosos a Card. Protectore approbatos, seu ab ipso nominatos qui statuta, & ordinationes ejusdem Custodiæ conficiant.

§. 9. Cæterum si dictus Franciscus Episcopus Cardinalis, & Protector temporis progressu cognoverit, aliquid aliud pro felici regimine, ac Perfectione, & Manutentione Custodiæ præfatæ statui oportere, eidem Francisco Cardinali, & Protectori, prout expedire in Domino censuerit, illud, servata tamen Constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum Congregationis præfatæ dispositione, statuendi, & ordinandi facimus potestatem.

Dat facultatem eidem Card. Protectori aliquid aliud statuendi, pro regimine, & manutentione d. Custodiæ.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, etiam cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque Causæ, propter quas præsentes emanaverint, ac dictæ specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquamtempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut intentato, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon d. Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam eidem Ordini illiusque Superioribus, Fratribus, & Personis, aliisque quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Contraria, ab obstantia memorat.

§. 12. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, formas, occasiones, & causas etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & exactissime adductis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, plenissime, & sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Eis latissime derogat.

Supplet defectus omnes prout in rub.

Datum

Edit. 28. Aug. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Sept. par. 1. fol. 115.

XLIII.

Indultum, ut de B. Bernardo Ptolomæo Fundatore Congregationis Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti Missa, & Officium de Communi Confessoris non Pontificis, sub Ritu Duplici, quotannis in perpetuum die 20. Augusti, qua idem Beat. obdormivit in Domino, ab universa Congregatione præfata, & Monialibus, seu Oblatis Monasterii Turris Speculorum de Urbe celebrari, & recitari respective possint.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a promovendo cultum Servorum Dei qui salubribus Institutis Religionem propagarunt.

A Postolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati, atque infirmitati nostræ committere dignata est, ratio exigit, ut Servorum Dei, eorum præsertim, qui in diebus peregrinationis suæ multiplicibus Divinæ Gratiæ donis decorati, Religionem salubribus Institutis propagarunt, & feliciter decurso mortalis vitæ studio, perennem in Cœlis justitiæ coronam accipere meruerunt, cultum, & venerationem in Terris, ad Omnipotentis Dei gloriam, Fideliumque ædificationem promovere studeamus.

Cong. SS. Rituum die 24. Nov. 1644. declaravit constare de cultu immemorabili B. Bernardi Ptolomæi Fundatoris Congregationis Olivetanæ.

§. 1. Cum itaque ex deductis in Processu alias a tunc existente Archiepiscopo Senarum confecto, super casu excepto, & cultu immemorabili exhibito B. Bernardo Ptolomeo Fundatori Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ord. S. Benedicti, die 24. Novemb. MDCXLIV. Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præposita declaraverit, de illo constare ex cultu exhibito prædicto Beato Bernardo per immemorabilem temporis cursum, cum scientia, & tolerantia Ordinariorum: Et sicut dilectus filius Franciscus Maria Sarubbius de Neapoli Abbas d. Congregationis Montis Oliveti Nobis nuper exponi fecit, ipse Missam, & Officium de eodem B. Bernardo celebrari, & recitari posse plurimum desideret.

Preces Abbatis d. Congregationis.

§. 2. Nos piis ejusdem Franciscí Mariæ Abbatis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus hujusmodi præpositorum consilio, ut de memorato Beato Bernardo Ptolomæo Missa, & Officium de Communi Confessoris non Pontificis sub Ritu Duplici juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani quotannis in perpetuum die 20. Augusti, qua idem Beatus Bernardus obdormivit in Domino, ab universa Congregatione prædicta Montis Oliveti, ac a dilectis in Christo filiabus Monialibus, seu Oblatis Monasterii Turris Speculorum de Urbe celebrari, & recitari libere, & licite possint, & valeant respective, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Absolutio à Censuris.

Indulget ut de eodem Beato quotannis in perpetuum Missa & Officium de Communi Conf. non Pont. die 20. Augusti. ab universa Congreg. Oliver., & Monialibus, seu oblatis Turris Speculorum celebrari, & recitari valeat.

§. 3. Non obstantibus Decretis, & Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 30. Aug. 673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium mensis Sept. par. 2. fol. 61.

XLIV.

Prohibitio transitus Clericorum Regularium Matris Dei, & de Somascha de una ad alteram Congregationem hujusmodi respective, ex quacumque etiam justissima causa, ac etiam vigore cujusvis licentiæ a superioribus, sive etiam in Capitulis Generalibus earumdem Congregationum concessæ.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium a providendo ut Religiosi in Spiritu Pacis Deo famulentur.

Ex commissi Nobis divinitus pastoralis muneris debito quieti virorum religiosorum, quo seclusis discordiis in spiritu tranquillo, & pacis amœnitate famulatum Altissimo præstare decet, libenter providemus, sicut conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) occasione transitus, quam quidam Clerici Regulares expresse professi Congregationis Matris Dei ad Congregationem Regularium de Somascha nuncupatam, fecerunt, seu faciendi licentiam obtinuerunt, nonnullæ inter eos sint exortæ controversiæ, quæ dissidiis, & perturbationibus animorum causam præbere possent.

Controversiæ exortæ ob transitum Clericorum Regular. Congregationis Matris Dei ad Congregationem Regularium de Somascha.

§. 1. Nos religiosæ Clericorum Regularium utriusque Congregationis hujusmodi tranquillitati quantum cum Domino possumus consulere, ac memoratis controversiis, & dissensionibus ansam in futurum præcidere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero ullus Clericus Regularis expresse professus dictæ Congregationis de Somascha ad præfatam Congregationem Matris Dei, nec ullus hujus Congregationis Clericus Regularis expresse pariter professus ad eamdem Congregationem de Somascha ex quacumque etiam justissima causa, ac etiam vigore cujusvis licentiæ a suis Superioribus obtentæ, sive etiam in publicis Capitulis Generalibus Congregationum præfatarum respective concessæ, transire ullo modo possit, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Statuitur ne ullus Clericus Regularis Congregationis de Somascha ad Congregationem Matris Dei, nec ullus hujus Congregationis ad Congregationem de Somascha transire possit.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, nec de subreptionis, vel

Supplet omnes defectus.

obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, ullo modo unquam posse: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatarum Congregationum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Congregationibus, illarumque respective superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac etiam quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio, ad id servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ampliſſime derogat contrariis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides Transſumptorum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 6. Septembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 6. Sept. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in libro Mensis Augusti par. 1. fol. 100.

XLV. Confirmatio Decreti Congregationis Episcop., & Regularium, quo resolvitur, præcedentia Brevia Summi Pontificis edita die 18. Januarii 1672., & 3. Augusti ejusdem anni confirmatoria nonnullarum declarationum dictæ Congregationis super associatione Cadaverum, & ingressu ad Ecclesias Regularium, non esse observanda a Clero sæculari in Regnis Castellæ, & Legionis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- *In causa Hispaniarum Juris Parochialis deferendi Cadavera ad Ecclesias Regularium. Cum ad supplicationem P. Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, & postmodum Patris Alphonsi de Alarcos Procuratoris Generalis Provinciarum Hispaniarum Societatis Jesu, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita concesserit nonnullas declarationes alias editas circa associationem Cadaverum, & ingressum in Ecclesias Regularium, quæ quidem declarationes per literas Apostolicas in forma Brevis die 18. Januarii 1672. respective a SS. D. Nostro fuerunt confirmatæ.*

Cong. Epiſc., & Regul. conceſſit nonnullas declarationes jam editas circa aſſociationem Cadaverum, & ingreſſum in Eccleſias Regularium, quas Pontifex confirmavit.

§. 1. Clerus Sæcularis Provinciarum Castellæ, & Legionis præsentiens se gravatum, & dictas declarationes fuisse obreptitie obtentas ex eo, quod præfati Patres Procuratores Generales silentio involuerint, quod ad favorem dicti Cleri Sæcularis adessent nonnulla alia anteriora Decreta Congregationis Sacrorum Rituum per literas itidem in forma Brevis die 7. Maii 1655. & 6. Julii 1656. à san. mem. Alexandro VII. confirmatæ. Ideo ipsemet Clerus supplex petivit, ut examinatis utriusque partis rationibus, hujusmodi controversia, prout Juris fuerit definiretur. Et Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus informantibus, reque mature discussa, referente Eminentissimo Imperiali censuit, ac decrevit *Brevia Sñi Dñi Nostri confirmatoria Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ contra Clerum Sæcularem Regnorum Castellæ, & Legionis, & contra ea, quæ disponuntur in supranarratis Brevibus sa. me. Alexandri VII., non esse observanda, contrariis quibuscumque circa supradicta omnia minime obstantibus &c. Romæ prima Septembris* 1673. *F. M. Cardinalis Brancatius.*

Adverſus hæc omnia Clerus Sæcularis Provinciarum Caſtellæ, & Legionis petit audiri in ead. Congregatione Epiſcop. & Regul.

Ead. Congr. decrevit dd. Brevia cõfirmatoria dd. declarationum contra Clerum Sæcularem Caſtellæ, & Legionis, & contra ea quæ diſponuntur in Brevibus Alexan. VII. non eſſe obſervanda.

Loco ✠ Sigilli.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus de Villegas Procurator Generalis Ecclesiarum, & status Ecclesiastici Regnorum Castellæ, & Legionis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ Patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Francisci votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prænsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Preces Procuratoris Generalis Cleri ſæcularis Caſtellæ, & Legionis.

Abſolutio a Cenſuris.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, &

Pontifex præinſertum Decretum confirmat.

fore,

fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque, in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit cujuſvis Ord., Congregationis, Societatis, & Inſtituti, ac Provinciæ, Monaſterii, Conventus, & Collegii, aliiſve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides tranſumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Septembris 1673. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Edit. 6. Sept. 1673. An. 4.

I. G. Sluſius.

Regiſtrat. in Secretar. Brevium.

XLVI. Innovatio Brevis Gregorii XV. ſuper prohibitione ambitus pro Congregatione Clericorum Regularium Theatinorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUoniam nemo debet aſſumere ſibi honorem niſi vocatus à Deo tamquam Aaron, & à Regularis vitæ inſtituto valde alienum eſt, ut Religioſi viri, quos honorum, & dignitatum gradus, ſanctitate vitæ, ac aliis religioſis virtutibus potius promereri, quam appetere, eoſque gradus, cum ad eos aſſumuntur, obedienter ſuſcepere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim Perſonarum ſtudiis ad eos ſibi aditum patefacere contendant: Unde magna in Eccleſia Dei ſcandala, & damna exoriri ſolent.

Pontifex ambitum à Congregat. Clericorum Regularium Theatinorum propellere intendit.

§. 1. Nos qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica, Regulariſque diſciplina priſtinæ obſervantiæ reſtituatur, hoc malum à Congregatione Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, cujus proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ Sanctæ utilitatem ſinceris deſideramus affectibus, propellere, ac fel. rec. Gregorii Papæ XV. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærere, ejuſque Conſtitutionem die 26. Februarii 1622. editam innovare, & ampliare cupientes:

§. 2. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis Clericis, & perſonis cujuſcumque ætatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, præſentibus, & futuris, ne de cætero habito ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam Sæcularium, quam Eccleſiaſticarum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium favores, recurſu, ſive aliis quibuſcumque modis, & viis directe, vel indirecte, palam, vel occulte, mediate, vel immediate, ac tam pro ſe, quam pro aliis quæcumque ipſius Congregationis officia, vel gubernia, ac præſertim Generalem, aliaſque Præpoſituras, Conſultas, Viſitationes, Procuratorias Generales, ſuperioritates Monaſteriorum Monialium, dictæ Congregationis curæ, & gubernio ſubjectorum, aut Vicariatus Domorum particularium ipſius Congregationis, ſive etiam Vocalatum, aut facultatem audiendi ſacramentales mulierum confeſſiones ſub quovis quæſito colore, vel prætextu, etiam in genere aſſequi, & obtinere procurent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes præterquam in mortis articulo abſolvi, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad Officia, vel gubernia hujuſmodi, aliaque prædicta in poſterum obtinenda, ad quæ ſimiliter non niſi per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, vel Capitulum Generale ipſius Congregationis rehabilitari poſſint, pœnis tam per ipſos, quam eorum complices, & fautores, ac non revelantes, eo ipſo incurrendis, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus.

Prohibet Clericis d. Congregation., ne habito recurſu ad Principes, & Prælatos, ſeu Cardinales Officia, vel Gubernia d. Congregationis aſſequi procurent.

§. 3. Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis etiam latæ ſententiæ pœna, eidem Præpoſito Generali, & aliis ſuperioribus dictæ Congregationis quocumque titulo nuncupatis præſentibus, & futuris, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel alias ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, aut contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliarum quarumcumque perſonarum, tam Sæcularium, quam Eccleſiaſticarum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium prædictorum, ad Officia, vel gubernia, Generalem, aliaſve Præpoſituras, Conſultas, Viſitationes, Procuratorias Generales, ſuperioritates Monaſteriorum Monialium, aut Vicariatus, vel Vocalatum hujuſmodi promovere, vel cuiquam facultatem audiendi confeſſiones mulierum concedere audeant, ſeu præſumant, ſed circa admiſſionem Clericorum Regularium dictæ Congregationis ad jus ſuffragii, ac facultatem audiendi confeſſiones mulierum eis concedendam, ea, quæ per Conſtitutiones, & Decreta ejuſdem Congregationis ordinata ſunt, ac in præmiſſis formam ſecretorum ſuffragiorum per eaſdem Conſtitutiones ſtabilitam, abrogata alia quacumque forma exacte, & accurate, ac inviolabiliter obſervent, & obſervari curent.

Mandat Præpoſito Generali, aliiſque Superioribus pro tempore, ne aliquem ad inſtantiam, vel requiſitionem Principum, vel Prælatorum, aut Cardinalium ad Officia d. Congregationis admittat ſub pœna, prout in rubrica.

§. 4. Et nihilominus quaſcumque electiones, & promotiones, ac facultatum audiendi confeſſiones mulierum hujuſmodi conceſſiones contra præſentium diſpoſitionem (quod abſit) faciendas, nullas prorſus, & invalidas eſſe, & fore, ac omnes, & ſingulos in præmiſſis delinquentes, ſententias, & pœnas prædictas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere, & ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate

Omnes electiones, & promotiones contra hanc diſpoſitionem factas irritat, & delinquentes in præd. pœnas ipſo facto incurrere declarat.

Decretum irritans.

ſcienter

scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis ampliſſime derogat.

§. 5. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; etiamſi prædictis Clericis, & perſonis, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Publicatio hujus Conſtitutionis quomodo ſit facienda.

§. 6. Ut autem harum literarum notitia ad omnes ipſius Congregationis Clericos facilius deveniat, volumus illas pro hac prima vice in ſingulis ejuſdem Congregationis Domibus Regularibus, & deinde in ſingulo quoque Capitulo Generali, ſeu Dieta dictæ Congregationis publice legi, illaſque ſicut præfertur lectas, omnes arctare, perinde ac ſi unicuique intimatæ fuiſſent; Illarumque exemplis, etiam impreſſis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejuſdem Congregationis, vel alterius Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Septembris 1673. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Edit. 15. Sept. 1673. An. 4.

I. G. Sluſius.

Reg. in Secret. in lib. Brev. Menſis Septembris par. 1. fol. 173.

XLVII. Relaxatio ſuſpenſionis facultatis conferendi Beneficia in Civitate, Patria, & Diœceſi Leodien. cum diverſis ordinationibus &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere in eam præcipuè curam ſolicitis ſtudiis incumbimus, ut ſtudiorum Generalium Univerſitates ad fidei Catholicæ præſidium, Chriſtianæque Reipublicæ decus, & utilitatem a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſapienti, ſalubrique conſilio inſtitutæ, ac multis privilegiis, gratiis, & Indultis ex eorum liberalitate, & munificentia decoratæ, ſublatis abuſibus, ſtabilitaque æquitatis, atque Juſtitiæ norma, recte, atque ordine dirigantur, debitamque nobis, & huic Sanctæ Sedi fidem, devotionem, & obedientiam illibate ſervantes, Apoſtolicæ noſtræ charitatis ſentiant benignitatem & felicioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Querelæ ad Clem. IX. delatæ adverſus Univerſitatē Studii Generalis Lovanien.

§. 1. Alias ſiquidem cum ad notitiam ſel. rec. Clementis Papæ IX. prædeceſſoris noſtri perveniſſet, quod Rectores, ac Magiſtri, Doctores, & Scholares, necnon Decani, ſeu Vicedecani facultatis artium, ac Conſervatores Privilegiorum Univerſitatis ſtudii generalis Oppidi Lovanienſis olim Leodien., nunc Mechlinien. Diœceſis à rec. me. Martino Papa V. Prædeceſſore pariter noſtro erectæ, & inſtitutæ plurimis ab inde annis privilegiis, facultatibus, gratiis, & Indultis eidem Univerſitati tam a dicto Martino prædeceſſore, quam a piæ mem. Paulo II., Sixto IV., Leone X., Adriano VI., Clemente VII., Paulo III., Pio IV., Gregorio XIII., ac Paulo V., & forſan aliis Romanis Pontificibus etiam prædeceſſoribus noſtris reſpective conceſſis, & confirmatis abutebantur circa nominationes ad Beneficia Eccleſiaſtica in Belgicis ditionibus conſiſtentia, ac Collationes, & proviſiones ejuſmodi Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœceſi Leodien. ſitorum, necnon exercitium Juriſdictionis præfatis Conſervatoribus per privilegia hujuſmodi attributæ, quippe qui ad Beneficia Eccleſiaſtica valorem annuum centum ducatorum auri de Camera excedentia nominare, ac nominationes hujuſmodi Sedibus Epiſcopalibus, & Archiepiſcopalibus, ac Præiaturis collatorum Ordinariorum vacantibus facere, & plura Beneficia incompatibilia eiſdem Perſonis conferre, ſeu eas ad illa nominare, quinimo Beneficia Eccleſiaſtica, de quibus per Coadjutorias cum futura ſucceſſione ab hac Sancta Sede proviſum fuerat, conferre pariter, ſeu ad illa nominare, alioſque ſimiles exceſſus privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum prædictorum diſpoſitioni plane contrarios committere, & Conſervatores prædicti, de Cauſis non ſolum in quibus ageretur, an Beneficia in menſibus Apoſtolicis, vel Ordinariorum, an vero in illis, qui dictæ Vniverſitati conceſſi ſunt, vacaviſſent, ſed etiam ubi tractaretur, utrum Beneficia hujuſmodi ejuſdem Apoſtolicæ Sedis diſpoſitioni aliter quam ratione vacationis in Menſe Apoſtolico reſervata, ſeu affecta eſſent, nec ne, cognoſcere præſumpſiſſent, tametſi nihil horum eis ex privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum hujuſmodi tenore permiſſum, ſed hæc omnia nulla penitus, ac invalida, & attentata exiſterent.

Abuſus ejuſdem Univerſitatis privilegiorū Apoſtolicorum, circa nominationes ad beneficia Eccleſiaſtica, & exercitium Juriſdictionis illius Conſervatoribus attributæ.

Alii abuſus lædentes dignitatem, & auctoritatem Sedis Apoſt. referuntur.

§. 2. Et quod Sedis Apoſtolicæ dignitatem, auctoritatemque magis lædebat, citationes, inhibitiones, monitiones, mandata, ſententias, & decreta, ac incurſus excommunicationis, aliarumque cenſurarum declarationes etiam aggravatorias, & reaggravatorias in eos propter exceſſus hujuſmodi, ac ab ipſis reſpective proviſos a Sacri Palatii Auditorio legitime emanatas, & emanata nulliter, & de facto caſſare, & annullare, ac tam proviſos a Sede prædicta, quam Capitula Eccleſiarum, aliaſque Perſonas Eccleſiaſticas huic Sanctæ Sedi devotas, & ipſius Sedis, ejuſque Delegatorum Auditorii prædicti mandatis, ut par eſt, obſequentes, arreſtis, ſequeſtrationibus, & detentionibus fructuum, & redditurum Eccleſiaſticorum, aliiſque modis hujuſmodi perturbare, & inquietare auſi fuiſſent, & tunc auderent: ſuper quibus frequentes ad ipſum Clementem IX. prædeceſſorem, & Sedem prædictam variorum ab eadem Sede de Beneficiis Eccleſiaſticis, præſertim in Civitate, Patria, & Diœceſi Leodien. conſiſtentibus Proviſorum querelæ pervenerant, eidem Clementi prædeceſſori ſupplicantium, ut in præmiſſis de opportuno remedio providere, gravibuſque ſcandalis inde naſcentibus occurrere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

Ad tollendos dictos abuſus Clemens IX. primum cum d. Univerſitate omnes ſuaviores, benignioreſque vias tentavit.

§. 3. Et ipſe quidem Clemens prædeceſſor cum ex debito paſtoralis muneris ſibi divinitus impoſiti, quo Populorum quieti, quantum ſibi ex alto concedebatur, conſulere, ſuaque, & dictæ Sedis jura tueri adſtringebatur, preces tam juſtas negligere, exceſſuſque prædictos diſſimulare non valeret, pro ſingulari paternæ ſuæ erga Univerſitatem prædictam, quam memorati Romani Pontifices ejus prædeceſſores,

ut illam, ejusque Scholares, & personas ad sacrarum, aliarumque bonarum literarum studia excitarent, illorumque devotionem, & reverentiam erga hanc Sanctam Sedem foverent, tot, tantisque, & tam luculentis privilegiis, atque prærogativis decoraverant, charitatis affectu, omnes suaviores, benigniores que vias tentaverat, operamque sedulo dederat, tum paternis admonitionibus, tum personarum doctrina, & morum gravitate spectabilium, dictæque Universitati benevolarum insinuationibus, injecta quoque aliqua spe novarum gratiarum, ac etiam justæ ejus indignationis timore suaviter suggesto, ut res omnes coram dilecto filio Carolo Antonio Airoldo Abbate Ecclesiæ S. Abundii dictæ Sedis in Belgicis Ditionibus Internuncio in id, quod æquum esset redigeretur.

Dein motu proprio suspendit eidem Universitati jus, & facultatem conferendi, ac nominandi ad beneficia prout in rubrica.

§. 4. Verum hæc omnia incassum ceciderant: hinc licet ex Sacrorum Canonum præscripto privilegia amittere meruissent, eo quod concessa sibi facultate fuerant abusi; ipse tamen Clemens prædecessor paternæ suæ benignitatis memor, & pœnitentiæ locum relinquere volens, ac mitius agendo, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, jus, & facultatem, ac Indultum conferendi Beneficia cum cura, & sine cura, Sæcularia in titulum Clericis Sæcularibus conferri, & per Clericos Sæculares regi, & gubernari solita in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentia, & pro tempore per obitum dumtaxat in certis tunc expressis mensibus vacantia, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Personatus, administrationes, & Dignitates cujuscumque qualitatis, & valoris essent, exceptis certis itidem tunc expressis Beneficiis à prædicto Paulo V. prædecessore per suas sub Plumbo Kalendis Decembris anno Incarnationis Dominicæ 1616. desuper expeditas literas, Decano, seu Vicedecano prædictæ facultatis Artium sub certis modo, & forma tunc expressis loco juris, seu facultatis nominandi, quod, seu quam idem Paulus Prædecessor per dictas literas perpetuo abrogavit, itidem perpetuo concessum, seu concessam ad suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendit, ac suspensum, & suspensam esse, & fore decrevit, & declaravit.

Durante hac suspensione decrevit irritas, & nullas omnes hujusmodi nominationes, & provisiones beneficiorum prout in rubr.

§. 5. Decernens pariter quascumque collationes, & provisiones Canonicatuum, & Præbendarum, Personatuum, administrationum, & Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentium prædictorum pro tempore vacantium, & de illis provisorum in illorum possessionem, immissiones, ac etiam nominationes ad eadem Beneficia prætextu abrogati, ut præfertur, juris nominandi, si quas suspensione hujusmodi durante forsan à pro tempore existente Decano, seu Vicedecano dictæ facultatis Artium, etiam de consensu Receptoris, & Procuratorum quatuor Nationum ejusdem facultatis, seu majoris partis eorum, aut alias quomodolibet, seu ab aliis quibusvis personis dictæ Universitatis tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodocumque, & qualitercumque fieri contingeret, nullas prorsus, ac irritas, inanes, & invalidas, nulliusque roboris, & momenti, ac viribus, & effectu penitus, & omnino vacuas fore, nec cuiquam titulum etiam coloratum, aut possidendi, vel detinendi Causam ullatenus tribuere.

Omnia acta Judicialia ad hunc effectum à Conservatoribus d. Universitatis facta pariter declaravit irrita, & nulla, prout in rub.

§. 6. Citationes quoque, monitiones, mandata, Decreta, Processus, Sententias, Censurarum fulminationes, auxilii brachii sæcularis invocationes, & acta judicialia, & extrajudicialia quæcumque, si quæ à Conservatoribus prædictis, vel aliis Judicibus quibuscumque, seu eorum aliquo ad instantiam eorum, quibus Beneficia hujusmodi, suspensione prædicta durante de facto collata essent, seu alias quomodolibet pro tuendis, seu ad effectum deducendis hujusmodi Collationibus, seu provisionibus fieri, mandari, decerni, relaxari, ferri, vel pronunciari contingeret cum omnibus, & singulis inde forsan quomodolibet secuturis, nulla pariter, ac invalida, irrita, inania de facto, præsumpta, ac prorsus attentata, & vitiosa fore, neminemque prorsus arctare, vel afficere, sed nullatenus attendenda fore, & esse.

Collationem omnium beneficiorum in Mensibus d. Universitati concessis durante hac suspensione vacantium S. Sedi reservavit.

§. 7. Collationem vero omnium, & singulorum Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. prædictis consistentium hujusmodi, quæ in mensibus memoratæ Universitati, seu facultati Artium, ut præfertur concessis, durante suspensione hujusmodi vacarent, ad se, & hanc S. Sedem spectare, & pertinere, nec quemquam etiam vigore cujuscumque Indulti ab ipso Clemente prædecessore, & Sede prædicta concessi desuper quidquam prætendere, aut se intromittere posse, cum diversis aliis decretis, clausulis, & derogationibus amplissimis, & alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 13. Septembris 1669. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

D. Universitas durante hac suspensione se abstinuit à collatione dd. beneficiorum, & paratam se exhibet à dd. & aliis quibusvis abusibus recedere.

§. 8. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Rectoris, ac Magistrorum, Doctorum, & Scholarium, necnon Decani, seu Vicedecani, aliarumque Personarum prædictarum respective Universitatis, & facultatis Artium nobis expositum fuit, ipsis prædictis Clementis prædecessoris literis humiliter acquiescendo, à collatione Beneficiorum prædictorum, quæ suspensione pendente hujusmodi durante in mensibus dictæ facultati Artium, sicut præmittitur assignatis vacaverunt, & à nobis collata fuerunt, abstinuerint, & à prædictis, aliisve quibusvis abusibus omnino recedere, ac nostris, & Apostolicæ Sedis mandatis, sicut devotos Ecclesiæ filios, sinceroque Sedis ejusdem cultores decet, in omnibus, & per omnia prompto obsequio morem gerere parati sint; nec quidquam ardentioribus votis desiderent, quam dictæ Sedis gratiam religiosa observantia demereri, ac palam omnibus facere se à prisca dictæ Universitatis, ex qua tot egregii Catholicæ Fidei propugnatores, ac Divinorum eloquiorum Tractatores, aliique insignes in omni scientiarum genere viri prodiere, in eamdem Sedem Apostolicam fide, devotione, & reverentia minime desciviſse; quo vero certa, congruensque in præmissis norma à suprema æquitate nostra eo celeriori posset maturitate statui, quo de plerisque non ita notis facti circumstantiis major notitia haberetur, ipsi Exponentes multa nobis tam per Scripturas eorum nomine ad hanc Sanctam Sedem per memoratum Carolum Antonium Internuncium transmissas, tum per eorum Deputatos, sive negotiorum gestores insinuari curaverint, enixe, humiliterque nobis supplicantes, ut suspensionem prædictam relaxare de benignitate Apostolica dignaremur.

Supplicat Pontifici ut à suspensionem relaxet.

§. 9. Nos rem omnem nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis Viris Sapientia, prudentia, æquitate, ac Sacrorum Canonum peritia eximie præstantibus mature, diligenterque discutiendam, ac Nobis referendam commisimus, qui mandatum Nostrum fideliter exequentes, habitis inter se multis congressibus, negotium totum, & quidquid eo pertinere videbatur, omni studio, atque industria discusserunt, & quid desuper statuendum videretur, Nobis retulerunt.

Pontifex rem totam discutiendam committit S.R.E nonnullis Cardinalibus, & Prælatis, qui eidem referunt quid desuper statuendum sit.

§. 10. Audita igitur, & approbata per Nos eorum relatione; pro peculiari nostro erga Uni-

Nedum d'ct. abusus, sed illis ansam in

versitatem

futurum præcidere intendit.

Absolutio à Censuris.

Pro expressis habet omnia, & quæcumque privilegia d. Universitatis.

In literis Citatorialibus, & Monitorialibus à Conservatoribus Privilegiorum d. Universitatis relaxandis non apponatur clausula per abusum antea apponi solita prout in rub.

Nec in eis quidquam addatur, vel exprimatur, quo Jurisdictionis Ecclesiasticæ cursus impediatur, differatur, aut perturbetur.

Unicuique liceat quemlibet ex dd. Conservatoribus adire.

Citatus coram aliquo ex dd. Conservatoribus ex justa causa potest illum recusare, & alium adire, prout in rubrica.

Item & Actori.

versitatem prædictam affectu, felici, prosperoque illius regimini, & progressui consulere, ac supradictos abusus è medio tollere, illisque ansam in futurum præcidere, necnon prædictos Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac prædictorum, aliorumve quorumlibet privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum eisdem Universitati, & facultati Artium, earumque Personis quibuslibet à præfatis, aliisve quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessorum, literarumque Apostolicarum, tam sub Plumbo, quam in forma Brevis desuper emanatarum, & aliarum quarumlibet scripturarum tam publicarum, quam privatarum tenores, & datas etiam veriores, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, & specificatis habentes.

§. 11. Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, declaramus, præcipimus, mandamus, statuimus, & ordinamus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus [in literis citatorialibus, & monitorialibus à Conservatoribus privilegiorum d. Universitatis, seu eorum aliquo contra extraneos, eos scilicet, qui de ipsa Universitate, illiusque Rectori subjecti non sunt, in quacumque materia, tam Ecclesiastica, quam temporali, ac contra ipsius Universitatis Personas Rectoris prædicti Jurisdictioni suppositas in quacumque beneficiali, aliaque Ecclesiastica materia respective decernendis, & relaxandis, non apponatur ea clausula per abusum antehac apponi solita, qua citato, vel monito mandabatur, ut si quod Jus, vel actionem ad beneficium, vel aliam rem controversam crederet se habere, illud, vel illam coram ipso Conservatore, vel Rectore prædicto proponeret sub pœna perpetui silentii, sed Mandatum hujusmodi ad solum Conservatorem restringatur; Nec in prædictis, aliisve literis Judicialibus quibuscumque per eosdem Conservatores, eorumve quemlibet decernendis, & relaxandis quidquam addatur, vel exprimatur, quo Jurisdictionis Ecclesiasticæ cursus, appellationumque in Causis ad forum Ecclesiasticum quomodolibet spectantibus ad Sedem Apostolicam, ejusque Delegatos, prout Juris fuerit interponendarum, introducendarum, prosequendarum, & terminandarum, aliorumve quorumvis Juris remediorum effectus quovis modo impediri valeat, aut differri, vel perturbari. Unicuique autem liceat quemlibet ex Conservatoribus prædictis, qui plures per memoratorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum literas deputati reperiuntur ad sui libitum adire.

§. 12. Quod si quis coram aliquo ex eisdem Conservatoribus citatus aliquam contra eum habuerit exceptionem, seu causam propter quam ab illo non speret obtinere posse Justitiæ complementum; liceat sic citato ad alium ex iisdem Conservatoribus recurrere, qui causam in statu, & terminis, in quibus reperietur assumere, illamque cum omnibus, & singulis suis incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali audire, cognoscere, & fine debito, prout juris fuerit, terminare possit, & debeat. Si autem Actori, seu illi, ad cujus instantiam decreta fuerit prima citatio, seu primum Monitorium relaxatum, aliqua contra Conservatorum à Reo, seu citato, ut præfertur, aditum, competierit legitima exceptio, poterit & ipse illum pariter recusare, ac ad alium ex d. Conservatoribus recursum habere; salvis tamen Reo, seu citato contra hunc quoque Conservatorem suis exceptionibus, ac ea lege Reus, seu primo loco in Judicium vocatus coram suspecto Judice litigare nullo modo cogetur.

§. 13. Porro Conservatores ipsi Assessores, Notarios, Actuarios, Apparitores, aliosve quoscumque Justitiæ Ministros sibi ex officio eligant, ac deputent, seu assumant: Nec Universitas prædicta in illorum electione, vel deputatione ullo modo se ingerere de cætero valeat, prout antehac per errorem fecisse memoratur. Ipsi vero Conservatores omnia, & singula, quæ in supradictis Pauli V. prædecessoris literis circa eorum Jurisdictionem, illiusque exercitium constituta, & ordinata sunt, exacte, & accurate servent, nec illa quomodolibet excedere audeant; Neque de causis beneficiorum, quibus per Coadjutorias cum futura successione ab hac S. Sede provisum est hactenus, & in futurum quandocumque providebitur, tametsi Beneficia ipsa per obitum in aliquo ex Mensibus prædictæ facultati Artium per easdem Pauli V. prædecessoris literas assignatis vacare contigerit, aut ad eadem Beneficia nominatio dictæ Universitati, seu facultati Artium, si illis per Coadjutorias hujusmodi provisum non esset, ex dispositione supradictorum Privilegiorum competeret, ullo modo cognoscere, ullumve desuper actum jurisdictionalem facere, vel attentare præsumant.

§. 14. Nec quisquam ullum ex Provisis Apostolicis per Coadjutorias cum futura successione hujusmodi ad Judicium coram Conservatoribus prædictis trahere, nec quo minus mandata de immittendo, & alia quæcumque etiam executiva per Executores, & Judices Apostolicos ad eorumdem Provisorum Apostolicorum favorem decernenda, & relaxanda executioni mandentur, quoquo modo impedire, nec ipsi Conservatores, eorumve quilibet in eis aliquo modo, nec cognoscendo, nec impediendo se ingerere possint, sub nullitatis omnium actorum, ac censurarum, & amissionis Officiorum, ac privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum pœna ipso facto, etiam absque alia sententia declaratoria incurrenda.

§. 15. Et quia alias Canonicatus, & Præbenda Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Oppidi Tongrensis, Leodien. Diœcesis per obitum q. Lamberti Lens ultimi illorum possessoris Mense Januario 1652. vacantibus, de quibus prius per Coadjutoriam cum futura successione ad favorem tunc in humanis agentis Francisci Fresart. à similis rec. Innocentio PP. X. prædecessore pariter Nostro canonice provisum fuerat, tunc existens Decanus, seu Vice-Decanus dictæ facultatis Artium, Canonicatum, & Præbendam hujusmodi tamquam in Mense eidem facultati assignato vacantes, cuidam Petro per Notarium, & ab hac Sancta Sede illico reprobatum abusum conferre, ipseque Petrus, ut collationem hujusmodi sibi sic nulliter, & invalide factam tueretur, & ad effectum deduceret non solum dictum Franciscum, ad cujus favorem Coadjutoria præfata emanaverat, ejusque in Canonicatu, & Præbenda hujusmodi Successorem Apostolica pariter auctoritate provisum, sed etiam Capitulum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Tongrensis coram Conservatore Privilegiorum dictæ Universitatis citare, & ad Judicium vocare, ipseque Conservator ad diversos actus, sententias, & Decreta, illorumque executionem nulliter, & de facto procedere, ac ipsos Provisos Apostolicos, & Capitulum, spretis inhibitionibus à Judicibus Apostolicis, & præsertim à

Ipsi Conservatores ex Officio sibi eligant, & deputent quoscumque Justitiæ Ministros.

Accurate servent, quæ circa eorum Jurisdictionem sunt statuta in literis Pauli V.

De causis beneficiorum, de quibus per Coadjutorias cum futura successione provisum fuerit, & providebitur etiamsi beneficia per obitum vacent in Mensibus d. Universitati reservatis nullatenus cognoscant.

Nullus Provisos Apostolicos per hujusmodi Coadjutorias cum futur. successione ad Judicium coram dd. Conservatoribus trahere audeat, prout in rub.

Pœnæ adversus contravenientes.

Declarat nulla, irrita, & attentata nonnulla acta à Decano, seu Vicedecano d. Universitatis.

prædicto Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorio emanatis multipliciter vexare, multiſque detrimentis, & diſpendiis afficere præſumpſerunt: Ideo collationem hujuſmodi eidem Petro a d. Decano, ſeu Vice-Decano factam, omniaque, & ſingula præmiſſa, & alia quælibet inde quomodocumque ſecuta ab ipſo initio penitus, & omnino nulla, invalida, & de facto præſumpta, & attentata fuiſſe, eſſe, & fore, nullumque Jus in eiſdem Canonicatu, & Præbenda, ſeu ad illos dicto Petro competiiſſe, aut competere, ſed etiam prædictum Capitulum Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Tongrenſis contra dictum Petrum jura ſua ad conſequendam refectionem, & reſtitutionem omnium, & ſingulorum damnorum, & detrimentorum, quæ præmiſſorum occaſione accepit, & paſſum eſt, experiri poſſe ad abundantiorem cautelam dicta auctoritate harum ſerie declaramus.

Abuſus in beneficiis, ad quæ d. Univerſitas ex privilegiis Apoſt. nominare, & conferre ſolebat, refertur.

§. 16. Ut autem Beneficia Eccleſiaſtica ad quæ nominare, & quæ conferre Univerſitati, & facultati Artium prædictis reſpective per Privilegia ſupradicta conceſſum fuit, æqua lance pro uniuſcujuſque meritis diſtribuantur, & abuſus quidam quo plures, quam antiquitus conſuetum erat, ad Concilium dictæ facultatis, ut majoris taxæ beneficialis capaces fierent, admittebantur, e medio tollatur: Volumus ſervari numerum ab antiquo ſtatutum, nempe quadraginta octo Perſonarum, quæ ſint de Concilio ejuſdem facultatis Artium, ad quod ſi contingat aſſumi aliquem, ſeu aliquos ex Rectoribus Parochialium Eccleſiarum Oppidi Lovanienſis caveatur efficaciter ne per aſſumptionem hujuſmodi impediatur exercitium curæ animarum; nec quiſquam acceptare poſſit Beneficium, cujus vacatio contigerit, antequam nominationi foret locus, uti nec Beneficium non Curatum, quod ante factam nominationem vacaverit.

Statuitur numerus perſonarum Concilii d. Univerſitatis, & quomodo Rectores Parochialium ad illud ſint aſſumendi.

Nemo poſſit acceptare beneficium vacans antequam ſit factus locus nominationi.

§. 17. Et quoad Beneficia Curata, ut melius animarum ſaluti proſpiciatur, illorum proviſionem a quibuſvis eorum Ordinariis Collatoribus ad menſem a die eorum vacationis computandum differri debere ſtatuimus, & ordinamus; Ac Privilegia Univerſitatis, & facultatis prædictarum benigne ampliando harum ſerie concedimus, & indulgemus, ut menſe hujuſmodi durante per eaſdem Univerſitatem, & facultatem Artium nominationes ad illa reſpective, ſervata cæteroquin eorumdem privilegiorum forma, & diſpoſitione fieri, ipſaque Beneficia Curata a nominatis acceptari poſſint, etiamſi ante nominationem, cui jam locus ſit, eorum vacatio eveniſſet; ita ſcilicet ut ſi aliquis, etiam ſenior Magiſter facultatis Artium, vel aliquis exiſtens de Concilio Univerſitatis ad tale Beneficium Curatum ante illius vacationem nominatus fuerit, illud non prius acceptare permittatur, quam judicio facultatis, vel Univerſitatis reſpective fuerit judicatus bene idoneus: Salvo nihilominus examine per Ordinarium faciendo, prout per prædictas Gregorii XIII., & Pauli V. prædeceſſ. literas expreſſe cautum reperitur.

Proviſio quoad beneficia curata differri debet per menſem a die eorum vacationis.

Durante dict. menſe poſſit Univerſitas nominare.

Nominatus nequit beneficium curatum acceptare niſi a Judicio d. facultatis, vel Univerſitatis fuerit idoneus reputatus, ſalvo examine per Ordinarium faciendo.

§. 18. Præterea abuſum illum circa Beneficiorum præſertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino recidere cupientes, ſtatuimus, ut nemo poſſit deinceps ſimul, vel ſucceſſive vigore Privilegiorum ſive facultati Artium, ſive Univerſitati hujuſmodi conceſſorum plures Canonicatus, & Præbendas, aut plura Beneficia Curata, vel Canonicatum, & Præbendam, ac aliud Beneficium Curatum pacifice obtinere.

Abuſus quoad pluralitatem beneficiorum.

Nemo deinceps plura beneficia incompatibilia ſimul, vel ſucceſſive vigore dd. privilegiorum poteſt obtinere.

§. 19. Si tamen aliquis poſt Parochialem Eccleſiam, vel Canonicatum, & Præbendam tenuis redditus annui vigore Privilegiorum hujuſmodi pacifice obtentam, vel obtentos, ob eminentiam doctrinæ aſſumptus fuerit ad legendum, aut regendum in aliquo Pædagogio, ſeu Collegio dictæ Univerſitatis, aut ad aliam publicam Academicam functionem, ex ſpeciali gratia indulgemus, ut poſſit talis adhuc vigore Privilegiorum prædictorum Canonicatum, & Præbendam vel Beneficium Curatum obtinere, priori Beneficio prius libere in manibus noſtris, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis dimiſſo, niſi diſpenſationem ſuper illius retentione ab hac S. Sede obtinuerit.

Provisus de aliquo Canonicatu, & Præbenda vel Parochiali Eccleſia tenuis redditus poſſit a d. Univerſitate de alia Parochiali, vel Canonicatu provideri priori dimiſſo in manibus Papæ, niſi diſpenſationem ſuper retentione utriuſque obtinuerit.

§. 20. Nemo quoque poſſit eodem anno vigore Privilegiorum hujuſmodi duo Beneficia ſimplicia non requirentia reſidentiam pacifice cum fructu acceptare, niſi ſecundum petat pro finali proviſione; & qui prætendet unum, & unam ex Canonicatibus, & Præbendis Cathedralium, ac Inſulenſis Beatæ Mariæ Aquiſgranenſis, Tongrenſis, Harlebacenſis, Sancti Servatii Trajectenſis Oppidorum, vel Sancti Dionyſii, aut Sancti Joannis, vel Sancti Pauli Civitatis Leodien. Collegiatarum Eccleſiarum reſpective, non poſſit obtinuiſſe pluſquam unum Beneficium ſimplex; Qui vero unum ex Canonicatibus, & Præbendis inferioribus, vel Parochialem Eccleſiam, non poſſit obtinuiſſe pluſquam duo; Nemo denique unquam ultra tria Beneficia, etiam reſidentiam non requirentia, obtinere valeat, etiam ex parte diverſi Privilegii Univerſitati, & facultati Artium hujuſmodi reſpective conceſſi.

Nemo vigore dd. privilegiorum poſſit duo beneficia ſimplicia cum fructu acceptare niſi ſecundum petat pro finali proviſione.

Prætendens unum Canonicatum, & Præbendam in certis Eccleſiis prout in rubrica nequeat obtinuiſſe pluſquam unum beneficium ſimplex.

In aliis Eccleſiis, vel beneficium curatum prætendens non poſſit obtinuiſſe pluſquam duo ſimplicia.

Nemo ultra tria beneficia ſimplicia obtinere valeat etiam ex parte diverſi Privilegii d. Univerſitati conceſſi.

§. 21. Cæterum non intendimus per præmiſſa taxam Beneficiorum, ad quæ nominationes vigore Privilegiorum prædictorum fieri poſſunt ullo modo ampliare, ſed circa taxam hujuſmodi ipſorum Privilegiorum diſpoſitionem, etiam quoad Canonicatus, & Præbendas, aliave Beneficia ſupra expreſſa, quatenus illorum fructus, redditus, & proventus eamdem taxam excedant, omnino ſervari volumus.

Taxa beneficiorum, ad quæ hujuſmodi nominationes fieri poſſunt ſervari mandat.

§. 22. Ut autem Beneficiorum unicuique collatorum, ſeu ad quæ unuſquiſque jam nominatus fuerit, notitia facilius habeatur, teneatur unuſquiſque intra terminum unius Menſis Beneficia jam obtenta annotari curare in libris dictarum Univerſitatis, & facultatis Artium reſpective, in quibus nominationes ad Beneficia, ac Collationes Beneficiorum per eaſdem Univerſitatem, & facultatem Artium reſpective pro tempore factæ annotantur, ſeu regiſtrantur, ac de jam obtento, ſeu obtentis Beneficiis in ſecunda, vel tertia proviſione, ſeu nominatione mentionem facere; Penſiones quoque ex cauſa reſignationis Beneficii vigore Privilegiorum prædictorum obtenti Reſignanti reſervatæ in eiſdem libris pariter annotari, & de illis in poſterioribus nominationibus, ſeu proviſionibus mentio fieri debeat.

In libris dd. Univerſitatis annotantur nominationes, & collationes beneficiorum factæ & de obtentis in 2. & 3. proviſione, vel nominatione mentio fiat.

In eis etiam fiat mentio de penſionibus ex cauſa reſignationis Reſignanti reſervatæ, & de illis in poſterioribus nominationibus, vel proviſionibus mentio fieri debeat.

§. 23. Et quatenus aliquis compoſitionem, ſive concordiam ſuper Beneficio ſic obtento cum Adverſario jam iniverit, aut quandocumque in futurum ineat, per quam aliquid ſibi in compenſationem Beneficii dimiſſi præſtitum fuerit, aut præſtetur, id in libris prædictis pariformiter annotetur, habeaturque pro una proviſione ei jam facta, itaut eo pauciores nominationes, ſive collationes Beneficiorum ab Univerſitate, ſeu facultate Artium præfatis reſpective prætendere, ſeu petere valeat.

Item de penſione ex cauſa Compoſitionis, vel Cõcordiæ dimittẽti beneficiũ reſervata, ut habeatur pro una proviſione.

§. 24. Quia vero Privilegia prædicta in favorem illorum, qui literarum ſtudiis in dicta Univerſitate operam navant, ab hac Sancta Sede

Nemo ad beneficium possit nominari, aut ei conferri qui saltem per annum integrum in eadem Universitate non resederit ibique scholas frequentaverit.

emanasse noscuntur, volumus insuper, & ordinamus, ut nemo sive ab Universitate, sive a facultate Artium hujusmodi ad Beneficium quodcumque nominari, nec Beneficii cujusvis collatio ei fieri possit, qui saltem per annum integrum in eadem Universitate non resederit, ibique scholas frequentaverit, & studia hujusmodi diligenter prosecutus fuerit.

D Universitas non potuit nominare ad beneficia Vacantia vacantibus Sedibus Archiepiscop. & Episcopalibus, aut Prælaturis Collatorum Ordinariorum vacantibus.

§. 25. Porro licet ex privilegiorum supradictorum tenore minime liceat facultati Artium, & Universitati prædictis ad Beneficia, quæ Sedibus Archiepiscopalibus, sive Episcopalibus, aut Prælaturis collatorum Ordinariorum vacantibus vacare contingit, nominare, & quidquid secus antehac factum fuit, id nulliter, & invalide factum fuerit, prout memoratus Clemens IX. Prædecessor per literas suas prædictas declaravit; quia tamen Ecclesiarum, seu Prælaturarum hujusmodi provisiones interdum diu differuntur: ex speciali gratia concedimus, & indulgemus, ut inposterum nominationes ad Beneficia quæ post elapsum semestre a die quo sedium Archiepiscopalium, seu Episcopalium, aut Prælaturarum hujusmodi vacatio secuta fuerit, vacare contigerit, per easdem Universitatem, & facultatem Artium respective servata cæteroquin tam prædictorum Privilegiorum, quam præsentium literarum forma, & dispositione fieri libere, & licite valeant: Ita tamen ut nominationes hujusmodi connumerentur inter illas, quas vita, Prælatura, & administratione Prælati successoris durante facere possent; ipseque Prælatus successor non amplius gravetur, quam gravaretur si Beneficia hujusmodi, ad quæ Sede, vel Prælatura vacante, facta fuerit nominatio, eo jam Sedem, seu Prælaturam obtinente vacare cœpissent.

Ex speciali gratia quando ad hujusmodi beneficia vacantia nominare possit.

Hujusmodi nominationes connumerari debent inter illas, quas vita, Prælatura, & administratione Prælati successoris durante eadem Universitas facere possit.

§. 26. A nominationibus vero ad Beneficia hujusmodi, quæ intra semestre prædictum a die secutæ vacationis Sedis, vel Prælaturæ vacare contigerit, tam Universitatem, quam facultatem Artium hujusmodi omnino abstinere volumus, ipsorumque Beneficiorum, collationem, promissionem, & omnimodam dispositionem ad Nos, & Sedem Apostolicam prædictam pleno jure spectare, & pertinere declaramus.

Provisio beneficiorum vacantium intra semestre a die sequutæ Vacationis Sedis Archiepiscop. Episcop. vel Prælaturæ reservatur S. Sedi.

§. 27. Et quia probationes super non excessu taxæ personalis per Privilegia prædicta præscriptæ, quas ad Beneficia eorumdem Privilegiorum vigore nominati facere debent, ab iis concludenter fieri plerumque vix possunt; eisdem pro tempore nominatis harum serie indulgemus, ut taxam personalem hujusmodi per duos testes juratos, etiam jam domesticos de publica voce, & fama deponentes cum juramento, ipsorum nominatorum probare possint, ita tamen, ut hæc probatio contrariam probationem non excludat.

Probatio super non excessu taxæ personalis fieri possit per 2. testes juratos, cum juramento nominatorum. Hæc contrariam probationem non excludat.

§. 28. Cæterum quamvis Privilegia prafata præcipue ad illos, qui studiorum labores in Universitate prædicta sustinuerunt, in iisque juventutis annos consumpserunt, inopiæ ærumnis præsertim in senecta ætate eximendos concessa fuerint, nihilominus etiam aliis opulentioris fortunæ, qui docendo, aut regendo benemeriti fuerint præmia non deesse cupientes, præfato Carolo Antonio Moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Sedis prædictæ in Belgicis Ditionibus Internuncio, seu Nuncio cujuslibet decennii spatio duobus ex parte facultatis prædictarum respective, qui docendo, seu regendo benemeriti fuerint, bonumque pietatis, & doctrinæ, ac peculiaris erga hanc Sanctam Sedem observantiæ specimen dederint, ut licet redditus annuos supra taxam personalem per privilegia prædicta præscriptam possideant, nihilominus eorum singuli ad unum tantum Beneficium Ecclesiasticum, in quo condigne valeant residere, nominati, & vigore nominationum hujusmodi Beneficia, ad quæ nominati fuerint, acceptare, ac consequi, & obtinere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde acsi redditus annuos supra taxam personalem hujusmodi minime possiderent, auctoritate nostra Apostolica concedendi, & indulgendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur.

Dat Internuncio, seu Nuncio facultatē quolibet decennio duobus benemeritis de d Universitate licet redditus annuos, ultra taxam personalem possidentibus possit aliud beneficium pro singulis conferri.

§. 29. Præmissa autem omnia, & singula a nobis statuta, decreta, mandata, & ordinata ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse servari volumus, ac sub expressa lege, & conditione illa, & alia quæcumque per hanc Sanctam Sedem in posterum statuenda, & ordinanda, ac Universitati, & facultati Artium prædictis præscribenda, & injungenda exacte, & accurate servandi, suspensionem Juris, & facultatis ac Indulti conferendi Beneficia in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentia in mensibus dictæ facultati Artium per supradictas Pauli V. prædecessoris literas concessis vacatura a prædicto Clemente IX. Prædecessore ad suum, & Sedis Apostolicæ Beneplacitum factam ut præfertur dicta auctoritate earumdem tenore præsentium relaxamus, & revocamus, ac ex nunc revocatam fore.

Mandat observantiam omnium supradd. Statutorum, & Decretorum.

Sub hac expressa lege, & conditione servandi omnia supradd. Statuta, & in posterum statuenda; Pontifex revocat suspensionem a Clemente IX. factam Juris, ac facultatis, & Indulti conferendi beneficia.

§. 30. Præsentes vero literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Rector, Magistri, Doctores, aliique Graduati, & Scholares, ac Conservatores privilegiorum Universitatis prædictæ, & præsertim Decanus, seu Vicedecanus facultatis Artium hujusmodi, ac Receptor, & Procuratores quatuor Nationum ejusdem facultatis, & alii quilibet quacumque Ecclesiastica vel mundana dignitate, vel potestate præditi, & fungentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, conditionis, & qualitatis existant, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter deductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, & juridica, ac pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, formali, substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari ad viam, seu terminos Juris, aut Privilegiorum dictæ Universitati, ejusque facultati Artium quomodolibet concessorum reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus ipsas præsentes literas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos quovis modo spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari.

Supplet omnes defectus.

Mandat præsentes literas semper validas, & efficaces esse, ac fore.

§. 31. Sic-

Decretum irritans.

§. 31. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, dictæque Univerſitatis Privilegiorum Conſervatores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuncios, & Internuncios, alioſque quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quacumque Cauſa, & Inſtantia judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his quacumque auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Ampliſſime quibuſcumq; contrariis derogat.

§. 32. Non obſtantibus prædictis Clem. IX. prædeceſſoris literis, ac de Jure quæſito non tollendo, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, cæteriſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus necnon quatenus opus ſit Univerſitatis Lovanien. & facultatis Artium hujuſmodi, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Romanæ Curiæ, aliiſve quibuſlibet ſtylis, & uſibus etiam (quantumvis antiquis, & inveteratis; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis Univerſitati Lovanien., ejuſque facultati Artium hujuſmodi, ac earum reſpective Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus graduatis, Scholaribus, Decanis, Vicedecanis, Receptoribus, Procuratoribus Nationum, facultatibus, Conſervatoribus Privilegiorum, ac ſuppoſitis, & Perſonis quibuſlibet, aliiſve quibuſvis quomodolibet numeratis, & qualificatis per memoratos Martinum V. Eugenium IV. Paulum II. Sixtum IV. Alexandrum VI. Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. Paulum III. Pium IV. Greg. XIII. & Paulum V. alioſve forſan Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem prædictam etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu etiam ad Imperatoris, Regnum, Reginarum, Archiducum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque quorumlibet, quavis Eccleſiaſtica vel mundana dignitate, præcellentia, & poteſtate fulgentium inſtantiam, ſeu eorum interceſſione, vel contemplatione ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis mentis atteſtationis reſtitutivis, poſteriorem datam eligendi facultatem, quam nemini contra præſentes literas ſuffragari volumus continentibus, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac decretis etiam irritantibus in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries, ac quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis etiamſi in iiſdem literis, inter alia caveatur expreſsè, quod illis per quaſcumque Apoſtolicas etiam in forma Brevis, & ſub nomine Cameræ Apoſtolicæ pro tempore expeditas, ſeu dictæ Sedis, ejuſque Legatorum, aut Nunciorum literas etiam quoſlibet generales, vel ſpeciales etiam derogatoriarum derogatorias, aliaſque efficaciores, & inſolitas clauſulas, necnon irritantia, & alia Decreta in ſe continentes, & ſub quibuſvis verborum formis, & expreſſionibus conceptas derogari nullatenus poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi earumdem literarum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertus, ac urgens, & ſufficiens Cauſa expreſſa, & per trinas diſtinctas literas, illarum tenorem continentes tribus diſtinctis vicibus cum trium menſium intervallo prædictæ Univerſitati legitime intimata, & inſinuata, ac derogationes ipſæ, Motu, & ſcientia ſimilibus factæ fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expreſſe derogare voluiſſe, & aliter pro tempore factæ derogationes nullius roboris, vel momenti ſint, & nemini ſuffragentur, ac pro infectis, & non conceſſis haberi debeant.

Perſonæ d. Univerſitatis in quibuſvis eorum cauſis extra muros Oppidi Lovanien. in 1. inſtantia trahi, citari, vel convenire non poſſint, prout in rub.

§. 33. Quodque Rector, Doctores, Magiſtri, Scholares, cæterique legentes dictæ Univerſitatis, ſeu aliæ illius perſonæ quæcumque, vigore quarumcumque literarum, à Sede prædicta, ſeu illius Legatis, Delegatis, & ſubdelegatis, aut alias quomodolibet emanatarum, & conceſſarum in quibuſvis eorum cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis extra muros dicti Oppidi Lovanien. in prima inſtantia trahi, citari, vel convenire, aut alias ad judicium evocari non poſſint, dummodo coram aliquo ex Conſervatoribus prædictis in dicto Oppido parati ſint quibuſcumque poſcentibus de Juſtitia reſpondere, ſed ipſi Rector, Doctores, Magiſtri, & Scolares Adverſarios ſuos, dummodo Sedis prædictæ officiales, aut in Romana Curia præſentes non ſint coram aliquo ex iiſdem Conſervatoribus trahere, convenire, & ad Judicium evocari facere in prima Inſtantia, ut præfertur, libere, & licite valeant. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi in eis alia quæcumque etiam de neceſſitate ſpecificè exprimenda contineantur, & pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quæcumque alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, occaſiones, & cauſas, etiam quantumvis, prægnantes, pias, & privilegiatas præſentibus pro plene, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertis, & expreſſis, ac exactiſſime adductis, & accuratiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum derogamus, Noſque ex urgenti, & ſufficienti cauſa derogare, & derogatum velle declaramus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Suos Adverſarios in 1. inſtantia coram Conſervatoribus trahere poſſint dummodo S. Sedis Officiales aut præſentes in Curia non ſint.

Omnibus de neceſſitate ſpecifice exprimendis in contrarium pariter derogat.

Tranſumptorum fides.

§. 34. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem proſus fides in Judicio, & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi originaliter exhibitæ forent, & oſtenſæ. Utque eædem præſentes literæ, ſeu earum tranſumpta, ſive exempla hujuſmodi ad valvas Cathedralis Leodien., ac Sanctæ Mariæ Tongrenſis, & Sancti Petri Lovanienſis Oppidorum Collegiatarum Eccleſiarum publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ Rectorem, Magiſtros, Doctores, Scholares, Decanum, Vicedecanum, Conſervatores, & alios præfatos, cæteroſque quos quomodolibet concernunt, & concernent in futurum perinde afficiant, & arctent, ac ſi illorum cuilibet perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent.

Præſentium literarum publicatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Octobris 1673. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Edit. 10. Oct. 1673. An. 4.

Placet E.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secr. Brevium menſis lib. 4. diverſorum fol. 107.

XLVIII.

Suppressio perpetua quarumcumque Confraternitatum, seu Congregationum sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, B.M.V. Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris, ubicumque erectarum, cum prohibitione libellorum, foliorum, Constitutionum, Regularum, Imaginum, & usus quarumdam catenularum, aliorumque ad illarum Institutum spectantium, juxta Decretum Congregationis S. Officii.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à tollendis abusibus, & scandalis.

PAstoralis officii, quod authore Deo gerimus, cura animum nostrum assidue solicitat, ut quæcumque pie, licet primitus instituta, irrepentibus subinde abusibus, non solum a pietate recessisse, sed etiam gravibus scandalis causam præbere cognoscuntur, e medio tollere, atque abolere studeamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei Gloriam, ac Fidelium ædificationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Nonnullæ Confraternitates sub titulo Gregis boni Pastoris earumque Constitutiones, & Regulæ, in quibus usus catenularum & alia quædam a doctrina, & praxi Ecclesiæ aliena reperiuntur.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) nonnullæ Congregationes, seu Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris variis in locis ordinaria, seu etiam Apostolica auctoritate erectæ, & institutæ existant, in quarum Constitutionibus, & Regulis usus quarundam catenularum, aliave quæpiam à doctrina, & praxi Ecclesiæ dissentanea reperiuntur, & de quarum instituto libella, folia, & imagines in vulgus edita sunt, ex quibus scandala, & offensiones in dies oriri possunt.

Has Confraternitates Pontifex perpetuo supprimit, & extinguit.

§. 2. Nos hujusmodi mala atque incommoda ne latius serpant, Apostolicæ nostræ solicitudinis sarculo recidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Congregationes, seu Confraternitates quascumque sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris ubicumque Terrarum sicut præmittitur erectas, & institutas, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo supprimimus, extinguimus, & abolemus, perpetuoque suppressas, extinctas, & abolitas esse, & fore decernimus, & declaramus.

Lectionem, & retentionem dd. Constitutionum, Imaginum, ac usum catenularum perpetuo prohibet, & interdicit.

§. 3. Præterea libellos omnes, folia, & Constitutiones, Regulas, Imagines, & usum catenularum hujusmodi, aliave quæcumque ad institutum earumdem Confraternitatum, seu Congregationum spectantia, eorumque respective lectionem, retentionem, & usum quibuscumque Christifidelibus auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Confraternitatum, necnon quarumcumque Ecclesiarum tam secularium, quam regularium, in quibus Confraternitates ipsæ erectæ sunt, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio præsentium literarum.

§. 6. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, & publicari, sicque publicatas, omnes, & singulos quos illæ concernunt perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 15. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Decembris par. 1. fol. 1.

XLIX.

Exemptio Vicariorum Apostolicorum, eorumque Missionariorum in Indiis Occidentalibus, & partibus Sinarum à Jurisdictione Goanæ Inquisitionis, in ea Parte, in qua non dominatur temporaliter Rex Portugalliæ, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis Locis dd. Vicariis Apostolicis commissis, & Principibus Infidelibus subjectis.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1673.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per Universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut ea, quæ Catholicæ fidei propagationi impedimentum adferre possunt, e medio tollere, & Operarios in Vinea Domini strenue, utiliterque laborantes ab indebitis gravaminibus, atque molestiis, quantum cum Domino possumus, tueri studeamus.

Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, Sinarum, &

§. 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus) Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, & partibus Sinarum ab hac S. Sede Apostolica

deputati,

partibus, eorumque Missionarii varias vexationes à Ministris Inquisitionis Goanæ receperunt.

deputati, eorumque Missionarii varias vexationes à dilectis filiis Commissariis, aliisque Officialibus, seu Ministris Officii Inquisitoris adversus hæreticam pravitatem in Civitate Goan. auctoritate Apostolica instituti, acceperint, & passi sint, ac eorum aliqui à Missionum Locis amoti, & in carcere detenti fuerint, in grave S. operis conversionis Infidelium, ac propagationis Catholicæ fidei, cui dictæ Sedis auctoritate destinati sunt, præjudicium, & detrimentum.

DD. Vicarios Apost., eorumque Missionarios pro tempore eximit à quacumque Jurisdictione Inquisitorum Civitatis Goanæ in ea parte tantum, in qua Rex Portugalliæ temporaliter non dominatur prout in rub.

§. 2. Nos ejusmodi malis ansam, & occasionem in futurum præcidere cupientes ejusdem Vicarios Apostol. eorumque Missionarios tam missos, quam mittendos, & eorum quemlibet, a quacumque Jurisdictione Inquisitorum, Commissariorum, Judicum, aliorumque quorumlibet Officialium, & Ministrorum dicti Officii Inquisitoris hæreticæ pravitatis in ea parte tantum, in qua Charissimus in Christo filius noster Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris temporaliter non dominatur, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis locis, quæ memoratis Vicariis Apostolicis commissa, & Principibus Infidelibus subjecta sunt, auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos, & liberatos, dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse, & fore decernimus, & declaramus. Districte prohibentes Inquisitoribus præfatis, & per ipsos omnibus eorum Commissariis, ac Ministris, & Officialibus, ne in posterum ullum Jurisdictionis actum in dd. Vicarios Apostolicos, & eorum Missionarios exercere audeant quovis modo, seu præsumant.

Decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis, Missionariis præfatis in omnibus, & per omnia pleniss. suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatos Inquisitores, alioqui quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam Universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon d. Inquisitionis Officii, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostol. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum, in genere, vel in specie concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tàm in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 22. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secr. Br. in lib. Mensis Jan. par. 1. fol. 99.

Confirmatio, & innovatio Brevium Alexand. VII. & Clem. IX., ac Decretorum Congregationum de Propaganda Fide ad favorem Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum apud Sinas emanatorum, eorumque Missionariorum &c. L.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem, quem Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini cum potestatis plenitudine præposuit Altissimus, ac æqui, bonique supremum assertorem in Terris constituit, ea, quæ a prædecessoribus suis, & hac S. Sede Apostolica ad Christianæ Religionis, & Orthodoxæ fidei præsertim in remotissimis ab hac S. Sede locis propagationem, animarumque pretioso unigeniti Dei filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem, felicemque fidelium in via mandatorum Domini directionem, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, Pontificiæ charitatis zelo emanarunt, ut firma, atque illibata persistant, nec temerariis quorumdam, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ausibus violentur, Apostolici muniminis præsidio corroborare, ac à perversis quorumcumque calumniantium conatibus tueri, ne messis, quam fideles Operarii ab eadem S. Sede missi plantarunt, & rigarunt, inimico superseminante zizania, detrimentum accipiat, sed benedicente, atque incrementum largiente Domino ad perfectæ finem perveniat maturitatis, & horrea Dominica uberrimo fructu locupletet.

Alexan. VII. designatis Episcopis commisit administrationem nonnullarum Provinciarum prout in rub. donec aliter à

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa VII. prædecessor noster de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Consilio, per ternas suas in simili forma Brevis literas, binas quidem die 9. Septembris 1659., reliquas verò die 20. Septembris 1660. respective expeditas, Venerabil. Fratres Franciscum Pallu Episcopum Heliopolitan. in Regno Tunchini cum administratione infrascriptarum Provinciarum, videlicet Junam, Queriteu, Huquang, Sucenen, Quangsii, & Luos; ac Petrum Episcopum Beryten. Cocincinæ cum administratione harum Provinciarum nempe Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsii, Insulæ Hainaum, aliarumque Insularum, necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cotolendi Episcopum Metellopolitan. Nanchini in Sina

Congreg. de Propaganda Fide fuisset demandatum.

cum administratione Provinciarum infra expressarum videlicet, Pechuin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Cortæ, & Tartariæ Vicarios Apostolicos respective donec, & quousque a præfatorum Cardinalium Congregatione fuisset aliter mandatum, aut dispositum, auctoritate Apostolica fecit, constituit, & deputavit; Ac ipsis Francisco, Petro, & Ignatio Episcopis dedit facultatem, ut si contingeret aliquem ex ipsis in itinere, vel postquam illuc perveniissent, morte, vel alio eveniente defectu, deficienti proximior, posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire, qua ratione illorum Christifidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remanerent, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quæ statim de prædictis certior reddi deberet, aliter fuisset dispositum.

DD. Episcoporum aliquo deficiente proximior Episcopus illius deficientis Provincias possit administrare, aut novam divisionem cum alio Episcopo inire donec d. Congr. aliter disponat.

§. 2. Ut autem in Partibus prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino radicari valeret, eisdem Francisco, & Petro, & Ignatio Episcopis cum Christifidelibus earumdem partium indigenis sibi uti Vicariis Apostolicis respective vigore præfatarum literarum pro tempore subditis, ut ipsi licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ, ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis etiam Altaris ministerio ministrare libere, & licite possent, & valerent, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum videlicet Canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua, ipsorum Episcoporum arbitrio commutandi, facultatem ad septennium dumtaxat pariter concessit, & impertitus est, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Eis indulget ut ad septennium suos subditos licet Idioma latinum non intelligant dummodo illud legere sciant, eisque Canon Missæ, ac formulæ Sacramentorum declarentur ad omnes etiam SS. Ordines, & Presbyteratum promovere possint eis commutando recitationem Divini Officii in alias preces.

§. 3. Et subinde cum eidem Alexandro prædecessori relatum fuisset, quod præfatus Ignatius Episcopus viam universæ carnis ingressus fuerat, si vero utriusque, vel alterius ex dictis Francisco, & Petro Episcopis obitu quoque eveniente, Episcopi hinc denuo ad partes præfatas mittendi essent, non solum maximæ difficultates superandæ, gravissimique labores exantlandi forent, sed etiam grave periculum immineret, ne inter longas temporis moras, quas intervenire necesse foret, grande illud opus directionis Christifidelium illic degentium, Propagandæque Christianæ Religionis ab iisdem Francisco, & Petro Episcopis laudabiliter inceptum omnino deperiret, ipse Alexander prædecessor de præfatorum Cardinalium Consilio, per alias suas pariter in forma Brevis literas die 4. Februarii 1664. emanatas, illis ex præfatis Francisco, & Petro Episcopis, qui alteri, quem præmori contingeret, superstes foret, ut unum ex Presbyteris hinc cum ipsis ad easdem partes profectis, quem in Domino magis idoneum, & tanto muneri exequendo aptiorem judicavisset, Ecclesiæ in partibus Infidelium consistenti, quæ per obitum prædefuncturi ex ipsis Pastoris fuisset destituta solatio, in Episcopum, & Pastorem auctoritate Apostolica præficere, eique sic præfecto munus consecrationis cum assistentia aliorum duorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adessent, sin minus etiam sine illorum assistentia, servatis tamen quantum locus, & tempus permitterent, Cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo ejusdem Alexandri prædecessoris, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito Juramento, impendere libere, & licite posset, & valeret, facultatem dicta auctoritate tribuit, & impertitus est. Ac eumdem Episcopum sic ordinandum ex tunc prout postquam ordinatus, & consecratus fuisset, ut præfertur Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco illius, ex præfatis Francisco, & Petro Episcopis, qui prior decessisset cum omnibus, & singulis facultatibus, ei per literas prædictas attributis, donec tamen, & quousque a præfata Cardinalium Congregatione aliter mandatum, aut dispositum fuisset eadem auctoritate deputavit, substituit, & subrogavit salva tamen pariter in præmissis auctoritate d. Congregationis Card., quam de eisdem præmissis ab alterutro eorumdem Francisci, & Petri Episcoporum superstite, quanto citius fieri posset, voluit fieri certiorem. Cæterum præfato Episcopo, ut ipse ad Ecclesiam, cui vigore harum literarum præfectus fuisset, quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, accedere, & apud illam personaliter residere minime teneretur, dicta auctoritate indulsit.

Deficientibus dd. Episcopis superstes potest unum ex Presbyteris cum ipsis ad easdem Partes magis idoneum in Episcopum Ecclesiæ partibus Infideliū præficere, prout in rub. cum assistentia duorum Sacerdotum, vel sine.

§. 4. Ac postmodum cum præfati Franciscus, & Petrus Episcopi per Presbyterum, quem illuc miserant, dicto Alexandro prædecessori exponi fecissent, quod ipsi e re Dominici gregis magnopere futurum existimabant, si supradicto Ignatio Episcopo defuncto, successor in Vicariatu Apostolico, ei sicut præfertur demandato constitueretur; Idem Alexander prædecessor de consilio Congregationis tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus Regni Sinarum ab eo deputatæ per alias suas similiter in forma Brevis die 28. Februarii 1665. expeditas literas memoratis Francisco, & Petro Episcopis, ut unum ex præfatis Presbyteris cum ipsis una ad partes supradictas profectis, quem obeundo Vicariatus Apostolici hujusmodi muneri magis idoneum in conscientia judicavissent, Ecclesiæ Metellopolitan. per obitum dicti Ignatii Episcopi solatio Pastoris tunc destitutæ in Episcopum, & Pastorem auctoritate Apostolica præferre, illique sic præfecto munus consecrationis cum assistentia unius, vel duorum aliorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adessent, sin minus etiam absque ejusmodi assistentia, servatis tamen pariter quantum locus, & tempus permitterent cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, receptoque prius ab illo fidelitatis debitæ Juramento præfato, pariter impendere libere, & licite valerent, facultatem auctoritate præfata tribuit similiter & impertitus est, ea tamen lege, ut hac facultate non uterentur, nisi quando eis permissum fuisset ingredi ea loca, in quibus Vicariatum Apostolicum præfato Ignatio Episcopo, sicut supradictum est, demandaverat.

Episcopum sic de novo consecratum possit Vicarium Apost. in illis partibus constituere in locum illius Episcopi, qui prior decesserat, prout in rubrica.

Episcopus sic de novo ordinatus ad Ecclesiam in partibus Infidelium, donec ab illis detinetur accedere non teneatur.

Insuper dictis duobus Episcopis indulsit ut unū ex Presbyteris ad supradictas partes secum profectis, ut in locum Episcopi Ecclesiæ Metellopolitan. alium subrogarent, prout in rubrica.

§. 5. Quod si dicti Franciscus, & Petrus Episcopi propter locorum distantiam, vel aliud impedimentum pro hujusmodi Episcopi in locum præfati Ignatii defuncti ordinatione insimul convenire nequirent, totam hanc facultatem remanere voluit penes præfatum Petrum Episcopum Beryten., qui si tempore adventus ultimo datarum literarum ad illas partes de hoc sæculo migravisset, eadem facultas penes memoratum Franciscum Episcopum Heliopolitan. resideret. Ambobus autem ab hac luce subtractis, hanc eamdem facultatem ordinandi Episcopum dictæ Ecclesiæ Metellopolitan. in locum supradicti Ignatii defuncti haberet ille Episcopus, quem alter superstes ex eisdem Francisco, & Petro Episcopis in vim præfatarum literarum die 4. Februarii 1664. emanatarum consecravisset. Ac Episcopum vigore ultimarum Alexandri prædecessoris literarum hujusmodi sicut præmittitur ordinandum ex tunc prout postquam ordinatus fuisset, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco memorati Ignatii Episcopi, cum omnibus,

Si insimul convenire nequirent tota facultas alium Episcopum residear in uno prout in rub.

Hac facultate quando uti deberent.

Ambobus deficientibus eadem facultas sit apud illum Episcopum, quem alter ex eis jam ordinaverat.

Sic ordinatus Episcopus Metellopolit. Vicariatū

Apostol. in illis partibus in locum defuncti gerere possit, prout in rubr.

nibus, & singulis facultatibus, quæ eidem Ignatio Episcopo per præfatas literas quomodolibet attributæ fuerant, donec tamen, & quousque a memorata Congregatione Cardinalium aliter mandatum, vel dispositum fuisset, auctoritate præfata deputavit pariter, ac substituit, & subrogavit, salva similiter in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium, quam de iis omnibus, quæ earumdem ultimarum literarum vigore gesta fuissent, quantocitius, etiam voluit reddi certiorem.

Ad d. Ecclesiam in Metellopolit. accedere non teneatur.

§. 6. Demum novo Episcopo Metellopolitan. sicut præfertur ordinando Indultum non accedendi ad Ecclesiam Metellopolitan. hujusmodi quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, nec apud illam personaliter residendi pariformiter concessit, & alias prout in præfatis Alexandri prædecessoris literis, quarum omnium, & singularum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Civitas Juthia est præcipuum Emporium totius Regni Siani.

§. 7. Et successive accepto per rec. me. Clementem PP. IX. prædecessorem pariter nostrum, quod Civitas Juthia vulgo Siam præcipuum esset Emporium totius Regni Siani, & ad illam continuus esset concursus diversarum Nationum tam vicinarum, quam longinquarum, quibus Rex d. Regni, ut ad illam libentius confluerent, & ibidem securius commorarentur, liberum Religionis, & Sectarum quarumlibet exercitium concesserat, ac nomine præfatorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum ad Regna Sinarum, Tunchini, & Cochinchinæ destinatorum d. Clementi prædecessori exposito, quod ipsi ob arduas difficultates ingrediendi fines suorum Vicariatuum Sedem in dicta Civitate interea fecerant, Ecclesiam, seu Cappellam ibidem erexerant, & in Conversionem Infidelium tam suorum Vicariatuum, quam aliarum Nationum incubuerant, Seminarium quoque instituerant, cupiebantque propterea Episcopo Metellopolit. Vicario Apostolico ad Sinas consecrato, seu mox consecrando extensionem administrationis, seu Vicariatus ad dictum Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem benigne concedi; idem Clemens prædecessor supplicationibus eorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de memoratorum Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum consilio, præfato Episcopo Metellopolitan. administrationem sui Vicariatus ad Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem hujusmodi auctoritate Apostolica extendit quousque ingredi in Sinas idem Episcopus Metellopolitan. posset, cum obligatione tamen dictum ingressum diligenter procurandi, & eo casu facultatem quoque eidem concessit Provicarium ibidem constituendi donec aliter per Sedem Apostolicam provisum fuisset.

Vicarii Apostol. Tunchini, & Cochinchinæ ob arduas difficultates ingrediendi fines suorum Vicariatuum sedē in d. Civitate fecerant.

Pro eadem gratia supplicant favore Episcopi Metellopolitani Vicarii Apostol. ad Sinas consecrari, seu mox consecrandi.

Clemens IX. d. Episcopo Metellopolitano administrationem sui Vicariatus extendit usque ad Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem, prout in rubrica.

Casu quo ingredi possit in Sinas ei facultatem constituendi Provicarium in d. Civitate, donec aliter per S. Sedem fit provisum.

§. 8. Ut autem præfati Episcopi Vicarii Apostolici apud Sinas, ac Tunchino, & Cochinchina respective auctoritate Apostolica deputati injuncta sibi munera ad Christifidelium illarum partium utilitatem adjuvante D. facilius exequi valerent; dictus Clemens prædecessor ex commisso sibi cœlitus Sacrosancti Apostolatus officio providere volens, eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis cum Neophitis suorum respective Vicariatuum quoque, seu quibusvis (non tamen primo) consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valerent, dicta auctoritate, gratis tamen dispensandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujusmodi Matrimonium etiam scienter contraxissent, ab excessibus, & excommunicationibus, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis ea de causa incursis in utroque Foro gratiis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam, & suscipiendam legitimam decernendi facultatem ad viginti annos tantum duraturam, quam ipsi Episcopi Vicarii Apostolici, suis respective Provicariis secundum datam sibi a D. prudentiam communicare possent eadem auctoritate concessit, & impertitus est, & alias prout in binis ipsius Clementis prædecessoris pariter in forma Brevis literis die 4., & die 11. Julii 1669. respective expeditis, plenius etiam continetur. Ac demum idem Clemens prædecessor alias in simili forma Brevis literas concessit, tenoris qui sequitur, videlicet.

Indulget, ut hanc facultatem possint aliis communicare.

Exordium.

§. 9. Clemens PP. IX. Ad futuram rei memoriam. Speculatores Domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia in terris a D. constituti, ad illa præcipue charitatis, atque vigilantiæ nostræ Pastoralis studia convertimus, quæ Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationem concernunt; ut illis certam, atque prudentem, ex solita hujus Sanctæ Sedis providentia, & rectitudine, normam tradamus, & sublatis dubiis, atque controversiis, quæ inter Operarios in Vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes, enasci, illorumque labores, & laborum fructum turbare, vel impedire possent, omnia pie, sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant benedicente D. fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque Mater Ecclesia uberioribus, atque lætioribus in dies gaudeat incrementis.

Exponuntur dubia ex parte Vicariorum Apostolicorum.

§. 10. Cum itaque, sicut Venerabilis Frater Franciscus Episcopus Heliopolitanus, Vicarius Apostolicus in Regni Tunchini, cum administratione Provinciarum Sinæ huic Regno adjacentium, videlicet Junam, Querikeu, Hucquang, Succuen, Quangsii, & Laos, a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore nostro constitutus, & deputatus, tam suo, quam Venerabilis pariter Fratris Petri Episc. Beritensis Vicarii Apostolici Cochinchinæ, cum administratione infrascriptarum Provinciarum Sinæ, videlicet Cechiang, Fochien, Quantumg, Chiamsi, Insulæ, Haynan, & aliarum Insularum, atque etiam Episcopi Metellopolitani consecrati, aut mox consecrandi Vicarii Apostolici Nanchin in Sina, cum administratione Provinciarum Pechin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreæ, & Tartariæ ab eodem Alexandro prædecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti Episcopi Metellopolitani ad Civitatem Juthiæ, totumque Siani Regnum a nobis nuper facta, nominibus, nobis exponi fecit, quod in d. Regnis, & Provinciis reperiantur diversorum Ordinum Religiosi, tam a suis respective Superioribus Generalibus quam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum, destinati, qui missionibus ibidem, sub directione suorum respective Præpositorum, aut Præfectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios Operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis, Catechistas effecerint, illosque sibi, suæque directioni quibusdam Votis adstrinxerint, prædicti vero Episcopi Vicarii Apostolici humiliter a nobis postulaverint, ut auctoritate nobis a D. tradita decernere, atque declarare dignaremur. Primo an aliqua sit inter Vicarios Apostolicos, & Regulares prædictos subordinatio, & in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundo, An Catechistæ per vota Regularibus facta eximantur a jurisdictione eorumdem Vicariorum Apostolicorum?

Tenor dd. dubiorum refertur.

§. 11. Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Sianum, & alia vicina Regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex Christianis Indigenis, seu Incolis illarum partium instituerentur Clerici, & Sacerdotes, ac crescente fide, fideliumque numero disciplinæ Ecclesiasticæ usus paulatim introduceretur: conside-

Vicarii Apostol. ab omnibus Religiosis etiam Societatis Jesu in dd. Regnis, & Provinciis exigere possunt, & debent, ut literas suæ Missionis exhibeant, & renuentes punire prout in rub.

Regulares dd. Vicariis licentiam petere debent exercendi suas facultates, quam sine gravi causa denegare non debent.

Regulares in defectu Sacerdotum sæcularium tenentur exercere Curam animarum.

Subditi sint dd. Vicariis quoad functiones Parochiales.

Sine licentia, aut contra voluntatem dd. Vicariorum nequeunt aperire Ecclesias, ubi ipsi, vel alii Missionarii Ecclesias habent.

Ob multitudinem Neophytorum, vel nimiam amplitudinem Civitatis, aut Provinciæ pos. sunt, & debent dd. Vicarii Apostol. Operarios multiplicare, Parochias dividere.

DD. Vicarii possunt exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum.

Iidem possunt controversias inter Regulares dirimere, sed graviora negotia deferre debent ad S. Sedem.

Votum obedientiæ, quod Catechistæ emittunt favore Regularium eos non eximit à directione dd. Vicariorum in exercitio Officii.

Regulares si sub prætextu d. Voti prætendant Catechistas eis omnino subditos esse dictum Votum in hac circumstantia nullum declarat.

Possunt Vicarii Apostolici palam manifestare Regularibus, ut abstineant ab usu Catechistas Voto obedientiæ erga se ipsos privative quoad dd. Vicarios obstringendi.

Facultates dd. Vicariorum Apost. referuntur.

Has facultates dicti Vicarii Apostol. extra eorum limites excurrere non valent.

In omnibus præmissis præservatur auctoritas Congreg. de Propaganda Fide.

Demandat Regularibus, & aliis permissorum observantiam.

Decretum irritans.

Obstantia, & Contraria refert.

ranteſque ex independentia plurimorum Operariorum in iiſdem Locis præcipue cum à Sancta Sede ſint remota, oriri facile poſſe diſſenſiones, rixas, diviſiones, & Schiſmata, in Chriſtianæ Religionis detrimentum, atque perniciem eruptura, niſi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod prædicti Epiſcopi Vicarii Apoſtolici ab omnibus, & ſingulis Religioſis cujuſlibet Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in prædicta Regna, & Provincias, ſive à nobis, aut à Congregatione eorumdem Cardinalium ſpecialiter deputati, exigere poſſint, & debeant, ut ſuas Patentes, ſeu alias quaſcumque eorum miſſionis, deſtinationis, conſtitutionis, & deputationis Literas exhibeant, iiſque qui illas exhibere recuſaverint, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, prohibere, ne facultates ſibi per Literas hujuſmodi conceſſas exerceant, ipſique Regulares licentiam exercendi ſuas facultates petere teneantur ab iiſdem Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis, quam ipſi denegare non debeant, niſi in caſu gravis cauſæ d. Congregationi Cardinalium communicandæ.

§. 12. Porro dicti Regulares in defectu Sacerdotum Sæcularium, non ſolum titulo charitatis ſed etiam juſtitiæ, curam animarum teneantur exercere, & quatenus id facere recuſent, à Vicariis Apoſtolicis ad tale munus obeundum cogi poſſint. Quotieſcumque vero Regulares ſub titulo Miſſionariorum curam animarum exercebunt, ſubditi ſint quoad functiones Parochiales, viſitationi, & collectioni Vicariorum Apoſtolicorum, aut Provicariorum eorumdem, juxta Conſtitutionem rec. me. Gregorii PP. XV. Prædeceſſoris pariter Noſtri, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei providentia &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii editam. Nec ſine licentia eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum, & multo minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus ædificare, & aperire Eccleſias in Locis, ubi ipſi, vel alii Miſſionarii alterius Ordinis, ſeu Presbyteri Sæculares ſimiliter Miſſionarii, Eccleſias habent: ubi vero apertæ non ſunt, poſſint ad formam privilegiorum, & facultatum ipſis conceſſarum.

§. 13. Cum autem præ multitudine Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel præ nimia earum amplitudine unus, aut alter, qui eis præſunt, Miſſionarii non ſufficiunt, aliique ſuppetunt Sacerdotes Sæculares, aut Religioſi, licet alterius Ordinis, quorum tamen ſubſidium nec illi quærunt, nec oblatum recipiunt, tunc habito dumtaxat reſpectu ad Chriſtianorum neceſſitatem, poſſint, & debeant Vicarii Apoſtolici prædicti Operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejuſmodi facere, juxta præſcripta à Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis. Poſſint quoque iidem Vicarii Apoſtolici exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur.

§. 14. Præterea juxta Conſtitutionem rec. me. Urbani PP. VIII. prædeceſſoris pariter Noſtri, quæ incipit: *Ex debito Paſtoralis Officii &c.*, ſi forte aliquæ controverſiæ inter Religioſos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apoſtolici tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, illas decidere, & determinare poſſint, & debeant. Si vero graviora quædam negotia occurrerent, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores Noſtros, quanto citius ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis referantur, ut quod in illis ſtatuendum fuerit, matura conſultatione adhibita, decernatur.

§. 15. Ad hæc quoad Vota Catechiſtarum, ſtatuimus pariter, & ordinamus, Votum obedientiæ, quo nonnulli Regulares eos obſtringunt eiſdem non impedire ſui Officii exercitium, ſub directione dictorum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque Provicariorum, nec illud impediri poſſe à Regularibus, tamquam eis, vigore dicti Voti, Catechiſtæ omnimodè ſubditi ſint, quinimo Votum hujuſmodi in hac circumſtantia nullum eſſe declaramus. Volentes ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis poſſe dictos Catechiſtas compelli, ut ſub eorum directione, & dependentia, ſua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adſtringerent Catechiſtas ad ſimilia vota, & alias obligationes, quibus à Vicariis Apoſtolicis independentes remanerent, poſſe eoſdem Vicarios Apoſtolicos, publica ſignificatione, manifeſtare Regularibus, atque his intimare, ut abſtineant ab uſu, ſeu verius abuſu, Catechiſtas Voto obedientiæ erga ſe ipſos, privative quoad Vicarios, à Sede Apoſtolica deputatos, obſtringendi.

§. 16. Inſuper volumus ut ad Vicarios Apoſtolicos intra fines ſuorum Vicariatuum præcipue ſpectet, maxime in curſu Viſitationis, ea inſpicere, quæ ſpectant ad fidem, bonos mores, & adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi, Matrimonii, & aliorum. Competat quoque d. Vicariis Apoſtolicis facultas ſuper novis Miraculis, & Martyribus proceſſum inſtituendi, & ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi, necnon circa obſervationem Feſtorum, Rituumque Eccleſiaſticorum ſtatuendi quæcumque opportuniora videbuntur ſecundum Decreta Romanorum Pontificum, Locorumque circumſtantias. Ac ad eoſdem Vicarios Apoſtolicos etiam ſpectet verificare, & publicare quaſcumque Literas Apoſtolicas, Conſtitutiones, & Reſcripta Romanorum Pontificum, quæ locorum Ordinariis dirigi ſolent, Jubilæa quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porro unicuique memoratorum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum ſex Notarios Apoſtolicos creandi, & inſtituendi facultatem dicta auctoritate harum ſerie tribuimus, & impartimur.

§. 17. Cæterum has omnes facultates dictis Vicariis Apoſtolicis ita elargimur, & concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipſis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus, & prohibemus: ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpoſitorum.

§. 18. Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis Noſtræ, aliiſque Noſtro, ſeu d. Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis pœnis, omnibus, & ſingulis Regularibus prædictis, aliiſque quibuſlibet, ad quos ſpectat, & pro tempore quovis modo ſpectabit, ut omnia, & ſingula præmiſſa exacte, & inviolabiliter, & inconcuſſe obſervent, & adimpleant. Ac decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac memoratis Vicariis Apoſtolicis in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 19. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit, quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, & Inſtitutorum, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Provinciarum, Conventuum, Domorum, Collegiorum, & Locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,

& consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, & Institutis, ac Ecclesiis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Domibus, Collegiis, & locis Regularibus, illorumque Superioribus, & Personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Eis, & aliis omnibus ampliſſime derogat.

§. 20. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Transumptorum fides.

§. 21. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1669. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Edit. 13. Sept. 1669.

Referuntur omnia Decreta à Congregatione de propaganda Fide diversis temporibus edita favore dd. Vicariorum Apostol.

§. 22. Præterea ad favorem supradictorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum emanarunt à præfata Congregatione Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum diversis respective temporibus varia Decreta quibus inter alia eisdem tribus Vicariis Apostolicis data fuit facultas communicandi eorum facultates pro Japonia alicui ex propriis Missionariis, postquam tamen idioma illius Regni calluissent, vel etiam aliis Sacerdotibus probis, etiamsi ex sociis eorum non essent; ac collocandi eorum Missionem alibi quam in locis sibi assignatis, postquam tamen omni spe cecidissent prosequendi propriam, necnon Clericali caractere insigniendi, & ad omnes etiam Sacros Ordines promovendi Christianos Episcopatuum ab Hæreticis, Mahumetanis, & Gentilibus occupatorum præsertim S. Thomæ, Malacæ, & Japoniæ, absque Dimissoriis Ordinariorum, attenta difficultate ad eos recurrendi, & præfato Petro Episcopo Beriten. concessa fuit administratio Regnorum Cambojæ, & Ciampæ, aliaque ipsis Vicariis Apostolicis respective concessa, & indulta fuerunt, prout in ipsis Decretis quorum, ac binarum priorum d. Clementis prædecessoris literarum præfatarum, tenores etiam veriores, & datas præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac itidem de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Prætenditur à nonnullis dd. literas Alexandr. VII. & Clementis IX.

§. 23. Cum autem, sicut non sine gravissimo animi Nostri dolore ad Nostri pervenit Apostolatus auditum, nonnulli variis æquivocationibus, tergiversationibus, & subterfugiis, variisque prætextibus, & frivolis rationibus mentem, & intentionem hujus S. Sedis Apostolicæ circa Missionem memoratorum Vicariorum Apostolicorum, vimque & effectum supradictarum literarum eludere conati fuerint; quinimo eorum aliqui, eo vesaniæ, atque temeritatis proruperint, ut easdem literas Apostolicas falsas, & confictas, aut subreptitias, vel obreptitias esse, dictosque Vicarios Apostolicos se in loca suarum Missionum, & alia eis respective commissa intrusisse falso asserere, ac ejusmodi falsis imposturis Christifideles illarum Partium seducere, ac in falsam hujusmodi credulitatem inducere detestabili, pernicioso que ausu præsumpserint, non sine gravissima Divinæ Majestatis offensa, Fidelium scandalo, ac salutis Animarum, & Infidelium ad Fidei Catholicæ veritatem Conversionis, cui eadem S. Sedes dictos Vicarios Apostolicos destinavit, detrimento.

circa Missionem dd. Vicariorum Apostolicorum esse falsas, & confictas, aut subreptitias, vel obreptitias.

§. 24. Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere æquivocationes, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac temerariorum audaciam compescere, atque reprimere, necnon Animarum saluti, & Christifidelium quieti, fideique Catholicæ præfatæ propagationi quantum Nobis ex alto conceditur prospicere cupientes, habita super præmissis cum particulari Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum deliberatione matura, de illorum consilio, & unanimi assensu, ac motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas dictorum Alexandri, & Clementis prædecessorum literas supra expressas ab ipsis Alexandro, & Clemente prædecessoribus respective vere, & realiter, ac summa maturitate, prudentia, & Apostolico zelo emanasse, nec falsitatis, nullitatis, subreptionis, vel obreptionis, aliove quocumque vitio, vel defectu ullo modo laborare tenore præsentium declaramus, & attestamur. Ac easdem literas Alexandri, & Clementis prædecessorum omnes, & singulas, necnon præfata & alia quæcumque Decreta dictæ Congregationis Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad favorem præfatorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum, eorumque Missionariorum quomodolibet emanata, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adjungimus.

Declarat Pontif. præd. literas Alexandri VII., & Clem. IX. summa maturitate, & zelo Apostolico emanasse nec alio quocumque vitio vel defectu laborare.

Prædd. literas, & alia quæcumque Decreta Congregationis de Propaganda Fide favore dd. Vicariorum Apostolicor. approbat, & confirmat.

§. 25. Ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque, tam ex Juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, aut quorumcumque Privilegiorum, & Indultorum Apostolicorum, sive Statutorum, Ordinationum, Usuum, & Consuetudinum quarumlibet etiam immemorabilium præscripto, aut alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet etiam quantumvis magnos, ac formales, & substantiales defectus; si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, & alias quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, ad majorem, & abundantiorem cautelam, ac quatenus opus sit penitus, & omnino supplemus, & sanamus, & tollimus, & abolemus.

In eis supplet omnes, & quoscumque defectus quatenus opus sit.

§. 26. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis præeminentiæ, & dignitatis, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficien-

Præsentes literas omniaque in eis contenta mandat b. servari quibuscumque in contrarium non obstantibus.

ter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes, & præfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis præfatis, eorumque Missionariis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decretum irritans.

§. 27. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat omnibus Ordinariis Indiarum Orientalium, & quorumvis Ordinum etiam Societatis Jesu, ut præsentes literas, seu earum exempla in Provinciis, Diœcesibus, Conventibus, & Collegiis, faciant publicari, & inviolabiliter observari.

§. 28. Mandantes propterea Ven. Fratribus, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Indiarum, aliarumque partium Orientalium Ordinariis, & eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus Generalibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Generalibus, aliisve superioribus Regularibus, ut præsentes literas, seu eorum exempla, etiam impressa in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, & Collegiis, Districtibus, Jurisdictionibus respective omni mora, ac dilatione, omnique tergiversatione postpositis solemniter publicari, ac à suis respective subditis inviolabiliter observari curent, & faciant.

Omnia, & singula in contrarium facien. mandat prædd. literis non obstare.

§. 29. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, itaut vigore præsentium etiam ultra duas pluresque dietas quilibet in Judicium trahi possit, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Regnorum, Provinciarum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, Societatum, etiam Jesu, Domorum, Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & locorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam eisdem Regnis, Provinciis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Institutis, Domibus, Conventibus, Monasteriis, Collegiis, & locis, illorumque superioribus, & personis, etiam particularibus, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimendis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis mentis attestativis, restitutionis, & posteriorem datam eligendi facultatem concedentibus, quam nemini contra præsentes literas suffragari posse decernimus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, seu ad quorumvis Regum, & Principum, aut quavis alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, eorumve intuitu, vel contemplatione, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, emanatis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Alexandri, & Clementis prædecessorum literis concessa sunt non obstare.

Eis omnibus amplissime derogat.

§. 30. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus specialiter, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat dd. literas seu earum exempla intimari singulis Congregationum & Institutorum etiam Societatis Jesu.

Eis insuper mandat, ut dd. literas tam nomine proprio, quam suorum subditorum acceptent prout in rubrica, & quanto citius ad suos subditos transmittant.

§. 31. Cæterum volumus, ut eædem præsentes literæ, seu earum exempla etiam impressa, notificentur, & intimentur singulis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, Procuratoribus Generalibus, eisque harum serie districte præcipimus, & mandamus, ut ipsas præsentes literas, tam suo, quam suorum respective subditorum, seu inferiorum nomine acceptent, actumque acceptationis hujusmodi in scriptis reddant, & exemplum hujusmodi pluribus viis quanto citius fieri poterit transmittant ad eosdem suos subditos, seu inferiores cum arctissimis præceptis easdem præsentes literas, & in eis contenta plenarie, & integre, ac vere, & realiter & cum effectu in omnibus, & per omnia exequendi, & observandi.

Fides transumptorum.

§. 32. Et quia difficile foret præsentes literas originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. Mensis Januarii par. 1. fol. 85.

LI. Prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam Regularibus etiam Societatis Jesu apud Sinas degentes, ne sub quovis prætextu, vel vigore cujusvis Privilegii Apostolici ab ullo Primate, Archiep., Episc., Capitulo, Gubernatore, Administratore, Visitatore, Vica-

rio, vel alio quocumque literas deputationis in Vicarium Generalem, vel Foraneum, seu ut vocant *de Vara*, Visitatorem; vel alterius cujuscumque tituli emendicare, nec etiam Oblatas accipere audeant pro exercenda quocumque modo Jurisdictione in locis, quæ Episcopis Vicariis Apostolicis commissa sunt, vel fuerint in futurum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à cura servandi Christianam pacem.

ILlius, qui charitas est, & Deus pacis vices licet immeriti, gerentes in Terris in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut ea, quæ pacem Christianam, sine qua non bene colitur pacis Auctor, lædere, ac dissidiorum, & Schismatum inter Christifideles, præsertim in longinquis ab hac S. Sede Partibus degentes causam præbere noscuntur, opportunæ provisionis ministerio recidere, atque amovere satagamus.

Variæ Divisiones, & Schismata exorta inter Christianos Tunkinenses, Cochinchinenses, & alios.

§. 1. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia ad aures Nostras pervenit, inter Christianos Tunkinenses, Cochinchinenses, & alios, variæ divisiones, & Schismata sint exorta, quibus Ecclesiæ Orientalis pax, & concordia multis abhinc annis plurimum labefactata reperitur: Nos ut pristina eidem Ecclesiæ pax reddatur, atque tranquillitas de salutari remedio providere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio omnibus, & singulis Ecclesiis Sæcularibus cujuscumque status, gradus, & conditionis, necnon omnibus, & singulis Regularibus cujuslibet Religionis, Congregationis, Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, ne sub quovis prætextu, colore, causa, vel occasione aut vigore cujuscumque privilegii, vel Indulti a Sede Apostolica emanati, ab ullo Primate, Archiepiscopo, Episcopo, Capitulo, Gubernatore, Administratore, Visitatore, Vicario, vel alio quocumque literas deputationis in Vicarium Generalem, vel Foraneum, seu (ut ajunt) *de Vara*, Visitatorem, vel alterius cujuscumque tituli, & dignitatis, pro exercenda quocumque modo, vel titulo jurisdictione in locis, quæ venerabilibus fratribus Episcopis, Vicariis Apostolicis in China, Tunkino, Cochinchina, Siam, Camboggia, aliisque Sinarum, & Orientalibus partibus ab eadem Sancta Sede deputatis commissa sunt, seu fuerint in futurum, emendicare, necnon etiam oblatas accipere, vel illis quovis modo uti audeant quomodolibet, seu præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per eos ipso facto incurrenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte prohibemus, & interdicimus.

Prohibet omnibus Regularibus etiam Societatis Jesu, ne a quocumque Ordinario, vel alio accipiant literas Deputationis in Vicariú Generalem, vel Foraneum, aut alterius cujusvis tituli pro exercenda Jurisdictione apud Sinas in locis prout in rubrica.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus contravenientes.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Refert obstantia præsentibus literis.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, etiam Metropolitanarum, & Primatialium, Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum, & aliorum locorum piorum quorumlibet, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Religionibus, & Institutis etiam Societatis Jesu, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & locis piis, illorumque respective Præsulibus, Prælatis, Superioribus, & personis, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad quarumcumque Personarum, etiam regia, aut Archiepiscopali, & Primatiali, aliave qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & potestate fulgentium instantiam, seu eorum contemplatione, vel alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, iteratis, approbatis, & innovatis.

Eis, & aliis omnibus amplissime derogat.

§. 4. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Januarii par. 1. fol. 111.

Confirmatio, & extensio Constitut. Urb. VIII., qua permittitur quibuscumque Regularibus per suos Superiores mittendis accessus tam ad partes Orientales, quam per Lusitaniam; ac excommunicantur illi, qui eorum hujusmodi accessum impediverint: quæ Constitutio per Sanctissimum D. Nostrum extenditur ad Episcopos, & Vicarios Apostolicos in dictis Partibus Orientalibus, nec non Sacerdotes Sæculares, & Laicos, tam missos, quam inposterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca Indiarum, & aliarum Partium Orientalium, eorumque accessum ad partes hujusmodi impedientes sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ. LII.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INjuncti nobis cœlitus pastoralis officii ratio postulat, ut ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro temporum conditione pro-

ne provide constituta fuerunt, si mutatis rerum circumstantiis, fini per eos pie intento impedimentum adferre cognoscimus, immutare studeamus, sicut ad Catholicæ fidei propagationem, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Clem. VIII. indulsit Superioribus Generalibus Ordinum suos Religiosos mittere idoneos ad prædicandum Evangelium per Lusitaniam dumtaxat, in Indias, & Civitatem Goan.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor noster per quasdam suas literas inter alia indulserat omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, seu Prioribus Generalibus tunc, & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postulasset quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos ad officia, & Ministeria prædicandi Evangelium, vel doctrinam Christianam docendi, ac Sacramenta administrandi, aliaque munia Ecclesiastica obeundi idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde navigatione in Indias, & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum a suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi, & approbati tam ad Japonicas, quam ad alias proximas, & adjacentes, etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis Insulas, Regiones, & Provincias accedere possent.

Tam Religiosi transmittendi, quam alii in illis partibus existentes ad Japonicas, & alias proximas, ac adjacentes etiam Chinæ, ac alias finitimas Indiæ Orientalis partes accedere possint.

§. 2. Et re. me. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster, accepto, quod experientia compertum esset, prohibitionem accedendi ad Indias, & Civitatem Goan, alias quam per Lusitaniam, tum qui sperabatur fructum minime protulisse, nec Catholicæ fidei propagationis negotio utilem fuisse, & propterea, ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento libere peragi posset, providere volens, itidem per quasdam suas literas omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore existentibus, & cum necessitas postularet, quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad prædicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in D. judicassent, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & Regiones prædictas, servata in reliquis dictarum literarum Clementis prædecessoris forma in omnibus, & per omnia, & non aliter transmittere libere, & licite valerent, pariter indulserat.

Paulus V. omnibus Superioribus Ordinum indulsit suos Religiosos idoneos ad illas partes transmittere posse etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam.

In Reliquis mandat observantiam dd. literarum Clemen. VIII.

§. 3. Piæ mem. Urbanus PP. VIII. similiter prædecessor noster considerans, experientia plurium annorum compertum fuisse, orationes in dictis literis contentas non sufficere, easque aliqua provisione indigere, ut in prædictis Insulis, & Regionibus felicius, ac facilius Sacrosanctum Christi D. Evangelium prædicari, & propagari posset, post habitam cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandæ Fidei per universum mundum præpositis maturam deliberationem, præfati Pauli prædecessoris literis inhærens, omnibus, & singulis Religionum cujuscumque Ordinis, aut Instituti, etiam Societatis Jesu, Magistris, Ministris, seu Procuratoribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore existentibus auctoritate Apostolica concessit, & indulsit, ut cum eis expedire visum foret, quoslibet suarum Religionum, Ordinum, & Instituti Religiosos, quos ætate, vita, moribus, & scientia idoneos esse ad Missiones, judicavissent, ad prædictas Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quam per Lusitaniam, libere, & licite mittere possent, & valerent, servata tamen in reliquis præfatarum Literarum Clementis prædecessoris forma in omnibus, & per omnia.

Urban. VIII. omnibus Superioribus Generalibus Ordinum, etiam Societatis Jesu pariter indulsit suos Religiosos idoneos ad Missiones ad dd. partes Indiæ Orientalis per alias vias, quam per Lusitaniam mittere posse.

In reliquis mandat observantiam dd. literarum Clementis VIII.

§. 4. Necnon quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Religiosorum, ut præfertur, mittendorum ad Insulas, Provincias, Regiones, & Regna antedicta accessum hujusmodi impedientes excommunicationis latæ Sententiæ vinculo innodavit, ac pleraque alia constituit, prout in ipsius Urbani prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 22. Februarii 1633., quarum, ac præfatarum Clementis, & Pauli prædecessorum literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus impedientes accessum ad dd. partes Religiosis, ut supra transmittendis.

§. 5. Cum autem sicut Venerabiles fratres Episcopi, & Vicarii Apostolici auctoritate Apostolica deputati in partibus Orientalibus commorantes nobis nuper exponi fecerunt, non minus ipsis, ac Presbyteris Sæcularibus, & Laicis ad easdem partes missis, & mittendis, quam Religiosis supradictis difficile, ac Catholicæ fidei propagationi inutile sit iter, & navigationem ad Indias Orientales, & partes Sinarum per Lusitaniam suscipere, eisque aliæ viæ longe faciliores, ac expeditiores pateant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Vicariorum Apostol. in dictis partibus Orientalibus existentium.

§. 6. Nos igitur specialem ipsis Episcopis, & Vicariis Apostolicis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Consilio, præfatas Urbani prædecessoris literas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, ipsasque literas ad eosdem Episcopos, & Vicarios Apostolicos, necnon Sacerdotes Sæculares, & Laicos, tam missos, quam imposterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca, Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientalium, itaut ipsi, & eorum quilibet illuc per alias quascumque vias sibi benevisas, quam per Lusitaniam proficisci libere pariter, & licite possint, & valeant, nec per Lusitaniam hujusmodi transire, aut navigationem inde suscipere ullo modo teneantur, servata tamen cæteroquin præfatarum Clementis Prædecessoris literarum forma, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

Absolutio a Censuris.

Pontifex d. literas Urbani VIII. confirmat, & extendit etiam ad Episcopos, Vicarios Apost., Sacerdotes sæculares, & laicos tam missos, quam mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, & alias partes Indiarum Orientalium.

§. 7. Ac quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti, tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum, necnon Sacerdotum Sæcularium, & laicorum tam missorum, quam imposterum mittendorum, ut præfertur ad Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca, Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientalium hujusmodi accessum quomodolibet impedientes excommunicationis latæ Sententiæ vinculo pariformiter innodamus.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus impedientes accessum quomodolibet ad dd. partes supramemoratis personis.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, &

Decretum irritans.

fore,

fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat omnibus, & singulis Ordinariis, & Prælatis locorum etiam Regularium per universum Orbem præsentium literarum observantiam.

§. 9. Mandantes propterea universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac cæteris Ecclesiarum, & locorum, etiam Regularium Prælatis per universum Orbem constitutis, ut præsentes literas in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, Capitulis, & Jurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari, & quoties a præfatis Episcopis, & Vicariis Apostolicis, necnon Sacerdotibus Sæcularibus, & laicis tam missis, quam mittendis ut præfertur, seu eorum aliquo fuerint requisiti solemniter publicari curent, & faciant.

Ut requisiti à dd. Vicariis Apost., Sacerdotibus sæcularibus, & laicis tam missis, quàm mittendis, seu ab eorum aliquo dd. literas publicari faciant.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Urbanus prædecessor in suis literis præfatis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 11. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. Brevium in lib. mensis Januarii par. 1. fol. 121.

LIII.

Pro Episcopis Vicariis Apostol. apud Sinas &c. prorogatio facultatis ordinandi Indigenas illalarum partium, etiam absque titulo, cum Indulto eis commutandi Officium divinum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ALias emanarunt à fel. rec. Alexandro Papa VII. prædecessore Nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet, Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut nihil a Nobis desiderari patiamur, quo Christiana Religio, præsertim in longinquis partibus felicius in dies, aspirante, atque adjuvante Domino valeat propagari. Alias siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Palla Heliopolitanum, ac Petrum Lambert Beritensem, necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Corolendi Metellopolitanum Episcopos, Vicarios Apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo, & forma tunc expressis deputavimus.

Alexan. VII. tres Episcopos in partibus Infidelium deputavit Vicarios Apostol. in partibus Sinarum.

§. 1. Ut autem in partibus prædictis Sacerdotum Indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino radicari valeret, memoratis Francisco, ac Petro, & Ignatio Episcopis cum Christifidelibus earumdem partium indigenis sibi respective uti Vicariis Apostolicis hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam sacros Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis promoveri, & promoti in illis, etiam Altaris ministerio ministrare libere & licite possent, & valerent, dispensandi, necnon recitationem Officii divini, Horarum scilicet Canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem auctoritate Apostolica ad septennium dumtaxat concessimus, & impertiti sumus, & alias prout in ternis nostris in simili forma Brevis literis die 10. Septembris 1659., & die 20. Septembris 1660. respective desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Eidem indulsit ad septennium, ut suos subditos respective indigenas ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promovere possent, licet idioma latinum legere nossent, eisque Canon Missæ, & formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur.

Eisdem pariter ad septennium facultatem concessit, ut sic Ordinatis recitationem Divini Officii commutarent in recitationem aliarum precum in eorum lingua.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte præfatorum Francisci, & Petri Vicariorum Apostolicorum, ut præfertur, deputatorum, Nobis nuper expositum fuit, dictum septennium versus finem jam labatur, bona vero stabilia Sinensium ad possidentes absolute non spectent, sed illorum Domini sunt Reges, qui dicta bona, quibus libitum est, vita durante concedunt, ac proinde super hujusmodi bonis perpetui Patrimonii titulus pro Ordinandis ad sacros Ordines per eorum parentes, seu alios in illis partibus assignari non possit. Nos propagandæ, firmiusque radicandæ in ejusdem partibus Catholicæ Fidei, quantum nobis ex alto conceditur consultum esse cupientes, dictosque Franciscum, & Petrum Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Spiritualibus Regni Sinarum a Nobis specialiter deputatorum consilio, septennium præfatum ad alios septem annos a fine ejusdem Septennii computandos dicta auctoritate tenore præsentium prorogamus, extendimus, & ampliamus.

Preces dd. Vicariorum Apostolicorum.

Absolutio à Censuris.

D. Septennium prorogavit ad aliud Septennium computandum à fine primi Septennii.

§. 3. Præterea præfatis Francisco, & Petro, necnon aliis duobus Episcopis, per eos, seu eorum alterum, aut primum ab eorum altero superstite ordinatum respective, vigore aliarum binarum nostrarum, etiam in forma Brevis literarum die 4. Februarii 1664., & die 28. Februarii proxime præteriti respective expeditarum, quarum tenores ibidem pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, consecrandis, quos pariter Vicarios Apostolicos in partibus prædictis per easdem literas sub certis modis, & forma ibidem expressis deputavimus, ut ipsi tam residuo primodicti Septennii, quam aliis septem annis per præsentes prorogatis durantibus, Clericos memoratarum partium Indigenas, etiam absque titulo, servatis tamen alias tam ex sacrorum Canonum, quam ex primodictarum nostrarum Literarum præscripto servandis, ad sacros, & Presbyteratus Ordines promovere licite, & libere possint, & valeant, facultatem elapsis septem annis per præsentes literas prorogatis illico expiraturum auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impartimur, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincia-

Insuper dictis Vicariis Apostol. indulsit, ut tam residuo d. septennio, quam aliis septem annis, ut supra prorogatis possent Clericos indigenas absque titulo ad Sacros, & Presbyteratus Ordines promovere.

Præservatur authoritas Congregationis.

Contrariorum derogatio.

libusque Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Marti, 1665. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Clemens IX. facultates concessas dd. Vicariis Apost. ab Alex. VII. ad aliud Septennium prorogavit.

§. 4. Et subinde fel. record. Clemens Papa IX. prædecessor noster facultatem eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas literas à memorato Alexandro prædecessore ad septennium prorogatas, & de novo concessas respective ad alios septem annos pariter auctoritate extendit, & prorogavit, & alias prout in ipsius Clementis prædictis literis pari in forma Brevis die 13. Octobris 1669. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Absolutio à Censuris.

§. 5. Nunc autem Nos, ut Christiana Religio, & Catholica Fides, Domino benedicente, in partibus prædictis firmius stabiliusque solidari, & latius propagari valeant, pro commissa nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, salubriter providere, ac supradictos Episcopos Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisve Ecclesiasticis censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis prædictæ Fidei præpositorum consilio, easdem facultates, quæ dictis Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas literas à præfato Alexandro prædecessore ad septennium prorogatæ, & de novo concessæ, ac ad alios septem annos à dicto Clemente prædecessore per suas præfatas literas prorogatæ fuerunt, respective, ut præfertur, ad aliud septennium à fine eorumdem septem annorum à Clemente prædecessore prorogatorum computandum, quo & residuo temporis, ut præfertur, prorogati durantibus, ipsi Episcopi Vicarii Apostolici, illis quos ad sacros Ordines vigore facultatum hujusmodi promoverint, etiam recitationem Officii divini horarum videlicet Canonicarum in alias preces per eos diebus singulis recitandas eorum arbitrio auctoritate nostra Apostolica commutare, libere pariter, & licite possint, & valeant, servata tamen, & salva in reliquis remanente earumdem Alexandri, & Clementis prædecessorum literarum forma, & dispositione, dicta auctoritate harum serie prorogamus pariter, & extendimus, & ampliamus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Pontifex easdem facultates dd. Vicariis Apost. prorogat ad aliud Septennium.

Derogat contrariis.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Alexandri, & Clementis prædecessorum literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno quarto.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Januarii part. 1. fol. 105.

LIV.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Excalceatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum tam erectis, quàm erigendis in S. Petri Nolaschi, S. Raymundi Nonnati, S. Josephi, & apparitionis S. Michaelis Archangeli, ac Dominica proximiori Kal. Augusti diebus.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

REdemptoris, & Domini nostri Jesu Christi, qui glorioso saluberrimorum, quæ nobis reliquit exemplorum Sectatores, Ordinumque Religiosorum Institutores altis decoravit honoribus, ac cœlestis beatitudinis consortes efficit, vices licet immeriti gerentes in terris, Spiritualium munerum Thesauros dispensationi nostræ creditis libenter erogamus, sicut ad fovendam, incitandamque fidelium erga eosdem Beatos Cœli incolas devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur. Itaque ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, necnon dilecti filii Francisci de Sancto Marco Procuratoris Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & monialium dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam inposterum quandocumque erigendis, & ubique locorum existent in Sancti Petri Nolaschi dicti Ordinis Fundatoris, S. Raymundi Nonnati, Sancti Josephi, & apparitionis Sancti Michaelis Archangeli festis, necnon Dominica proximiori Kalendis mensis Augusti diebus à primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 1. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si originaliter exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Placet E.

Registrata in Secr. Brevium lib. 4. diversorum fol. 207.

Declaratio B. Stanislai Kostka Poloni Societatis Jesu in Patronum principaliorem Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ, & adjunctarum Provinciarum, cum prærogativis, quæ principalioribus Patronis competunt, & quibus ibidem gaudent SS. Adalbertus, & Stanislaus, aliique principaliores Patroni, cum Indulto, ut annua dicti Beati memoria in posterum ad Dominicam proximam post diem 13. Novembris transferri possit in dd. Regno, Ducatu, & provinciis adjunctis dumtaxat.

LV.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis Divinitus Apostolicæ servitutis munere in eam curam peculiari studio

Exordium.

incumbi-

incumbimus, ut Beatorum æternæ gloriæ poſſeſſorum quos Divina bonitas corona juſtitiæ donavit in Cœlis, cultum, & venerationem in terris promovere, atque ampliare ſatagamus prout pietati conſentaneum, & Fidelium ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

Preces.

§. 1. Alias ſiquidem piis, enixiſque clar. me. Michaelis dum vixit Poloniæ Regis Illuſtris, ac dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis, & Preſbyterorum regularium Societatis Jeſu precibus nobis humiliter porrectis favorabilem aſſenſum præbere cupientes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum Conſilio, ut de Beato Staniſlao Koſtka Polono dictæ Societatis quotannis die 13. Novembris in univerſo Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, necnon in Eccleſia S. Andreæ in Monte Quirinali hujus Almæ Urbis noſtræ, ubi ejuſdem Beati Staniſlai Corpus requieſcit, ac omnibus, & ſingulis aliis Eccleſiis dictæ Societatis Miſſa, etiam à Sacerdotibus eo die ad Eccleſias hujuſmodi confluentibus, & à Religioſis ejuſdem Societatis, ubicumque terrarum exiſtentibus celebrari, & Officium recitari de communi Confeſſorum non Pontificum juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani libere, & licite poſſent, & valerent, auctoritate Apoſtolica conceſſimus, & indulſimus, & alias prout in Noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 16. Auguſti 1670. uberius continetur.

Iteratæ preces ejuſd. Regis, Archiepiſcop. Epiſc. & Nobilium Poloniæ pro habendo d. Beatum Patronum principaliorem d. Regni, & Ducatus Lithuaniæ.

§. 2. Cum autem ſubinde enixæ, & reintegratæ preces nomine dicti Michaelis Regis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum Senatus Regni, & Magni Ducatus prædictorum nobis pari humilitate porrectæ fuerint, ut eumdem Beatum Staniſlaum dictorum Regni, & magni Ducatus Patronum principaliorem inter alios Patronos Principaliores, ut exempli gratia ſunt Sancti Adalbertus, & alter Staniſlaus, ob innumera beneficia, & gratias, quæ interceſſione dicti Beati Staniſlai ab Omnipotenti Deo ſibi collata fuiſſe pio affectu memorabant, declarare de benignitate Apoſtolica dignaremur: Hinc eſt quod nos etiam ſupplicationibus dicti filii Procuratoris in hac Cauſa ſpecialiter deputati nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, quamvis Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Decreta Congregationis prædictorum Cardinalium die 23. Martii 1630. ſuper Ordinatione ſervanda pro Patronis eligendis emanata, electionem Beatorum in Patronos fieri vetent, eoſque ſolum qui ab Eccleſia Univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificatos dumtaxat, in Patronos eligi poſſe declarant, nihilominus ad majorem Dei laudem, Divinique cultus augmentum id tendere agnoſcentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, prædictum Beatum Staniſlaum Koſtka Patronum principaliorem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ prædictorum, eiſque adjunctarum Provinciarum cum omnibus, & ſingulis prærogativis, quæ principalibus Patronis eorumdem Regni, & Magni Ducatus competunt, & quibus prænominati Sanct. Adalbertus, & Staniſlaus, aliique Principaliores Patroni Regni, & Magni Ducatus hujuſmodi ibidem de præſenti gaudent, ſeu coluntur, juxta tamen ritum rubricarum Breviarii, & Miſſalis prædictorum dicta auctoritate tenore præſentium declaramus.

Abſolutio à Cenſuris, & pœnis.

Decreta Congregationis SS. Rituum vetant Beatos eligi poſſe in Patronos.

Pontifex dict. Beatum Staniſlaum principaliorem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Patronum declarat, prout in rub.

§. 3. Ac, ut omnium devotioni erga dictum Beatum Staniſlaum conſuli valeat, annuam ejuſdem Beati memoriam impoſterum ad diem Dominicam proximam poſt diem 13. Novembris, in Regno tamen Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, adjunctiſque Provinciis prædictis dumtaxat transferri poſſe auctoritate, & tenore prædictis concedimus pariter, & indulgemus.

In dd. Regno, & Ducatu, adjunctiſque Provinciis tantum, concedit poſſe transferri memoriam d. B. ad diem Dominicam proximam poſt diem 13. Novembris.

§. 4. Non obſtantibus præfatis Decretis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarium ſtatuentibus quibuſcumque.

Tollit obſtantia.

§. 5. Volumus autem, ac mandamus præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Januarii 1674. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Edit. 10. Jan. 1674. An. 4.

I. G. Sluſius.

Regiſtr. in Secret. in Libro Brevium Menſis Januarii par. 2. fol. 133.

Confirmatio duorum Decretorum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quibus declaratur, quod Fratres Excalceati Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſint veri filii dicti Sancti, & gaudeant omnibus Privilegiis, quibus Calceati dicti Ordinis, eorumque Religio gaudet.

LVI.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm (ſicut accepimus) alias a Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita ad favorem Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini emanaverint duo decreta, tenorum, qui ſequuntur videlicet. *Agoſtiniani Scalzi. Al memoriale del ſeguente tenore.* Fratres Diſcalceati S. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Galliarum, quibus aliquando per calumniam objicitur, quod non ſint veri filii ejuſdem Sancti, nec gaudeant privilegio erigendi de licentia Vicarii Generalis in eorum Eccleſiis Societates Corrigiatorum, ac Corrigiatarum S. Auguſtini, & S. Monicæ cum iiſdem Privilegiis, gratiis, & Indulgentiis hactenus Archiconfraternitati ſub titulo D. noſtræ de Conſolatione in Eccleſia S. Jacobi Bononiæ erectæ conceſſis, & concedendis perinde ac Calceati eas erigunt in propriis Eccleſiis de licentia Generalis juxta Breve Gregorii XIII. ſub datum 12. Novem. 1579. quod incipit; *Volentes ſicut conveniens eſſe videtur, quod Patentes unionum &c.* atque aliis quibus gaudent Fratres Calceati, ad obviandum eidem calumniæ, ſupplicant humiliter EE. VV., ut dignentur declarare Oratores eſſe veros S. Auguſtini filios juxta Breve fel. me. Clementis VIII. ſub datum 12. Decembris 1595. quod incipit; *Exponi nobis nuper fecit &c.*, & alterum Breve Urb. VIII. ſub datum 21. Julii 1628. & aliud expeditum ſub die 29. Auguſti 1641., & gaudere dicto, atque aliis omnibus privilegiis omnium Mendicantium, & quibus gaudent Fratres Calceati, ſtante quod Diſcalceatorum Congregatio fuit inſtituta ab ipſomet Ordine in Capitulo Generali de anno 1592., & ut germana S. Auguſtini fuit habita a ſa. me. Clemente VIII. in Breve ſuper receptione Novitiorum, & ſim.

Tenor ſupplicis libelli correcti à Fratribus Excalceat. Ord. Eremitarum S. Auguſtini S. Congregationi Epiſc. & Regul.

fel. rec. Pauli V. in Breve super confirmatione Constitutionum, atque aliis, nec æquum est ut major observantia in hac parte eis præjudicet &c.

Tenor primi Decreti d. S. Congregationis Episcop., & Regul. favore d.d. fratrum Excalceat. Ord. Eremit. S. Augustini.

§. 1. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositа, Emo Carpineo referente, censuit, Oratores esse veros S. Augustini filios, & tam eos, quam illorum Congregationem gaudere omnibus Privilegiis, quibus Calceati, eorumque Religio gaudet. Romæ 1. Septembris 1645. Ita reperitur in Regestro auctographo Sacræ Congregationis negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ habita uti supra. In quorum fidem &c. hac die 7. Februarii 1673. C. de V. Archiepiscopus Athen.

Tenor alterius Decreti ejusdem S. Congregationis favore dictor. fratrum &c.

§. 2. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositа ad compescendam nimiam eorum licentiam, qui contra declarationem alias ab hac Sacra Congregatione latam sub die 1. Septembris 1645. ausi fuerint deinceps asserere Fratres Discalceatos S. Augustini non esse veros ejusdem Sancti Patris Filios, nec eos, eorumque Congregationes gaudere omnibus privilegiis, quibus Calceati, illorumque Religio gaudet, Emo Carpineo referente, supradictam declarationem, etiam quoad Fratres Congregationis Hispaniæ renovans, & confirmans pœnam excommunicationis majoris Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatæ contraventoribus imposuit, & ad tollendas hujusmodi contentiones, & jurgia, quæ inter Fratres supradicti Ordinis, & Congregationum Discalceatorum non absque religiosi status dedecore, ac Sæcularium scandalo prodeunt, neve Frater cum Fratre contendat, eosdem serio monet, ac hortatur in D., ut proprii Instituti memores, ac fraternæ charitatis, per quam sub eodem Instituto vocati sunt in Societatem Christi in uno spiritu, contentiones hujusmodi, quæ religiosam unitatem maxime labefactant, deponant omnino. Quinimo enitantur potius, ut ambulantes in Domo Dei cum consensu per mutuam in se ipsos charitatem, quod est vinculum perfectionis verius quam per habitum, & calceamenta tanti Patris filios se se exhibeant. Datum Romæ 11. Augusti 1651. M. Ginettus. M. Adericius Secretarius.

Absolutio à Censuris.

§. 3. Nos Decreta hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari cupientes, dictosque Fratres Excalceatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine duo Decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui in præmissis decretis quomodolibet intervenerunt, aut interveniisse dici, censeri, vel prætendi quovis modo possent, plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus.

Pontifex Motu proprio dd. duo Decreta confirmat, omnesque defectus siqui in eis intervenissent supplet, & sanat.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus, & singulis omnibus illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Martii 1674. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 3. Mar. 1674. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Martii par. utraque fol. 204.

LVII.

Trium decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, & Pensionum in universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

UBi primum Divina Clementia nos, nullis licet præcedentibus meritis, ad Apostolicæ Dignitatis apicem evexit, Pastoris, & Patris Universalis muneri, quod gerimus, satisfacere cupientes, inter cæteras gravissimas curas, eo animum, & intentionem direximus; ut Clerum Italiæ, & Insularum illi adjacentium, tam Sæcularem, quam Regularem à Decima per fel. recor. Alexandrum Papam VII. prædecessorem nostrum ob urgentem temporis illius necessitatem imposita, cum illa necessitas jam cessasset, liberaremus, majora illi subinde Pontificiæ charitatis argumenta exhibituri, ubi per conditionem temporum licuisset.

Motiva hujus Constit.

§. 1. Verum Ærarium Apostolicum variis Christianæ Reipublicæ calamitatibus sublevandis inpræsens valde exhaustum, non solum cursum inhibuit nostræ erga eumdem Clerum liberalitatis; sed imminente nunc Poloniæ Regno ab efferis, perpetuisque Christianæ pietatis hostibus maximo, periculosissimoque bello, in quo totius Europæ, adeoque rei Christianæ salus, & fortunæ haud dubiæ aguntur; eo nos redegit, ut ad ferendum tanto malo humanam opem, post Divinam accuratis precibus implorętam, extraordinaria, quamquam prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus aliquando consueta, experiri remedia cogamur. Egimus nos quidem per literas, & per Nuntios nostros, & quacumque alia ratione potuimus, neque pro Pastoralis Officii

nostri debito, agere desinemus, cum Christianis Principibus, ut arma, quibus inter se conflignt, aut nullos, aut Victoribus ipsis graves, funestos sane Ecclesiæ triumphos habitura, reconciliatis tandem animis, & in sacri belli Societatem consentientibus, vertant in capita immanium barbarorum, qui Majorum suorum exemplo, a quibus amplissimæ Provinciæ, & Clarissima Imperia Christianæ genti erepta fuerunt, expugnato superioribus annis Varadino, mox Naihuisel, fortissimis Hungariæ arcibus, deinde Cretæ Regno subacto, adeoque nostri maris possessione depulsis, aliquando victi prælio, sed semper bello Victores ad angustiores quotidie terminos Christianam rem adigunt.

§. 2. Nuper vero versis in Poloniam armis, Cumenecio, munitissima Poloniæ Urbe, ac fere unico adversus barbaros amplissimi illius Regni propugnaculo in potestatem redacta, jugum fortasse jam nunc, & vastitatem Italiæ magis ex propinquo intentarent, nisi invicta Polonorum virtus, Dei miserentis brachio excitata, eos memorabili Clade ad flumen Tyram, cæsis triginta amplius millibus, affecisset. Sed quoniam Pacis Auctori Deo nondum placuit hoc Nobis solatium impartiri, neque, etiam si brevi, ut speramus, Officia nostra exitum sortiantur, eorumdem Principum suppetiæ in tempore sunt affuturæ, cum Turcæ validissimo, si umquam antea, apparatu, ut quos, supra vetus erga nos odium, recens ultionis amor accendit, Poloniam primo quoque tempore aggredi parent, si eis detur spatium se colligendi; hoc est, si nos Polonis prosequi Victoriam, & pro Patria, & pro Religione, emori paratis defuerimus non suppeditata pecunia, qua summopere indigent, Cleri etiam illius facultatibus, cui auctoritate Apostolica tributum impositum fuit plane exhaustis.

§. 3. Nos ut quantum in nobis est, pro munere personæ quam gerimus, saluti publicæ consulamus; misso jam in Poloniam quidquid pecuniæ ad manum erat, ad præfati Cleri Italici, & Insularum adjacentium subsidia confugimus, sperantes eumdem Clerum pro Christianæ fidei defensione, pro qua, si opus esset, sanguinem ipsum libenter daturum non dubitamus, pecuniam a nobis tam justis, necessariisque de Causis indicendam, alacriter, & fideliter collaturum. Matura igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione habita de eorundem Consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras Decimas infra quinquennium, ut infra persolvendas, omnium, & quorumcumque fructuum, redditnum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, Primatialium, Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præposiurarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, Cappellaniarum, cæterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus laicorum, tam ex privilegio, quam fundatione, & dotatione, vel alio quocumque titulo; cum cura, & sine cura, Sæcularium, quoad Parochiales Ecclesias, videlicet, etiam computatis incertis, triginta unius ducatorum auri de Camera, cum uno quarto alterius ducati hujusmodi; quo vero ad alia beneficia, & bona, aliaque prædicta etiam computatis incertis, & distributionibus quotidianis, septem ducatorum parium valorem annuum excedentium; Dummodo tamen Parochialis, seu Beneficii, hujusmodi Titulares una cum illis alia Beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem prædictum conjunctim excedentes non possideant, seu percipiant; Sancti quoque Benedicti, S. Augustini, Cluniacien., Cistercien., Præmonstraten., S. Basilii, & qui proprietates, redditusque certos, ex privilegio, vel alias possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum, utriusque sexus, necnon Cassinen., alias S. Justinæ de Padua, Carthusien., Lateranen., Silvestrinorum, Montis Oliveti, Camaldulen., S. Salvatoris, Vallis Umbrosæ, Cœlestinorum, Cistercien. in Longobardia, & Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, exemptorum, & non exemptorum, & insuper Hospitalium, etiam Pauperum Hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra Infirmorum necessitates, & alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium; Necnon B. Mariæ Teuthonicorum S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum, in Universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus consistentium secundum verum annuum valorem fructuum, redditnum, proventuum, & aliorum præfatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica, & pro ea cum dilecto Filio nostro Palutio Tit. SS. Duodecim Apostolorum S.R.E. Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato ejusdem S.R.E. Camerario fuerit concordatum, & S.R.E. Cardinalibus ob assiduos, magnosque labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, gravissimaque tuendæ dignitatis Causa sustinent onera, ac Militia S. Joannis Hierosolymitani, quæ pro sua, & Christiani Orbis tutela adversus Turcas præfatos semper gerit bella, dumtaxat excepta.

§. 4. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, redditnum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi in favorem quorumcumque, non tamen Cardinalium prædictorum reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum, & assignatorum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiæ, & conditionis personis infrascripto quinquennio durante, præfata quocumque Jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, necnon Œconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, eos, & alia hujusmodi Jura, ex quacumque Causa sibi Apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris, Sæcularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) præfatorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & Locis quocumque privilegio, exemptione, reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis.

§. 5. Quas omnes Decimas prædictas solvere obligatos, ut præfertur eadem infra quinquennium proximum quinque æqualibus solutionibus,

Tres integras decimas infra quinquennium persolvendas imponit super omnibus beneficiis, ac bonis Ecclesiasticis tam sæcular., quam regular. prout in rubr.

Tres similes decimas imponit omnium, & quarumcumque pensionum, prout in rub.

Designat tempus faciendæ solutionis omnium dd. Decimarum.

pro prima videlicet intra proximum diem Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli Mensis Septembris proxime futuri, & successive pro reliquis quatuor solutionibus singulo quoque anno ratam partem intra festum hujusmodi cujuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem Cameræ prædictæ, & illius Depositario Generali ad id constituendo omnino volumus persolvisse.

Prohibet Subcollectoribus extra Urbem deputandis, ne ultra salarium quidquam petere, aut percipere, vel prætendere audeant.

§. 6. Subcollectoribus autem Decimarum hujusmodi extra Urbem nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputationum literis patentibus designandam, etiam petere, vel prætendere, aut percipere audeant, specialiter, & expresse, ac sub pœnis in contravenientes arbitrio ejusdem S. R. E. Camerarii infligendis, prohibemus. Ejusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quidquid pecuniarum ex Decimis obligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato Nostro speciali in præfatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

Munus Depositarii designat prout in rub.

Pœnæ in non solventes statuto tempore prædd. Decimas, aut non integre, prout in rubrica.

§. 7. Quicumque vero Decimas hujusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur ineundam, sive in terminis constituendis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem; si Ecclesiarum Antistites fuerint suspendimus a Divinis, Capituli vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares Personas Antistite inferiores excommunicationis sententia innodamus.

Præcipit omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus, ut nomine suorum principalium hujusmodi Decimas solvant.

§. 8. Cæterum ad prædictas Decimas consequendas præcipimus, etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & Jurium prædictorum, etiam hujusmodi oneratorum, ut memoratas Decimas nomine Dominorum, ac pensionariorum ad computum suæ quisque locationis; omnibus vero possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliique prædicta solvere debentes, ut ipsi etiam Decimas pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum Cameræ, & Depositario prædictis integre persolvant.

Vult eos in solidum cogi posse juxta verum annuū valorem proventuum, & pensionum pro rata.

§. 9. Decernentes, Decimas fructuum, redituum, proventuum, & aliorum Jurium prædictorum secundum verum valorem annuum, alias vero pensionum Decimas ad eamdem rationem trium Decimarum durante dicto quinquennio præstari debere, & secundum eam prædictos omnes in solidum cogi posse ipsarum Decimarum Procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem, facultatemque habere, omnesque, & singulos Pensionarios, quacumque auctoritate, dignitate, præeminentia præfulgeant, Cardinalibus, ac Militibus S. Jo. Hierosolymitani præfatis tantum exceptis, ad ipsam Decimarum solutionem, pro rata cujuslibet pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscumque pacti, & conventionis, quantumvis ex Causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti Pensionum, & cujusvis alterius, quantumvis inexcogitatæ cautelæ, & pactionis, etiam à Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illarum, & illorum inserto tenore approbatis, & confirmatis, ac forsan præfato quinquennio durante approbandis, & confirmandis, aliquid aliquando ab his Titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad Decimarum hujusmodi solutionem pro rata suæ cujuslibet pensionis, præfato quinquennio durante teneri; ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit cogi, & compelli posse, seu debere. Omnes vero confessiones, ac quietantias receptionis Decimarum a Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ tam Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus nomine suorum Principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in Judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & Pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent.

Vult omnes Pensionarios exceptis Cardinalibus, & Militibus Hierosolymit. ad dd. Decimas teneri pro rata pensionum quibuscumq; non obstantibus.

Mandat quietantias, & confessiones de recepto factas per Ministros Cam. Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus nomine suorum principalium plene probare etiam in Judicio.

Conductoribus, qui anticipare solverint locationem prorogat usque ad integram satisfactionem etiam adveniente successore.

Deregat contrariis.

§. 10. Conductores autem qui pretium locationis Dominis legitime anticipaverint locationem suam hujusmodi, quoad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore, continuare debere: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuntios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Card. Camerarium deputat dd. Decimarum generalem Collectorem cum omnibus facultatibus, & privilegiis, prout in rub.

§. 11. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat diligenter, & fideliter & executioni demandentur, præfatum Palutium Cardinalem Camerarium cujus integritas, fides, atque experientia jam pridem Nobis perspecta est, & nota devotio, Generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscumque Privilegiis, Jurisdictionibus, ac Juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tam conjunctim, quam divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per Edictum locis publicis affigendi, monendi, & requirendi: non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, quovis quæsito colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi: auxiliumque brachii sæcularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi super irregularitate forsan incursa, dummodo tamen in contemptu Clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi.

Eidem Card. dat facultatem alios ubique Collectores, & Subcollectores deputandi, removendi, & alios subrogandi, prout in rubrica.

§. 12. Præterea Collectores, & Subcollectores viros, ubique providos, ac fide, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italis, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderit expediri, cum simili, vel limitata, non tamen absolvendi, potestate constituendi, eumque, vel

eos ejus arbitrio revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Ea tamen conditione adjecta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur faciendam nullo modo censeantur exempti a solutione trium Decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu Pensionum per eos obtentorum solvere debebant.

Declarat hujusmodi Collectores, & Subcollectores non esse exemptos a solutione dd. Decimarum, ratione beneficiorum, vel pensionum per ipsos possess.

§. 13. Non obstantibus piæ mem. præsertim Pauli III., ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis Jesu a solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. Pii V. Duodecim Congregationibus præfatis, ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore Juris clausis, Immunitatibus, literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus locis, Capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis tam sæcularibus, quam Regularibus generaliter, vel specialiter, sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede, etiam ex causa concordiæ, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut alias ex qualibet alia Causa, etiam hic non expressa, & necessario exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Omnibus contrariis amplissime derogat.

§. 14. Quodque si Prælatis, & Personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a præfata sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, necnon personis, eorumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Immunitatibus in genere, vel in specie quandocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias quam secundum antiquam taxam, & nisi in Universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contra quemcumque locum habere, similiter declaramus, aliisque Indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: Quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declarat Ecclesiis, Locis, Personis, & Prælatis nullum suffragari privilegium speciale exemptionis a d. solutione Decimarum, quibus pariter derogat.

§. 15. Ut vero subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & Decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dicta Camera Apostolica deveniendum peramplius invitentur: Statuimus, & decernimus quod si ante quinquennii prædicti terminationem Decimarum solutio, ut infra cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & refectionem pecuniarum ab eisdem Decimis provenientium illis, qui ut præfertur, cum ea concordaverint, faciendam, pro rata tamen temporis ante dicti Quinquennii lapsum decursi, & summæ per eos solutæ omnino teneatur.

Invitat debitores hujusmodi Decimarum ad compositionem cum R. Cam.

Si ante quinquennium cesset hujusmodi solutio mandat Cameræ, ut restituat acceptum ex causa d. Compositionis pro rata temporis.

Cessantibus causis ante quinquennium cesset solutio.

§. 16. Et insuper volumus, quod si, favente Deo, Causæ, propter quas Decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cesslaverint, etiam Decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censeatur eo ipso. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem rec. me. Clementis PP. V. similiter prædecessoris Nostri in Concilio Viennen. editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec Calices, Libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino Cultui dicata ex causa pignoris capi, pereipi, vel distrahi aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticumque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures Pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro litera, & sigillo quietantiæ Universalis, si illam habere voluerit, ultra unum Carolenum conficientem quadrenos triginta septem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu Cambii uspiam compellatur.

Mandat observari Constitutionem Clemen. V. prout in rubrica.

Præcipit ne quis pro litera, & sigillo quietantiæ Universalis solvere debeat ultra unum carolenum.

§. 17. Cæterum volentes, illos quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publica disciplina compescere; omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam si Pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu Pensionum per eos obtentorum, ut præfertur, retinere, aut illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiose præsumpserint, interdicimus a Divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto; Ita ut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis articulo absolutionis beneficium nequeat obtinere. Quia vero difficile nimis esset præsentes literas ad singula quæque loca, & quocumque illis opus fuerit perferre:

Pœnæ adversus subtrahentes, aut fraudantes hujusmodi decimas.

§. 18. Volumus, ut illorum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici manu, Palutii Cardi-

Transumptorum fides.

nalis Camerarii præfati, seu alterius ab eodem Deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejusque Curiæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, ac si essent exhibitæ, vel ostensæ. Ut autem præsentes ad communem notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ S. Jo. Lateranen., Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare: Cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Publicatio.

Sanctio pœnalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Edit. 12. Mart. 1674. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, Quarto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



†
† *Ego Franciscus Episc. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. Vice-cancellarius.*
† *Ego Franciscus Maria Episcop. Portuensis Card. Brancatius.*
† *Ego Uldericus Episcopus Tusculanus Card. Carpineus.*
†
† *Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus.*
†
†
†
† *Ego Nicolaus tit. S. Mariæ in Transtyberim Presbyter Card. Ludovisius.*
† *Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyter Card. Cybo.*
† *Ego Federicus tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.*
† *Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presbyt. Card. Odescalchus.*
†
†
† *Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.*
† *Ego Petrus tit. S. Marci de Urbe Presbyt. Card. Otthobonus.*
†
† *Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Spada.*
† *Ego Franciscus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Card. Albitius.*
† *Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Aquaviva de Aragonia.*
† *Ego Carolus tit. S. Priscæ Presb. Card. Pius.*
† *Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chisius.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Mariæ in Ara-Cœli Presbyter Card. Fransonus.*
† *Ego Petrus tit. S. Calixti Presbyter Cardin. Vidonus.*
†
†
†
†
†
† *Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presbyt. Cardinal. Bonellus.*
†
†
† *Ego Palutius Palutius Albertonius SS. XII. Apostolorum Presbyt. Card. de Alteriis S.R.E. Camerarius.*
† *Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.*
†
† *Ego Jacobus S. Mariæ de Pace Presbyt. Cardin. Ninius.*
†
†
†
† *Ego Jacobus tit. SS. Jo. & Pauli Presb. Card. Rospigliosius.*
† *Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presbyt. Cardin. Portocarrero.*
†
†
† *Ego Jo. tit. S. Bernardi Presb. Card. Bona.*
† *Ego Camillus tit. S. Eusebii Presbyt. Card. Maximus.*
† *Gaspar tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. de Carpineo.*
† *Cæsar tit. S. Mariæ in Via Card. Destræus.*
†
†
†
† *Ego Jo. Guerardus tit. S. Bartholomæi in Insula Presb. Card. Nitardus.*
† *Fr. Vincentius Maria Ursinus Presbyter Cardin. S. Xisti.*
† *Ego Franciscus tit. S. Matthæi in Merula Presb. Card. Nerlius.*
† *Ego Hieronymus tit. S. Pudentianæ Presb. Card. Castaldus.*
†
† *Ego Fridericus S. Agathæ Diaconus Card. Hassiæ.*
† *Ego Carolus S. Cæsarei Diaconus Card. Barberinus.*
† *Ego Decius S. Eustachii Diac. Card. Azolinus.*
† *Ego Paulus S. Nicolai in Carcere Tull. Diaconus Card. Sabellus.*
† *Ego Nicolaus SS. Cosmæ, & Damiai Diac. Card. Acciajolus.*
† *Ego Felix S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Rospigliosius.*
† *Ego Hieronymus S. Mariæ in Porticu Diac. Card. Casanata.*

† *Ego Petrus S. Mariæ in Dominica Diac. Card. Basadonna.*

†
†
†

I. G. Sinius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Præsentatio, & admissio præsentium literarum in Cam. die 20. Aprilis 1674.

Præsentes Literæ Apostolicæ die Veneris 20. Aprilis 1674. præsentatæ, & admissæ fuerunt in Camera Apostolica, & registratæ in libro primo Signaturarum Sanctiss. D. N. Papæ Clementis X. fol. 64.

Matthæus de Angelis Rev. Cam. Apost. Secretar., & Cancell.

Fides publicationis.

Anno à Nativitate Dom. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, die vero 21. Apr., Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. anno ejus Quarto, præsentes literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. Principis Apostolorum, Sanctæ M. Majoris, & Cancellariæ Apost. per nos Jo. Antonium Scajolam, & Jo. Græcum prælibati SSmi D. N. Papæ Cursores.

Laurentius Signus Mag. Curs.

LVIII. Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei,

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Procœmium.

AD Apostolicæ vocis Oraculum, è militantis Ecclesiæ specula evangelizantis Orbi Christiano, gaudium magnum: Tempus nimirum acceptabile, dies salutis, in quibus è mystica Fidei petra, uberiore proventu decurrunt fluenta aquæ salientis in vitam æternam, lætamini populi, exultate gentes, & ad Sanctam in Terris Civitatem Dei, certatim accurrite, ut videatis voluptatem Domini, & visitetis Templum ejus. Appropinquat scilicet annus Jubilæi, annus remissionis, & gratiæ, annus placabilis, & Sanctus, cujus solemnitatem ex veteri divinitus tradita Hebræorum disciplina, ut quinquagesimo quoque anno recolerent exitum Domus Jacob de populo Barbaro, sapienter derivatam, more prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum celebraturi sumus, Mysterio tamen eo sublimiore, quo Cœlestia, & æterna, quæ à lege gratiæ conferuntur, terrestribus, & caducis antecellunt, quæ lex illa servitutis, figura & umbra novi Testamenti, pollicebatur; pro mortali enim patria, pro fundis paternis, pro corporis libertate, quam Hebræi illo anno recuperabant; renovantur hac recurrente celebritate Christifideles spiritu libertatis, per quem vocantur in adoptionem filiorum Dei, & roborantur spe beatæ illius patriæ, & æternæ hæreditatis, à qua per prævaricationem primi Parentis exciderant. Quamvis enim nullum sit tempus, in quo Fidelibus pœnitentiam agentibus non præstentur Cœlestis Indulgentiæ dona, deprompta ex infinitis Christi passionis, & mortis meritis, omniumque Sanctorum; hac tamen festivitate, quasi in quadam plenitudine temporis, largiore manu tribuuntur, dum spiritualis Ærarii, & Ecclesiastici Thesauri portæ latissime reserantur.

§. 1. Agite ergo, filii dilectissimi, & Romanæ Ecclesiæ plena de materno sinu ubera exerentis, atque omnes, qui laborant, & onerati sunt, ad se, ut eos reficiat, invitantis vocem secuti, peregrinationem hanc sacram læti suscipite. Si enim ob incertam alicujus temporalis, fluxique lucri spem, non dubitatis, aliquando difficile, & longinquum ad barbaras Terras, vel iniquissimo anni tempore, iter ingredi, & vitam, sævis, per ignota maria, tempestatibus, ventisque committere, qua tandem alacritate proficisci par est ad amœnas, atque hospitales Latii plagas, certa spe, si per vos non steterit consequendi Thesauros non deficientes in Cœlo, quos neque ærugo absumit, neque tinea? Ad sanctam hanc Hierusalem, Matrem Ecclesiarum, Fontem Religionis, Magistram Gentium, Regiam sanctitatis, invitant vos tot egregia per eam sparsa priscæ pietatis, & sanctimoniæ monumenta: Invitant Sanctissimorum Pontificum, & Martyrum invictissimorum Sepulchra: invitant toto Orbe clarissima Apostolorum trophæa, cum quibus nulla veteris illius victricis Gentium Romæ trophæa sunt conferenda. Ipsa denique Sacrosanctæ Passionis Dominicæ Instrumenta, quorum adorandorum causa prisci illi fideles ex ultimis Terris Palæstinam petebant, è Palæstina huc olim adducta, quasi amoris pignora, quo diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob, vos amanter invitant. Excitamini ad hæc, & venite alacriter, filii promissionis, in Parentis gremium, Oves Dominici gregis, in Pastoris amplexus. Atque utinam precibus, quas ex intimis Paternæ Charitatis præcordiis continenter effundimus exorata Divina Bonitas aliquando secundet spem, quæ aliquot abhinc lustris affulgere visa est, reducendi ad Christi Ovile, extra quod non est salus, tot Nobilissimas Christiani Orbis Provincias, longe optimis artibus, virisque florentes, quas Patrum nostrorum memoria, ab unitate Romanæ Ecclesiæ, infœlix dissidium, & malus error abduxit. Quam libenter omnes Paterno sinu complecteremur. Quantas Patri misericordiarum gratias ageremus, quod dies nostros ad tam grave senium protulisset, ut videremus salutare Dei, antequam in pace dimitteret servum suum.

Vota SS. Pontificis.

§. 2. Vos autem charissimi in Christo filii, Reges, & Principes, luminaria magna Ecclesiæ Dei, per quem regnatis, si conditio temporum non patitur, vos pia majorum nostrorum studia æmulantes, sacrum hoc iter instituite, de subjectis vestris, aliisque Romam petentibus parate viam Domini, præbete tuta, & pacata itinera, & omnis generis commeatus, ne alioqui lugeant viæ Sion, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem. In primis vero, quod nos jampridem omni Pastoralis solicitudinis, & paternæ charitatis Officio, tum à vobis per literas, & Nuncios nostros, tum à pacis auctore Deo jugi prece efflagitamus, ponite aliquando iras populis vestris graves, rei Christianæ publicæ luctuosas. Congregamini cum Deo Abraham, & bella Domini præliantes, vertite arma in immanes Barbaros, inclyto Poloniæ Regno, aliisve Christianis Provinciis, terra marique imminentes. Eos enim clades, quantumvis magna, memorabilisque ad Tyram amnem nuper accepta, irritavit potius quam fregit: nisi perculsis instet victor exercitus, & triumphis assuetus, nosque post opem divinam diu, ac suppliciter imploratam, quamprimum communem causam, commune periculum, communibus quoque studiis, armisque tueamur.

Monet Reges, & Principes, ut præbeant tuta, & pacata itinera, ac omnis generis commeatus.

§. 3. Nos igitur per traditam nobis à Deo, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, una cum solicitudine omnium Ecclesiarum, ligandi, atque solvendi potestatem, quæ in digno hærede non deficit, Sanctissimis prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eorumque laudabile institutum tenentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

Indicit SS. Pontifex universale Jubilæum Anni Sancti.

assensu,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

assensu, universalis, & maximi Jubilæi celebrationem à primis vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proximæ futuræ inchoandam, & per totum annum finiendam Auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, maximo cum animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, Sanctæ Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, Catholicorum Principum concordiam, Christianorumque omnium populorum solatium, & sanctificationem, indicimus, & promulgamus; Quo ipso Jubilæi anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel incolæ Urbis; si vero peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies, devote visitaverint, & pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, & tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam, misericorditer in Domino concedimus, & impartimur. Et quoniam evenire potest, ut ex eis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac nequidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino possumus benigne favere cupientes; eosdem vere pœnitentes, & confessos prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes, perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus à nobis præscriptis visitassent.

Cunctis Ecclesiæ Prælatis Anni Sancti publicationem mandat.

§. 4. Vos autem, Venerabiles Fratres Nostri, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem solicitudinis nostræ vocati, Duces, & Pastores Populorum, Lux mundi, & Sal terræ, capite Tubas argenteas, quarum usus est in Jubilæo, idest adhibete prædicationem verbi Dei, & annunciate Populis hoc gaudium, ut sanctificentur, & Dei juvante gratia parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis per ministerium humilitatis nostræ præparavit: adducite verbo, & exemplo parvulos ad hujus charissimæ Matris ubera, quæ eos per Evangelium in Christo genuit. Adducite filios ad Patrem, oves ad Pastorem summum, membra ad Caput, fideles ad Fidei petram, in qua omnis ædificatio Catholicæ Ecclesiæ constructa consurgit. Ad Sacras igitur Indulgentias, earumque salutares fructus, ipso Jubilæi Anno Romæ percipiendos, vocate cœtum, congregate Populum, sanctificate Ecclesiam; docete gentes Fidei vestræ creditas, quia advenæ, & peregrini sumus in hac vita, & Civitatem in terris permanentem non habemus, sed in Cœlis æternam inquirimus. Quia vero breves dies sunt hujus nostræ calamitosæ peregrinationis, & nescimus qua hora Pater familias venturus sit; idcirco vigilent, & lampadas ardentes, plenasque oleo Charitatis, & misericordiæ portent in manibus, & in beatam illam requiem ingredi festinent.

Hoc præcipue anno Vitæ Sanctimoniam Christifidelibus commendat.

§. 5. Nam si unquam alias nunc potissimum iræ, contentiones, & odia dimittenda propter Christum: Nunc maxime servos decet misereri conservorum suorum, ut Dominus Clementissimus omne debitum eis dimittat: nunc præcipua puritatis, & innocentiæ cura habenda, ut Templum Dei mundum efficiatur, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione; & portet Deum in corpore suo. Scelera insuper, & peccata omnia, malasque cogitationes è cordibus eorum penitus exterminanda, ut cœlestis ira placetur, & Christiano Nomini, in quo gloriantur, moribus, factisque respondeant. Docete autem eos, quemadmodum ad salutares Indulgentias consequendas in animo contrito, & in spiritu humilitatis, assiduis orationibus, & jejuniis, cæterisque pietatis operibus, se ipsos præparare, atque exercere debeant: & qui substantias hujus mundi habent, aperiant viscera sua, & Fratrum suorum pauperum inopiam sublevent; præcipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, & Sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus, diligentissime coluerunt, ipsi quoque multa cum hilaritate spiritus renovent, atque observent.

§. 6. Admonete etiam eos, ut orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agant, & pax inter eos, & concordia coalescat, & conservetur. Postremo docete eos, cum Sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua Fraternæ pacis observantia prælucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco, & unusquisque ita componere se conetur, ut faciem plane præseferat euntis in Hierusalem. Præbete autem vos ipsos, Venerabiles Fratres, & omnem Clerum exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, ut vestræ virtutis, & religionis, veluti sale, cæteri condiantur, atque ita omnes unanimes in uno spiritu Christianæ Charitatis, atque in omni Sanctitate, & justitia Deo serviamus.

Quanta devotione hæc S. Peregrinatio suscipienda sit præscribit.

§. 7. Hortamur quoque, & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem Electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam, pro Zelo excitentur, præcipue vero Venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & à suis Magistratibus, & Ministris, adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia, eorum Regia ope, & gratia foveantur: maxime autem erga Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur; sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis, amanter excipi, ut commeatu, & rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria institutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna Tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Hortatur Principes, ut Antistitum vigilantiam adjuvent.

§. 8. Ut vero præsentes literæ ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant: volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, & ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 9. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ Indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, ſextodecimo Kal. Maji, Pontificatus noſtri Anno quarto.

G. Card. Prodat.

I. G. Sluſius.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

D. Ciampinus.

Dat. 16. Kal. Maji 1674. An. 4.

LIX.

Suſpenſio quarumcumque Indulgentiarum durante Anno Univerſalis Jubilæi 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUm nos nuper ſancti Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti anni proximi venturi inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, univerſo populo Chriſtiano, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium aſſenſu, indixerimus, ac omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas, Lateranen. quoque, & Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem, & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper confectis literis plenius continetur:

Cauſa hujus Conſtitut.

§. 1. Cupientes, ut Chriſtianæ Nationes ex omnibus Terrarum Orbis locis in Alma Urbe noſtra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis ſpiritu Baſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Jubilæo, viſitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti:

Suſpendit Summus Pontifex quaſcumque Indulgentias durante anno Univerſalis Jubilæi 1675.

§. 2. Omnes, & ſingulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & Indulta abſolvendi etiam à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Univerſitatibus, & Piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tam ſæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Perſonis, Coroniſque, Granis, Imaginibus, & Numiſmatibus ex metallo, ſeu quacumque alia materia confectis, tam ſingulariter, quam univerſaliter, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate, etiam ſpeciali nota digna, fulgentibus, etiam ad inſtar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibuſvis cauſis, & occaſionibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet conceſſas: quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus Apoſtolica auctoritate, de eorumdem Fratrum conſilio, & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, eaſque, & ea eodem anno durante, nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere: Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Prohibet alias Indulgentias publicari.

§. 3. Quo circa per præſentes auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ quam indicti à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, ſive publice, ſive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, ſub excommunicationis eo ipſo incurrendæ, aliiſque arbitrio Ordinariorum, infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in uſum demandentur.

Contrariis quibuſcumq; derogat.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Univerſitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis Apoſtolicis illis, eorumque ſuperioribus, & perſonis, aliiſque quibuſcumque per eoſdem Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & dictam Sedem, ejuſque Legatos, ſub quicuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, & ex quibuſvis cauſis conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod ſub ſimilibus, vel diſſimilibus ſuſpenſionibus nequaquam comprehendantur, niſi de illis ſpecialis, & individua mentio fiat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile nimis eſſet præſentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri:

Tranſumptorum fides.

§. 5. Volumus earum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eamdem prorſus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſpenſionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Tertio nonas Maji, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Dat. 3. nonas Maji 1674. An. 4.

G. Cardinalis Prodatarius.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

Publicatio.

Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Quarto, Indictione undecima, die vero decima ſeptima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Decimi Anno Quinto, ſuprascriptæ literæ Apoſtolicæ in Atrio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe publicatæ, & ad valvas ejuſdem Baſilicæ affixæ fuerunt, ac eædem poſtea publicatæ in Baſilica S. Pauli, & in Eccleſia Lateranenſi, & S. Mariæ Majoris de Urbe ad earumdem valvas pariter affixæ fuerunt, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem copiis, ut moris eſt, per nos Gregorium Staggium, & Agabitum Magiſtros prælibati Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbigionus Decanus.

Præceptum Episcopis Indiarum, aliarumque Partium Orientalium, ac Regularibus etiam Societatis Jesu, eorumque Superioribus super stricta observantia Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Congregationis de Propaganda Fide sub pœnis arbitrio ejusdem Congregationis quoad omnes, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. QUoniam ea, quæ ex solita hujus S. Sedis Apostolicæ rectitudine, atque æquitate provide sapienterque emanarunt, & in dies, prout Justitiæ ratio exigit, & propagandæ, solidandæque Catholicæ Fidei suadet utilitas pie, prudenterque emanant, ab omnibus Christifidelibus, & præsertim à Catholicis Antistitibus in partem Apostolicæ solicitudinis vocatis, ac ab illis qui votorum Religiosorum nexu Dei, Ecclesiæque obsequiis arctius devincti sunt inviolabiliter observari oportet.

§. 1. Nos quibus licet immeritis, & tanto oneri imparibus, Ecclesiæ suæ Sanctæ curam commisit Altissimus, debitæ Apostolicorum Decretorum observationi quantum Nobis ex alto conceditur providere cupientes, de particularis Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, super rebus Sinarum deputatæ consilio, Venerabiles Fratres Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientalium harum serie paterne monemus, eisque, ac etiam Regularium Superioribus, & eisdemmet Regularibus, etiam Societatis Jesu auctoritate Apostolica in virtute S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut omnes Constitutiones Apostolicas, & Decreta Congregationis eorumdem Cardinalium, sub pœnis arbitrio ejusdem Congregationis imponendis quoad omnes, & quoad Regulares, etiam Societatis Jesu, eorumque superiores præfatos, etiam privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, stricte, ac inconcusse, & inviolabiliter observent.

Præcipit in virtute S. Obedientiæ Episcopis Indiarum aliarumque partium Orientalium, necnon Regularibus etiam Societatis Jesu, ut Constitutiones Ap., & Decreta Congregationis Propagandæ Fidei inviolabiliter observent.

Pœnæ adversus Contravenientes.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit dictæ Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, & Ordinum quorumcumque, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præsentium hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1674. Pontificatus nostri Anno quinto.

Edit. 7. Junii, 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Junii par. 1. fol. 30.

Exemptio Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum apud Sinas ab omnimoda jurisdictione omnium Ordinariorum in Provinciis ipsis assignatis. LXI.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. IN Apostolicæ dignitatis fastigio cum potestatis plenitudine à D. constituti ad ea, per quæ Catholicæ fidei, Christianæque Religionis propagatio præsertim in remotissimis ab hac S. Sede partibus Fidelium operariorum in vinea D. strenue laborantium, studiis per Dei gratiam ad optatum finem perduci valeat, propensis studiis intendimus, & pastoralis officii nostri partes paterna charitate desuper interponimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Animarum salutem expedire in D. arbitramur.

§. 1. Itaque contentiones quæ inter Venerabiles Fratres Episcopos, Vicarios Apostolicos apud Sinas ab hac S. Sede Apostolica deputatos, & Ordinarios Indiarum, aliarumque Orientalium partium oriri possent, e medio tollere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, eosdem Vicarios Apostolicos ab omnimoda Jurisdictione omnium Ordinariorum in Provinciis sibi assignatis auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos, & liberatos, dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse, & fore decernimus, & declaramus; reservata tamen dictæ Congregationi Cardinalium facultate aliter decernendi.

Vicarios Ap. in partibus Sinarum deputatos eximit ab omnimoda Jurisdictione Ordinariorum in Provinciis sibi assignatis.

Præservat Congregationi facultatem aliter decernendi.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis præfatis, in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis

Derogat contrariis.

haben-

habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 7. Junii 1674. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1674. Pontificatus nostri Anno quinto.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. Brev. in lib. Mensis Junii part. 1. fol. 13.

LXII.

Extensio Constitutionis Urbani VIII. contra impedientes Religiosorum mittendorum ad partes Orientales accessum emanatæ, ac impedientes exercitium Jurisdictionis Episcoporum & Vicariorum Apostolicorum in dictis Partibus Orientalibus commorantium, eorumque operariorum in Provinciis ipsis a Sede Apostolica assignatis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur literæ Urbani VIII.

CUm dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas die 22. Februarii 1633. emanatas, quarum initium est -- *Ex debito &c.* in quibus super Missionibus Religiosorum ad Japoniam, & alia Regna Indiarum Orientalium multa salubriter constituit, quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Religiosorum mittendorum ad Insulas, Provincias, Regiones, & Regna earumdem Indiarum accessum impedientes excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodaverit, & alias prout in eisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Preces Episcoporum Vicariorum Ap. in partibus Orientalibus degentium.

§. 1. Et sicut pro parte venerabilium fratrum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum in partibus Orientalibus commorantium nobis nuper expositum fuit, nonnulli, propriæ salutis immemores, ipsorum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum Jurisdictionem, seu illius exercitium impedire audeant, seu præsumant:

Absolutio a Censuris.

§. 2. Nos ejusmodi temeritatem opportuna sanctione cohibere, dictosque Episcopos, & Vicarios Apostolicos speciali favore prosequi, ac in piis, salubribusque eorum studiis ad Dei Gloriam, & Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei incrementum paterno affectu confovere cupientes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, ac absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de particularis Congregationis Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ Consilio, præfatas Urbani prædecessoris literas etiam contra impedientes exercitium

Pontifex dd. literas extendit etiam contra impedientes exercitium Jurisdictionis dd. Vicariorum Apost. eorumque Operariorum in Provinciis sibi a S. Sede assignatis.

Jurisdictionis dictorum Vicariotum Apostolicorum, eorumque Operariorum in Provinciis sibi a S. Sede assignatis auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, alioswe quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Urbanus prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Edit. 8. Junii 1674. An. 5.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Junii 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Junii part. 1. fol. 24.

LXIII.

Declaratio quod Episcopi Indiarum, aliarumque partium Orientalium, eorumque Officiales, & Ministri non possint, nec debeant exercere actus Jurisdictionales supra Episcopos, Vicarios Apostolicos apud Sinas tanquam Delegatos Sedis Apostolicæ, eorumque Operarios in Provinciis ipsis assignatis; Sed ejusdem Vicariis Delegatis Apostolicis in dictis Provinciis Jurisdictionem quoad omnes privative competere donec aliter fuerit a Congregatione Propagandæ Fidei declaratum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

CHristianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationis opus, quod Venerabiles Fratres, Episcopi Vicarii Apostolici apud Sinas ex hujus S. Sedis Apostolicæ mandato laudabiliter susceperunt, & feliciter prosequuntur, quantum nobis ex Alto conceditur promovere, ipsorumque Vicariorum Apostolicorum quieti consulere, & pia eorum studia confovere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, auctoritate Apostolica tenore

Declaratio.

præsentium, declaramus, Venerabiles etiam Fratres Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientalium, eorumque Ministros, & Officiales non posse, nec debere exercere actus Jurisdictionales super præfatos Vicarios Apostolicos tanquam Delegatos S. Sedis prædictæ, eorumque Operarios in Provinciis sibi assignatis, sed eisdem Vicariis Delegatis Apostolicis in prædictis Provinciis Jurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuerit a Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum.

Pœna excommunicationis eo ipso, & indignationis adversus contravenientes.

§. 1. Porro Contraventores eo ipso in pœnas excommunicationis, & indignationis nostræ incurrisse censeri, ipsas vero præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 17. Junii 1674. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. Br. in lib. Mensis Junii part. 1. fol. 19.

LXIV.

Mandatum Inquisitoribus S. Officii Portugalliæ in Causa Emmanuelis a Costa Susarte Clerici Portalegren., ut commissioni avocationis dictæ Causæ manu SSmi signatæ, & literis citatorialibus a Congregatione S. Officii Urbis obtentis omnino pareant.

Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Siden. Generali, ac dilectis filiis reliquis Inquisitoribus adversus hæreticam pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate Apostolica deputatis.

Edita An. D. 1674.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater, ac dilecte fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Expositio facti.

ALias pro parte dilecti filii Emmanuelis a Costa Susarte Clerici Portalegren. in Regno Portugalliæ Nobis expositio, quod ipse in Romana Curia a triennio, & ultra præsens reperiebatur, & habuerat notitiam, quod in dicto Regno fuerant sequestrata, & vendita ejus bona de mandato Judicis Fisci Tribunalis S. Officii; unde suspicabatur se fuisse, & esse inquisitum ab eodem Tribunali de prætenso crimine hæresis, vel apostasiæ, & ideo se præsentare, & constituere intendebat in Tribunali S. Officii Romanæ Curiæ prædictæ, ad se justificandum, & ostendendum sesse semper fuisse, & esse optimum Catholicum, & quod si in dicto Tribunali S. Officii Portugalliæ cujuscumque districtus contra ipsum aliquid prætenderetur, vel in eo adessent aliqua prætensa indicia, vel processus, ad dictum Tribunal Romanæ Curiæ transmitterentur, ad hoc ut idem Emmanuel se defendere posset, & in contrarium suas defensiones, & exceptiones allegare, ad ostendendam suam innocentiam, prout juris foret.

Causam in Tribunali S. Inquisitionis pendentem in Statu, & terminis committit S. Inquisitioni Generali de Urbe, prout in rub.

§. 1. Nos supplicationibus ipsius Emmanuelis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, causam, & causas hujusmodi in statu, & terminis in quibus tunc reperiebantur, & ipso Emmanuele in carceribus constituto, cum omnibus suis incidentibus, dependen., emergen., annexis, & connexis, totoque negotio principali, & quam, & quas idem Emmanuel movere intendebat, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus adversus hæreticam pravitatem, auctoritate Apostolica deputatis audien., deciden., fineque debito terminan., cum facultate citandi, & inhibendi quos, quibus, quoties, & quando opus foret, etiam per Edictum, constituto de non tuto accessu, ac etiam sub censuris, & pœnis arbitrio eorumdem Cardinalium imponendis, & moderandis, necnon censuras aggravandi, reaggravandi, auxilium brachii sæcularis invocandi, ac etiam compulsandi, faciendique transmitti, & transportari omnia acta, judicia, sive processus existentia contra prædictum Emmanuelem in dicto Tribunali Sancti Officii Portugalliæ, seu alibi quatenus adessent, dictamque causam avocandi quatenus opus esset, & revocandi sequestrum, dictaque bona ipsi Emmanueli restituendi, cæteraque desuper necessaria, & opportuna, prout Juris foret gerendi, faciendi, & exequendi auctoritate Apostolica commisimus, & mandavimus, cum opportunis clausulis, & derogationibus, prout in Commissione desuper manu nostra signata plenius continetur.

Appellatio admissa a Tribunali Inquisitionis Portugalliæ ad S. Sedem, & Inquisitionē Generalem Urbis in statu & terminis.

§. 2. Et subinde cum dicta commissio memoratis Cardinalibus præsentata fuisset, dictusque Emmanuel ad majorem cautelam inhærendo cuicumque appellationi forsan a præfatis gravaminibus ad ejus instantiam in partibus interpositæ, ad Nos, & Sedem Apostolicam, ac ad prædictos Cardinales tamquam Judices deputatos, & competentes iterum, & denuo reclamasset, & recursum habuisset, iidem Cardinales recursu hujusmodi admisso in statu, & terminis, in quibus Causa reperiebatur, & ipso Emmanuele in Carceribus hujus supremæ Inquisitionis die 11. Martii 1673. constituto, ac recursum hujusmodi prosequi volente, & intendente, sibique citationem cum inhibitione vigore ejusdem recursus extra Romanam Curiam, & ad partes in forma decerni, & concedi supplicante per eorum citatorias inhibitiones, & compulsorias literas dicta die 11. ejusdem mensis Martii emanatas Venerabili Fratri Marcello Archiepiscopo Chalcedonen. nostro, & dictæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio, & cui, seu quibus literæ hujusmodi pervenirent, commiserunt, & in virtute sanctæ Obedientiæ stricte percipiendo mandarunt, quatenus visis eisdem literis, ex ipsorum Cardinalium parte, imo verius Apostolica auctoritate, dilectos filios Procuratores Fiscales Sancti Officii Ulyssiponen., & Eboren., omnesque alios, & singulos in executione ipsarum literarum nominan., & cognominan. citarent, & citari curarent, facerent, & mandarent, prout ipsi Cardinales citabant, & citari mandabant, quatenus sexagesima die post earumdem literarum executionem comparerent Romæ coram eisdem Cardinalibus in Congregatione prædicta cum omnibus, & singulis eorum actis, actitatis, juribus, scripturis, & processibus quibuscumque contra dictum Emmanuelem eatenus fabricatis, &

Literæ Generales Inquisitionis de Urbe adversus Ministros d. S. Inquisitionis Ulyssiponen. ad comparendū coram ea cum omnibus actis, Juribus, & Scripturis ad Causam facien.

ad Causam hujusmodi facientibus per se, vel Procuratores suos idoneos sufficienter instructos.

Quod eorum contumacia non obstante procederet in Causa, prout in rubrica.

§. 3. Alioquin illis non comparentibus, vel comparere minime curantibus, Cardinales Judices prædicti devenirent ad revocationem omnium contra dictum Emmanuelem gestorum, & attentatorum, & respective ad absolutionem ejusdem, & ad alia Juris, & facti remedia, eorum contumacia, vel absentia minime obstante. Et insuper inhiberent, & inhibendo expresse præciperent, & mandarent, prout ipsi Cardinales inhibebant, præcipiebant, & mandabant omnibus, & singulis Judicibus, Commissariis tam ordinariis, quam extraordinariis, delegatis, & subdelegatis, quacumque auctoritate fungentibus, & functuris, Baroncellis quoque, Capitaneis, Executoribus, cæterisque dictarum Inquisitionum Ministris, & præsertim supradictis Procuratoribus Fiscalibus Ulyssiponen., & Eboren. ex adverso Principalibus, omnibusque aliis in executione nominandis, & cognominandis, ne sub mille Ducatorum auri de Camera Fisco S. Officii applican., & pro illis mandati executivi, & in subsidium excommunicationis, & respective suspensionis a divinis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis auderent, seu præsumerent, aut eorum aliquis auderet, seu præsumeret Emmanuelem prædictum in partibus, vel alibi, quam Romæ coram dd. Cardinalibus, & in Tribunali S. Officii, & per acta Notarii ipsius S. Officii molestare, vexare, & perturbare, seu molestari, vexari, & perturbari facere quovis sub prætextu, quod si secus factum foret, id totum revocaturi erant dd. Cardinales, & in pristinum statum reducere curaturi, justitia mediante, absolutionem vero in præmissis, sibi, vel eorum Superiori tantummodo reservarunt.

Inhibitio.

§. 4. Et ulterius prædictis Cardinalibus per eumdem Emmanuelem exposito penes acta S. Officii Civitatis Ulyssiponen., seu Eboren. reperiri processum, seu processus, aliasque scripturas, Causam, & Causam hujusmodi tangen., qui, seu quæ pro Jurium ejus defensione necessaria, essent, & de facili eis denegari possent, ideoque pro parte ipsius Emmanuelis requisito, ut literæ compulsoriales pro dd. processibus, & scripturis habendis decernerentur, & concederentur: Ipsi Cardinales memorato Nuncio, & cui, seu quibus literæ supradictæ pervenirent, commiserunt pariter, & mandarunt, quatenus omnes, & singulos Ministros, & Officiales dictarum Sanctarum Inquisitionum, eorumque Notarios, Cancellarios, & Actuarios, omnesque alios penes quos dd. processus, aliaque Jura prædicta quomodocumque reperirentur, ipsorum Cardinalium, immo verius Apostolica auctoritate monerent, & requirerent, eisque sub excommunicationis pœna mandarent quatenus infra triduum proximum post requisitionem hujusmodi immediate secuturum, omnes, & singulos processus, Jura, & acta quæcumque Causam, & Causas hujusmodi concernen., & in statu, & terminis, in quibus tunc reperiebantur, in eorum originalibus, sive eorum vera transumpta in publicam, & authenticam formam redacta, sigillis authenticis sigillata, & talibus modo, & forma, quod eisdem in Judicio, & extra plena fides adhibenda esset, prædicto Nuncio, sive dicti Emmanuelis Procuratori legitimo traderent, & exhiberent, atque consignarent, eorumque signa, sigilla, & manus Notariorum recognosci facerent, & mandarent, soluta prius competenti mercede, & quatenus solvenda veniret pro eorum laboribus, dummodo istic in partibus talis merces solveretur, & non alias.

Insuper dicta Generalis Inquisitio de Urde decernit literas compulsoriales.

§. 5. Contradictores vero ad dandum, tradendum, & exhibendum, ac detinentes processus, aliaque Jura prædicta, illaque ostendere nolentes, vel recusantes, aut alias quomodolibet differentes per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compellerent, cogique, & compelli facerent, curarent, & mandarent, & completo dicto processu, una cum omnibus actis factis ad eosdem Cardinales quantocitius transmitterent, & transmitti facerent, ut jure medio possent ad Causæ hujusmodi decisionem, & Justitia mediante, devenire, absolutione a censuris hujusmodi pariformiter reservata, & alias, prout in prædictis eorumdem Cardinalium literis uberius etiam continetur.

Pœnæ adversus Contradictores, & recusantes.

§. 6. Cum autem, sicut accepimus, dicti Cardinales ad alios actus in Causa prædicta subinde devenerint, ac prædictum Emmanuelem è Carceribus prædictis, præstita tamen per eum cautione, sive satisdatione de se in iisdem carceribus quandocumque ipsis Cardinalibus placeret, seu alias repræsentando, dimiserint, ipseque Emmanuel postmodum in Lusitaniam, seu ad alias partes propter negotia sua profectus sit, ibique de licentia eorumdem Cardinalium moretur de præsenti, hinc est, quod nos eamdem Causam à memorata Cardinalium Congregatione omnino audiri, decidi, fineque debito terminari volentes, ac Causam, seu Causas hujusmodi à prædictis Ulyssiponen., & Eboren, aliisque quibusvis Tribunalibus Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate Apostolica institutis ad Nos, & prædictam Cardinalium Congregationem harum serie, quatenus opus sit iterum avocantes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Commissionem Causæ, seu Causarum hujusmodi dd. Cardinalibus a nobis factam, ut præfertur, emanatasque illius vigore ab eisdem Cardinalibus literas citatorias, inhibitoriales, & compulsoriales prædictas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & inde secutis quibuscumque, cæteraque omnia, & singula in Causa, seu Causis hujusmodi a dictis Cardinalibus hactenus quomodolibet acta, facta, gesta, decreta, mandata, & ordinata (illorum omnium singulorum tenores, & datas, etiam veriores, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes) earumdem tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjicimus.

Dicta Generalis Inquisitio sic appellantem è carceribus dimittit præstita per eum cautione de se repræsentando &c.

Pontifex iterum hâc causam avocat a quibusvis Tribunalibus Inquisitionis Regnor. Portugall. & Algarbior. ad se, & S. Inquisitionem Generalem Urbis.

Motu proprio approbat, & confirmat omnia acta per hanc S. Inquisitionem.

§. 7. Ac omnes, & singulos Juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque tam ex Juris communis, & Apostolicarum constitutionum, & Ordinationum, vel Privilegiorum, & Indultorum Apostolicorum, aut consuetudinum etiam immemorabilium præscripto, quam de stylo, vel alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerunt, seu interveniisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, itidem quatenus opus sit plenissime supplemus, & sanamus.

Supplet omnes defectus.

§. 8. Ac proinde Fraternitati tuæ, Frater Petre Archiepiscope, Inquisitor Generalis, ac discretioni vestræ filii reliqui Inquisitores, vestrisque respective Consiliariis, Procuratoribus Fiscalibus, Commissariis, Assessoribus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris quibuscumque, harum serie in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipimus, & mandamus, ut prædictis citatoriis, inhibitorialibus, & compulsorialibus literis, aliisque quibuslibet mandatis, & Decretis a prædictis Cardinalibus, eorumque Congregatione in causa, seu Causis hujusmodi hactenus quomodolibet emanatis, & in poste-

In virtute S. Obedientiæ præcipit, ut pareant Literis, Mandatis, & Decretis hujus Inquisitionis.

rum usque ad finem, & terminum ejusdem Causæ, seu Causarum emanaturis, omni mora, dilatione, tergiversatione, contradictione, oppositione postpositis, sicut devotos, atque obedientes hujus Sanctæ Sedis filios decet, prompte pareatis, nec Causa, seu Causis hujusmodi in prædicta Cardinalium Congregatione pendentibus contra dictum Emmanuelem, illiusque Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, seu negotiorum gestores quovis modo directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet per vos ipsos, seu alios quoslibet aliquid attentare, vel innovare, aut quominus Commissio, & literæ, ac mandata, & alia præmissa debitæ executioni mandentur, impedire, aut in Judicio, vel extra illud vos opponere, vel contradicere ullo modo audeatis, seu præsumatis.

Item ne aliquid interim audeant attentare.

§. 9. Et quatenus aliquid forsan contra eumdem Emmanuelem, ejusque Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, seu negotiorum gestores in Causa, seu Causis hujusmodi post emanatas à memoratis Cardinalibus literas prædictas, per vos, seu vestrum quemlibet, aut vestra, seu cujuslibet vestrum auctoritate, vel mandato hactenus quovis modo attentatum, seu innovatum sit, id totum penitus, & omnino revocetis, annulletis, & circumscribatis, ac in pristinum statum reducatis, alioquin Tu frater Petre Archiepiscope Inquisitor Generalis suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis muneris Inquisitoris Generalis, vos vero filii reliqui Inquisitores, vestrique respective Consiliarii, Procuratores Fiscales, Commissarii, Assessores, Notarii, cæterique Officiales, & Ministri excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis Officiorum quomodocumque ad Tribunal S. Officii spectantium, pœnas, ipso facto, & absque ulla declaratione, vos respective noveritis incursuros, à quibus absolutionem Nobis, & huic Sanctæ Sedi Apostolicæ specialiter reservamus.

Insuper mandat, ut revocent quidquid post dd. literas hujus Inquisitionis fuit in partibus attentatum.

Pœnæ adversus Contravenientes.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali ac individuam expressionem requirente defectu, etiam ex quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in corpore Juris clauso, notari, impugnari, infringi, vel invalidari, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo modo unquam posse sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac à Vobis, & aliis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam in favorem S. Officii Regnorum prædictorum, illiusque Inquisitorum, etiam Generalium, & Officialium, & Ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostro, & Sedem prædictam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiamsi motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & quantiscumque vicibus confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4. Julii 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 4. Julii 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium lib. 5. fol. 227.

LXIV.

Indulgentiæ, & gratiæ Spirituales perpetuæ Coronis D.N. Jesu Christi per Monachos, & Eremitas Camaldulenses dispensari solitis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DE Salute gregis Dominici divina dispositione Nobis commissi solicite cogitantes Christifideles spiritualibus muneribus adjuvare non cessamus, ut eorum devotio ad Omnipotentis Dei cultum, & pietatis opera in dies magis augeatur.

Approbat consuetudinem Monachorum Camaldulensium dispensandi Coronas D.N.J.C.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii Monachi Congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, & Eremitæ Camaldulenses Coronas Domini Nostri Jesu Christi jam pridem Fidelibus dispensare consueverint, nos laudabilem hujusmodi usum harum serie approbantes, easdem Coronas Indulgentiis, atque aliis spiritualibus muneribus, quæ infra sequuntur, ad spiritualem Fidelium consolationem, & Animarum salutem duximus esse decorandas.

Indulgentia 200. annor. recitantibus d. Coronam sibi immediate, vel mediate ab eisdem Monachis traditam, prout in rubr.

Indulgentia 150. annorum illam recitantibus in certis feriis, ac festis de præcepto.

§. 2. Qui vere pœnitens, & confessus, seu firmum confitendi propositum habens, unam ex dictis Coronis sibi a præfatis Monachis, vel Eremitis Camaldulensibus immediate, vel mediante alia persona traditam recitaverit, quotiescumque id fecerit ducentorum annorum; nec non quicumque Coronam hujusmodi secum deferens singulis secundis, quartis, & sextis feriis, ac Festivis de Præcepto Ecclesiæ servari solitis diebus recitaverit, dummodo confessus, & communicatus fuerit, centum quinquaginta annorum. Qui autem solitus fuerit eam recitare

quater

Plenaria semel in anno d. coronam, recitantibus quater in hebdomada.

quater in hebdomada, semel in annno die per eum eligenda, si ea die confessus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, & dictam Coronam pariter recitaverit, plenariam.

Plenaria eam recitantibus per mensem singulis diebus.

§. 3. Qui vero eamdem Coronam singulis diebus per mensem integrum etiam recitaverit, & subinde vere pœnitens, & confessus, cum sacra Communione refectus pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, quoties id egerit, itidem plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequatur. Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomada dictam Coronam recitare, & in bello contra Infideles, Hæreticos, & S. R. E. Hostes dimicaverit, si eo, vel antecedenti die eandem Coronam recitaverit, & in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit, & peccatorum suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit, si in dicta pugna occubuerit, plenariam Indulgentiam pariter consequatur.

Plenaria occumbentibus in bello contra Infideles, Hæreticos, & S. R. E. hostes si d. Coronam ter in hebdomada recitare consueverint.

§. 4. Item quicumque infirmus unam ex dictis Coronis sibi, ut præfertur, traditam apud se habens, eam prius hac intentione recitaverit, & in illa infirmitate delictorum suorum pœnitens, & confessus in articulo mortis Sanctissimum Jesu nomen corde, & ore si potuerit, sin minus Corde invocaverit, plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem si mors inde subsequatur; si vero mors non subsequatur, Indulgentiam ducentorum annorum lucretur.

Plenaria invocantibus corde vel ore nomen Jesu si antea recitaverint d. Coronam dummodo mors inde subsequatur sin minus 200. ann.

§. 5. Qui secum deferens unam ex Coronis prædictis sibi, sicut præmittitur traditam nomen Jesu invocando examen suæ Conscientiæ fecerit, & ter Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo, & felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies Indulgentiæ. Quique dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, & post confessionem Deum Optimum Maximum pro augmento Fidei Catholicæ, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oraverit, viginti annos Indulgentiæ lucretur. Et solitus se exercere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in Religionibus, sit particeps omnium, & singulorum Operum quæ fiunt in dictis Religionibus, si intentione hujusmodi participationis illud Opus exercuerit.

Indulgentia 20. dierum deferentibus d. Coronam si ter orationem Dominicam, & toties Salutationem angelicam recitaverint prout in rub.

Indulgentiæ 20. annorum post expletam actualem confessionem, prout in rubrica.

Solius se exercere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in Religionibus sit particeps omnium operum, quæ in eis fiût prout in rubrica.

§. 6. Qui apud se habens unam ex prædictis Coronis sibi traditam, ut præfertur, & legitime impeditus Missæ Sacrificio diebus festivis de præcepto Ecclesiæ non interfuerit, si quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitaverit, hujusmodi defectum suppleat, & si dicto Missæ Sacrificio interfuerit, dictam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitando, quamcumque mentis vagationem similiter suppleat, dummodo dedita opera factum non sit.

Secum deferens d. coronam, si legitime impeditus interesse Missæ Sacrificio diebus festis, quinquies Orationem Domin. & toties Salutationem Angel. recitaverit supplet hujusmodi defectum.

§. 7. Quisquis secum deferens unam ex dictis Coronis sibi ut supra traditam, Missæ, aut Prædicationi interfuerit, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad Infirmos, aut alias solemniter in Processionibus defertur, associaverit, vel aliquem a prava ad salutis vitam reduxerit, ut puta ab hæresi, blasphemia, detractionibus, vel pacem cum Inimicis composuerit, vel aliquod aliud tam spirituale, quam temporale opus ad honorem Domini Nostri Jesu Christi, vel Gloriosissimæ Virginis Mariæ, aut alterius Sancti pro cujusque devotione, vel ad temporalem, aut spiritualem proximi salutem operatus fuerit, & ter Pater noster, & totidem Ave Maria recitaverit, decem annorum Indulgentiam consequatur.

Si autem interfuerit recitâdo quinquies orationem Domin. & toties salutat. Ang. suppleat quamcumq; mentis vagationem.

§. 8. Qui diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis, & extra illius muros absens ab illa confessus, & Sanctissima Communione refectus, ac secum Coronam sibi, ut præfertur, traditam habens Ecclesiam ab ipso pro sua devotione eligendam visitaverit, vel urgenti causa impeditus dictam Coronam, ac septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & sequentibus suffragiis recitaverit, ducentorum annorum Indulgentiam consequatur, ac eandem etiam consequantur ii, qui in Urbe eadem Opera peregerint, si legitime impediti, easdem Ecclesias visitare nequiverint.

Indulgentia 10. annor. deferentibus d. coronam si aliquod pietatis opus exercuerint, & ter orationem Domin. ac toties Salutat. Angel. recitaverint.

Diebus Stationum Ecclesiarum Urbis habentes secum d. Coronam quando lucretur Indulgentiam 200. annorum.

§. 9. Denique quod omnes suprædictæ Indulgentiæ applicari possint Animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, si ea intentione pro eis oretur, vel suprædicta Opera peragantur auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulget eas omnes applicari posse pro animabus Purgatorii.

§. 10. Volumus autem, ut suprædictæ Coronæ nemini possint vendi, nec commodari, & si secus fiat, Indulgentiæ suprædictæ cessent, nullius que sint roboris, & momenti, sed circa eas Decretum a fel. record. Alexandro Papa VII. prædecessore nostro die 6. Februarii 1657. editum omnino servetur.

Mandat servari Decretum Alexand. VII.

§. 11. Utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 20. Julii 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium Mensis Julii par. 2. fol. 290.

Validatio Confraternitatum sub titulo S. Scapularis in Ecclesiis Ordinis Carmelitarum existentium, quarum erectiones post editam a Clemente VIII. circa Confraternitates Constitutionem revocatæ non reperiuntur, & de quarum post Constitutionem hujusmodi institutarum erectione non constat, cum nova quatenus opus sit erectione, & communicatione Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & privilegiorum, quæ Generalis dicti Ordinis pro tempore existens similibus Confraternitatibus ex Indulto Sedis Apostolicæ communicare potest.

LXVI.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Scannapiocus Prior Generalis Ordinis Fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo, quod licet in multis Ecclesiis dicti Ordinis, præsertim in partibus Ultramontanis consistentibus Confraternitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo S. Scapularis erectæ, seu introductæ reperiantur, quæ suas functiones juxta Institutum similium Confraternitatum sub eodem titulo canonice erectarum obeunt, de illarum tamen statu, & validitate dubitari contigerit, tum quia in earumdem Ecclesiarum, & Conventuum Ordinis prædicti apud illas existentium Archiviis seu Tabulariis nulla extant monumenta, ex quibus constet ad favorem earumdem Confraternitatum ante emanatam a fel. rec. Clemente Papa VIII. prædecessore nostro Constitutionem, cujus initium *Quæ à Sede Apostolica &c.* die 7. Septembris 1604. Editam erectarum, & institutarum, novas erectionum, & institutionum hujusmodi, nec non communicationis Indulgentiarum, facultatum, & Privilegiorum literas intra

tempus ab eadem Constitutione præfixum impetratas fuisse, tum etiam ex eo, quod in plerisque Conventibus ejusdem Ordinis post editam Constitutionem hujusmodi constructis, in quarum tamen Ecclesiis dd. Confraternitates consistunt, literæ erectionis ipsarum Confraternitatum minime reperiuntur.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præsumendum sit Priores Generales Ordinis prædicti, quibus Confraternitates prædictas erigendi, & instituendi, illisque Indulgentias, facultates, gratias, & privilegia hujusmodi communicandi facultas ex Indulto Sedis Apostolicæ competebat, nihil eorum neglexisse, quæ per dictam Constitutionem cauta sunt, sed potius literas innovationis antiquarum, & erectionis novarum Confraternitatum hujusmodi, bellorum, vel hæresum, aut pestis, quæ sæpe, & diu in partibus prædictis sævierunt, calamitatibus periisse.

Preces.

§. 2. Nobis propterea dictus Franciscus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut ad removendas omnes dubietates, opportune in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Francisci Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Confraternitates sub titulo S. Scapularis in Ecclesiis dicti Ordinis tam citra, quam ultra montes consistentibus hactenus erectas, seu introductas, quæ ibidem suas functiones adinstar similium Confraternitatum sub eodem titulo canonice erectarum de præsenti obeunt, tametsi de eadem erectione non constet, nec earum erectiones, & institutiones post emanatam Clementis prædecessoris Constitutionem prædictam renovatæ, literæque desuper de novo impetratæ reperiantur, salva tamen, & reservata in reliquis ejusdem Constitutionis forma, & dispositione, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, cum omnium, & singulorum Juris, & facti defectuum suppletione confirmamus, & validamus, illasque in statu valido esse, & fore decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia, perinde ac si novæ erectionum, & institutionum ipsarum Confraternitatum ante editam Constitutionem prædictam erectarum, literæ juxta præscriptum ejusdem Constitutionis impetratæ, posteriorum vero erectionis, & institutionis literæ expeditæ reperirentur.

Absolutio à Censuris.

Validat Erectiones Confraternitatum aulliter factas.

§. 3. Et quatenus opus sit easdem Confraternitates, & earum singulas in Ecclesiis prædictis respective, servata cæteroqui dict. Constitutionis forma, & dispositione, auctoritate, & tenore prædictis de novo erigimus, & instituimus, ac illis omnibus, & singulis, earumque respective Confratribus, & Consororibus omnes, & singulas Indulgentias, facultates, gratias, & privilegia quæcumque, quæ pro tempore existens Prior Generalis dicti Ordinis ex Indulto dictæ Sedis similibus Confraternitatibus, earumque Confratribus, & Consororibus communicare potest eadem auctoritate harum serie communicamus.

Eas de novo erigit, eisque communicat omnes Indulgentias, & gratias.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 26. Sept. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Septembris par. utraque fol. 553.

LXVII.

Inhibitio, & Mandatum Inquisitoribus S. Officii Portugalliæ, in Causa recursus novorum Christianorum cum avocatione Causæ, seu Causarum contra eos in dicto Tribunali motarum, ac Inhibitione Generali, & reliquis Inquisitoribus, eorumque Ministris, ne contra eos ad ullum actum, ut vocant Fidei, ullamque publicationem, seu executionem sententiarum deveniant, aut aliquid novi attentent, sine licentia Summi Pontificis, sed Decretis, & mandatis Congregationis Cardinalium Sancti Officii Urbis, cui idem S. Pontifex Causas prædictas commisit, prompte pareant sub pœnis opportunis.

Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Siden. Generali, ac dilectis filiis reliquis Inquisitoribus adversus hæreticam prævitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate Apostolica deputatis.

CLEMENS PAPA X.

Edita An. D. 1674.

Venerabilis Frater, ac dilecte fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Recursus ad S. Sedem nonnullorũ Christianorũ novorum detentorum in Carceribus Tribunalium Inquisitionis in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum.

CUm dilecti filii Christiani Novi nuncupati, sive ab Hebræis devenientes in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis degentes, qui in carceribus Tribunalium Inquisitionis adversus hæreticam, & apostaticam à Fide Catholica, & Religione Christiana pravitatem in Ulyssiponen., Eboren., & Conimbrien. Civitatibus, auctoritate Apostolica institutorum, propter imputata eis crimina ad officium Inquisitionis hujusmodi spectantia, de quibus accusati, sive inquisiti respective existunt, detinentur, ad Nos & hanc Sanctam Sedem recurrerint, conquerentes, vos seu vestrum aliquos ad novum actum (ut vocant) Fidei contra ipsos, sive ad eorum condemnationem, eorumque ad publice abjurandum coactionem, & in hujus defectum ad diversam pœnarum infflictionem, atque executionem nimia præcipitatione, quæ Justitiæ noverca esse solet, nec servatis iis quæ per Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum æquitatem præscripta sunt, devenire velle non sine Justitiæ subversione, ac ipsorum, totiusque eorum Nationis ruina, & destructione:

Pontifex hujusmodi Causas avocat ad se ac decidendas committit S. Generali Inquisitioni Urbis.

§. 1. Hinc est, quod Nos, qui in supremo Justitiæ throno a Domino constituti sumus, ac Justitiam omnibus æqua lance administrare tenemur, eorumdem Christianorum recursum hujusmodi admittentes, & causam, & causas quascumque contra eos, & eorum quemlibet

super omnibus, & delictis ad Officium Inquisitionis hujusmodi quomodolibet spectantibus in præfatis, aliisve quibuscumque Tribunalibus Inquisitionis adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate præfata institutis, seu eorum aliquo hactenus quovis modo motas, & pendentes (quarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, necnon Accusatorum, Denunciantium, reorum, aliorumque Collitigantium, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime, & accuratissime expressis, & specificatis habere volumus) in statu, & terminis, in quibus de præsenti quomodolibet reperiuntur ad Nos, & Sedem præfatam harum serie avocantes, ipsasque Causas cum omnibus, & singulis illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem hujusmodi à Sede præfata deputatorum, cui easdem Causas commisimus, & demandavimus audiri, & cognosci, decidi, fineque debito, prout juris fuerit terminari debere omnino volentes:

Inhibet Inquisitoribus dd. Regnorum ne interim in dd. Causis procedant.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine fraternitati Tuæ Frater Petre Archiepiscope Inquisitor Generalis, ac discretioni vestræ filii reliqui Inquisitores, harum serie districte inhibemus, ne Causa, & Causis hujusmodi in præfata Cardinalium Congregatione pendentibus, aut alias quomodolibet donec, & quousque specialis, & expressa desuper à Nobis, & eadem Sede licentia vobis concessa fuerit, ad ullum similem actum, ut vocant, Fidei, ullamque publicationem, promulgationem, aut executionem novarum sententiarum quarumcumque contra præfatos Christianos novos, ut præfertur, inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, & in carceribus prædictis detentos, aut illorum aliquem devenire ullo modo audeatis, neque vos, aut vestrum aliquis, seu vestri, & vestrum cujuslibet respective Consiliarii, Commissarii, Procuratores, Fiscales, Assessores, Notarii, Actuarii, cæterique Officiales, & Ministri contra illos, aut eorum quemlibet, illorumve, & cujuslibet eorum respective Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, seu negotiorum gestores, aut alias quomodolibet pro eis intervenientes quovis modo directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet quicquam novi attentare vel innovare præsumatis.

Eisdem præcipit in virtute S. Obedientiæ, ut mandatis S. Generalis Inquisitionis Urbis pareant.

§. 3. Nos enim Vobis, & vestrum cuilibet, vestrumque, & cujuslibet vestrum respective Consiliariis, Commissariis, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris prædictis tenore præsentium in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipimus, & mandamus, ut quibuscumque Mandatis, & Ordinationibus, & Decretis dictæ Congregationis Cardinalium in Causa, seu Causis hujusmodi hactenus forsan emanatis, & in posterum usque ad finem, & terminum earumdem Causarum quomodolibet emanaturis, omni mora, dilatione, tergiversatione, contradictione, & oppositione postpositis, & remotis prompte sicut devotos hujus S. Sedis filios decet, pareatis, nec illa, eorumve executionem quomodolibet impedire, aut in Judicio, vel extra illud vos opponere, aut contradicere ullo modo audeatis, seu præsumatis.

Pœnæ adversus contravenientes.

§. 4. Alioquin Tu Frater Petre Archiepiscope Inquisitor Generalis suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis muneris Inquisitoris Generalis; vos vero filii reliqui Inquisitores, vestrique respective Consiliarii, Procuratores, Fiscales, Commissarii, Assessores, Notarii, cæterique Officiales, & Ministri excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis Officiorum quomodocumque ad Tribunal Sancti Officii spectantium pœnas ipso facto, & absque alia declaratione vos respective noveritis incursuros, à quibus absolutionem nobis, & huic S. Sedi Apostolicæ specialiter reservamus.

Supplet omnes defectus.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu, etiam ex quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore juris clauso, notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, vel etiam Motu, scientia & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo modo umquam posse; sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque integros, & plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac à vobis, & aliis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam in favorem S. Officii Regnorum præfatorum, illiusque Inquisitorum etiam Generalium, ac Officialium, & Ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem præfatam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, præsentibus pro plene

& sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 3. Oct. 1674. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secretaria Brevium in lib. 5. diversorum fol. 235.

LXVIII. Declaratio nullitatis deputationis Officialium Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sede Archiepiscopali vacante laicali auctoritate facta, & inde secutorum &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex in sublimi Apostolicæ Sedis specula cum potestatis plenitudine à Domino constitutus, sua, & Apostolicæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura ex commissi sibi cœlitus pastoralis muneris debito sarta tecta tueri, ac si quando ea temerariis quorumcumque præsertim laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus, violata esse novit ab ejusmodi violationibus asserere studet; sicut divinitus concessa Ecclesiæ libertas, atque animarum pericula postulant, ac locorum, temporum, & Personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, æquitati, & Justitiæ, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur.

Judex laicus vacante Sede Metropol. deputat Vicarium Capitularem, & Officiales. §. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod alias occasione controversiarum, quæ super Cathedralitate inter Capitula, & Canonicos Metropolitanarum Ecclesiarum Sanctæ Mariæ de Columna vulgariter *del Pilar* nuncupatæ, & Sancti Salvatoris Civitatis Cæsaraugustanæ tunc pendebant indecisæ, Curia, Judices *Justitiæ* nuncupati, vel Audientia Regia Regni Aragoniæ, earumque respective Ministri Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & alia jura Ecclesiastica, & spiritualia Capitulis, & Canonicis prædictis competentia sub sequestro, sive (ut illic dicunt) sub apprehensione ponere, & nuper Ecclesia Metropolitana Cæsaraugustana per obitum bo. me. ultimi illius Archiepiscopi solatio Pastoris destituta in vim assertæ apprehensionis hujusmodi, manum in messem alienam temere mittentes, propriæque conscientiæ, & animarum suarum salutis, nec non malorum, & calamitatum, quibus Divina Justitia ejusmodi libertatis, & jurisdictionis Ecclesiæ violatores, & Invasores sæpe ulta est, immemores, Doctorem Michaelem Martam Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem Civitatis, & Diœcesis Cæsaraugustanæ ad effectum ibidem exercendi jurisdictionem Ordinariam in prima instantia, & Metropoliticam in gradu appellationis, ac Doctorem Josephum Peralta, in Officialem majorem, & Judicem Metropolitanum prædictarum Civitatis, & Diœcesis, ac Provinciæ Cæsaraugustanæ, necnon Doctorem Ignatium Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum, durante Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ vacatione, aliosque forsan Officiales ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem hujusmodi nominare, & deputare temerario, detestabilique ausu præsumpserunt, & alias prout in ipsa-

Prædd. Vicarii, & Officiales Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem damnabiliter exercent.

Hujusmodi temeritas libertatem Ecclesiasticam lædit, & fidelium animas in gravissima pericula conjicit.

rum Curiæ, vel Regiæ Audientiæ, earumque respective Ministrorum literis desuper emanatis, quarum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus plenius dicitur contineri. Et subinde Michael, & Josephus, ac Ignatius, aliique forsan nulliter, & de facto nominati, & deputati prædicti prætextu nominationis, & deputationis hujusmodi, eamdem jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem hactenus exercere damnabiliter ausi sunt, & audent de præsenti.

§. 2. Cum autem ejusmodi execrabilis, & per Sacros Canones, & Conciliorum generalium Decreta, Apostolicasque sanctiones sub anathemate sæpius damnata, atque scandalosa temeritas libertatem Ecclesiasticam Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam manifeste læserit, & violaverit, ac lædat, & violet, animasque pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerit, & deplorandis malis involvere pergat:

§. 3. Hinc est, quod nos, qui libertatis, & Immunitatis, ac jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum Assertores in terris à Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christifidelium curam, & solicitudinem superna dispositione gerimus, ac proinde tam horrendum Sæcularis potestatis abusum nullatenus sub dissimulatione transire possumus, Ecclesiæ prædictæ Cæsaraugustanæ jura sarta tecta, atque illibata tueri, & conservare, necnon Animarum periculis quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam à Curia Justitiæ nuncupati, & Regia Audientia, earumque respective Ministris prædictis, aliisque Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicis quibuscumque, quam à memoratis Michaele, ac Josepho, & Ignatio, aliisque forsan quibuscumque laicali auctoritate, ut præfertur, nominatis, & deputatis, seu alios quoscumque eorum respective nomine in iisdem præmissis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, Causas, & occasiones, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus ibidem pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nominationem, & deputationem prædictorum Michaelis Martæ Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem, ac Josephi Peralta in Officialem Majorem, & Judicem Metropolitanum, necnon Ignatii Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum hujusmodi, & aliorum quorumcumque ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, durante dictæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ vacatione, à Curia, & Regia Audientia, earumque respective Ministris, seu aliis Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicalibus quibuslibet, ut præfertur, aliaque omnia, & singula tam à Curia, & Regia Audientia, earumque Ministris, seu aliis Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicalibus hujusmodi, quam à Michaele, Josepho, & Ignatio, aliisque quibuslibet nominatis, seu deputatis prædictis, vel eorum aliquo, seu eorum, aut alicujus eorum respective jussu, mandato, vel nomine ab aliis quibuscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis in præmissis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, Decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, &

Pontifex deputationem dd. Ministrorum, omniaque acta per eos sequuta, & sequutura declarat irrita, & nulla.

quando-

quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, invalida, & inania, frivola, irrita, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore tenore præsentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia perinde acsi nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, vel evenirent.

Ea omnia, & singula revocat, & cassat.

§. 4. Quo circa Michaeli, ac Ignatio, & Josepho, aliisve quibusvis laicali auctoritate, ut præfertur nominatis, & deputatis prædictis, & eorum cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, necnon sub excommunicationis majoris, & privationis dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque inposterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurren. pœnis, districte prohibemus, & interdicimus, ne nominationis, seu deputationis hujusmodi, aliorumque præmissorum vigore ullam jurisdictionem, potestatem, vel auctoritatem Ecclesiasticam, & spiritualem in Civitate, vel Diœcesi, aut Provincia Cæsaraugustana prædictis exercere, ullumve actum jurisdictionalem facere audeant quovis modo, seu præsumant.

DD. Vicario Capitulari, aliisque Officialibus in virtute S. Obedientiæ prohibet ne aliquem actũ Jurisdictionalem ibi exerceant sub pœnis, prout in rubrica.

§. 5. Eos quoque qui illis, vel eorum alicui scienter in præmissis paruerint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstiterint, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, similibus pœnis eo ipso innodamus, & innodatos fore, ac dignitates, & Beneficia hujusmodi, quorum privationis pœnam propter transgressionem præsentis prohibitionis per præfatos quomodolibet incurri contigerit, ipso facto absque declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse decernimus, & declaramus; necnon eorumdem Beneficiorum, & dignitatum sic vacantium collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem, ac præfatarum pœnarum absolutionem, seu relaxationem nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

Eisdem pœnis afficit eos, qui dd. Deputatis scienter paruerint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstiterint.

Beneficiorum sic vacantium collationem, aliarumque pœnarum absolutionem seu relaxationem S. Sedi specialiter reservat.

§. 6. Et quia Sede Archiepiscopali Cæsaraugustana, ut præfertur, vacante, Officialis, seu Vicarius infra octo dies post mortem Archiepiscopi à Capitulo dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, ad quod ea res juxta Decreta Concilii Tridentini spectabat, constitutus, vel confirmatus non fuit, Jus deputandi Officialem, seu Vicarium hujusmodi juxta eadem Concilii Tridentini Decreta ad Ven. Fratrem Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis dictæ Provinciæ Cæsaraugustanæ devolutum esse harum serie declaramus; ipsique Episcopo Suffraganeo antiquiori terminum decem dierum à die quo præsentium literarum notitiam habuerit computandum, quo durante aliquem qualitatibus per prædicta Concilii Tridentini Decreta requisitis præditum, qui tamen non sit ex illis, qui laicali auctoritate ut præfertur temere, & nulliter deputati fuerunt, aut sic deputatis auxilium, vel favorem in præmissis præstiterunt, vel præstiterint in Officialem, seu Vicarium dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ quamdiu præsens ipsius Ecclesiæ vacatio duraverit in officio duraturum, cum omnibus, & singulis facultatibus, quæ ejusmodi Officialibus, seu Vicariis de jure, ac juxta Concilii Tridentini Decreta hujusmodi competunt, constituere, & deputare debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & assignamus. Quod si idem Episcopus Suffraganeus antiquior Officialem, seu Vicarium hujusmodi intra dictum terminum non deputaverit, lapso eodem termino jus illum deputandi ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam illico devolvatur, ac devolutum esse intelligatur.

A Capitulo d. Metropolitiæ Ecclesiæ infra octo dies ab obitu Archiepiscopi non fuit provisum de Vicario Capitulari.

Declarat hoc Jus deputandi Vicarium Capitularem esse devolutum antiquiori Suffraganeo dict. Provinciæ, eique statuit decem dies ad illum deputandum.

Si intra dictum tempus Vicarium ut supra non deputet hoc Jus voluit S. Sedi devolutum.

§. 7. Cæterum de salute Dominici Gregis paterna charitate soliciti, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, vel Instituti Regularibus, quam laicis harum serie denunciandum, ac ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, prædictos Michaelem, ac Josephum, & Ignatium, aliosque forsan laicali auctoritate, ut præfertur nulliter, & de facto nominatos, & deputatos, nullam jurisdictionem, aut potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem habere, vel habuisse, nec ullam circa Confessariorum approbationem, Verbum Dei prædicandi licentiam, Ecclesiarum, & Locorum piorum Visitationem, illorumque regimen, & administrationem, Causarum cognitionem, Officialium, & Ministrorum deputationem, Censurarum fulminationem, & ab eis absolutionem, cæteraque Forum conscientiæ, vel contentiosum quomodolibet concernentia auctoritatem interponere ullo modo valide posse, nec potuisse, ac proinde eis præsertim significandum esse duximus, invalidas esse Confessiones, quas Presbyteri Sæculares, vel regulares vigore licentiæ, & approbationis à prædictis Officialibus laicali auctoritate deputatis concessarum audiverint, & audient in futurum, pœnitentesque ab eis ex defectu jurisdictionis invalide absolutos fuisse, & fore: invalida quoque esse, & fore Matrimonia, si quæ coram Officialibus, seu Vicariis laicali auctoritate, ut præfertur deputatis, aut coram Sacerdote non Parocho, cui licentiam ad id dederint, forsan contracta fuerint, aut imposterum contrahantur; & sic conjunctos debitum conjugale absque mortalis peccati reatu petere, vel reddere non posse: ac pari nullitatis, atque invaliditatis vitio laborare concursus ad Parochiales Ecclesias, & concurrentium examina, collationesque ipsarum Parochialium per concursus hujusmodi, prætensa auctoritate, seu de mandato Vicarii, seu Officialis sic auctoritate laicali deputati factos, & facta, ac faciendos, & facienda, & Provisos de ipsis Parochialibus Ecclesiis intrusos esse, & fore: similiterque invalidas esse, & fore licentias ingrediendi Clausuram Monasteriorum Monialium à Vicario, seu Officiali hujusmodi concessas, & concedendas, ac illos, qui ejusmodi licentiis usi fuerint excommunicationem per Decreta d. Concilii Tridentini inflictam incurrisse, & incursuros esse. Nec posse contra hæc allegari, vel prætendi excusationem ex communi errore, cum abusus Sæcularis potestatis in deputatione Vicariorum, seu Officialium prædictorum fere omnibus generaliter innotuerit, communique recte sentientium horrore, & detestatione reprobatus fuerit, prout illum ab omnibus damnari, & reprobari volumus.

Omnibus utriusque sexus Christifidelibus denunciat dd. Vicarium Capitularem, aliosque Officiales nullam Jurisdictionẽ habuisse, vel habere.

Actus Jurisdictionis ab eis exercitos tam in foro contentioso, quam conscientiæ declarat fuisse, esse, & fore nullos, & invalidos quos refert in rubr.

Ingressos, vel ingredientes clausuram Monialium cum licentia d. Vicarii declarat incurrisse, & incursuros in Censuras.

Tollit excusationem à communi errore.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod supradictarum Curiæ, & Regiæ Audientiæ Officiales, & Ministri, ac Michael, Josephus, & Ignatius, cæterique Deputati prædicti, & alii quilibet in præmissis, seu eorum aliquo Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque,

Supplet omnes defectus.

quantum-

quantumvis juridica, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, & ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse.

Decretum irritans.

§. 9. Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis amplissime derogat.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon prædictarum Ecclesiarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserrentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Novembris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto. Dat. 3. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. 5. diversor. fol. 207.

Pro Nuntio Hispaniarum. LXIX.

Facultas deputandi Officialem, seu Vicarium Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sede Archiepiscopali vacante.

Ven. Fratri Galeatio Archiepiscopo Corinthi apud Charissimum in Christo Filium nuncupatum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum, Nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio.

CLEMENS PAPA X.

Ven. Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Refert quæ in præcedentibus literis disposuerat.

§. 1. CUm Nos nominationem, & deputationem Doctoris Michaelis Martæ Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem Civitatis, & Diœcesis Cæsaraugustanæ ad effectum ibidem exercendi Jurisdictionem ordinariam in prima Instantia, & Metropoliticam in gradu appellationis, ac Josephi Peralta in Officialem majorem, & Judicem Metropolitanum præfatarum Civitatis, & Diœcesis, ac Provinciæ Cæsaraugustanæ, necnon Doctoris Ignatii Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum durante præsenti Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ per obitum bo. mem. ultimi Archiepiscopi Cæsaraugustan. vacatione, aliorumque forsan Officialium ad exercendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem à Curia Judicis *Justitiæ* nuncupati, vel Regia Audientia Regni Aragoniæ, seu eorum respective Ministris, sive aliis Judicibus, Magistratibus, vel Tribunalibus laicalibus temerario, detestabilique ausu factas, cum omnibus, & singulis inde secutis, & secuturis nullas penitus, atque irritas, & invalidas, nulliusque roboris, & momenti esse, & perpetuo fore declaravimus, & decrevimus, illasque damnavimus, & reprobavimus: Et quia Sede Archiepiscopali præfata, ut præfertur, vacante Officialis, seu Vicarius infra octo dies post mortem dicti Archiepiscopi, à Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, ad quod ea res juxta Concilii Tridentini Decreta spectabat, constitutus, vel confirmatus non fuit, Jus deputandi Officialem, seu Vicarium hujusmodi ad Ven. Fratrem Episcopum antiquiorem, ex Suffraganeis dictæ Provinciæ Cæsaraugustanæ devolutum esse declaravimus, ipsique Episcopo Suffraganeo antiquiori terminum decem dierum ad faciendam deputationem dicti Officialis, seu Vicarii statuimus, itaut elapso dicto termino, nec facta deputatione hujusmodi, Jus deputandi eumdem Officialem, seu Vicarium ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam illico devolvatur, & devolutum esse intelligatur, & alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur:

§. 2. Hinc est, quod Nos pro commissa nobis divinitus omnium Ecclesiarum solicitudine Ecclesiæ prædictæ Cæsaraugustanæ, illique subjecti

Dominici Gregis neceſſitatibus, in eventum quo deputatio Officialis, ſeu Vicarii hujuſmodi a dicto Epiſcopo Suffraganeo antiquiore intra terminum prædictum non fiat, quantum Nobis ex alto conceditur ſalubriter providere volentes, ac de ſpectata fraternitatis tuæ fide, prudentia, integritate, ſapientia, & honoris Dei zelo plurimum in Domino confiſi, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eidem fraternitati tuæ, ſi Officialem, ſeu Vicarium præfatum a memorato Epiſcopo Suffraganeo antiquiore intra terminum decem dierum ei ad id Statutum, ut præfertur minime deputari, ac proinde Jus deputandi Officialem, ſeu Vicarium hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam præfatam juxta literarum Noſtrarum ſupradictarum diſpoſitionem devolvi contigerit, aliquem qualitatibus per Decreta dict. Concilii Tridentini requiſitis prædictum, in Officialem, ſeu Vicarium dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ quamdiu præſens ipſius Eccleſiæ vacatio duraverit in Officio hujuſmodi duraturum cum omnibus, & ſingulis facultatibus, quæ ejuſmodi Officialibus ſeu Vicariis de Jure, ac ſecundum Decreta Concilii Tridentini hujuſmodi competunt, auctoritate Noſtra Apoſtolica conſtituendi, & deputandi plenam, & amplam facultatem tenore præſentium tribuimus, & impertimur.

Si Suffraganeus antiquior Vicarium Capitularem non deputet Nuntio Ap. illius deputationem committit.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas & illarum vigore a te faciendas conſtitutionem, & deputationem Officialis, ſeu Vicarii hujuſmodi firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, vel Ordinationibus, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in literis Noſtris præfatis voluimus, non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 3. Novembris 1674. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Dat. 3. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secret. Brevium lib. 5. diverſor. fol. 225.

LXX.

Confirmatio Chirographi ad favorem Protomedici, ejuſque Conſiliariorum, & Collegii Medicorum Urbis, quo decernitur litem ſuper taxa rerum ad Pharmaciam ſpectan. a prædictis facta contra eos pro parte Collegii Pharmacopolarum motam, aliaſque lites ſuper taxis hujuſmodi impoſterum faciendis, quandocumque monendis agi, & peragi debere impenſa Cameræ Urbis, & Populi Romani, per Procuratores, & Advocatos ab eadem Camera deputandos, cum aſſiſtentia tamen prædictorum, cum diverſis aliis Ordinationibus.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm Nos alias per quoddam Chirographum manu Noſtra ſubſcriptum, & per quaſdam Noſtras in ſimili forma Brevis die 26. Maii 1673. expeditas literas confirmatum, in executionem cujuſdam concordiæ dudum inter Collegia Medicorum, & Pharmacopolarum hujus Almæ Urbis Noſtræ ſtabilitæ, & a fel. rec. Greg. PP. XIII. Prædeceſſore Noſtro per quaſdam ſuas pariter in forma Brevis Literas, ſive Cedulam motus proprii confirmatæ, taxam rerum ad pharmaciam ſpectantium quotannis fieri, illiſque pretium imponi mandaviſſemus, modumque, & formam ac tempus ei rei præſcripſerimus cum diverſis ordinationibus, & Decretis, & ſub diverſis pœnis, & alias prout in Chirographo, & Literis Noſtris præfatis plenius continetur; & dilecti filii Protomedicus, ejuſque Conſiliarii d. an. 1673. in executionem eorumdem Chirographi, & literarum taxam hujuſmodi feciſſent.

Pontifex mandavit quot annis fieri taxam rerum ad Pharmaciam ſpectantium.

Hanc taxam an. 1673. Protomedicus, ejuſque Conſiliarii fecerunt.

§. 1. Et cum dilecti etiam filii Conſules dicti Collegii Pharmacopolarum eidem taxæ conſentire recuſantes, quippe qui ſe per eam gravatos eſſe prætenderent, ea ſuper re Judicium contra eoſdem Protomedicum, ejuſque Conſiliarios coram altero ex Locumtenentibus dilecti filii Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditoris intentaſſent, ac Protomedico, ſuiſque Conſiliariis prædictis, ne expenſis, atque incommodis litis hujuſmodi ſubjacerent in cauſa minime comparentibus, ad diverſos actus proceſſum fuiſſet, ita ut Cauſa ipſa in limine expeditionis reperiretur.

Ad ea Conſules Collegii Pharmacopolarum appellarunt ad A. C.

§. 2. Nos publicæ utilitati, ſimulque Protomedici, ejuſque Conſiliariorum, & Collegii Medicorum præfatorum indemnitati conſulere cupientes, litem hujuſmodi ſuper taxa præfata pro ſupradicto, ac currenti annis facta, ut præfertur, introductam, aliaſque lites quaſcumque, quas ſuper ſimilibus taxis in futurum quandocumque faciendis, ſeu illarum occaſione moveri contigerit, per Procuratores, & Advocatos a Camera Urbis præfatæ deputandos, cum aſſiſtentia eorumdem modernorum, & pro tempore exiſtentium Protomedici, ejuſque Conſiliariorum, ac Collegii Medicorum hujuſmodi, impenſa tamen ejuſdem Cameræ Urbis, & Populi Romani agi, & peragi debere ordinavimus, & expreſſe mandavimus, cum diverſis Decretis, declarationibus, & ordinationibus, & alias prout uberius continetur in alia Chirographo manu Noſtra pariter ſubſcripto, & dilecto filio Noſtro Palutio Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato S. R. Eccl. Camerario directo, tenoris, qui ſequitur videlicet.

Proviſio deſuper capta.

§. 3. *Rmo Card. Camerlengo--- Avendo con Noſtro ſpecial Chirografo dei 13. Maggio 1673. a Voi diretto, e roborato con Noſtre Lettere in forma di Breve ſotto li 26. del medeſimo, per oſſervanza del Moto proprio di Gregorio XIII. Noſtro Prædeceſſore, confermativo della concordia altre volte ſeguita tra il Collegio de' Medici, e quello de' Speziali di Roma, comandato ſotto graviſſime pene, che ogn'anno inviolabilmente ſi facci, e ſi rinovi la Taſſa a tutte le robbe di Speziaria, e che a ſingoli capi di eſſe s'imponga il giuſto prezzo, ſecondo la Santa mente di eſſo Gregorio da Noi ſpiegata, e dichiarata con diverſe ordinazioni, e con preſcrivere il modo, e la forma, & il tempo, che dovrà farſi, come più ampiamente appariſce dal Chirografo, e Breve ſudetti, & eſſendo*

Tenor Chirographi.

che in esecuzione di quelli il Protomedico, e suoi Consiglieri l'anno prossimo passato 1673. facessero la detta Tassa, e i Consoli degli Speziali, ricusando di consentirvi, per stimarsi da quella gravati, in virtù della facoltà da Noi concessali di potere appellare nel solo devolutivo, abbino introdotta l'appellazione nel Tribunale dell' A. C. avanti Monsig. Panciatici, e quivi più, e diverse volte informato in voce, e in scritto con Avvocati, & Procuratori, citati a tutti, e singoli atti li detti Protomedico, e suoi Consiglieri, che mai sono comparsi, per non voler soggiacere alle spese, e incommodi di detta lite, sia la Causa in limine di spedizione, e corra pericolo, che per non esser la d. Tassa difesa, nè sentite le ragioni di essa, Monsig. Panciatici astretto per parte di detti Consoli, e Collegio di Speziali, sia per dar la Sentenza a loro favorevole, una tantum parte audita.

§. 4. Per tanto considerando Noi non essere giusto nè ragionevole, che il Protomedico, e suoi Consiglieri, per obedire a gl'ordini Nostri, e della fel. me. di Gregorio XIII. Nostro Predecessore, oltre il peso di fare ogn'anno la detta Tassa per solo benefizio del publico, debbano soggiacere agl' incommodi della lite, e alli danni delle speze in caso di soccombenza, dal che potrebbe nascere, che questa giusta, e santa disposizione restasse infruttuosa, mentre li Protomedici, e Consiglieri pro tempore, per isfuggire questi incomodi, spese, e pericoli, o trascureranno la Tassa, come è stato fatto per il passato, o la rinoveranno a prezzi alterati, secondo la volontà di detti Speziali, il che ridonderebbe in gravissimo pregiudizio del Pubblico. All'incontro riflettendo, che nessun' altro può difendere le ragioni di dette Tasse, e dedurre le loro giustificazioni, fuorche il Protomedico, e suoi Consiglieri, e Collegio de' Medici, come informati de' prezzi delle robbe, e di tutte le considerazioni, che devono aversi sopra le spese di fabbricarle, e tenerle, per queste, ed altre cause, che hanno mosso l'animo Nostro, ci siamo disposti di provvedere all'indennità degl' uni, e degl' altri, e ad effetto, che tanto la Tassa dell'anno 1673., e 1674., quanto tutte l'altre da farsi nell'anni avvenire in perpetuo siano debitamente difese, e le ragioni di esse giuridicamente dedotte:

§. 5. Di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della potestà Nostra Apostolica ordiniamo, ed espressamente comandiamo sotto l'istesse pene contenute nelli detti Breve, e Chirografo, ed altre a vostro arbitrio, e de' vostri Successori pro tempore, che li Protomedici, e loro Consiglieri, ed il Collegio respettivamente de' Medici, debbano assistere a dette liti, e alla difesa di dette Tasse, con somministrare le ragioni, e giustificazioni di esse con esattezza, e diligenza alli Procuratori, ed Avvocati, che saranno costituiti dalla Camera di Campidoglio, quale a quest' effetto graviamo non solo di assistere con detti Avvocati, e Procuratori unitamente co i detti Medici a detta lite introdotta avanti Monsig. Panciatici per detta Tassa dell' anno 1673., e 1674., e a tutte, e singole altre liti future in perpetuo, che per le Tasse in avvenire saranno mosse da i sudetti Consoli, e Collegio de' Speziali mediante simili appellazioni interposte, e da interporsi, ma di somministrare ancora tutte, e singole spese in dette liti tanto attive necessarie, & opportune per sostenimento, e difesa di dette Tasse, quanto passive in caso di soccombenza, essendo giusto e ragionevole, che la rinovazione di dette Tasse, e loro difesa, mentre ridonda a benefizio principalmente del Nostro Popolo di Roma si faccia a spese di esso Popolo, e della Camera del suo comune, e che il Protomedico, e Consiglieri, e Collegio de' Medici, oltre la fatiga, e personale loro assistenza, non soggiacino anche all' incomodo, e al danno di dette spese, dalle quali però in avvenire espressamente da questo giorno li liberiano.

§. 6. Togliendo, & annullando per tale effetto ogni azione, che alli Consoli, e Collegio de' Speziali sudetti potessero contro di loro in qualsivoglia modo competere, e riservandone il loro esercizio contro la sola Camera di Campidoglio, purchè il Fiscale di detta Camera per l'interesse della medesima in tutti, e singoli atti venga citato, con facoltà al d. Fiscale di poter sostituire in suo luogo uno, o più Procuratori a rispondere, dichiarando, che per questa Nostra disposizione non intendiamo di togliere, nè di abrogare al Collegio, e Consoli de i Speziali sudetti alcun Jus, o ragione, che avessero, o potesse competergli in qualsivoglia modo, o maniera contro il Protomedico, Consiglieri, e Collegio de' Medici, nè per avergli costituita particolar contradittrice la Camera di Campidoglio pregiudicargli nell' atti, e prove, che sin a questo giorno han fatto legittimamente nel detto giudizio, e derogare alla concordia stabilita tra detti Collegii, che però dichiaramo dover restar tutto nel suo pristino, e pieno vigore senza minima alterazione, come se il presente Chirografo rispetto a dette cose non fusse da Noi stato segnato, e così, e non altrimente ordiniamo a Voi di fare eseguire quelle provvisioni, che giudicarete essere necessarie, & opportune, che tale è mente, & volontà Nostra espressa. Volendo, e decretando, che il presente Nostro Chirografo con la semplice nostra sottoscrizione vaglia sempre, ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, ancorchè detta Camera di Campidoglio, e suo Fiscale, ed altri Ministri di essa, detti Consoli, e Collegio de' Speziali, e qualsivoglia altra persona non siano stati citati, chiamati, nè sentiti, e che il presente Nostro Chirografo non s'ammetta in Camera, e non si registri ne' suoi Libri, conforme le Costituzioni di Pio IV., e sotto tali, ed altri pretesti, e ragioni di qualsivoglia sorte, ancorchè maggiori dell'espresse non possa, nè debba in alcun tempo esser impugnato, moderato, revocato, o ridotto a termini, e via di ragione, anche sotto pretesto di lesione, ancorchè enormissima, di obrezione, e surrezione, difetto d'intenzione Nostra, e vizio di nullità, e così, e non altrimente debba esser sempre giudicato, interpretato, e definito tanto da Voi, e Successori Vostri, quanto dalla Nostra Camera, e Rota, da Monsig. A. C., e qualsisiano altri Giudici Ordinarii, e Commissarii anche EE. e RRmi Cardinali di Latere Legati, togliendo ad esse, e a ciascuno di loro facoltà di giudicare, o interpretare altrimenti, dichiarando irrito, e nullo tutto quello, che contro la forma del presente Nostro Chirografo si facesse, non ostante le cose predette, e qualsivoglia ragione, che avessero, e potessero avere, e detta Camera, suoi Ministri, e sudetti Consiglieri, e Collegio de' Speziali, la detta lite pendente, la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore de Registrandis, la Nostra Regola di Cancellaria de Jure quæsito non tollendo, e qualsivoglia altre Costituzioni, ed Ordinazioni Nostre, e de' Nostri Prædecessori, specialmente la detta Concordia tra i due Collegj de' Medici, e de' Speziali, confermata, come sopra, per quello fusse contraria alla Nostra presente dichiarazione; confermandola, ed approvandola nel restante, Leggi civili, e Canoniche, Riforme, e Statuti di Roma, di detta Camera di Campidoglio, di d. Collegj, benche fermati, e roborati con giuramento, e confermazione Apostolica, Usi, Stili, Consuetudini, e tutte altre cose, se bene contenessero Clausole, e Decreti insoliti, e derogatorie di derogatorie, e bisognasse di quelle farne special menzione, che facessero, o potessero in qualunque modo fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendo i loro tenori per espressi, ed inserti in questo a sufficienza di parola in parola per questa volta sola, e a quest' effetto solo specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato nel Nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 22. Settembre 1674.

Clemens PP. X.

§. 8. Nunc autem firmiori præmissorum robori, firmitati, & efficaciæ providere cupien-

tes,

tes, ac præfatos Protomedicum, ejusque Consiliarios, & Collegium Medicorum specialis favore gratiæ prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad illorum, aut cujusquam alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Chirographum præinsertum, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, ac inde cæteroqui legitimè secuta, & secutura quæcumque, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus.

Absolutio a Censuris.

Motu proprio d. Chirographum, & omnia in eo contenta confirmat.

§. 9. Ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, ac Urbis prædictæ, aliorumve quorumvis Statutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, eorumque reformationum, & novarum additionum, aut Decretorum, Privilegiorum, & Indultorum quorumcumque præscripto, quam de stylo, usu, & consuetudine, sive alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam quantumvis magnos, & substantiales, ac incogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliqui principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Supplet omnes defectus.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas, ac Chirographum præinsertum, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod personæ quælibet Collegiorum præfatorum respective, ipsaque Collegia, ac dilecti etiam filii Conservatores Cameræ Urbis præfatæ, & Procurator Fiscalis Curiæ Capitolinæ, cæterique Cameræ, & Urbis, ac Curiæ hujusmodi Officiales, & Ministri, ac quicumque alii, etiam cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis justa, Juridica, legitima, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali defectu, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, vel illud aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, vel impetrato, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes ac Chirographum præinsertum, omniaque, & singula in eis contenta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

Observantiâ præsentium literarum, ac Chirographi demandat quibuscumque non obstantibus.

§. 11. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ generales Auditores, & ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ præfatæ Præsidentes Clericos, Urbis Senatorem, aliosque eorumdem Urbis, & Cameræ Officiales, & Ministros, cæterosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi potestate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 12. Non obstantibus præfatæ, & aliarum quarumvis litium pendentia, aliisque præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac rec. me. Pii PP. IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse d. Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Cam. intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes Literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & Cameræ, necnon Collegiorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Urbi, & Cameræ præfatæ, ac Collegiis præfatis, necnon Populo Romano, eorumque respective Officialibus, & Ministris, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries approbatis, confirmatis, & innovatis; nec non omnibus, & singulis illis, quæ in Chirographo præinserto voluimus non obstare. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 13. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Novembris 1674. Pontificatis nostri Anno quinto.

Dat. 12. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Januarii par. utraque fol. 53.

LXXI. Absolutio Marci de Valimbert, Joannis Chassignet, Claudii Franciſci Dorival, & Philippi Louvet Canonicorum Eccleſiæ Biſuntin. a cenſuris, & pœnis per eos incurſis, ex cauſa temerariæ electionis Decani dictæ Eccleſiæ, contra mandata Alexandri VII., attenta eorum pœnitentia.

Venerabili Fratri Antonio Archiepiſcopo Biſuntin.

Edita An. D. 1674.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

§. 1. ALias poſtquam ſel. rec. Alex. PP. VII. prædeceſſor noſter Metropolitanæ Eccleſiæ Biſuntin. Paſtoris ſolatio tunc deſtitutæ, tunc in humanis agentem Joannem Jacobum Fauche de Domprel, qui Decanatum primam poſt Pontificalem in eadem Eccleſia Dignitatem obtinebat, in Archiepiſcopum, & Paſtorem Apoſtolica auctoritate præfecerat, ac Decanatus dignitatem hujuſmodi Apoſtolicæ proviſioni affectum ſibi ſpecialiter reſervaverat, & hujuſmodi reſervationem Capitulo, & Canonicis dictæ Eccleſiæ per quaſdam ſuas in forma Brevis die 26. Februarii 1661. expeditas literas inſinuaverat, illoſque monuerat, ut perſonas optime meritas, & ſervitio Dei, Eccleſiæque aptiores ſub ſuo teſtimonio eidem Alexandro prædeceſſori referrent, quarum uni ea Dignitas probe conferri poſſet, prout ipſe Alexander prædeceſſor ſe, omni perſonarum acceptatione poſtpoſita, collaturum aſſecuraverat. Illis interea ſpecialiter inhibens, ne quod circa dictum Decanatum, aut Decani electionem agerent, vel attentarent, cujuſcumque prætenſæ facultatis, Indulti, Privilegii, & conſuetudinis, vel alio titulo, niſi eorum juribus (ſi quæ prætenderent) ad audientiam ejuſdem Alexandri prædeceſſoris relatis, ipſiuſque Alexandri prædeceſſoris declaratione, atque inſtitutione expectata, quæ præcedente cognitione, & deliberatione matura, ad ipſorum notitiam delata fuiſſet: Declarando irritum, & inane quidquid ſecus in præmiſſis ab eis, vel aliquo, ſeu aliquibus eorum quomodocumque, & qualitercumque contingeret fieri, vel attentari.

Alexand. VII. Decanũ Eccleſiæ Biſuntinæ in illius Archiepiſcopum præfecit reſervata proviſione Decanatus S. Sedi.

Hanc reſervationem inſinuavit Capitulo, monuitque ut ei referrent perſonas, quarum uni d. Decanatus conferri poſſet.

Eidem Capitulo inhibet, ne quid deſuper attentet.

§. 2. Literis hujuſmodi per eos receptis, Capitulum, & Canonici prædicti ſpecialem Nuntium ad dictum Alexandrum prædeceſſorem miſerant Claudium Antonium Reud. ex eorum gremio delectum, qui ipſius Alexandri prædeceſſoris præſentatus conſpectui, literiſque Capituli redditis, quæ die 26. Aprilis ejuſdem anni datæ fuerunt, per quas ſuam erga eumdem Alexandrum prædeceſſorem, & Apoſtolicam Sedem devotionem, & obſequium conteſtantes ipſius Alexandri prædeceſſoris mandatis ſuper præmiſſis unanimem obedientiam profitebantur, benigne exceptus, ac ſubinde quatuor Romanæ Curiæ Prælatos doctrina, & integritate præſtantes informare juſſus fuerat, ut eorum auditis votis certius reciperet Juſtitiæ complementum.

Capitulum eidem Pontifici unanimẽ obedientiam profitetur.

§. 3. Verum interea dum hæc coram præfato Alexandro prædeceſſore agerentur, convocato Capitulo nonnulli ex eis majorem forſan tunc intereſſentium partem conſtituentes, non attentis ejuſdem Alexandri prædeceſſoris mandatis, inhibitionibus, atque Decretis, nullaque ad ipſum Alexandrum prædeceſſorem delatæ, & in ejus audientia pendentis cognitionis ratione habita ad electionem Guillelmi Humberti a Præcipiano Archidiaconi Majoris cum eis præſentis, & ſatagentis in ejuſdem Eccleſiæ Decanum proſilire, ac illum in poſſeſſionem dictæ Dignitatis Decanatus, ejuſque bonorum, & jurium immittere, immo verius intrudere, locumque in Choro aſſignare nulliter, perperam, & temerarie auſi fuerant: ideo memoratus Alexander prædeceſſor, præmiſſis omnibus attente perpenſis, auditiſque etiam præfatis Prælatis, ac toto negotio mature conſiderato, attendens deteſtabilem hujuſmodi dictorum Canonicorum temeritatem, & petulantiam graviſſimis quidem canonicis quibuſcumque pœnis juſtiſſime puniendam, ne Apoſtolicæ Sedis Majeſtas, ab omnibus, præſertim autem Eccleſiaſticis perſonis maxime veneranda, contemneretur impune, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia pernicioſo inquinaretur exemplo, legum tamen ſeveritatem Apoſtolicæ lenitatis moderatione temperare volens, Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de ſua mera deliberatione, & certa ſcientia, per alias ſuas in ſimili forma Brevis die 5. Decembris ejuſdem anni 1661. emanatas literas, declaravit, electionem prædicti Decani ac omnia, & ſingula circa eam acta, & geſta, & poſſeſſionem, ſeu verius intruſionem, ac cætera quæcumque ſubſecuta, nullam penitus, & attentatam, nullaque, & attentata, & nullius roboris, & momenti fuiſſe, & eſſe, neque in quovis Judicio tam petitorio, quam poſſeſſorio etiam ſummariiſſimo, & meri facti prodeſſe, atque attendi poſſe, vel debere, ſed eumdem Decanatum adhuc vacare, ut prius vacabat per promotionem præfati Joannis Jacobi ad dictam Eccleſiam Biſuntinam, ſublata cuicumque aliter judicandi, decernendi, & interpretandi poteſtate, irritum prorſus, & inane decernens quidquid ſecus fieri, decerni, atque attentari contingeret.

Idem Pontifex committit quatuor Prælatis examen Jurium d. Capituli.

D. Pontifex hanc electionem irritat, & annullat.

§. 4. Inſuper dicto Guillelmo Humberto a Præcipiano tanti facinoris auctori, Promotori, ſeu Fautori nullum omnino in dicta Dignitate, neque illius poſſeſſione, vel quaſi jus, neque ad eam acquiſitum fuiſſe, vel acquiri potuiſſe, ſed ipſum perpetuo inhabilem, & incapacem ad præfatum Decanatum, & alia quæcumque Eccleſiaſtica Beneficia, quocumque etiam novo titulo, cauſa, vel prætextu obtinendum, & poſſidendum effecit, reddidit, decrevit, & declaravit, ut in eo, in quo ſua ambitione deliquerat, condigna animadverſione puniretur, & facinoris ſui deteſtabilem memoriam jugiter deteſtaretur.

Electum Decanum inhabilem in Decanatum, & alia quæcumque beneficia Eccleſiaſtica declarat.

§. 5. Illi eadem auctoritate ſpecialiter mandans, ut ſtatim habita poſteriorum literarum hujuſmodi intimatione, quam ſi ille in Civitate Biſuntina præſens non eſſet, domi ejus habitationis, & ad valvas Cathedralis Eccleſiæ validam, legitimam, ac ſufficientem perinde ac ſi perſonaliter facta fuiſſet, fore decrevit, a poſſeſſione, ſeu potius occupatione, aut intruſione dict. Decanatus, ac ejus bonorum, & Jurium recedere, illamque liberam prorſus dimittere, & relinquere, neque ad eam amplius redire, reverti, vel accedere, ulloſque fructus, redditus, vel proventus exigere, vel etiam a ſponte dantibus accipere auderet per ſe, vel per alium, aut alios quoſvis contra hujus interdicti, atque Inhibitionis præceptum, ſub pœna excommunicationis eo ipſo incurrendæ, cujus abſolutionem ſibi tantum, & ſucceſſoribus ſuis reſervavit.

Mandat eidem Decano ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ a poſſeſſione d. Decanatus, bonorum, & Jurium recedere.

§. 6. Et nihilominus, ſi mandatis hiſce intra terminum novem dierum ab intimatione illi (ut præmiſſum eſt) facienda, quorum tres pro primo, alios tres pro ſecundo, & alios tres pro ultimo canonico, & peremptorio termino aſſignavit, prompte, & humiliter non paruiſſet, vel auſu temerario per ſe, vel alios quacumque auctoritate, medio, cauſa, vel prætextu auſus fuiſſet aliquatenus ſe opponere, contraire, vel promptam obedientiam differre, ultra prædictæ excommu-

Capitulum dein devenit ad Electionem Decani.

Quatenus non pareat, ulterius mandat invocato brachio ſæculari ab ipſo Decanatu expelli.

nicationis

Extendit dict. excommunicationem ad quoscumque, d. Decano contra præmissa auxilium, favorem, vel assistentiam præstantes.

nicationis incursum, exinde invocato etiam, si opus foret, brachii Sæcularis auxilio, illum amoveri, ejici, & expelli mandavit, & quoscumque illi contra præmissa auxilium, favorem, vel assistentiam tam in judicio, quam extra præstantes, ut eædem literæ suam plenariam executionem non haberent, aut executio hujusmodi aliquatenus differretur, aut retardaretur, eandem excommunicationem, eo ipso incurrere decrevit.

Electum, & Electores ab Ordine, & Officio suspendit cum privatione fructuum beneficiorum.

§. 7. Præterea eumdem Guillelmum Humbertum, & singulos alios Canonicos, & quemlibet eorum, qui in ejus electionem per se ipsos, vel Procuratores consenserant, ac vota dederant, ab executione Sacrorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque Officiorum suspendit, necnon eorum singulos ad suum, & Sedis Apostolicæ Beneplacitum privavit voce activa, & passiva, & omnibus fructibus earum præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum (si quæ obtinerent) quos per Episcopos, & Ordinarios Locorum in quibus eædem Præbendæ, & Beneficia consistebant, in Pauperum eleemosynas distribui, & erogari jussit, & quotidianis earum distributionibus, quas cæteris Ecclesiæ deservientibus accrescere decrevit: Ac ipse Alexander prædecessor sibi insuper reservavit prædictas pœnas contra eorum singulos augere, prout cujuslibet contumaciam exponere cognovisset.

De dd fructibus, & distributionibus disponit.

Sibi reservat facultatem augendi d. pœnas.

§. 8. Et ne ipsi, aut aliquis eorum dd. literarum declarationis, suspensionis, ac privationis ignorantiam ullo unquam modo prætendere, aut allegare possent, sed illæ omnibus publice innotescerent, commisit, & mandavit ut in virtute Sanctæ Obedientiæ Executoribus in literis hujusmodi deputatis, & eorum cuilibet in solidum, ut easdem literas, seu earum copiam manu publici Notarii transumptam, in cujus calce nomina, & cognomina præfatorum, qui electionem hujusmodi temere, & attentate facere ausi fuerant, describi, ac specificare facerent quandocumque, & toties quoties ipsæ Literæ fuissent eisdem Executoribus præsentatæ illas prædicto Guillelmo, & singulis ejus Electoribus præfatis intimari personaliter, si in Civitate reperirentur, sin minus Domi eorum habitationis, & amplius in Valvis Ecclesiæ Cathedralis, seu majoris loci, in quo hæc agerentur, affigi curarent.

Intimatio dd. literarum facienda electo, & Electoribus.

§. 9. Et subinde d. Alexander prædecessor, cum non sine gravi animi sui dolore accepisset, quod memorati Guillelmus Humbertus a Præcipiano, & alii Canonici ejus electione, tantum abest ut paternis monitionibus, & coercitionibus hujusmodi debita humilitate morem gerentes, atque Apostolicis Mandatis reverenter (ut justum erat) parentes, ab omnibus illis actibus, qui eis, & cuilibet eorum per prædictas Alexandri prædecessoris literas expresse interdicti erant, sese penitus abstinuissent, ut etiam (quod deplorandum erat, majorique animadversione compescendum) actibus Capitularibus, cæterisque præfatis, inani forsan prætextu assertæ absolutionis ad certum tempus dumtaxat & cum reincidentia a Venerabili Fratre Episcopo Andrevillen. Ecclesiæ Bisuntin. Suffraganeo, uno Executorum in literis prædictis deputatorum per eos fucato verbalis paritionis suppositio extortæ, sese intrudere, atque immiscere ausi erant, & tunc audebant, illique, & præsertim dictus Guillelmus Humbertus se ipsos ad alia Officia, munera, & forsan Dignitates eligi, ac deputari satagebant.

Contraventio dd. literarum tam ex parte Electi, quam Electorum.

§. 10. Propterea idem Alexander prædecessor, qui hujusmodi ausus temerarios, & in præjudicium Apostolicæ auctoritatis tendentes nullo modo dissimulare poterat, nec debebat, motu, scientia, & deliberatione similibus dilecto filio Joanni Dorivalio Archidiacono Luxoniensi, ac Canonico Ecclesiæ, necnon Officiali Curiæ Bisuntin., per alias suas literas pariter in forma Brevis die 11. Septembris 1662. expeditas iterum in virtute S. Obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis per eum nisi huic mandato pareret incurrendæ, commisit, & mandavit, ut statim atque jam dd. literas recepissent, omni prohibita mora, eumdem Guillelmum Humbertum, & singulos Canonicos ejus Electores prædictis (quorum nomina, cognomina eatenus publicata non fuissent) publicari faceret, eosque a supradictis suspensionis, ac privationis, cæterisque ab eodem Alexandro prædecessore per ejus literas secundo dictas inflictis pœnis minime liberatos, nec pro liberatis habendos esse, sed quatenus a memorato Episcopo Andrevillen. sicut præmittitur, aut alias quomodocumque, & qualitercumque absoluti fuissent, in easdem pœnas incidisse, illisque adhuc innodatos, & illaqueatos esse auctoritate Apostolica declararet, & decerneret.

Pontif x sub certis pœnis mandat publicari eos a censuris non fuisse liberatos.

Ac insuper in easdem pœnas incidisse.

§. 11. Et quatenus illi se ab actibus Capitularibus hujusmodi, aut aliis, ut supra, ipsis interdictis non abstinuissent eosdem, ac singulos eorum, qui contra fecissent, necnon eos, qui illos ad actus prædictos quoquomodo ac prætextu recepissent, aut admisissent, vel propria vota, sive suffragia, per se ipsos, aut eorum Procuratores pro electione, aut deputatione ad quæcumque Officia, munera, vel dignitates illis, aut cuilibet eorum dedissent, eo ipso excommunicationis sententiam, a qua nemo a quoquam, nisi ab ipso Alexandro prædecessore, seu pro tempore existente Romano Pontifice tantum, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi posset, damnabiliter incurrisse, dicta auctoritate declararet pariter, ac pronunciaret, & publicaret, & alias prout in ternis Alexandri prædecessoris literis præfatis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Eorum Receptatores, & Fautores mandat declarari incursos in excommunicationem S. Sedi reservatam.

§. 12. Porro dictus Joannes Officialis in executionem ultimodictarum Alexandri prædecessoris literarum præfatum Guillelmum Humbertum de Præcipiano, ac Joannem Boitonset, Marcum de Valimbert, Joannem Chassignet, Claudium Faci, Claudium Franciscum Hugonet, Joannem Dorinal, Claudium Franciscum Dorival, Claudium Antonium Rend, Philippum Lounet, Joannem Baptistam Bondret, Joannem Baptistam Souvage, & Franciscum Perrinet, qui omnes antea per præfatum Episcopum Andrevillen. excommunicati affixis edictis denunciati fuerant, censuris innodatos iterum publice denunciavit.

Officialis Bisuntinus dd. Electum, & Electores Censuris innodatos iterum publice denunciavit.

§. 13. Et quia defuncto supradicto Joanne Jacobo Archiepiscopo præfatus Alexander prædecessor dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin. de personæ tua Apostolica auctoritate providere, teque illi in Archiepiscopum præfecerat, & Pastorem, ac tibi, cui in minoribus constituto Decanatum præfatum contuliisse reperiebatur, ut eumdem Decanatum una cum dicta Ecclesia Bisuntin. ad beneplacitum suum retinere valeres indulserat, cum tu Decanatum hujusmodi per aliquod tempus retinuisses, utiliusque videretur Ecclesiæ præfatæ fore, si Decanum Pastoralis muneris curis, occupationibusque expeditum haberet, idem Alexander prædecessor Decanatum prædictum dilecto filio Joanni de Watenille dicta auctoritate contulit, & de illo providit, qui, Decanatum ipsum de præsenti obtinet.

Idem Alex. VII. d. Officialem providit de dicta Ecclesia Bisuntina cum retentione Decanatus illius ad suum beneplacitum.

Sic provisus ex post d. Decanatui renunciat.

Idem Pontifex d. Decanatum alteri confert.

§. 14. Tu vero (sicut ad aures nostras pervenit) pacem in Ecclesia prædicta Bisuntin. restituendi ergo, aliisque forsan ex causis ad id adductus, præfatos Guillelmum Humbertum de Præcipiano, & reliquos publice, ut præfertur, denunciatos, & forsan alios Canonicos dictæ Ecclesiæ Bisuntin. a dicto vinculo excommunicationis, quo propter præmissa innodati erant, & de præsenti Alexandri prædecessoris mandato

Reportarunt absolutionem cum reincidentia a suffraganeo Bisuntino.

D. Archiepiscopus Bisuntinus publice denunciatos, & alios excommunicatos absolvit sub ratificatione, & approbatione d. Pontificis,

declarati, & renunciati fuerant, sub ratificatione tamen, & approbatione ejusdem Alexandri prædecessoris, & non aliter absolvisti, verum attenta illorum contumacia, nec dictus Alexander prædecessor, nec Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster absolutionem hujusmodi eis sic à te impensam unquam ratificaverunt, vel approbaverunt, nec Nos illam approbavimus, vel ratificavimus, quod quidem ad omnium notitiam à te deduci volumus, ut sublata omni dubietate palam innotescat Guillelmum Humbertum de Præcipiano, & Canonicos publice denunciatos prædictos, eorumque singulos iisdem censuris, & pœnis, quibus per præfatas Alexandri prædecessoris literas innodati, & de illius mandato publice fuerunt denunciati, adhuc innodatos, & damnabiliter illaqueatos reperiri, nec absolutionem a te, vel aliis forsan quovis modo hactenus eis, vel alteri eorum impensam, illis, seu alicui eorum ullatenus suffragari posse.

Hanc absolutionem d. Alexand. VII. Clem. IX., & Pontifex iste non approbarunt, nec ratificarunt.

S. Pontifex mandat publicari præd. denunciatos, non obstante dict. absolutione vel alia quavis, adhuc eisdem Censuris illaqueatos reperiri.

§. 15. Cum autem sicut præfati Marcus de Valimbert, & Joannes Chassignet, ac Claudius Franciscus Dorinal Canonici dictæ Ecclesiæ Bisuntin. Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi sincero corde, & reverenti gratiam Sedis Apostolicæ humiliter implorantes per scripturam die 3. Septembris proxime præteriti confectam, & ab ipsis subscriptam coram Te confessi fuerint, & declaraverint, se ex animo pœnitere dictæ electionis ab ipsis factæ die 23. Augusti 1661. de persona præfati Guillelmi Humberti Præcipiani in Decanatum majorem dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin., eamque electionem uti a Sede Apostolica damnatam damnaverint, & reprobaverint, & quantum in ipsis est retractaverint, ac omnia inde secuta contra Sedis Apostolicæ jussa, imo polliciti fuerint, & juraverint, se eumdem Guillelmum Humbertum Præcipianum numquam agnituros in legitimum Decanum, sed pro tali habituros memoratum Joannem de Wattenille a Sede Apostolica legitime provisum de dicto Decanatu:

Declaratio in scriptis facta per Denunciatos.

§. 16. Et sicut pro parte dicti Philippi Louvet itidem Canonici ejusdem Ecclesiæ Bisuntin. Nobis per dilectum filium Claudium Louvet ejus Fratrem in Romana Curia Agentem pariter expositum fuit, ipse Philippus quoque sincero corde, & reverenti gratiam Sedis Apostolicæ præfatæ humiliter imploret, ac electionem præfatam pariter damnare, & reprobare, ac quantum in se est, cum omnibus inde contra ejusdem jussa secutis retractare, necnon se dictum Guillelmum Humbertum Præcipianum in legitimum Decanum numquam agnitum, sed pro tali dictum Joannem de Wattenille similiter habiturum polliceri, & jurare, ac mandatis d. Sedis in omnibus, & per omnia parere, & obedire paratus sit, ac proinde dicti exponentes de prænarratis excessibus plurimum dolentes, de opportunæ absolutionis beneficio sibi in præmissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent:

Alia similis Declaratio facta per Procuratorem.

§. 17. Nos qui illius vices gerimus in terris, cujus proprium est misereri semper, & parcere, attendentes quod Sedis Apostolicæ copiosa benignitas filiis post excessum ad matris charitatem cum humilitate recurrentibus gremium minime claudere, sed eos obviis ulnis amplecti consuevit, ac proinde eosdem exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Omnes ut supra denunciati de hujusmodi excessibus dolent, & pro absolutione supplicant.

§. 18. Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi de narratis, eosdem Marcum de Walimbert, Joannem Cassignet, Claudium Franciscum Dorinal, & Philippum Louvet, si hoc a te humiliter petierint, imposita eorum singulis pro præmissis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, repetitaque per eosdem Marcum, ac Joannem, & Claudium Franciscum, ac facta per dictum Philippum respective coram te declaratione pœnitentiæ de dicta electione per eos, ut præfertur, facta, ipsaque electione cum omnibus inde contra dictæ Sedis Apostolicæ jussa secutis damnata, & reprobata, & quantum in ipsis fuerit retractata, ac præstito per eos in manibus tuis juramento, quod prædictum Guillelmum Humbertum a Præcipiano in Decanum dictæ Ecclesiæ Bisuntin. nunquam agnitum, sed dictum Joannem de Wattenille pro legitimo Decano ejusdem Ecclesiæ agnituri sint, confectoque super his publice Instrumento, quod suo sigillo clausum, & obsignatum ad Nos, & hanc San. Sedem quamprimum transmitti debeat, ab excommunicatione, ac suspensione, ab executione Sacrorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque Officiorum, ac privatione vocis activæ, & passivæ, ac omnium fructuum eorum, Præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, & quotidianarum etiam distributionum, aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostra Apostolica arbitrio pariter tuo in utroque foro absolvas, & totaliter liberes.

Absolutio à Censuris.

§. 19. Dictasque pœnas, necnon fructus, & distributiones hujusmodi per eos propter eadem præmissa forsan indebite perceptos, ita tamen, ut fructus quidem, qui juxta præfatarum Alexandri prædecessoris literarum dispositionem in pauperum eleemosynas distributi, & erogati fuerint, distributiones vero, quæ cæteris Ecclesiæ deservientibus accreverint, & inter eos etiam distributæ reperiantur, repetere nullo modo possint, eis, & eorum cuilibet dicta auctoritate gratiose remittas, & condones.

Ut fructus, & distributiones indebite perceptas eis gratiose remittat & sub qua forma.

§. 20. Ac cum eis, & eorum quolibet super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter præmissa innodati Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia divina officia celebraverunt, & alias in ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contracta, itaut illa, & iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obest impedimentum, clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter alias rite Minoribus, & Sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint & valeant respective, ac ad alium quemcumque effectum etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignum auctoritate, & arbitrio prædictis dispenses, omnemque inhabilitatem, & aliam quamcumque maculam, sive notam contra eos ex præmissis quomodolibet insurgentem, seu resultantem, ab eis, & eorum quolibet penitus, & omnino abstergas, & aboleas. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impartimur.

Ut cum eis dispenser super irregularitate occasione præmissorum contracta, non autem ex alia causa.

§. 21. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon omnibus, & singulis illis, quæ præfatus Alexander prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut omnem inhabilitatis, ac aliam quamlibet maculam, seu notam ab eis abstergat.

Contrariis derogat.

§. 22. Cæte-

DD. Censurarum, & pœnarum absolutionem committit Archiepiscopo repetita per Denunciatos declaratione, prout in rub.

S. Pontifex non intendit per hanc absolutionem aliquod præjudicium inferre eis qui a prædd. Denunciatis aliquo damno affecti fuerunt.

§. 22. Cæterum non intendimus per præsentes literas cuiquam eorum, qui a præfatis Marco, ac Joanne, & Claudio Francisco, necnon Philippo Canonicis earumdem præsentium vigore absolvendis, seu eorum aliquo ex causa, seu occasione electionis supradictæ, seu eorum, quæ inde secuta sunt, aut emerserunt, aliquo damno, vel detrimento affecti fuerunt, ullum, etiam minimum præjudicium inferre, aut inde quoquomodo inferri posse, sed unicuique Jura sua salva, & illæsa remanere declaramus.

Dat. 16. Nov. 1674. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Novembris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secret. in libr. 5. diver. fol. 250.

LXXII. Declaratio nullitatis Articulorum Tractatus Pacificationis anno 1603. inter Ducem Sabaudiæ, & Genevenses hæreticos initæ, in iis, quæ Catholicæ fidei, & Ecclesiæ Juribus, libertatique, & immunitati Ecclesiasticæ præjudicialia sunt.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex æqui bonique supremus Assertor in Terris à Domino constitutus, orthodoxæ Fidei integritatem, & Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem, Ecclesiarumque, & locorum piorum jura sarta tecta tueri, ac adversus quascumque pactiones, & conventiones, per quas illis aliquid præjudicii inferri posset, tradita sibi divinitus potestate asserere tenetur, sicut omnibus mature consideratis, æquitati, & Justitiæ consentaneum esse in Domino arbitratur.

Refertur tractatus Pacificationis initus die 21. Julii 1603. inter Sabaudiæ Ducem, & Pedemontis Principem ex una, ac Magistratus, & Consilium, hominesque d. Civitatis Genevensis.

§. 1. Cum itaque sicut ad Apostolatus Nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestia, pervenit, dudum videlicet die 21. Julii 1603. in Loco S. Juliani inter bo. mem. Carolum Emmanuelem, dum vixit, Sabaudiæ Ducem, & Pedemontis Principem ex una, & tunc existentes Magistratus, ac Consilium, & Homines Civitatis Genevensis ex altera partibus ad sedandos motus bellicos, qui inter eos orti fuerunt, initus fuerit tractatus Pacificationis in plures articulos distinctus, quorum nonnullis conventum fuit, ut quædam Terræ bona, redditus, & jura ad Cathedralem Ecclesiam Genevensem, illiusque Episcopum, ac Capitulum, & Canonicos, eorumque mensas Episcopalem, & Capitularem, necnon particulares, aliasque Ecclesias, Monasteria, & loca pia, illorumque respective personas legitime spectantia, quorum nonnulla ex manibus hæreticorum Genevensium recuperata fuerant, ipsis hæreticis etiam cum fructibus, & redditibus interea perceptis, seu decursis redderentur, & restituerentur, ac penes illos, prout antea eo scilicet tempore, quo ab eis occupata, & usurpata fuerant, remanerent.

Item, ut quædam bona, & Jura ad Cathedralem, & Capitulum, aliasque Ecclesias, spectantia, ipsis hæreticis restituerentur etiam cum fructibus interea decursis.

§. 2. Illi quoque hæretici, qui propter hæresim ex partibus Catholicorum in Civitatem Genevensem profugerant, ibique asylum hæresis invenerunt ad eorum bona, & Domos in partibus Catholicorum consistentia reverti, ipsisque bonis frui, & certis anni temporibus, tametsi hæresim profiterentur, in eisdem Catholicorum partibus impune morari possent, nec Cives, Burgenses, & habitatores dictæ Citatis Genevensis, eorumque famuli, & domestici, dum in eorum bonis, & domibus in dominio dicti Caroli Emmanuelis Ducis consistentibus habitarent, ex causa hæresis, quam profitebantur, molestari, vel inquietari, sed ibidem libere vivere valerent.

Quod hæretici qui Genevam profugerant ad eorum Domos, & bona in partibus Catholicorum reverti, impune aliquando possent.

Et in Dominibus in Dominio d. Ducis consistentibus possent libere vivere.

§. 3. Sententiæ à Genevensibus hæreticis, dum loca Catholicorum usurpata retinebant, ac Judicibus inferioribus per eos deputatis latæ cum subhastationibus inde secutis effectum habere deberent; Decreta vero, & sententiæ contra eosdem Genevenses hæreticos super bonis, & fructibus Ecclesiasticis prius per eos usurpatis, emanata, & emanatæ nullius roboris, & momenti remanerent; & quidquid dicta Civitas Genevensis a certo tempore ex laudemiis, decimis, censibus, & redditibus Ecclesiasticis percepisset, id ad commodum ejusdem Civitatis, liberatis debitoribus à novæ solutionis onere, remanere deberet, validæque essent investituræ bonorum Ecclesiasticorum, quas privati ab eisdem Genevensibus hæreticis interea reportassent, nec novas investituras accipere tenerentur, & alias prout in instrumento, seu scriptura super tractatu Pacificationis hujusmodi confecto, seu confecta, & subinde utrimque ratificato, seu ratificata, uberius dicitur contineri.

Quod sententiæ à Genevensibus hæreticis latæ dum loca Catholicorum usurpata retinebant cum subhastationibus inde sequutis effectum habere deberent, sententiæ vero, & Decreta contra d. Genevenses super bonis, & fructibus Ecclesiasticis antea per eos usurpatis, nullius essent momenti.

§. 4. Et licet Beneplacitum hujus S. Sedis Apostolicæ super rebus, bonis, & juribus ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, eorumque personas spectantibus, de quibus in Tractatu Pacificationis hujusmodi conventiones initæ fuerunt, nunquam impetratum, vel concessum reperiatur, notoriique Juris sit ejusmodi pactiones, & conventiones de rebus Ecclesiæ, absque dictæ Sedis Nostræ auctoritate initas nullius esse roboris, & momeni: quinimo fel. rec. Urbanus Papa VIII. prædecessor Noster jura dictæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ, ac inferiorum Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum a quibuscumque præjudicialibus hujusmodi, per quandam suam Constitutionem die 5. Junii 1641. editam amplissime præservaverit; nihilominus hæretici Genevenses prædicti prætextu ejusdem tractatus Pacificationis, & sub illius clypeo terras, bona, redditus, & jura ad Cathedralem Genevensem, illiusque Episcopum, ac Capitulum, & Canonicos, eorumque Mensas Episcopalem, & Capitularem, necnon particulares, aliasque Ecclesias, Monasteria, & loca pia, illorumque respective Rectores, & personas legitime, ut præfertur, spectantia retinere, illaque usurpare, & legitimos illorum Dominos inde excludere, aliosque Catholicos expellere non cessent, in gravissimum Ecclesiarum, ac Mensarum, Monasteriorum, & locorum piorum, illarumque personarum damnum, & præjudicium; quinimo in Terris Catholicorum impune morari præsumant, non sine subversionis ipsorum Catholicorum periculo, fideique Catholicæ detrimento:

Urban. VIII. Jura Romanæ, & inferiorum Ecclesiarum à quibusvis præjudicialibus amplissime præservavit.

Sub prætextu dicti tractatus Pacificationis hæretici Genevenses bona, jura, & redditus Ecclesiarum & Monasteriorum, prout in rubrica retinere, & usurpare non cessant.

§. 5. Hinc est, quod Nos ejusdem fidei Catholicæ conservationi, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum hujusmodi, illarumque personarum præfatarum indemnitati ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito, providere cupientes, ac memorati Urbani prædecessoris vestigiis inhærentes, necnon Instrumenti, seu scripturæ Tractatus Pacificationis hujusmodi, omniumque, & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas, etiam veriores, cæteraque quælibet etiam speciali mentione digna, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prænarratos, & alios quomodolibet d. Tractatus Pacificationis articulos, cæteraque in instrumento, seu scriptura hujusmodi contenta, quæ Catholicæ fidei, divino cultui, animarum saluti, Sedi Apostolicæ, Cathedrali Geneven., illiusque Mensis Episcopali, & Capitulari, ac particularibus,

Pontifex motu proprio dictos articulos ipso jure nullos, & irrita declarat.

ticularibus, & aliis Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis præfatis, illorumque respective Episcopo, Capitulo, & Canonicis, Rectoribus, & aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officiunt, seu præjudicium etiam minimum adferunt, aut inferre, seu intulisse, vel alias nocere, seu nocuisse quoquo modo dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuilibet eorum, etiamsi ratificata, & juramento vallata sint observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, aut præscribendi causam, etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, subsecuta sit, vel subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullam statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere, tenore præsentium declaramus, & decernimus.

Item declarat neminem ad illorum observantiam teneri etiamsi ratificata, & juramento munita sint.

§. 6. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, articulos præfatos, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacuamus. Ac quatenus itidem opus sit Genevensem, ac illius mensas, aliasque Ecclesias, Monasteria, & loca pia prædicta, ac illorum respective personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antequam præfatus Tractatus Pacificationis iniretur, ac ante supradictas, aliasve quaslibet hæreticorum usurpationes, invasiones, & rebelliones, quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Tollit omnem titulum etiam coloratum possidendi, & præscriptionem immemorabilem.

Omnia supradicta insuper damnat, reprobat, & cassat.

Cathedralem Genevensem, aliasque Ecclesias, & Monasteria, & respective personas in integrum restituit.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a jure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Supplet defectus omnes.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo; legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis quibuscumque locis, & personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & forma, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ampliſſime quibuſcumq; contrariis derogat.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 4. Decembris 1674. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Edit. 4. Dec. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Reg. in Secr. Brevium in lib. 5. Diversorum fol. 271.

LXXIII.

Indultum quo præcipitur Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis Italiæ, necnon Superioribus Generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum & Institutorum Regularium, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet, & Quadragesimæ temporibus in suis respective Ecclesiis tam per verbi Dei Prædicatores in sacris concionibus &c. Christifidelium miserias sub dura Barbarorum servitute existentium, Populo proponi curent.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUm sicut dilectus filius Andreas a Nativitate Beatæ Mariæ in Romana Curia Procurator

rator Generalis Congregationis Fratrum Discalceatorum Nationis Gallicanæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Nobis nuper exponi fecit, ipse dilectum pariter filium Lucam à Sancto Joanne Ministrum Liburni in Ætruria ejusdem Congregationis, & actualem Redemptorem, qui à biennio circiter Tripoli Africæ, ubi Deo favente Captivorum Redemptionem quantum sibi possibile fuerat copiosam fecerat, non sine lacrymis referentem audiverit, quanto numero illic Christifideles sub dura Barbarorum servitute, cum gemino corporis & animæ periculo detineantur, & quam gravibus ibidem ærumnis assidue conflictentur.

Preces d. Procuratoris Generalis.

§. 1. Quia vero his temporibus refrigescente multorum charitate, modica in Redemptione dictorum Captivorum subsidia conferuntur, inde horum calamitates, & pericula, in dies ingravescunt, dictus Andreas Procurator Generalis Christifidelium pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret:

Absolutio à Censuris.

§. 2. Nos ipsius Andreæ Procuratoris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis Italiæ, necnon dilectis filiis Superioribus Generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium harum serie auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet anno Adventus scilicet, & Quadragesimæ temporibus in suis respective Ecclesiis tam per verbi Dei Prædicatores in Sacris Concionibus, quam in aliis actibus, & functionibus publicis præfatorum Christifidelium Captivorum miserias, & calamitates populo proponi, & commendari curent, & faciant, & eorum exhortationibus stimulentur Christifideles ad Eleemosynas largiter conferendas, quibus præfatus Lucas, seu alii Redemptores dictæ Congregationis Gallicanæ eosdem Captivos à dura servitute hujusmodi redimere, ac illorum spirituali, corporalique saluti Domino benedicente valeant providere, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Præceptum.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum tramsumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 3. Jan. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Januarii 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Confirmatio quarumdam Resolutionum circa Abbates Cassinenses titulares, eorumque prærogativas.

LXXIV.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Monasterii Sancti Pauli prope, & extra mœnia Urbis, ac Procurator Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti, quod cum nonnulli Abbates Titulares dictæ Congregationis eo honore omnibus prærogativis perinde ac si Abbatis regiminis munere functi fuissent, decorati, quasdam prærogativas, & exemptiones sibi competere prætenderent, & inter alios nuper dilectus filius Philippus Tanus, qui cum ejusmodi prærogativis Abbatum regiminis Abbas Titularis creatus reperitur, se ab obligatione personaliter se præsentandi coram Abbate locali, qui Monasterium actualiter regit, ullove modo petendi ab illo licentiam tam in egressu, quam regressu ad Monasterium, necnon ab interventu in Choro, & refectorio ad beneplacitum suum exemptum esse assereret, ac alias quasdam similes prætensiones haberet.

Avocat causam super his jam introductam in Congr. Episcop. & Regular. eaque committit Congregationi particulari prout infrà.

§. 1. Nos Causam super præmissis in Congregatione Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita introductam ab eadem Congregatione avocavimus, illamque particulari Congregationi nonnullorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum occasione alterius fere consimilis controversiæ, quæ in Dataria nostra Apostolica vertebat à nobis deputatæ commisimus, quæ mature, diligenterque discussis prætensionibus prædictis, opportunas desuper resolutiones edidit, prout continetur in Decreto ea super re emanato tenoris qui sequitur videlicet. Cassinen. Pater Abbas Philippus Tanus Romanus Monachus à viginti quinque circiter annis in Congregatione Cassinen. professus, postquam Lectoris, & Concionatoris munus, aliaque plura ejusdem Congregationis officia, & præsertim Prioratum Claustralem per sex annos laudabiliter exercuerit, cupiens ab omni regiminis vinculo se abdicare, ut eo ferventius, ac liberius literarios cursus prosequi posset, prædicti Prioratus Administrationem in Capitulo Generali 1673. Patavii celebrato sponte dimisit, & ab eodem Capitulo Generali in præmium præstitorum laborum decretum infrascripti tenoris à Sanctissimo Domino nostro confirmatum obtinuit.

P. Philippus Tanus in Capitulo Generali dimisit Prioratum Claustralem.

Tenor Decreti Capituli Generalis, quo d. Philippus fuit creatus Abbas ad titulum SS. Trinitatis Cajetæ.

§. 2. Cum Prior dictus Philippus ab Urbe nostræ Congregationis Lector Theologus, examinator, & concionator, undecim annis in multis nostris conspicuis Monasteriis, & præsertim Romæ egregie in Lectura Scholastica, publicisque functionibus literariis se se exercuerit, & laudabiliter etiam in Prioratu Claustrali sexennium compleverit, opterque nunc sacris Concionibus, aliisque literarum exercitiis mentis ad nostræ Congregationis decus, animarumque lucrum liberius incumbere, licet in gradu Priorali progrediens posset, & ipse jure merito Abbatia regiminis insigniri, nihilominus quia actuale exercitium Prioratus à literariis usibus ipsum vel prohibet, vel retardat; Idcirco ipsemet sponte à Prioratu prætenso sese abdicavit. Nos autem ne & meritum, & virtus sine suo præmio prætereant, bonumque ejus desiderium, & optimæ partes ab eo electæ honoribus ipsi debitis nullatenus officiant, eundem dict. Philippum ab Urbe creamus in Abbatem Cassinen., ad Titulum Sanctissimæ Trinitatis Cajetæ cum privilegiis, præeminentiis, exemptionibus, recognitionibus, cæterisque omnibus, & singulis om-

nino, quibus Prælati noſtri Titulares fruuntur qui ſponte à regimine Abbatiali ſe abdicaverunt. Statuimus immediate poſt Abbates regiminis locum, & primam Sedem ſecundi Chori, & quod Abbati Monaſterii non genuflectat, famulum ſibi beneviſum, ipſius tantum ſervitio deputandum concedimus, atque pro ſuo annuali veſtiario ſcuta triginta aſſignamus, nihil denique excepto prærogativarum Abbatialis dignitatis, ac ſi hic de verbo ad verbum ſingulæ eſſent exceptæ. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium etiam; utque hoc decretum noſtrum ſuum omnino, & ſemper ſortiatur effectum, atque nemo unquam contraire præſumat volumus quod petatur à Sanctiſſimo Domino Noſtro confirmatio omnium prædictorum. Datum in Monaſterio S. Juſtinæ Patavii in noſtris Comitiis Generalibus die 11. Maji Anni 1673.

Lites exortæ inter dictum P. Abbatem Tanum, & Abbatem S. Pauli circa uſum privilegiorum in d. Decreto expreſſorum.

§. 3. Cumque inter Abbatem S. Pauli ex una, & ipſum Patrem Abbatem Tanum altera ex partibus, ob non ſatis claram Conſtitutionis diſpoſitionem exortæ ſint nonnullæ controverſiæ, & lites circa uſum privilegiorum in ſupraſcripto Decreto expreſſorum: idcirco ad tollendas omnes diſſenſiones, & regularem obſervantiam magis, magiſque firmandam, Procurator Generalis ejuſdem Congregationis ſupplex petiit à Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut prædictas controverſias prout magis in Domino expedire cenſeret, definire dignaretur, cujus precibus Sanctitas ſua benigne annuens, particularem Congregationem nonnullorum Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium, & aliquorum Romanæ Curiæ Prælatorum deputavit, in qua propoſita fuerunt infraſcripta octo puncta per ipſum Patrem Abbatem Tanum exhibita videlicet.

Preces Procuratoris Generalis d. Congreg. Caſſin.

Remiſſio hujus Cauſæ ad Congr. particularē, ut ſupra.

In ea d. P. Abbas Tanus exhibet octo puncta, prout in rubrica.

I. Exemptio, & prærogativa Abbatum Titularium, qui fuerunt regiminis, eſt, ut non ſe perſonaliter præſentent, nec ullatenus petant licentiam ab Abbate Monaſterii, vel per ſe, vel per eorum famulum dum exeunt, vel redeunt ad eorum Monaſterium.

II. Habent à Monaſterio eorum profeſſionis veſtiarium annuale duplum eo, quod datur cæteris Monachis: Oratori autem, ipſo annuente, fuerunt aſſignata in Decreto pro annuali ejus veſtiario ſcuta triginta.

III. Habent primam ſedem ſecundi Chori, locum immediate poſt Abbates regiminis.

IV. Habent ſinguli ſuum famulum eorum arbitrio eligendum, & nulli alii exercitio deputandum, cui Monaſterium profeſſionis aſſignat alimenta & ſalarium conveniens.

V. Habent in Choro duo, vel tria pulvinaria ſicuti Abbates regiminis.

VI. In privatis, & publicis functionibus Eccleſiaſticis, aliiſque poſſunt exercere, & incedere eo habitu, & modo quo poſſunt in Congregatione Caſſinen. Abbates regiminis.

VII. Habent convenientem habitationem cum igne in hyeme, aliaſque religioſas commoditates.

VIII. Adeunt refectorium, & Chorum non ita ſtricte ſicut cæteri Monachi, ſed pro eorum beneplacito, & devotione. Die 3. Decembris 1674.

Reſolutiones ſuper eis captæ per dictam Congregationem particularem.

Eadem Congregatio ſpecialiter ut ſupra deputata, partibus auditis, reque mature diſcuſſa infraſcriptum in modum reſpondit, nempe.

Ad primum P. Abbatem teneri ſe perſonaliter præſentare tam in ingreſſu, quam poſt regreſſum, nec poſſe ſine licentia egredi.

Ad ſecundum, ſervandum Decretum Congregationis Caſſinen. ad favorem dicti Abbatis Tani editum, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro confirmatum.

Ad Tertium, ſervandum Idem Decretum ſalva antianitatis prærogativa inter æqualiter privilegiatos.

Ad Quartum, faciendum verbum cum Sanctiſſimo, à quo fuit remiſſum ad Congregationem Oeconomicam.

Ad Quintum, non competere prædicto Abbati Tano jus petendi pulvinaria.

Ad Sextum, Negative.

Ad Septimum, ſervandum ſolitum.

Pontifex dict. Congregationis ſententiam benigne probavit.

Ad Octavum, Teneri ad formam regulæ, & Conſtitutionum, ſicut cæteri Monachi; Et die 5. ejuſdem Menſis, & Anni facta de præmiſſis relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas ſua Congregationis ſententiam benigne approbavit, illamque executioni demandari juſſit. Non obſtantibus &c. -- Fr. Cardinalis Brancatius -- Loco ✠ Sigilli -- A Archiepiſcopus Epiſcopus Licien. Secretarius.

Preces exponentium.

§. 4. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat reſolutiones præfatæ juxta diſpoſitionem Juris communis, ac regulæ S. Benedicti, necnon Conſtitutionum dictæ Congregationis Caſſinen., & Decretorum Apoſtolicorum, quæ omnes Abbates Titulares ejuſdem Congregationis comprehendunt, factæ fuerint, dicti vero exponentes illa quo firmius ſubſiſtant, & ſervent exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & alias opportune in præmiſſis à nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſiderent:

Abſolutio à Cenſuris.

§. 5. Nos ad ea, quæ obſervandæ Monaſticæ diſciplinæ, ac commodis, & utilitatibus Monaſteriorum conducibilia ſunt, ex commiſſo Nobis cœlitus paſtoralis officii debito propenſis ſtudiis intendentes, dictorumque exponentium votis quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, ac eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnes & ſingulas reſolutiones in Decreto præinſerto expreſſas, & à memorata particulari Congregatione emanatas, ut producitur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Pontifex omnes & ſingulas reſolutiones, ut ſupra expreſſas dictæ Congregationis auctoritate Apoſtolica confirmat.

Supplet omnes defectus.

§. 6. Præterea eaſdem reſolutiones ab omnibus, & ſingulis Abbatibus Titularibus dictæ Congregationis Caſſinen. etiam cum Clauſula, perinde ac ſi fuiſſent Abbates de regimine abſque ulla prorſus differentia, creatis, ſeu promotis, inviolabiliter obſervari debere auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Inſuper mandat eas ab omnibus Abbatibus titularibus &c. obſervari.

§. 7. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dictæ Congregationis Caſſinen. aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirma-

Derogat contrariis.

tis, &

tis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 14. Jan. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Januarii 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Sluſius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Januar. par. utraque fol. 143.

LXXV. Beatificatio Servi Dei Joannis de Cruce primi Carmelitæ Excalceati Professoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edit. An. D. 1675.

Exordium.

SPiritus Domini, qui triumphantem in Cœlis Ecclesiam ex suis Lapillis secundum ineffabiles Sapientiæ, bonitatisque suæ divitias ædificare non cessat, præcipuorum quorumdam servorum, atque electorum suorum, quos à constitutione Mundi in opus suum prædestinatos, multiformis gratiæ suæ charismatibus instruxit, & exornavit, Sanctitatem interdum signis, atque portentis testatam facit; ut quibus immarcescibilis gloriæ corona in Cœlis à justo Judice donata est, debitæ quoque venerationis cultus in terris impendatur.

Laudes S.D. Joannis de Cruce primi Carmelit. Excalceat.

§. 1. Inter hos cum multipliciter claruerit Servus Dei Joannes de Cruce primus Religionis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncuparorum professor, qui Sanctissimæ Virginis Theresiæ ejusdem Religionis Institutricis vestigiis studiose insistens, & præclaros retulit de carne in carne triumphos, & non solum sociis suis magisterio, exemploque summa cum laude præbuit, sed etiam Ecclesiam universam spiritualium aromatum, quibus eum Divina benignitas largiter imbuerat, odore perfudit: dignum arbitramur, & congruum, ut Apostolicæ servitutis Nostræ ministerio, quod Nos, meritis licet, & viribus longe impares, gerere voluit Divina dignatio, illius honori ad gloriam Omnipotentis Dei, ad decus Catholicæ Ecclesiæ, fideliumque ædificationem opportune consulatur.

Resolutio Congregationis SS. Rituum.

§. 2. Cum itaque summa maturitate, diligentiaque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus, de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vita, sanctitate, & virtutibus, tam Theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus præfatus Dei Servus Joannes de Cruce multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, ac ad manifestandam Mundo illius Sanctitatem, à Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio, auditis etiam Consultorum suffragiis coram Nobis constituta unanimiter censuerit, posse quandocumque Nobis videretur ad solemnem ejusdem Servi Dei canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto Terrarum Orbe Beatus nuncupetur:

Preces.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ ejus Genitricis, necnon totius Congregationis Hispaniæ Fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut memoratus Dei Servus Joannes de Cruce in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non autem in Processionibus circumferenda) exponantur. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die anniversario felicis ejus obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani.

Pontifex indulget, ut d. S.D. Beati nomine nuncupetur, & quid de ejus corpore, & reliquiis.

Indultum recitationis Officii, & Missæ.

§. 4. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in loco de Hontiveros, ubi dictus Servus Dei natus est, in loco de Ubeda, in quo Spiritum Creatori reddidit, & in Civitate Segobien., ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ac in tota Religione præfata Carmelitarum Excalceatorum, universoque Ordine supradicto B. Mariæ de Monte Carmelo tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias Religionis, & Ordinis hujusmodi respective confluentibus.

Officium recitari, & Missa celebrari, in quibus locis possit.

In tota Religione recitari possit Officium, & Missa, ut supra celebrari, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias dictæ Religionis accedentibus.

§. 5. Propterea primo dumtaxat anno à datis hisce Literis, & quoad Indias à die, quo eædem Literæ illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Locorum, ac Civitatis, Religionis, & Ordinis præfatorum respective solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die ab Ordinariis respective constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem 21. Aprilis proxime futuri assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Primo anno dumtaxat à datis præsentium literarum, & in Indiis à die notitiæ solemnium dictæ Beatificationis cum Officio, & Missa sub ritu duplici Majori celebrari possint, prout in rubrica.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Eadem solemnia quando celebrari debeant in Basilica Principis Apostolorum.

Derogat contrariis.

§. 7. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Dat. 25. Jan. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Sluſius.

Registrat. in Secretar. Brevium in lib. 5. diversorum fol. 299.

LXXVI. Beatificatio Servi Dei Francisci Solani Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Professoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edit. An. D. 1675.

Exordium.

QUemadmodum Cœlestis Imperator, & Magister Noster Jesus Christus, qui sedet ad

dexteram

dexteram Majestatis in excelsis, egregie functos militia super terram pugiles suos, qui virtute ex alto inducti, & spiritu facta carnis mortificantes, non solum voluntatem suam cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo in holocaustum obtulerunt in odorem suavitatis, sed etiam luculentas de impietate victorias reportare, & gentes, quæ Deum non noverunt, ad veritatis agnitionem, ac viam salutis adducere meruerunt, perennis gloriæ corona donat in Cœlis; ita, & Nos, qui ejus vices, licet immeriti, hac terrena statione gerimus, Magistri Nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhærentes, illorum cultum, & venerationem in terris promovere studemus, sicut ad Divinæ Majestatis gloriam, ad ejus Ecclesiæ præsidium, ad ædificationem Fidelium, & animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Resolutio Congregationis SS. Rituum.

§. 1. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, processibus, de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus Servus Dei Franciscus Solanus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Professor multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, ac ad manifestandam Mundo illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, unanimiter censuit posse, quandocumque Nobis videretur, ad solemnem ejusdem Servi Dei Canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto Terrarum Orbe Beatus nuncupetur.

Preces.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Charissimæ in Christo Piliæ Nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ ejus Genitricis, necnon totius Ordinis præfati supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut memoratus Dei Servus Franciscus Solanus in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die prima non impedita post diem felicis ejus obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani.

Pontifex indulget, ut d. S. D. Beati nomine nuncupetur, quid circa ejus corpus, & reliquias.

Qua die de d. Beato Officium recitari possit, & Missa celebrari.

§. 3. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in Oppido Montiliæ, in quo dictus Servus Dei natus est, in Civitate Limana, unde ad Cœlos evolavit, & ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, ac in Provincia Thecumana, in quam Catholicæ Fidei nova semina feliciter invexit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, necnon in solo Ordine præfato, tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Missas attinet etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Ordinis confluentibus.

Officium recitari, & Missa celebrari possint in certis locis, prout in rubrica.

Item in toto d. Ordine tam fratrum, quam Monialium, etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias d. Ordinis confluentibus.

§. 4. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce Literis, & quoad Indias a die, quo eædem Literæ illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Oppidi, & Civitatis, ac Provinciæ, & Ordinis præfatorum respective solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu Duplici majori die ab Ordinariis respective constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem 30. Junii proxime venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Primo anno dumtaxat solemnia dictæ Beatificationis cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori celebrari possint, prout in rubrica.

In Basilica Principis Apostolorum designantur pro die 30. Junii.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum tramsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1675. Pontificatus nostri Anno quinto.

Dat. 25 Jan. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Reg. in Secr. Brev. in lib. 5. diversor. fol. 303.

Concessio Indulgentiarum anni Jubilæi pro Monialibus, Oblatis, Puellis, & Mulieribus Sæcularibus in Monasteriis degentibus, ac Anachoretis, Eremitis, Infirmis, & in carcere detentis. LXXVII.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

POntificia solicitudo quamvis omnium Christifidelium saluti prospiciat, præcipue tamen spiritualibus Sanctimonialium profectibus paternæ Charitatis affectu studet providere. Ipsæ enim sunt filiæ, quæ oblitæ populum suum, & domum patris sui animi splendore cœlestem Regem oblectant; ipsæ sunt prudentes Virgines, quæ lampades suas charitatis flamma succensas provide aptantes, meliorem partem elegerunt, & dum vitam cœlitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad Cœlum viam sternunt, sed jejuniis, vigiliis, & orationibus, cæteris quoque Christifidelibus eam aperire student. Quare summopere optandum est, ut vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat constantissime retineant, ac dent operam, ut sicuti hic præclaros agunt de Carne in Carne triumphos, ita post hujus vitæ certamina in Cœlesti patria feliciter coronentur.

Referuntur personæ, quæ nequeunt ad Urbem accedere, & Basilicas visitare pro lucrandis Indulgentiis anni Jubilæi.

§. 1. Quoniam autem consimile vitæ genus quamplurimi Anachoretæ, atque Eremitæ, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maxime ducimus consulendum.

§. 2. Cum igitur tam ipsi, quam præfatæ Sanctimoniales perpetua vivant clausura mancipati, & multæ puellæ, & Mulieres Sæculares educationis, vel alia ex causa de licentia Sedis Apostolicæ in Monasteriis degant, ibique clausuræ leges observent; multæque etiam reperiantur Oblatæ, quarum Institutum a Sede Apostolica approbatum existit, & quæ in Domibus, seu Conservatoriis in communi vivunt: necnon multi, ut accipimus, utriusque sexus Christifideles partim Carceribus detenti, partim vero diuturna Infirmitate præpediti, non solum in Alma Urbe nostra, & Italia, sed aliis etiam regionibus, provinciis, & locis reperiantur, qui, & quæ respective impedimentis hujusmodi remotis, pro percipiendis præsentis anni Jubilæi fructibus ad Almam Urbem nostram omnino venirent, & Basilicas, Ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent, ob præfata impedimenta ad Urbem hujus-

modi

modi minime venire, neque respective Basilicas, & Ecclesias ipsas visitare valeant:

§. 3. Nos pro pastoralis Officii nostri debito, paternaque Charitate illorum omnium Animarum saluti quantum cum Domino possumus prospicere volentes, omnibus, & singulis Sanctimonialibus quorumcumque Monasteriorum, etiam illorum, quæ ab Ordinaria Jurisdictione exempta, & Sedi Apostolicæ præfatæ immediate subjecta sunt, vel esse asseruntur, necnon Oblatis præfatis, ac puellis, & Mulieribus Sæcularibus in Monasteriis hujusmodi de ejusdem Sedis licentia degentibus, & Anachoretis, atque Eremitis hujusmodi, ac utriusque sexus Christifidelibus, tam carceratis quam infirmis præfatis tantum, & qui alias impedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ infirmitatis cessantibus ad hanc Almam Urbem pro thesauris spiritualibus hujusmodi consequendis venturi fuissent, vere pœnitentibus, & confessis, quod in locis ubi eos esse contigerit, pia Christianæ pietatis, & Charitatis opera juxta formam ab Ordinariis Locorum, seu Sanctimonialium, & Anachoretarum, Eremitarumque hujusmodi superioribus, vel de eorum mandato a prudente Confessario, in Alma Urbe vero a dilecto filio nostro Vicario, seu ejus Vicesgerente tantum præscribendam pro cujuslibet statu, & conditione, ac loci, & temporis ratione habita exercendo, & alia in nostris litteris indictionis anni Jubilæi contenta adimplendo, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenissimas, consequantur, quas consequerentur, & consequi possent, si in hoc præsenti anno Jubilæi diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas Basilicas, & Ecclesias Almæ Urbis, & extra illius Muros, pro quibus visitandis Jubilæum, & Indulgentiæ præfatæ concessæ sunt, personaliter visitarent, & eorum quilibet visitaret.

Omnibus supradictis concedit omnes & singulas Indulgentias d. anni Jubilæi, prout in rubr.

§. 4. Eisdem Sanctimonialibus, ac Oblatis, puellis, & Mulieribus Sæcularibus, nec non Anachoretis, atque Eremitis, & Christifidelibus impeditis hujusmodi, ut ad effectum præsentium Confessarios Presbyteros Sæculares, vel cujusvis Ordinis regulares ab eisdem Ordinariis Locorum ad id probatos, qui Confessionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, injuncta eis pœnitentia salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Indulget Confessariis, ut eos vel eas ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ Domini impositis salutari pœnitentia absolvere possent.

Derogat contrariis.

§. 5. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Febr. 1675. Pontificatus nostri Anno quinto.

I. G. Slusius.

Dat. 6. Febr. 1675. an. 5.

LXXVIII. Erectio Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in novam Provinciam cum omnibus Privilegiis, & prærogativis adinstar aliarum Provinciarum Discalceatorum Hispaniæ dicti Ordinis, necnon cum gratiis, & Indultis eidem Custodiæ per quinque Brevia a SSmo D. N. concessis.

Super hac materia idem Summus Pont. plures alias edidit Constitut., quæ sunt in hoc Volumine, 10. 42. & sup. Tom. VI. Append. Const. 17. & 23.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus officium humilitati, atque infirmitati nostræ ab æterno Pastore commissum salubriter exequi adjuvante D. jugiter satagentes circa statum Religiosorum virorum sub austerioris vitæ disciplina vota sua Altissimo reddere satagentium, bonoque Christi odore de bona conversatione flagrantium prospere dirigendum propensis studiis intendimus, ac muneris nostri pastoralis partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, ac felicem progressum, animarumque salutem expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§. 1. Alias siquidem postquam Custodia Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ord. Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in executionem quarumdam nostrarum in simili forma Brevis literarum auctoritate Apostolica erecta, & instituta, variisque gratiis, & ordinationibus pro felici illius gubernio emanatis per alias ternas pariter in forma Brevis literas nostras decorata, atque stabilita fuerat, cum Custodia ipsa in sui primordio multis tam Romæ, quam subinde in Hispania contradictionibus vexata, & per illas tanquam aurum in fornace probata, & purificata, ac ab illis quippe insubsistentibus, & ex animositate provenientibus, tum Judicio Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, tum Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, qui pro eximia sua erga nos, & Sedem Apostolicam reverentia, rem omnem ad supremum nostrum, & dictæ Sedis Judicium remiserat, æquitate, atque pietate liberata fuisset:

Refert initia d. Custodiæ.

§. 2. Nos ejusdem Custodiæ statui, & incremento providere, ac hujusmodi perturbationibus ansam in futurum præcidere cupientes, multa ad favorem ipsius Custodiæ statuimus, & ordinavimus, diversasque declarationes, & concessiones fecimus, ac inter alia voluimus, & ordinavimus, ut Capitulum dictæ Custodiæ compromitteret in Personas quatuor Religiosorum, zelo, prudentia, & virtute præditorum, qui a Vener. Fratre nostro Francisco Episcopo Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato dicti Ordinis apud nos, & Sedem prædictam Protectore approbati, seu alias ab ipso nominati essent, ipsique Compromissarii statuta, & Ordinationes, quibus eadem Custodia in perpetuum regi, & gubernari deberet, secundum datam sibi a D. prudentiam conficerent, & componerent, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 28. Augusti 1673. expeditis literis uberius continetur.

Refert plura ad illius favorem demandasse.

Quod quatuor Religiosi, illius Statuta, & Ordinationes conficerent.

§. 3. Cum autem (sicut accepimus) statuta, & ordinationes hujusmodi juxta earumdem literarum nostrarum dispositionem jam facta, atque edita reperiantur, dictaque Custodia, quæ sex Conventibus, canonice erectis, & institutis constat, & alium Conventum erigendi facultatem a Sede præfata obtinuit, nulli Provinciæ Ordinis præfati subjaceat, sed a proprio Custode cum suo Diffinitorio gubernetur, ac in ea Capitula, Congregationes, & alii congressus, prout in Provinciis dicti Ordinis celebrentur, ipsaque Custodia propriis sigillis majori, & minori utatur, ac prærogativis fere adinstar Provinciarum hujusmodi fruatur, itaut ei nihil nisi nomen Provinciæ deesse videatur.

Confectis Statutis d. Custodia sex Conventibus constans cum facultate alium erigendi se gerit adinstar Provinciæ.

§. 4. Hinc est, quod nos firmiori, atque solidiori ejusdem Custodiæ statui, prosperoque illius regimini, ac progressui, & incremento, quantum nobis ex alto conceditur providere volentes, ac dilectorum filiorum Custodis, & Diffinitorum, aliorumque Fratrum Custodiæ hujusmodi singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon quinarum nostrarum literarum præfatarum tenores, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes:

Absolutio a Censuris.

Habet pro expressis, & insertis præcedentes literas desuper editas.

§. 5. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam Custodiam in novam Provinciam Fratrum Discalceatorum Hispaniæ dicti Ordinis, quæ Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis nuncupari debeat, ac Capitula Provincialia pro Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum, aliorumque Officialium ipsius Provinciæ electiones, ac Congregationes, aliosque congressus adinstar aliarum Provinciarum Ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, juribus, oneribus, privilegiis, gratiis, & Indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, & signanter illis, quæ Provinciis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis præfati a quibusvis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac præsertim a fel. rec. Urb. PP. VIII. prædecessore pariter nostro per quasdam suas in forma Brevis literas, quarum initium, *Cum ea* &c. die 25. Junii 1639. expeditas concessa sunt, necnon omnibus, & singulis Indultis, privilegiis, & gratiis Custodiæ prædictæ a nobis per quinas literas supradictas quomodolibet concessis, & quibus Custodia ipsa hactenus gavisa est, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possit, & valeat, ita tamen, ut nova Provincia hujusmodi facultate fundandi, & erigendi novos Conventus de sola Ordinariorum licentia, quæ dictæ Custodiæ auctoritate Apostolica concessa reperitur, nonnisi in locis, in quibus Fratres de Observantia, vel Reformati nuncupati Ordinis prædicti non sint, uti valeat, tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio in perpetuum erigimus, & instituimus.

Motu proprio d. Custodiam erigit in novam Provinciam.

Hæc nova Provincia nti nequeat facultate sibi concessa erigendi novos Conventus in locis ubi sunt fratres de Observantia, vel Reformati præd. Ordinis.

§. 6. Præterea Statuta, & Ordinationes pro felici, prosperoque dictæ Custodiæ regimine, & gubernio, sicut præmittitur facta, atque edita, quæ (uti pariter accepimus) a memorato Francisco Episcopo Cardinali, & Protectore examinata, & approbata fuerunt, dummodo tamen Sacris Canonibus, aut Concilii Tridentini Decretis, vel Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aut Regularibus dicti Ordinis Institutis non adversentur, auctoritate Apostolica harum serie perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa omnia, & singula per Superiores, Fratres, & Personas quascumque dictæ novæ Provinciæ sic a nobis erectæ, & institutæ perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere statuimus, ac præcipimus, & ordinamus.

Statuta, & Ordinationes jam edita pro Regimine ejusdē Custodiæ auctoritate Apost. confirmat, & præcipit observari.

§. 7. Porro eidem novæ Provinciæ de idoneis Ministro Provinciali, & Diffinitoribus, quorum opera Provincia ipsa adspirante superni favoris auxilio salubriter dirigatur, hac prima vice providere cupientes, ac de spectata infrascriptorum Religiosorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Joannem a Sancta Maria Verbi Dei Prædicatorem, qui Custos, in Ministrum Provincialem, ac Franciscum Antonium a Passione, Jacobum a Sancto Laurentio, Lucam a Sancto Didaco, & Joannem a Cruce, qui Diffinitores actuales præfatæ Custodiæ a dicto Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore novissime instituti fuerunt, in Diffinitores ejusdem novæ Provinciæ sic a nobis erectæ respective ad triennium proximum cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, ac Indultis, & honoribus, & oneribus solitis, & consuetis motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium constituimus, & deputamus.

Eidem novæ Provinciæ pro hac prima vice provident de idoneis Ministro Provinciali, & Diffinitoribus ad triennium duraturis.

§. 8. Omnes autem Guardianos Conventuum, & reliquos Officiales Custodiæ præfatæ sic in Provinciam a Nobis erectæ, qui de præsenti, aut a præfato Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore, aut a Diffinitorio deputati reperiuntur in suis respective muneribus usque ad Congregationem intermediam ejusdem novæ Provinciæ proxime celebrandam confirmamus: ac præfatis Ministro Provinciali, & Diffinitoribus a Nobis, ut præfertur deputatis Custodem novæ Provinciæ, qui Capitulo generali dicti Ordinis cum voti, sive suffragii prærogativa interesse valeat, pro hac vice tantum eligendi, seu deputandi facultatem impertimur; ita tamen ut electio, seu deputatio hujusmodi a memorato Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore approbari, & confirmari debeat.

Guardianos, & Officiales de præsenti existentes usque ad Congregationem intermediam confirmat.

Dat facultatem Ministro Provinciali, & Diffinitoribus ut supra deputatis eligendi Custodem novæ Provinciæ cum Voti prærogativa in Capitulo Generali pro hac vice tantum.

§. 9. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis præfatorum Ordinis, & novæ Provinciæ Superioribus, Fratribus, & Personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut eamdem novam Provinciam, sicut præmittitur a Nobis erectam, & institutam tanquam veram, & legitimam canoniceque erectam Provinciam, ac sicut reliquas Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Provincias in omnibus, & per omnia recognoscant, nominent, teneant, & tractent, ac Religiosos supranumeratos ad officia eis respective per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium juxta earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant; illisque in omnibus eadem officia concernentibus faveant, & assistant, pareantque, & obediant respective.

Mandat hanc Electionem, seu Deputationem esse confirmandam a Card. Protectore.

In virtute S. Obedientiæ præcipit ab omnibus dicti Ordinis, novam Provinciam, sicut reliquas ejusdem Ordinis in omnibus recognosci, & tractari.

§. 10. Ac decernentes easdem præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex quavis alia, etiam quantumlibet juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam

Supplet quoscunque defectus.

in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 11. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, alioscve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, definiri, & judicari debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentibus literis mandat quæcumque contraria non obstare.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit Ordinis, & Custodiæ hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam d. Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis Personis, & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis; a omnibus, & singulis, quæ in quinis nostris literis supradictis volumus non obstare.

Eis omnibus ampliſſime derogat.

§. 13. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut quælibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 7. Febr. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Febr. 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Febr. par 2. fol. 167.

LXXIX. Approbatio, & confirmatio Fundationum, & erectionum decem Conventuum Fratrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini in Regno Portugalliæ, & illorum erectio in novam Congregationem sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ regendam ab uno Vicario Generali de sexennio in sexennium eligendo cum communicatione Privilegiorum Congregationis Fratrum Discalceatorum Italiæ, cujus statuta, & Constitutiones dicta nova Congregatio, dictique Conventus observare tenentur.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut paternam religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ Instituto mancipatorum curam gerentes felici illorum statui, ac progressui, & religionis incremento quantum Nobis ex Alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

Fundatio Monasterii Monialium Discalceatorum Ord. S. Augustini in Valle de Xabregas.

§. 1. Innotuit siquidem Nobis, quod dudum clar. me. Aloysia Maria dum vixit Portugalliæ, & Algarbiorum Regina illustris pro eximia sua pietate, & singulari erga Ordinem S. Augustini devotione, Monasteriorum Monialium Discalceatorum ejusdem Ordinis in valle de Xabregas prope, & extra muros Civitatis Ulyssiponen. regia liberalitate fundavit, ipsaque Aloysia Maria Regina inter easdem Moniales reliquos vitæ suæ dies in pace disposuit, & cupiens Conventum Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum ejusdem S. Augustini, qui dictorum Monasterii, & Monialium directioni, & gubernio incumberent, pariter fundare, atque erigere, licentiam desuper necessariam obtinuit a tunc existente Priore Generali dicti Ordinis, qui certum determinatum numerum Religiosorum in ea admittendorum præfixit, ipsumque Conventum a superioritate Prioris Provincialis, & aliorum Prælatorum Provinciæ Portugalliæ Ordinis hujusmodi exemit, ac illum suæ, & futurorum pro tempore Priorum Generalium ejusdem Ordinis jurisdictioni immediate subjecit, prout in literis ejusdem Prioris Generalis desuper emanatis latius continetur.

Licentia erigendi Conventum fratrum Discalceat. d. Ordinis.

Quibus cautionibus ea concedatur.

§. 2. Cumque temporis decursu crescente semper magis in dies erga Religionem Fratrum Discalceatorum hujusmodi Populi devotione, quamplurimi eorum religiosæ vitæ amore accensi, ad habitum inter ipsos admitti desiderarent, iidem fratres Discalceati supplices petierunt a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore nostro ut gratiam, & licentiam numerum Religiosorum augendi, novasque Domos Regulares in Regno Portugalliæ fundandi concedere dignaretur. Verum tam idem Alexander prædecessor, quam ejus successor rec. me. Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster, cui eædem preces oblatæ fuerant, ejusmodi gratiam concedere renuerunt.

Alexan. VII. & Clem. IX. negarunt dd. fratribus licentiam augendi numerum Religiosorum, & novos Conventus erigendi in d. Regno.

Congr. particularis revocat attentata commissa per dd. fratres.

§. 3. Quinimo cum dicti Fratres Discalceati de facto, & propria auctoritate nonnullos Novitios ultra numerum præfixum ad habitum admittere, novos Conventus in variis dicti Regni partibus erigere, & subsequenter eos Congregationi fratrum Discalceatorum Hispaniæ dicti Ordinis unire præsumpsissent, delatis ex parte Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis in præfato Regno degentium ad nos hac super re querimoniis, illisque in Congregatione à nobis specialiter deputata examinatis, eadem Congregatio censuit, revocanda esse attentata prædicta nec ullum Jus competere Fratribus Excalceatis Hispaniæ super dicto Monasterio Ulissipone erecto pro cura Monialium, neque esse locum dismembrationi a Religione, & subinde pariter censuit non esse locum erectioni novorum Conventuum Fratrum Discalceatorum Ordinis Sancti Augustini in Regno Lusitaniæ, ac propterea illos erigi, aut fundari prohibuit, & prædictis Fratribus Excalceatis citra controversiam hujusmodi perpetuum silentium imposuit.

Summus Pontifex d. Congregationis resolutionem confirmavit.

§. 4. Nos vero postmodum non solum Decreta particularis Congregationis hujusmodi, ut præfertur emanata confirmavimus, sed etiam omnia, & singula, quæ in eisdem Decretis continentur motu proprio decrevimus pariter, & ordinavimus, cum simili perpetui silentii impositione, & alias prout in binis nostris desuper in simili forma Brevis die 28. Januarii, & die 27. Februarii 1671. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis,

sis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

D. fratres se offerunt mandatis Apostolicis obtemperare, & Conventus jam erectos dimittere.

§. 5. Verum cum præfati Fratres Discalceati ea qua par est promptitudine Apostolicis mandatis obtemperare, & Conventus jam erectos, dimittere vellent, dilectissimus in Christo filius noster Petrus Princeps eorumdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernator memoratæ Aloysiæ Mariæ Reginæ genitricis suæ pietatem imitari, Populorumque suorum speciali consolationi consulere cupiens, Nobis exposuit, eosdem Religiosos in Vinea Domini sedulo laborare, & animarum salutem exemplo, & doctrina procurare, uberrimosque in dies fructus ex eorum propagatione benedicente Domino sperari posse, ac proinde supplex a nobis petiit, ut præmissa revocare, ac infrascriptos decem Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum jam erectos, ac supellectilibus sacris, & profanis, redditibusque ad victum necessariis sufficienter instructos, atque dotatos, nempe Conventus Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in prædicta Valle de Xabregas prope, & extra Muros supradictæ Civitatis Ulyssiponen., Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis in Cassarica Pietatis, in Sanct. ejusdem Conceptionis in Monte Moronovo, Mercedis in Civitate Eboren., Sanctæ Mariæ Consolationis in extremos S. Mariæ Portalegren., Sanctæ Mariæ de Orada in Monearas, Boni Jesu in Porto de Mos, & Hospitii in dicta Civitate Ulyssiponen. in regione seu contrata quæ dicitur *fangas de Faringha* approbare, & confirmare, eosque in novam Congregationem erigere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces.

Cong. Episc., & Regul. censuit eis benigne annui posse.

§. 6. Quare nos pro peculiari paternæ Nostræ erga eumdem Petrum Principem Gubernatorem charitatis affectu, porrectas Nobis ejus nomine preces per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita diligenter perpendi, matureque examinari mandavimus; ipsi vero Cardinales, audita relatione Venerabilis Fratris Marcelli Archiepiscopi Chalcedonen. Nostri, & Apostolicæ Sedis in Regnis prædictis Nuncii, ac audito quoque dilecto filio Procuratore Generali dicti Ordinis, reque mature examinata, piis d. Petri Principis Gubernatoris generalis Votis hac in re benigne annui posse censuerunt.

Absolutio a Censuris.

§. 7. Itaque præfatorum Conventuum, ac Fratrum in eis degentium statui, prosperoque regimini, & incremento quantum cum Domino possumus providere cupientes, ac eorumdem Patrum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes de eorumdem Cardinalium consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, erectiones, & fundationes supradictorum decem Conventuum tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, vel facti defectus, qui propter præmissa desuper quovis modo intervenerunt, seu alias quomodolibet intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

Pontifex erectionem dict. decem Conventuum approbat, & respective confirmat.

Omnes, & singulos defectus supplet, & sanat.

§. 8. Præterea eosdem decem Conventus in novam Congregationem Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini, quæ Congregatio Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Regni Portugalliæ nuncupari, ac ab uno Vicario Generali capitulariter, & Canonice de sexennio in sexennium eligendo regi, & gubernari, necnon statuta, & Constitutiones Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis ab hac S. Sede approbatas observare debeat, & teneatur, firma tamen in omnibus permanente auctoritate, & superioritate, quam Priores Generales dicti Ordinis super alias hujusmodi Congregationes Fratrum Discalceatorum obtinent, ac ea lege, ut dilectus filius modernus Prior Generalis ejusdem Ordinis pro hac prima vice tantum Vicarium Generalem novæ Congregationis hujusmodi ad sexennium auctoritate nostra Apostolica deputare debeat, quam ad rem opportunam ei harum serie tribuimus facultatem, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus itidem perpetuo erigimus, & instituimus.

DD. decem Conventus erigit in Cong. regendam ab uno Vicario Generali canonice de sexennio in sexennium eligendo.

Mandat ei observare Statuta, & Constitutiones Congregationis Italiæ fratr. Discalceat. ejusdem Ordinis.

In eo præservat auctoritatem, & superioritatem Prioris Generalis d. Ordinis, quam habet in aliis hujusmodi Congregationibus.

§. 9. Ita tamen, ut illi Religiosi, qui in memoratis Conventibus, seu erectis nulliter professi dignoscuntur, admoniti de nullitate eorum Professionis, denuo eam in manibus Superioris localis, etiam nullo alio Novitiatu peracto, quatenus annum Novitiatus alias peregisse reperiantur, solemniter emittant, retento tamen Jure præcedentiæ a die admissionis ad habitum: Recusantes vero libere ad Sæculum redire possint si ad Sacros Ordines non fuerint promoti, sin minus a vinculo Religionis absoluti in Sæculo remaneant, cum suspensione ab eorumdem Ordinum exercitio donec de legitimo Patrimonio, sive Beneficio Ecclesiastico ad eorum congruam sustentationem sufficienti se esse provisos coram suis Ordinariis constare fecerint.

Eisdem Priori Generali pro hac prima vice tantum indulget Vicarium Generalem deputare ad sexennium duraturum.

Renovatio professionis nulliter emissæ in dd. Conventibus prout in rubrica.

Cum renuentibus professionem renovare quid decernat.

§. 10. Volentes, & motu simili statuentes, ut in memorato Conventu de Xabregas numerus Fratrum viginti, in reliquis vero Conventibus prædictis quindecim non excedat, iidemque Conventus præfata statuta, & Constitutiones Congregationis Fratrum Discalceatorum Italiæ observare teneantur.

In quolibet Conventu præscribit numerum Religiosorum, & observantiam Statutorum dict. Congr. Italiæ.

§. 11. Demum eidem novæ Congregationi, sicut præmittitur a Nobis erectæ, & institutæ, illiusque Conventibus, Superioribus, Fratribus, & Personis quibuscumque, ac ipsorum Conventuum, & Congregationis Ecclesiis, præeminentiis, prærogativis, honoribus, juribus, Indultis, & gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus præfata Congregatio Fratrum Discalceatorum Italiæ, illiusque Conventus, Ecclesiæ, Superiores, Fratres, & Personæ tam de jure, usu, & consuetudine, quam ex concessione Apostolica, & alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possint, & poterunt in futurum pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

Huic novæ Congr. concedit omnia Indulta, & privilegia, quibus gaudet d. Cong. Italiæ.

Observantiam præsentium literarum demandat quibuscumque non obstantibus.

§. 12. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari,

ad viam, seu terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & quandocumque spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 13. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Eccl. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores designat cum facultatibus, prout in rub.

§. 14. Quo circa memorato Marcello Archiepiscopo moderno, & pro tempore existenti, nostro, & Sedis præfatæ in dictis Regnis Nuntio, ac Ven. etiam Fratri Archiepiscopo Ulyssiponen. per præsentes motu pari committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel illi eorum præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte præfatæ novæ Congregationis, ejusque Superiorum, & Fratrum, seu alicujus eorum fuerint requisiti per se, vel alium, seu alios solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra illos præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectus pacifice, frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per Sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis Processibus, Sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Contrariis amplissime derogat.

§. 15. Non obstantibus Decretis, & literis Nostris, aliisque præmissis, ac piæ me. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, aliisve quibusvis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, ac Fratribus, & aliis Personis, ac locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 8. Febr. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Febr. 1675. Pontificatus nostri Anno quinto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Februarii par. 2. fol. 160.

LXXX.

Breve, quo declaratur tam PP. Capuccinis, quam PP. Tertiariis Gallicanæ Congregationis, licere Personas Sæculares utriusque sexus admittere ad Tertium Ordinem a D. Francisco pro Fidelibus in Sæculo degentibus institutum, rescissis, & revocatis quibuscumque Literis, & Statutis in contrarium decernentibus.

In hac Constit. revocatur quidquid statutum fuerat in Constit. 27. in Append. Tom. VI. pag. 31. Exponi nobis, *hujus Pontif.*

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ Regimini, Divina dispositione, præsidemus, Nos admonet, ut Christifidelium Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, ubereque bonorum operum fructus, aspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentium, quieti, & Religiosæ tranquillitati consulere studentes, ea, quæ litium dirimendarum, amabilisque concordiæ stabiliendæ studio inter eos provide conventa esse noscuntur, quo firmius perennent, nec reciduis conventionibus umquam agitari possint, Apostolici muniminis patrocinio constabiliamus.

Exponitur controversia inter fratres Capuccinos, & fratres 3. Ord. S. Francisci Congr. Gallicanæ.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Bonaventura a Recineto Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, & Fratr. Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci Congregationis Gallicanæ, quod cum dudum inter Fratres Minores Capuccinos ex una, & Fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanæ hujusmodi ex altera partibus, controversia super jure conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci personis sæcularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Jurisdictionis subditis, exorta fuisset, variaque Decreta a Congregationibus S. R. E. Cardinalium, ac etiam Literæ Apostolicæ ad Partium præfatarum favorem desuper respective emanassent, nec tamen controversia hujusmodi adhuc conquievisset: eædem Partes, Fraternæ charitatis inter Ordines præfatos conservandæ studio, acceden tibus etiam exhortationibus dilectorum filiorum Nostrorum Jacobi Rospigliosii, & Cæsaris Destrees nuncupatorum ejusdem S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, ac intercessione dilecti filii Nobilis Viri moderni Ducis Destrees pro Cha-

rissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris, ad concordiam super præmissis (servato tamen desuper Nostro, & d. Sedis Beneplacito) devenerunt, *ut scilicet tam præfatis Fratribus Capuccinis, quam dict. Fratribus Tertii Ordinis d. Congregationis Gallicanæ liceat habitum præfatum Personis Sæcularibus utriusque sexus juxta usum apud suos respective receptum conferre*, & alias, prout plenius continetur in scriptura desuper confecta, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Super hoc Partes devenerunt ad Concordiam sub beneplacito S. Sedis.

Tenor ejusdē Concordiæ.

§. 2. In nomine Domini coram Emis Cardinalibus infranominatis anno Domini 1675. die 6. Februarii confectum est Romæ præsens Instrumentum, & ab utraque parte acceptatum in sequenti forma. Cum jam diu Patres Capuccinos inter, & Tertiarios Regulares, quæstio nata sit de, & super jure conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci personis Sæcularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Jurisdictioni subditis, eaque controversia multis intercedentibus Emorum Cardinalium, tum Sacri Concilii interpretationi, tum Episcoporum, & Regularium Consultationibus præpositorum Decretis, ac SSmorum Pontificum Brevibus, nondum penitus composita sit: ne diuturniore contentione pax, & charitas inter dd. Ordines labefactari queat, utriusque Ordinis Procuratoribus, pietatis, & concordiæ studio, accedente auctoritate, & exhortationibus Emorum Cardinalium Rospigliosii, & Destrees, necnon Excellentissimi Ducis Destrees ad S. Sedem Extraordinarii Regis Christianissimi Oratoris, eam exortas illa de re lites componendi, & futuras in posterum amputandi, optimam rationem inire placuit, *ut scilicet tum Patres Capuccini, tum Tertiarii Sæcularibus utriusque sexus habitum S. Francisci conferant utrique, juxta usum apud suos receptum, & Jura quibus hactenus gaudere consueverunt*--Salva, & reservata super præmissis, S. Sedis Apostolicæ confirmatione, pro qua enixe supplicatur, super his silentio imposito F. Amadeus Bajocensis Capuccinus Procurator, F. Bartholomæus Veronensis Procurator Provinciæ S. Ivonis Tertii Ordinis, Cæsar Cardinalis Destrees, Jacobus Cardinalis Rospigliosius.

Preces utriusque Partis.

§. 3. Quare exponentes præfati Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ipsos Exponentes specialibus gratiis, & favoribus prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac supradictorum Decretorum, & Literarum Apostolicarum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, concordiam inter Partes prædictas initam, ut præfertur, confectamque desuper scripturam præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & proinde perpetuum super controversia prædicta utrique Partium silentium eadem auctoritate, harum serie imponimus.

Absolutio a Censuris.

D. Concordiam auctoritate Apostolica confirmat.

Supplet defectus, & utrique Parti silentiū imponit.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Congregationis Gallicanæ, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 20. Febr. 1675. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. 20 Febr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Februarii.

LXXXI.

Confirmatio Decreti Emorum Cardinalium Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe Protectorum ut imposterum nullus, vel Convictor, vel Alumnus recipiatur in dictum Collegium, qui non habeat qualitates in Bulla Constitutionum ipsius Collegii requisitas, & sit natus, & educatus in Provinciis in dicta Bulla expressis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposuerunt Nobis nuper Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectores, quod dudum fel. rec. Gregorius PP. XIII. Prædecessor Noster dictum Collegium fundavit, illudque à Seminario Romano, in quo Alumni, & Convictores Itali educantur, separando, ordinavit, ut nemo in Alumnum, vel Convictorem ejusdem Collegii admitteretur, qui ex Provinciis, & Circulis Germaniæ in literis Constitutionum ipsius Collegii expressis non esset.

Ordinatio Greg. XIII.

§. 1. Et subinde cum cubicula in dicto Collegio nonnullis Convictoribus Italis variis temporibus concessa fuissent, ab ejusdem S. R. Eccl. Cardinalibus Protectoribus, & Superioribus Collegii præfati tunc existentibus cognitum fuit, ejusmodi nationum diversitatem, disciplinæ, & gubernio Alumnorum multum obesse, ac finem fundationis ejusdem Collegii impedire; Unde iidem Cardinales Protectores expresse decreverunt, ne Convictores in Collegium hujusmodi, nisi juxta dispositionem literarum præfati Gregorii prædecessoris reciperentur.

Contravētio.

Decretum Cardin. Protectorum.

Nova Contraventio.

§. 2. Verum progreſſu temporis cum aliqui Convictores Itali, propter vehementes perſonarum potentium commendationes, in Collegium prædictum introducti fuiſſent, qui nimis libere, ac modo ab inſtituto ejuſdem Collegii omnino diverſo vivebant, rec. me. Innocentius Papa X. etiam prædeceſſor Noſter incommodorum, quæ inde naſcebantur, conſcius, mandavit dilecto Filio Joanni Paulo Olivæ Præpoſito Generali Societatis Jeſu tunc dicti Collegii Rectori, ne in ipſum Collegium amplius admitterentur ſub quocumque prætextu Convictores ex Nationibus per præfati Gregorii prædeceſſoris literas, & Cardinalium Protectorum decreta hujuſmodi excluſis; & vigore mandati hujuſmodi, ejuſmodi Convictores, qui ibi tunc erant, inde dimiſſi fuerunt.

Innoc. X. mandatum.

Vigore hujus mandati Convictores Itali eo tunc fuerunt dimiſſi.

§. 3. Cumque Collegium ipſum, exiſtentibus in eo ſolis Alumnis, & Convictoribus, quos literæ Apoſtolicæ admitti præſcribunt multos per annos optima diſciplina, atque pace gaviſum fuiſſet, ſubinde cum nonnullis Convictoribus Italis diſpenſatum fuit, ut in illud admitterentur, atque ita præteritæ inquietudines, non ſine magno divini ſervitii detrimento, atque moleſtiis Superiorum, qui abuſus, & incommoda inde ſubnaſcentia impedire nequibant, renovatæ fuerunt.

Poſtea diſpenſatum fuit.

Tenor Decreti per Card. Protectores ejuſdem Collegii edit. die 29. Jan. 1675.

§. 4. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat Collegium præfatum ab ejuſmodi præjudicii, atque incommodis liberum de præſenti reperiatur, & ne in ea deinceps relabatur, Cardinales exponentes prædicti, Decretum ediderint, tenoris qui ſequitur videlicet: Nos Franciſcus Cardinalis Barberinus, Nicolaus Cardinalis Ludoviſius, Flavius Cardinalis Chiſius, Jacobus Cardinalis Roſpiglioſius, Palutius Cardinalis Alterius, Collegii Germanici, & Hungarici Cardinales Protectores bene perſpectis dicti Collegii Conſtitutionibus, quodve pro ſubveniendo ſpiritualibus Germaniæ, & Hungariæ neceſſitatibus juxta finem Conſtitutionis Collegii, conſultum magis, atque utile futurum ſit diligentius attendentes rationum momentis utrinque perpenſis unanimi conſenſu ſtatuimus, atque decernimus, ut in poſterum nullus, vel Convictor, vel Alumnus recipiatur in Collegium: qui non habeat qualitates in Bulla Conſtitutionum requiſitas, & ſit natus, & educatus in Provinciis in dicta Bulla expreſſis, & indicatis, ut melius ſublata Nationum diverſitate, & incommodis exinde oriri ſolitis ejuſdem Collegii Alumni poſſint unanimiter in ſolidæ pietatis, & literarum ſtudia incumbere, & finem aſſequi, ad quem Collegium ad majorem Dei gloriam, & Animarum ſalutem inſtitutum fuit, atque ita executioni mandari ab ejuſdem Collegii Rectore: hoc ſcripto manu Noſtra firmato ſtatuimus, decernimus, & mandamus ſupplicando SSmo Dño Noſtro Clementi X. ut dignetur hoc Noſtrum decretum ſua auctoritate confirmare. Dat. Romæ hac die 29. Januarii 1675. -- Franciſcus Epiſcopus Oſtien. Cardinalis Barberinus. -- F. Cardinalis Chiſius. -- IC. Cardinalis Roſpiglioſius. -- P. Card. de Alteriis.

Preces Card. Protectorum.

§. 5. Nobis propterea iidem Cardinales Exponentes humiliter ſupplicarunt, ut Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum Cardinalium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum præinſertum, omniaque, & ſingula in ea contenta, & expreſſa, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Pontifex dict. Decretum Ap. auctoritate confirmat.

Supplet in eo omnes defectus.

§. 6. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Collegii, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariis derogat.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides tranſumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 4. Martii 1675. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Dat. 4. Martii 1675.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium in lib. Menſis Martii part. utraque fol. 101.

Indultum quod in univerſo Ordine Fratrum tam Calceatorum, quam Excalceatorum, & Monialium Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum celebretur ſub ritu duplici de præcepto Officium, & Miſſa omnium Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis die 13. Novembris. LXXXII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apoſtolicæ ſervitutis officium, quod ineffabilis divinæ Majeſtatis Clementia humilitati noſtræ imponere dignata eſt, exigit, ut Sanctorum in Cœleſti Hieruſalem, cum Chriſto Jeſu Domino noſtro regnantium cultum, & venerationem in terris quantum Nobis ex alto conceditur promovere, atque ampliare ſtudeamus.

Preces.

§. 1. Itaque piis dilecti filii noſtri Petri tituli Sancti Marci S. R. E. Presbyteri Cardinalis Othoboni nuncupati Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, precibus, benigne annuentes, ac etiam ſupplicationibus dilecti filii Franciſci a Sancto Marco Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Excalceatorum nuncupatorum ejuſdem Ordinis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ipſumque Franciſcum Procuratorem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat

Abſolutio a Cenſuris quo ad d. Procuratorem Generalem.

Illius sustentatio.

consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ut in futurum omnes, & singuli tam Calceati, quam Excalceati Fratres, & Moniales Ordinis præfati semel in anno, nempe die decima tertia Mensis Novembris Officium, & Missam Omnium Sanctorum & Sanctarum ejusdem Ordinis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis ipsius Ordinis sub ritu Duplici recitare, & respective celebrare, & quoad dispositionem dicti officii se concessioni alias videlicet die 11. Octobris 1671. Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini factæ, conformare, omniaque in calendario Breviarii, & Missalis Ordinis primo dicti de præcepto apponi, & imprimi curare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indultum recitandi, & celebrandi Officium, & Missam omnium SS. in universi Ordinis B. Mariæ de Mercede.

Dispositio Officii.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Quod omnia in Calendario Breviarii, & Missalis Ordinis de præcepto apponi, & imprimi possint.

Derogat contrariis.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Martii, millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 27. Martii 1675.

I. G. Slusius.

LXXXIII. Erectio Hospitii pro noviter conversis ad Fidem.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter alia gravissima onera, quibus Nos premit Pastoralis Officii cura, illud cætera superat, oves ab ovili Sanctæ Fidei orthodoxæ Romanæ devias in faucibus lupi hæresis inhærentes, ac ad portas æternæ damnationis pergentes, ad ejusdem S. Matris Ecclesiæ, in qua tantummodo, ut in Arca Noe vera salus reperitur, vias rectas remittere, & reducere.

§. 1. Super hoc igitur acies nostræ mentis tuto debito zelo dirigentes, ac quod Divina pietas proprie numquam in hoc deficienti assistentia hoc nostrum sanctum propositum confovere non dedignaretur confidentes, ea auxilia, & media, quæ operi adeo digno muneri Pastorali Nostro præstari necessaria, & debita dignoscuntur, quantum in Nobis est præparare non distulimus: sane ad effectum prædictum, & ut isti Filii novi ejusdem S. Matris Ecclesiæ recipi possent, mediante dilecto Filio Nostro Bernardino S. R. E. Cardinali Roccio nuncupato tunc Archiepiscopo Damasceno, & Palatii Nostri Apostolici Præfecto, cui super hoc vices Nostras dedimus, Domum ad Nationem Picenam alias S. Domus Lauretanæ de Urbe prope Ripettam spectantem de propriis nostris pecuniis, ac pretio septem millium scutorum monetæ, cum illius nationis Ecclesia, aliisque appendiciis emi curavimus, & subinde decem millia scuta in emptionem tot Locorum Montium Cameralium non vacabilium de Urbe prædicta eroganda donavimus.

Pro hæreticis conversis ad fidem emit domum prope Ripettam.

Donat scut. 10. m.

§. 2. Interim vero, sicut Nobis innotuit, auxiliante Domino, unum parvum Hospitium sub cura, & directione dilecti Filii Mariani Succini Presbyteri Congregationis S. Philippi Nerii de eadem Urbe, suffragante ei ope aliorum duorum piorum Presbyterorum apertum, & præparatum fuit, illudque ex eleemosynis piorum Christifidelium non satis laudabilis charitas manutenere, eique de necessariis subvenire non deficiebat, pro cujus quidem pii operis majori progressu eisdem Presbyteris Adjutores in hoc se se præbuerant dilecti Filii Marchio Horatius de Spadis, necnon Marchio Ferdinandus de Mutis, ac Lucas Abbas Millinus, & Stephanus Ricciardus Presbyter J. U. D., ac Curiæ Capitolinæ de præsenti secundus Collateralis, ac Ferdinandus Capponus, Joseph de Comitibus, Franciscus Spentner, Josephus Melgarini, Guillelmus Lesleus, Hieronymus Berti, Mathias Peroni, aliique pii Viri Clerici, seu Laici infimul Congregationem super hoc opere pio constituentes respective, cum notabili operis pii hujusmodi augmento, itaut, sicut accepimus, biennio adhuc non completo, qui perfida hæresi per eos abjurata, ad gremium ejusdem S. Matris Catholicæ Ecclesiæ, Divina favente Clementia, recurrerunt, usque ad numerum nonaginta duorum ascendunt, inter quos nonnulli Regularium strictioris observantiæ statum amplexi fuerunt.

Pro eisdem Conversis aperitur Hospitium.

Ibi biennio 92. Conversi ad Religionē Catholicam fuerunt recepti.

§. 3. Proptereaque Nos, quibus semper cordi est omnium præcipue istius proficui operis augmentum, quique licet ut opus istud adeo pium, & pietate Catholica dignum, majus in dies susciperet incrementum, & majori commoditati habitationis, ac alias consultum fuisset istis, qui sponte veniunt ad fidem noviter conversis in aliqua Palatii Nostri præfati parte locum præbere ardenti desiderio, ut inibi paternum refugium invenirent, optaverimus:

Desiderium SS. Pontificis.

§. 4. Nihilominus quia possibile non fuit aliquam d. Palatii portionem ad hunc effectum separare, loca, seu situs eidem Palatio proximiora, seu proximiores considerando, & examinando satis aptum, & valde commodum Nobis visum fuit Hospitium B. Mariæ Virginis Gratiarum nuncupatum prope Portam Angelicam, & Palatium Nostrum Apostolicum S. Petri, quod sub protectione dilecti Filii Nostri Palatii Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, reperitur, & in quo de præsenti nonnulli pauci in numero existentes Eremitæ reperiuntur, quibus ad observantiam alicujus ex tribus substantialibus votis per alios Religiosos observari, seu profiteri debitis minime adstrictis tantummodo ex eorum Instituto onus quæstuandi eleemosynas pro substentatione tresdecim pauperum, recipiendi Infirmos, ad effectum illos ad Hospitalia transmittendi, & Eremitas per aliquod temporis spatium Hospitio recipiendi incumbit, illudque ad utrumque effectum satis capax, & sufficiens, ac ab aliis habitationibus sæcularium, & populari strepitu separatum, & divisum, existimamus.

Designatur Hospitium B. M. Virginis gratiarum prope Portā Angelicam, & Palarium Ap. S. Petri.

Institutum Eremitarum, qui in d. Hospitio degebant refertur.

§. 5. His igitur, & aliis de causis adducti valde utiliter de eo, ut infra, disponere cupientes eo magis, ut in illo antipuus, & pius usus receptionis Pauperum in receptione hujusmodi Pauperum conversorum, qui ex eo, quod Patriam, Parentes, Consanguineos, & bona ad orthodoxam Sanctam Fidem amplectendam relinquunt, & quo magis sufferunt adeo gravia incommoda pro amplectendis veræ Fidei dogmatibus eo magis misericordi, & paterno affectu Nostræ solicitudinis digniores efficiuntur, manuteneatur, seu quatenus opus sit magis atque magis renovetur, & augeatur, inibique Fidei Catholicæ Alumni recipi, & sublevari valeant quarumcumque aliarum literarum a Nobis quomodolibet in favorem Hospitii hujusmodi super erectione, aut alias a Nobis concessarum, seu emanatarum, etiam per viam confirmationis, necnon Instrumentorum in favorem hujusmodi Hospitii per quosvis celebra-

Pontifex de illo disponere intendit favore dd. Conversorum.

torum,

torum, aliorumque supradictorum tenores, etiam veriores, ac dat. præsentibus pro expressis habentes, ac omnes, & singulos ejusdem Hospitii Administratores, & Ministros, seu Deputatos, in eoque degentes, & inservientes, & eorumque singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Absolutio à Censuris.

Erectio novi Hospitii.

§. 6. Motu proprio, non ad alicujus Instantiam, sed ex Nostris scientia, liberalitate, & deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, præcipuamque illorum, qui, ut præfertur, veniunt ad Fidem, salutem, & commodum unum Hospitium sub invocatione B. Mariæ Virginis Gratiarum, & Sancti Michaelis Archangeli in prædicto Hospitio, seu Cœnobio Eremitarum ejusdem B. Mariæ Virginis Gratiarum ad Portam Angelicam, in quo ii, qui sponte venerunt ad Fidem Romanam advenientes gratuito, & urbane recipiantur, inibique per tempus designandum, & prout recipiendorum hujusmodi utilitas suaserit, & necessitas arbitrio Congregationis prædictæ duraturum, alantur, ut durante dicti temporis spatio cujuslibet illorum voluntas cuinam iidem, ut supra recepti, arti, seu exercitio, aut statui, qua, seu quo mediante, postquam e dicto Hospitio dimissi fuerint, sustentari possint, operam dare in mente, & intentione gerant, explorari valeat adhoc, ut facta per illos declaratione eorum voluntatis in ea arte, seu exercitio, aut statu, omni cura & sedulitate dirigi, & applicari possint.

Tempus quo Conversi ibi retineri debeant relinquitur arbitrio Congregationis.

Mandat Eremitas ibi tunc degentes non esse removendos.

§. 7. Eremitis in dicto Hospitio ad præsens & pro tempore degentibus minime remotis eorumque Instituto, & habitu, uti prius in suis juribus, & redditibus, aliisque observari solitis, semper, & perpetuo remanentibus, ac salva dicta protectione, sub qua, ut præfertur, eorum Hospitium, iidemque Eremitæ reperiuntur perpetuo erigimus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro illius dote, & manutentione, ac onerum sustentatione prædicta loca Montium, & Domum prædictam a dicta Natione Picena emptam, mediantibus prædictis summis per Nos, ut præfertur, erogatis, ac domunculam prope dictam Domum olim ejusdem Nationis emptam sub die prima Decembris Anno Domini 1674. per acta Nicolai Mazzeschi Notarii publici Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris majores in dies proventus favente Domino, assignaturi, ac etiam omnia, & quæcumque bona, redditus, eleemosynas eidem novo Hospitio a quibusvis Christifidelibus elargita, donata, & relicta, ac acquisita, quorum quantitates, qualitates, & valores pro expressis haberi volumus, ac quæ de cætero elargienda, donanda, & relinquenda ab eorumdem Christifidelium pietate, & charitate, ita quod liceat Congregationi prædictæ nomine dicti Hospitii, illorumque corporalem, realem, & actualem possessionem apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, cujusvis licentia desuper minime requisita, etiam perpetuo applicamus, & assignamus.

Dotem huic novo Hospitio assignat, prout in rub.

Declarat esse Membrum Palatii Apostol. & ab ipso omnino dependens.

§. 8. Ac idem novum Hospitium, cum illius Ecclesia, aliisque membris, & dependentiis, ac juribus, & bonis, in omnibus, & per omnia Palatii nostri Apostolici membrum efficimus, ac etiam ab eodem omnino dependere declaramus, ac semper, & quandocumque esse, & censeri, ac uti tale respici, & considerari volumus, & mandamus, illudque una cum supradictis, necnon Hospites, Ministros, illusque bona jurisdictioni moderni, & pro tempore existentis Palatii Apostolici Præfecti etiam perpetuo motu pari subjicimus, ponimus, & collocamus.

Subjicit Jurisdictioni Præfecti Palatii Apostolici.

§. 9. Quia vero pietas, prudentia, & fidelitas ejusdem Congregationis Nobis satis nota existit, administrationem illius, tam quoad regimen, disciplinam, & victum Hospitum, quam circa receptionem, & dimissionem illorum, & cujuslibet Ministrorum, necnon etiam reddituum, bonorum, aliorumque præmissorum, ut supra, & in alios usus convertentes, & erogantes, cum hoc tamen, quod vigore mandatorum Palatii Apostolici Præfecti, cui bis in quolibet Anno, & quoties ei magis libuerit, ratio administrationis reddituum hujusmodi reddi debeat eidem Congregationi, concedimus, & tribuimus, ac reservamus: & insuper eidem Congregationi pro felici directione, & gubernio ejusdem Hospitii per Nos erecti quæcumque statuta, & Ordinationes Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aliisque constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis minime contraria faciendi, decernendi, eaque cum opus fuerit, revocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ posteaquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta, ac de novo condita fuerint, perinde habeantur, & observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent, prout illa ab omnibus, ad quos spectabit, haberi, & inviolabiliter observari mandamus.

Committit administrationem illius Congregationi prout in rub.

Facultates Præfecti Palatii Apost.

Dat Congregationi facultatem condendi statuta.

§. 10. Et insuper eidem Hospitio, illiusque Hospitibus, & Ministris, aliisque personis in eo pro tempore degentibus, & existentibus, ut omnibus, & quibuscumque Privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & Indultis, quibus Palatium Nostrum Apostolicum, Nobisque, ac Romanis Pontificibus inibi inservientes, & assistentes, ac in eo degentes, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus quomodocumque utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si novum Hospitium hujusmodi, ac Ministri, & Hospites, & in eo degentes intra dicti Palatii limites permanerent, etiam concedimus, & indulgemus.

Cœdit omnia Privilegia, exemptiones, & Indulta quibus gaudent Palatium Ap. & Romanis Pontificib. pro tempore inservientes.

§. 11. Postremo, ut temporalibus commodis spiritualia quoque munera conjungamus, quibus Fidelium devotio eis munita crescere magis, & augeri possit de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus recipiendis Hospitibus destinatis, & Ministris, aliisque in d. Hospitio degentibus in ipso ingressu, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pias ad Deum preces pro hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, ac inter Christianos Principes facienda, & fovenda Pace, ac Romani Pontificis salute effuderint, ac etiam quos in eodem Hospitio decedere contigerit, si pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, si id commode fieri poterit, ac saltem contriti in eorum mortis articulo dulce nomen Jesu corde si ore nequierint devote invocando, plenariam omnium, & singulorum suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem perpetuo concedimus.

Indulgentia plen. omnibus recipiendis Hospitibus, & Ministris, aliisque in d Hospitio degentibus in ipso ingressu, prout in rubrica.

Item in dicto Hospitio decedentibus prout in rubrica.

§. 12. Decernentes prædicta omnia subsistere, necnon præsentes literas ex quovis capite, etiam juridico, & legitimo, pio, privilegiato,

Supplet omnes defectus,

speciali nota digno, ac de necessitate juris, vel facti omnino exprimendo, aut, alias nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ defectu, etiam forsan ex eo, quod in præmissis interesse habentes, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut adversus eas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium, seu oris aperitionem impetrari, vel etiam Motu simili concedi numquam posse, illasque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis, & in posterum emanandis minime comprehendi posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, eidemque Hospitio plenissime suffragari: sicque, & non alias in præmissis, & circa ea per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Exequutores designat.

§. 13. Quocirca dilectis filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac ejusdem Cameræ nostræ Thesaurario, necnon nostri Palatii Apostolici Auditori Decano, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, ubi, & quando pro parte ejusdem Hospitii Administratorum, & Ministrorum, seu Deputatorum pro tempore existentium, aut alicujus eorum requisiti fuerint solemniter publicantes, ac eis in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, & memoratos Hospitii Administratores, & Ministros, seu Deputatos prædictos, aliosque pro tempore interesse habentes hujusmodi, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Nos enim præfatis Auditori, Thesaurario, & Decano, & eorum cuilibet omnes, quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, citandi, illisque, & eorum cuilibet etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis inhibendi, Contradictores, servata forma Concilii Tridentini incidisse declarandi, gravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii Sæcularis, etiam ad hoc, si opus fuerit invocandi, aliaque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus.

Contrariis latissime derogat.

§. 14. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, fel. rec. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri de regiſtrandis gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus, necnon Regula nostra, seu mandato de non tollendo jure quæsito, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, aliisque specialibus, vel generalibus Conciliis editis, vel edendis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Hospitalium, & Xenodochiorum Urbis, & Congregationis Eremitarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, & eorum cuilibet, & quibusvis aliis Superioribus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium præmissorum, ac etiam in favorem aliorum Hospitiorum, aliorumque Superiorum, & Personarum in genere, vel in specie quomodolibet, etiam pluries concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac etiam de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime, & validissime, ac specialiter, & expresse motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, ac quatenus opus sit piæ me. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas ad judicium vigore præsentium non trahatur, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 15. Volumus autem, quod præsentium transumptis eadem prorsus fides adhibeatur, tam in Judicio, quam extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, assignationis, subjectionis, exemptionis, liberationis, concessionis, communicationis, Indulti, Constitutionis, deputationis, Decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 30. Mar. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1675. tertio Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

G. Card. Prodatarius.

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LXXXIV.

Confirmatio, & innovatio Privilegiorum per Julium III., Gregorium XIII., Clemen. VIII., Gregorium XV., & Clemen. IX., Collegio Germanico, & Hungarico de Urbe concessorum cum prohibitione Episcopo Lauden. ne in Ecclesia Parochiali, & Monasterio Sancti Petri Laudi Veteris Ordinis S. Benedicti, ejusque annexis, & dependentibus olim plenarie unitum eidem Collegio ullam potestatem, aut jurisdictionem tam ordinariam, quam delegatam exerceat usque ad beneplacitum S. Sedis, translata interim Jurisdictione hujusmodi in Metropolitanum Mediolanensis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Gregor. XIII. Monasterii S. Petri Laudi Veteris Ord. S. Benedicti Lauden.

EXposuerunt nobis nuper Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe Protectores, quod licet dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. præ-

Diæc. univit Collegio Germanico.

decessor noster Monasterium S. Petri Laudi Veteris Ordinis S. Benedicti Lauden. Diœc. quod Conventu Regulari carebat, & in quo præter Vicarium perpetuum, qui curam animarum Parochianorum illius Ecclesiæ, quæ etiam Parochialis erat, exercebat, alii duo, vel tres Servientes presbyteri Sæculares dumtaxat, iisque ad nutum amovibiles, ad celebranda ibi divina Officia, residebant (nomine tantum, & denominatione Abbatis, ac dignitate Abbatiali, nec non Ordine, ac omni statu, & essentia, Regularibus, auctoritate Apostolica, perpetuo suppressis, & extinctis) cum Ecclesia, ædibus, ædificiis, proprietatibus, prædiis, possessionibus, bonis, juribus, jurisdictionibus, & actionibus, ac illi annexis quibuscumque d. Collegio eadem auctoritate sub certis modo, & forma tunc expressis eisdem perpetuo univerit, annexuerit, & incorporaverit, perpetuamque in eadem Ecclesia Vicariam cum dote congrua pro uno Vicario perpetuo, qui curam Animarum dd. Parochianorum exerceret, erexerit, & instituerit.

In Ecclesia Parochiali d. Monasterii erexit Vicariam perpetuam.

Exemptio Collegii Germanici.

D. Greg. XIII. Cardinales d. Collegii, personarum, & bonorum Protectores constituit cum facultatibus, prout in rub.

§. 1. Et subinde postquam tam rec. me. Julius Papa III. etiam prædecessor noster, quam prædictis Gregorius prædecessor Collegium prædictum, ac illius Scholares, & ministros pro tempore existentes, eorumque bona in d. Urbe, vel extra eam ubicumque locorum consistentia ab omni jurisdictione & correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate quorumcumque Judicum, & Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes, & exemptos, ac libera, immunia, & exempta fecerant, & constituerant, necnon eos, & ea sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione susceperant; dictusque Gregorius prædecessor nonnullos in humanis agentes ejusdem S. R. E. Cardinales dicti Collegii, ejusque Collegialium, ac personarum, & bonorum quorumcumque Protectores constituerat, & deputaverat, illisque omnes, & singulas causas civiles, & criminales, meras, & mixtas dicti Collegii, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorum, aliorumque Ministrorum, & Officialium pro tempore existentium in rebus, & bonis Collegium supradictum, ac illius res, jura, & actiones, ac bona concernen. tam active, quam passive per seipsos, aut alium, seu alios, qui eis viderentur etiam manu regia, ac omni, & quacumque appellatione remota audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, aliaque faciendi, & exequendi liberam facultatem concesserat:

Ampliatio d. exemptionis facta per Clementem VIII.

§. 2. Piæ me. Clemens Papa VIII. prædecessor noster ad tollendam tunc exortam quandam dubietatem Motu proprio, ac ex certa scientia, atque Apostolicæ potestatis plenitudine statuerit, & ordinaverit, & ita etiam prædictorum prædecessorum mentem, & intentionem fuisse declaraverit, quod præter prædictos Collegii Germanici, & Hungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque auctoritate, privilegio, & facultate munitus, tam Ecclesiasticus, quam Sæcularis, ac tam Ordinarius, quam Delegatus, tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, & negotiis ad Collegium prædictum, illiusque personas, res, & bona, ac jura quomodolibet ex quovis Capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris, sive active, sive passive, tam in prima, quam in secunda, & ulteriori instantia quomodolibet exercere valeret; sed quod omnis jurisdictio, & superioritas in omnibus, & singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus, & criminalibus, meris, & mixtis ipsum Collegium, ac illius Scholares, Ministros, officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura quæcumque, aut alias quomodolibet concernentibus ad prædictos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices, deputatum, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure, & in quacumque instantia, etiam privative quoad omnes alios quoscumque Judices, etiam quoad illarum finalem, & totalem executionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque Judicibus introductas, & pendentes reassumendi, ac illis inhibendi, aliisque facultatibus, clausulis, & decretis in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper expeditis latius contentis, & expressis.

Privilegia Collegii Germanici referuntur.

§. 3. Ac postmodum accepto per similis rec. Greg. Papam XV. etiam prædecessorem nostrum, quod licet stantibus præmissis, omnis jurisdictio, & superioritas in singulis causis hujusmodi Protectoribus prædictis competere nosceretur, ac etiam præfatus Gregorius XIII. prædecessor per alias suas literas spiritualem jurisdictionem, & animarum curam, quam Ecclesiæ d. Collegio unitæ habebant, totam ad ipsius Collegii Protectores pertinere, & siquid forte in prædicti Collegii Constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret, vel ambiguum, id Protectores, & Superiores prædictos re mature deliberata ex communi omnium consensu supplere, & declarare, ac ad alia extendere posse voluisset, & desuper Collegium, illiusque Protectores Collegiales, personæ, & ministri hujusmodi molestari non deberent; nihilominus nonnulli contra mentem, & intentionem prædecessorum prædictorum se se in jurisdictione hujusmodi intromittere præsumebant, & procurabant, ac tunc forte lites desuper introductæ reperiebantur:

Dubia exorta super hujusmodi Jurisdictione.

Gregor. XV. omnia antedicta Privilegia confirmavit, & lites super eis introductas extinguit.

§. 4. Ipse Gregorius XV. prædecessor in præmissis omnem dubitandi occasionem tollere volens, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus prævia privilegiorum anteriorum confirmatione, ac quarumcumque litium, & causarum super præmissis, seu eorum aliquo quomodolibet introductarum, ac etiam in Auditoris causarum Palatii Apostolici vel alibi coram quibuscumque Judicibus pendentium avocatione, illarumque suppressione, & extinctione, ac perpetui silentii impositione inter alia statuerit, & ordinaverit, & ita eorumdem prædecessorum, & suæ mentis, & intentionis fuisse, & esse declaraverit, quod præter prædictos, & pro tempore existentes Collegii Germanici, & Hungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, & facultate munitus, tam Ecclesiasticus quam Sæcularis, ac tam Ordinarius quam delegatus, tam in dicta Urbe quam extra eam in causis, & negotiis ad præfatum Collegium, illiusque personas quascumque res, bona & jura ex quovis capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem jurisdictionis, tam civilis, quam criminalis, tam circa res, bona, & jura ipsius Collegii, quam illius personas:

Aliæ ejusdem Pontificis Declarationes referuntur.

§. 5. Necnon Parochiales, ac sine cura Ecclesias, seu Cappellas, Cappellanias, & Beneficia quæcumque dicto Collegio quomodolibet unita, seu annexa, aut ab eo ratione Monasteriorum, Prioratuum, seu Ecclesiarum ipsi incorporatarum quocumque modo dependentia, ac Presbyteros, Vicarios, Cappellanos, & Ministros quomodolibet nuncupatos illis pro tempore etiam in cura, & exercitio Parochialibus, ac divinis deservientes ad nutum Protectorum, vel aliorum Superiorum, aut Collegialium d. Collegii, prævia tamen Ordinarii approbatione, ponendos, & amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercere posset, & valeret:

§. 6. Curamque omnium, & singularum Ecclesiarum Parochialium, & Curatarum ad prædictum Collegium quomodolibet spectan-

tium ab omnimoda jurisdictione, superioritate, & Dominio quorumcumque Ordinariorum penitus, & omnino (præterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis) perpetuo exemetit, & liberaverit, ac omnem jurisdictionem, & superioritatem in omnibus, & singulis causis suprascriptis, & aliis quibuscumque civilibus, & criminalibus, meris, & mixtis ipsum Collegium, & ejus Scholares, ac Ecclesias eidem Collegio unitas, Ministros, Officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura, & Curam animarum, illiusque exercitium, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad præfatos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices deputatum, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure in quacumque instantia, & privative quoad Vicarium Urbis, & quoscumque locorum Ordinarios, & omnes alios quoscumque Judices prædictos etiam quoad illarum totalem, & finalem executionem, cum diversis facultatibus spectare, & pertinere in omnibus, & per omnia perpetuo debere voluerit, seu indulserit, eisque liberam, plenam, amplam, & omnimodam desuper facultatem, & auctoritatem impertitus fuerit:

Clemens IX. omnia supradicta Privilegia pariter motu proprio confirmavit.

§. 7. Licet quoque similis me. Clemens Papa Nonus pariter prædecessor Noster omnia, & singula privilegia, facultates, jurisdictiones, superioritates, prærogativas, gratias, & indulta memorato Collegio, ejusque personis, rebus, & bonis, ac S. R. E. prædictæ Cardinalibus ejusdem Collegii Protectoribus, ac alias quomodolibet a præfatis Julio III., Gregorio XIII., Clemente VIII., & Gregorio XV. prædecessoribus per eorum literas super præmissis emanatas respective concessa, & attributa, & confirmata, & approbata, dictasque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, ac inde legitime secutis, & secuturis quibuscumque motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus perpetuo approbaverit, & confirmaverit, & memoratos Cardinales dicti Collegii Protectores tunc, & pro tempore quandocumque existentes omnem superioritatem, omnemque jurisdictionem eis, sicut præmittitur concessam, & attributam in quibusvis causis, litibus, & controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, & mixtis, etiam privative quoad omnes, & singulos Judices supradictos, & alias in omnibus, & per omnia, prout in literis d. Gregor. XV. prædecessoris expressum est, circa Ecclesias, & Monasteria, & signanter circa supradictum S. Petri Laudi veteris Lauden. Diœc. eorumque Ecclesias, Cappellas, Cappellanias, & Beneficia, ac membra, expendentia, bona, prædia, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque dicto Collegio dudum Apostolica auctoritate perpetuo unita, annexa, & incorporata, & ab eo quomodolibet expendentia, ac in alia quæcumque Monasteria, Prioratus, & Ecclesias, & Beneficia, quæ eidem Collegio pari auctoritate in futurum quandocumque uniri, annecti, & incorporari contingeret, eorumque respective personas, Presbyteros, Cappellanos, Vicarios, & Ministros quoslibet libere, ac sine ullo prorsus impedimento exercere, cæteraque omnia eis per præfatas literas quovis modo concessa facere, & exequi posse, ac debere motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus decreverit, & declaraverit:

Alia declaratio præd. Pontificis.

§. 8. Ac demum Nos motu similiter proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfata omnia, & singula privilegia, facultates, Jurisdictiones, superioritates, prærogativas, gratias, & indulta prædicto Collegio ejusque personis, rebus, & bonis, ac Cardinalibus illius Protectoribus, & alias quomodolibet concessa, & attributa, ac confirmata, & approbata pariformiter cum omnibus inde legitime secutis, & secuturis approbaverimus, & confirmaverimus, ac innovaverimus, rataque, & grata habuerimus, ac illis omnibus, & singulis perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjecerimus, & alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis die 3. Novembris proxime præteriti, ac singulis prædecessorum prædictorum super præmissis respective expeditis literis, quarum omnium, & singularum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Summus Pontifex omnia suprad. Privilegia pariter motu proprio confirmavit, & approbavit.

§. 9. Nihilominus Venerabilis Frater Bartholomæus Episcopus Lauden. non attentis, nec ea qua decet reverentia servatis privilegiis, & facultatibus hujusmodi eisdem Cardinalibus Protectoribus per præfatos Romanos Pontifices Nostros, ut præfertur, concessis, & per Nos confirmatis, & innovatis, ipsorum Cardinalium Protectorum, ac Judicum ab eis deputatorum jurisdictionem perturbare, ac Vicarii, & Cappellanorum ad exercendam in supradicta Parochiali Ecclesia S. Petri Laudi veteris animarum curam, necnon concionatoris ad prædicandum ibidem Verbum Dei deputationem ad se spectare prætendit, ac concionatori per eosdem Cardinales Protectores, seu eorum jussu, vel auctoritate deputato benedictionem concedere recusavit, itaut anno proxime præterito millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto ad Ven. Fratrem Archiepisc. Mediolan. Metropolitanum recursum haberi oportuerit, qui benedictionem concionatori sic deputato concessit, & ipse concionator subinde Sacr. Conciones in eadem Ecclesia habuit.

Attentata Episcopi Lauden.

Concionatori ibidem deputato ad prædicandū a dd. Cardinalibus Protectoribus benedictionē concedere recusavit.

Pro hujusmodi effectu mittitur ad Archiepiscopum Mediolanen.

§. 10. Quinimo idem Bartholomæus Episc. dilectum Filium Jo. Baptistam Manusardum Ecclesiæ S. Petri eidem Collegio unitæ Cappellanum, qui dum Procurator dicti Collegii literas Nostras prædictas super confirmatione, ac innovatione privilegiorum hujusmodi emanatas, necnon literas deputationis de persona dilecti Filii Caroli Francisci Cevæ Canonici Ecclesiæ Mediolan. in Judicem Monasterii, ac Parochialis Ecclesiæ hujusmodi, eisque annexorum a prædictis Cardinalibus Protectoribus factæ in actis ejus Curiæ Episcopalis Lauden. insinuabat præsens aderat, sub certis prætextibus capi, ac maletractari, & in carcerem detrudi curavit, & subinde visitationem dictæ Ecclesiæ Parochialis, ejusque Cappellarum, seu Oratoriorum ab illa dependentium, seu intra illius fines consistentium, ac personarum illis inservientium, quam dilectus Filius Carolus Franciscus Ceva Judex ab eisdem Cardinalibus deputatus illorum jussu obibat per suos Ministros turbare;

Novum attētatum præd. Episcopi.

§. 11. Ac ipse postmodum assumpta militari manu, & velut insultabundus eamdem Parochialem Ecclesiam, illiusque Presbyteros, seu Cappellanos, & personas modis incongruis visitare, eisque terrorem incutere, & qui ad ejus mandatum se se ejus violentiis non sistebant a divinis suspendere, seu ut se sisterent sub pœna suspensionis a divinis hujusmodi mandare, ac interdictum, quod dictus Carolus Franciscus Judex a prædictis Cardinalibus Protectoribus deputatus propter excessus a Confratribus cujusdam Confraternitatis intra limites prædictæ Parochialis Ecclesiæ erectæ commissos canonice tulerat, violare, seu violari curare, aliosque excessus committere præsumpsit, in gravissimum Collegii prædicti detrimentum, ac jurisdictionis, & potestatis dictis Cardinalibus Protectoribus

Aliud consimile attentatum.

Aliud consimile attentatum.

Interdicti violatio.

tectoribus ab Apostolica Sede attributa vilipendium, contemptum, necnon in libertatis, & immunitatis Ecclesiæ damnum, præjudicium, & gravamen:

Preces Cardinalium Protectorum.

§. 12. Nobis propterea dd. Cardinales Protectores humiliter supplicarunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ne interea dum super præmissis, & illorum occasione inter præfatos Cardinales Protectores ex una, ac dictum Bartholomæum Episcopum ex altera partibus disceptatur, alia, & forsan graviora nascantur incommoda, ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito providere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac præfatis, aliisque justis, & rationabilibus ex causis nobis notis adducti, & controversiarum hujusmodi, litiumque desuper forsan exortarum, & pendentium statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, ut pendentibus controversiis, seu litibus hujusmodi, & interim ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum pro parte eorumdem modernorum, & pro tempore existentium dicti Collegii Protectorum, ac Vicariorum, seu Provicariorum, aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, & Ministrorum quorumcumque ad curam animarum, ac Divina Officia in supradicta Ecclesia Parochiali, illique annexis, ac intra illius fines consistentibus, & a prædicto Monasterio quomodolibet dependentibus Ecclesiis, seu Cappellis, & Oratoriis, aliisque locis piis quibuscumque exercenda, & obeunda respective, necnon Concionatorum ad verbum Dei inibi prædicandum per eosdem Cardinales deputatorum, & deputandorum pro ipsorum Vicariorum, seu Provicariorum aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, & Ministrorum approbatione, pastoralique benedictione per Concionatores hujusmodi obtinenda, ac pro aliis, si quæ sint pro quibus ad memoratum Bartholomæum Episcopum Lauden. etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegatum, ac etiam juxta prædictorum privilegiorum, & literarum Apostolicarum tenorem, & dispositionem recurrendum esset, non ad dictum Bartholomæum, seu pro tempore existentem Episcopum Lauden. sed ad Venerabilem Fratrem modernum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Mediolanen. Metropolitanum recurri libere, & licite posset, & debeat.

Provisio capta per Papã ad suum, & S. Sedis beneplacitum durante hac controversia.

§. 13. Itaut idem Archiepiscopus Vicarios, seu Provicarios, aliosque Presbyteros, seu Cappellanos, & Ministros hujusmodi approbare, pastoralem Concionatoribus prædictis benedictionem impertiri, aliaque præmissa facere, & exequi valeat in omnibus & per omnia, perinde ac si loci Ordinarius existeret, auctoritate Apostolica tenore præsentium, sine ullo tamen partium præfatarum, aut alterius earum præjudicio, concedimus, & indulgemus. Nos enim eidem moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo præmissa omnia, & singula faciendi, & exequendi, ac etiam præfatos Presbyteros, seu Cappellanos, aliosque Clericos dictæ Parochiali Ecclesiæ, aliisque Ecclesiis, Cappellis, & Oratoriis a dicto Monasterio dependentibus inservientes a prædictæ suspensionis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis in eos a dicto Bartholomæo Episcopo propter præmissa, seu illorum occasione quomodolibet latis, seu comminatis, quatenus opus sit absolvendi, & totaliter liberandi, ac eis desuper opportune dispensandi, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, ac executioni mandari curandi, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem durante beneplacito hujusmodi dumtaxat duraturam eadem auctoritate harum serie concedimus, & impertimur.

Committit Archiepiscop. Mediolanen. omnia gerere, quæ posset ibidem Episcopis Lauden.

§. 14. Districte propterea inhibentes tam dicto Bartholomæo, & pro tempore existenti Episcopo Lauden. sub interdicti ingressus Ecclesiæ, quam ejus Vicariis, Procuratoribus, Fiscalibus, Actuariis, Notariis, Bariscellis, aliisque ejus Curiæ Episcopalis Ministris, & Officialibus quibuscumque nunc, & pro tempore existentibus sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione incurren., & indignationis Nostræ, aliisque Nostro, & pro tempore existen. Rom. Pontific. arbitrio imponendis pœnis ne d. beneplacito durante se se in visitatione, correctione, jurisdictione, cura, & gubernio, superioritate, aliave quacumque, tam ordinaria, quam delegata potestate, & auctoritate super præfatam Ecclesiam S. Petri Laudi veteris, aliasque Ecclesias, seu Cappellas a præfato Monasterio quomodolibet dependentes, ac Oratoria intra fines ejusdem Parochialis Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi existentia, & Confraternitates laicorum in eis erectas, aut electione, deputatione, examine, approbatione Vicariorum, seu Provicariorum, aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, aut Clericorum, aliorumque Ministrorum, & Concionatorum ibidem nunc, & pro tempore curam animarum ad Divina Officia, aliasque functiones Ecclesiasticas, & Verbi Dei prædicationem respective obeuntium, seu exercentium, ipsorumque Concionatorum benedictione, aliisque quibuslibet actibus jurisdictionalibus se se ullo modo ingerere, aut jurisdictionem quamcumque, seu auctoritatem, & potestatem etiam delegatam ibidem, seu contra personas prædictas exercere, ullumve actum jurisdictionalem facere, aut Vicarios, seu Provicarios, Presbyteros, Cappellanos, Concionatores, aliosque Ministros Collegii prædicti quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio, directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet molestare, perturbare, vel inquietare audeant quovis modo, seu præsumant.

Prohibitio facta Episcopo Lauden.

§. 15. Ac decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Bartholomæus Episcopus, & alii præfati, seu alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquod jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, aut justificatæ fuerint, vel ex alia quacumque etiam quantavis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, & incogitato, ac inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo minime posse, sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit

Præsentium literarum observantiam demandat, ac supplet omnes quoscumque defectus.

in

in futurum pleniſſime ſuffragari, ac ab eis reſpective in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, & adimpleri.

Decretum irritans.

§. 16. Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuſcumque contrariis ampliſſime derogat.

§. 17. Non obſtantibus quarumcumque litium pendentia, aliiſque præmiſſis, ac quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſve Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibus vis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtylis, & uſibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis etiam Eccleſiæ Lauden. ejuſque Præſulibus, & aliis perſonis quibuſlibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in contrarium præmiſſorum in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales eidem importantes mentio, ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. 9. April. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 9. Aprilis 1675. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

I. G. Sluſius.

LXXXV.

Exemptio Antonii Vieyra Luſitani Presbyteri Regularis Societatis Jeſu ad ejus vitam a quacumque Juriſdictione Tribunalis S. Officii Portugalliæ, ac immediate ſubjecto Congregationi S. Officii de Urbe in quibuſdam cauſis ad d. Tribunal ſpectantibus, quæ con. d. Vieyra ex quacumque cauſa moveri poſſent in d. Tribunali S. Officii Portugalliæ.

Dilecto Filio Antonio Vieyra Luſitano Presbytero Regulari Societatis JESU.

Edit. An D. 1675.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

REligionis zelus, ſacrarum literarum ſcientia, vitæ, & morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita Nos adducunt, ut quieti tuæ benigne conſultum velimus. Cum itaque (ſicut accepimus) Tu, qui Presbyter Regularis Societatis Jeſu exiſtis, ac in alma Urbe noſtra de præſenti degis, ejuſdem Urbis aerem temperamento tuo contrarium experiaris; ac proinde jam gravis annis, & nonnullis corporis infirmitatibus obnoxius, pericula valetudini tuæ imminentia præveniendi gratia in Luſitaniam Patriam tuam prope diem, benedicente Deo, reverti intendas:

Abſolutio a Cenſuris.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos juſtis de cauſis animum Noſtrum moventibus religioſæ tranquillitati, atque ſecuritati tuæ, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Te a quacumque Juriſdictione, poteſtate, & auctoritate Venerabilis Fratris Petri Archiepiſcopi Sinden. Generalis, ac dilectorum Filiorum reliquorum Inquiſitorum adverſus hæreticam, & apoſtaticam a Chriſtiana Religione, ſideque Catholica pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate Apoſtolica deputatorum nunc, & pro tempore exiſtentium, illorumque reſpective Vicariorum, Commiſſariorum, Aſſeſſorum, cæterorumque Officialium, & Miniſtrorum quorumcumque, itaut illis tam conjunctim, quam diviſim, eorumque quilibet ex quacumque cauſa, etiam ſpecifica, & individua mentione digna, ac de neceſſitate ſpecialiter exprimenda, tam de præſenti, quam de præterito, vel de futuro nullam in ſe juriſdictionem, poteſtatem, vel auctoritatem exercere, nullumque actum juriſdictionalem, ſive judicialem, ſive extrajudicialem contra Te facere, decernere, mandare, vel exequi; neque Te quovis quæſito colore, prætextu, ingenio, cauſa, vel occaſione, directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet moleſtare, perturbare, vel inquietare poſſint, tenore præſentium ad tui vitam plenarie eximimus, & totaliter liberamus, ac exemptum, & liberum eſſe, & fore decernimus, & declaramus.

Exemptio Antonii Vieyra Societatis Jeſu a Juriſdictione Inquiſitionum Regni Portugal. & Algarb.

§. 2. Teque in omnibus, & quibuſcumque Cauſis ad Tribunal S. Officii Inquiſitionis hæreticæ, & apoſtaticæ pravitatis quomodolibet ſpectantibus, quæ contra te ex quacumque ratione, ſeu cauſa, etiam, ut præfertur de neceſſitate ſpecifice, & in individuo exprimenda tam de præſenti, quam de præterito, & de futuro ſeu alias quomodolibet moveri, ſeu intentari poſſent, ac etiam forſan in Tribunali S. Officii Inquiſitionis dd. Regnorum jam motis, & intentatis immediatæ juriſdictioni, poteſtati, & auctoritati Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana generalium Inquiſitorum adverſus hæreticam, & apoſtaticam pravitatem hujuſmodi ab hac Sancta Sede ſpecialiter deputatorum, coram qua dumtaxat in omnibus, & ſingulis Cauſis prædictis, tenearis de Juſtitia reſpondere, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus itidem ad tui vitam harum ſerie ſubjicimus, & ſupponimus, ac ſubjectum, & ſuppoſitum eſſe, & fore decernimus ſimiliter, & declaramus.

Eum ſubjecit ſupremæ, & Generali Inquiſitioni Urbis.

§. 3. Decernentes pariter eaſdem præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Generalis, & alii Inquiſitores, cæterique præfati, & alii quicumque, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, neque Cauſæ propter quas præſentes emana-

Supplet omnes defectus.

verint

verint adductæ, specificatæ, verificatæ vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, detrectari, vel invalidari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon Generalem, cæterosque Inquisitores præfatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari: & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis ampliſſime derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis etiam in favorem S. Officii Regnorum præfatorum, illiusque Inquisitorum, etiam generalium, & Officialium, & Ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciobus, efficaciſſimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & quantiscumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac pleniſſime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto. Dat. 17. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. 5. Brevium diversor. fol. 343.

Alia absolutio Joannis Baptistæ Sauvage, & Francisci Perinet Canonicorum Ecclesiæ Bisuntin., a censuris, & pœnis quibus propter temerariam electionem Decani dictæ Ecclesiæ ab Alexandro VII. innodati, & de ejus ordine, & mandato denunciati fuerant. LXXXIV.

Seriem hujusmodi Censurarum, & pœnarum, necnon causas, ob quas latæ fuerunt, videas in Constitutione hujus Pontificis incipien. Alias postquam.

VEN. FRATRI PETRO ARCHIEPISC. BISUNTIN.

CLEMENS PAPA X.

Edita An. D. 1675.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm Nos per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 16. Novembris proxime præteriti expeditas literas Tibi dederimus in mandatis, ut quatuor ibidem nominatos Canonicos istius Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin., qui una cum aliis ejusdem Ecclesiæ Canonicis dudum Decanatus Dignitate prima post Pontificalem in Ecclesia hujusmodi per promotionem bon. mem. Joannis Jacobi Fauche de Domprel ad dictam Ecclesiam Bisuntin. Pastoris solatio tunc destitutam a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore Nostro factam vacante, & per eumdem Alexandrum prædecessorem suæ dispositioni specialiter reservata, contra ipsius Alexandri prædecessoris mandata eis intimata Guillelmum Humbertum a Præcipiano in Decanum ejusdem Ecclesiæ nulliter, ac temerarie eligere, & illum in possessiónem Decanatus hujusmodi intrudere, aliosque excessus committere ausi fuerant, eaque de causa ab ipso Alexandro prædecessore per quasdam suas pariter in forma Brevis literas diversis censuris, & pœnis Ecclesiasticis innodati, dictique Alexandri Prædecessoris jussu publice denunciati, nec unquam a censuris, & pœnis hujusmodi canonice absoluti, sed illis adhuc illaqueati reperiebantur, attenta eorum persistentia de dicta electione sic per eos temerarie facta, quam uti a Sede Apostolica damnatam damnaverant, & damnabant, & quantum in ipsis erat retractaverant, & retractabant cum juramento, quod dictum Guillelmum Humbertum in legitimum Decanum nunquam agnituri, sed pro tali dilectum filium Joannem de Watteville a Sede Apostolica de dicto Decanatu legitime provisum habituri essent, a censuris, & pœnis hujusmodi auctoritate nostra Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis absolveres, & cum eis opportune dispensares, & alias prout in eisdem nostris literis, quarum, ac præfatarum Alexandri prædecessoris literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces.

§. 1. Et sicut pro parte Joannis Baptistæ Sauvage, & Francisci Perinet Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Bisuntin. Nobis nuper expositum fuit, ipsi quoque de præfatis excessibus plurimum dolentes, ac sincero corde, & reverenti gratiam hujus S. Sedis humiliter implorantes, parati sunt coram Te confiteri, & declarare, se ex animo pœni-

pœnitere dictæ electionis ab ipsis factæ die 23. Augusti 1661. de Persona præfati Guillelmi Humberti a Præcipiano in Decanum dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin., eamque electionem, uti a Sede Apostolica damnatam, damnare, & reprobare, ac quantum in ipsis est illam, omniaque contra Sedis Apostolicæ jussa inde secuta retractare, ac polliceri, & jurare, se eumdem Guillelmum Humbertum nunquam agnituros in legitimum Decanum, sed pro tali habituros memoratum Joannem de Watteville a Sede Apostolica legitime provisum de dicto Decanatu, ac proinde sibi pariter de absolutionis beneficio, & dispensationis gratia, in præmissis a Nobis provideri summopere desiderent:

Benignitas Sedis Apost.

§. 2. Nos qui illius vices gerimus in terris, cujus proprium est misereri semper, & parcere, attendentes, quod dictæ Sedis Apostolicæ copiosa benignitas filiis post excessum ad matris charitatem cum humilitate recurrentibus gremium minime claudere, sed eos obviis ulnis amplecti consuevit, ac proinde eosdem exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis, præterquam præmissorum occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito Tibi de narratis, eosdem Joannem Baptistam Sauvage, & Franciscum Perinet, si hoc a Te humiliter petierint, impositis eorum singulis pro præmissis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, ac facta prius per eos coram Te declaratione pœnitentiæ de dicta electione per eos, ut præfertur facta, ipsaque electione cum omnibus inde contra dictæ Sedis Apostolicæ jussa secutis damnata, reprobata, & quantum in ipsis fuerit retractata; necnon præstito per eos in manibus tuis juramento, quod præfatum Guillelmum Humbertum a Præcipiano in Decanum dictæ Ecclesiæ Bisuntin. nunquam agnituri, sed dictum Joannem de Watteville pro legitimo Decano ejusdem Ecclesiæ agnituri sint, confectoque super his publico Instrumento, quod tuo sigillo clausum, & obsignatum ad Nos, & hanc S. Sedem quam primum transmitti debeat; ab excommunicatione, ac suspensione, ab executione Sanctorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque Officiorum, ac privatione vocis activæ, & passivæ, & omnium fructuum eorum Præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac quotidianarum etiam distributionum, aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostra Apostolica arbitrio pariter tuo in utroque foro absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas, necnon fructus, & distributiones hujusmodi per eos propter eadem præmissa forsan indebite perceptos, ita tamen ut fructus quidem, qui juxta præfatarum Alexandri prædecessoris literarum dispositionem in pauperum eleemosynas distributi, & erogati fuerint, distributiones vero, quæ cæteris Ecclesiæ deservientibus accreverint & inter eos etiam distributæ reperientur, repetere nullo modo possint, eis, & eorum cuilibet dicta auctoritate gratiose remittas, & condones.

Absolutio a Censuris ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum.

Committit Archiepiscopo Bisuntino eorum absolutionem, & sub qua forma.

Condonatio fructuum, & distributionum, prout in rubrica.

Dispensatio super irregularitate hac occasione contracta.

§. 3. Ac cum eis, & eorum quolibet super irregularitate per eos qui a censuris hujusmodi propter præmissa innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia divina Officia celebraverunt, & alias in Ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contracta, itaut illa, & iisdem præmissis non obstan., dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter alias rite minoribus, & sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant respective, ac ad alium quemcumque effectum, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignum, auctoritate, & arbitrio præfatis dispenses, omnemque inhabilitatis, & aliam quamcumque maculam, sive notam contra eos ex præmissis quomodolibet insurgentem, seu resultantem ab eis, eorumque quolibet penitus, & omnino abstergas, & aboleas: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem Tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur.

prout in rubrica.

Ab eis omnem inhabilitatis, & aliam quamcumque maculam abstergat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis Alexandri Prædecessoris, & Nostris respective concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cæterum non intendimus per præsentes literas cuiquam eorum, qui a præfatis Joanne Baptista, & Francisco Canonicis earumdem præsentium vigore absolvendis, seu eorum aliquo ex causa, seu electionis supradictæ, seu eorum quæ inde secuta sunt, aut emerserunt, aliquo damno, vel detrimento affecti fuerint, ullum, etiam minimum, præjudicium inferre, aut inde quoquomodo inferri posse, sed unicuique jura sua salva, & illæsa remanere declaramus.

Per præsentes literas non intendit præjudicare eis, qui a Canonicis absolvendis aliquo damno affecti fuerunt.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. April. 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 19. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Registr. in Secr. Brev. in lib. 5. diver. fol. 267.

Confirmatio Decreti Congregationis SS. Rituum ne liceat Fratribus Trinitariis Redemptionis Captivorum habere Imagines cum eorum habitu depictas, vel sculptas B. Petri Paschasii Martyris Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

LXXXV.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab instantia Frat. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

NUper ad instantiam dilecti filii Mathiæ de Cordona Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Valentina Censurarum, & picturarum pro parte, & ad instantiam Patris Magistri Fratris Mathiæ de Cordona Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, tam nomine proprio, quam suæ Religionis instatum fuit apud Sac. Rituum Congregationem pro relaxatione Censurarum contra Patres Conventus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Civitatis Valentiæ, eo quod habuerunt recursum ad Judices laicos Tribunalis Valentiæ, & ab eo inhibitionem extraxerunt contra prædictos Patres de Mercede ad impediendum ne isti uterentur decretis ejusdem Sacræ Congregationis, & Brevibus Aposto-

licis

licis pro celebratione diei Festi Beati Petri Paschasii Martyris olim Episcopi Giennen., & Religiosi Professi Ordinis de Mercede depicti, & sculpti a præfatis Fratribus Trinitariis in eorum habitu.

Contraria instantia Fratr. Trinitariorum.

§. 1. Et viceversa supplicantibus Patribus Trinitariis præfatis (absolutis prius a censuris & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet propter recursus habitos ad Judices laicos) pro concessione literarum Remissorialium, & Compulsorialium ad effectum ser. ser. examinandi Testes, & compulsandi scripturas, tam respectu possessorii, quam petitorii, & probandi Beatum Petrum Paschasium prædictum fuisse filium Religionis Trinitariæ, & alias latius, prout ex rationibus tam in facto, quam in Jure ab utraque parte hinc inde plene informante allegatis deductis, atque discussis proponente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Portocarrero:

Decretum Congregationis SS. Rituum.

§. 2. Et eadem Sacra Congregatio inhærendo decretis alias in causa prædicti Beati editis tertia Septembr. 1661., & trigesima Maji 1670. censuit literas Remissoriales non esse concedendas, & picturas dicti Beati Petri Paschasii depictas, & sculptas a prædictis Fratribus Trinitariorum in horum habitu esse delendas, & ita declaravit, atque decrevit die trigesima Martii 1675. V. Episcopus Portuen. Cardinalis Carpineus loco ✠ Sigilli.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

§. 3. Cum autem sicut dictus Mathias Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Mathiæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Absolutio a Censuris.

Confirmatio Apost. suprad. Decreti salva tamen auctoritate ejusdem S. Congregationis.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 20. Apr. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Sluse.

Statutum, ut in Congregatione Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti omnino serventur Constitutiones, & literæ Apostolicæ circa promotiones ad Abbatias titulares, ac Decanatus gradum; necnon Decanorum numerum, & promovendorum qualitates de cætero exacte, & inviolabiliter observari debere; nec expectativas ad Prioratus, & Abbatias aliasque dignitates, vel gradus dictæ Congregationis primo vacaturos cuiquam posthac nullo modo concedi posse.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Clementiæ abundantiam constituti, ad ea peculiares vigilantiæ Nostræ curas propensis studiis convertimus, per quæ prospero, felicique religiosarum Congregationum, earum præcipue, quæ prisco Disciplinæ Monasticæ splendore conspicuæ, multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis fulgere noscuntur, regimini, atque progressui consulitur; ut radicitus evulsis, quos insana honorum cupiditas invenit, abusibus, Congregationes ipsæ laudabilibus suis institutis firmiter insistentes, illibatam antiquæ observantiæ gloriam servent, & bono Christi odore de bona conversatione flagrantes, lætis in dies Domino benedicente proficiant incrementis.

Constitutiones Cassinenses quoad Electiones Abbatum Titularium.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) licet per Constitutiones Congregationis Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti Apostolica auctoritate confirmatas caveatur expresse, ne quis eligi possit in Abbatem cum solo titulo, nisi prius fuerit Abbas cum regimine, vel saltem Prior Claustralis, qui per expletum quinquennium in Prioratus regimine se laudabiliter gesserit, & per quasdam fel. recor. Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri literas die 14. Septembris 1620. expeditas præscriptus fuerit Decanorum ejusdem Congregationis numerus, ut scilicet pro quinque Monachis professis unus Decanus, computatis Cellariis, ac Novitiorum Magistris, Confessariis Monialium, ac Doctoribus, aliisque Officialibus assignaretur, itaut ipsi Decani numerum trecentorum non excederent, ac per easdem Constitutiones expresse quoque prohibitum reperiatur, ne ullus Monachorum possit ad Decanatum (qui primus est superioris gradus) promoveri, nisi decimum sextum annum in Congregatione præfata compleverit, neque in Decanos hujusmodi eligi, seu assumi possint, de quorum doctrinæ sufficientia, & vitæ merito non constet per Testimonium a Visitatoribus medio eorum juramento coram Diffinitoribus in Capitulo Generali ferendum, præviis quoad literarum scientiam in actu Visitationis diligenter examine, & quoad morum probitatem exacta inquisitione prout statuitur in literis rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri die 6. Mart. MDXCIII. & dicti Pauli prædecessoris die XXI. Martii 1608. respective in simili forma Brevis emanatis, ac prævia etiam attestatione de hujusmodi vitæ integritate, & sufficientia per Prælatum, qui pro tempore præerit Monasterio professionis promovendi, in Diffinitorio cum juramento facienda.

Paul. V. præscripsit numerum Decanorum in d. Congreg. Cassinen.

Per dd. Constitutiones, & literas Apost. Clem. VIII. & Pauli V. in præfata Congreg. qui possint eligi, vel assumi in Decanos.

§. 2. Nihilominus nonnulli ejusdem Congregationis Monachi propriæ professionis, quæ eos in humilitatis spiritu continere deberet, immemores, ac censuras, & pœnas per quandam Constitutionem Apostolicam, qua dictæ Congregationis Monachis ambitus districte prohibetur, inflictas, damnabiliter incurrere minime

Ambitus Monachis d. Congregationis districte prohibetur.

formidantes, emendicatis per importunas preces Principum Sæcularium, ac etiam Prælatorum Ecclesiasticorum favoribus, atque intercessionibus, Abbatiæ titularis honorem, & gradum Decanatus hujusmodi a Capitulis Generalibus, & dictis Congregationis præfatæ contra Constitutionum, & literarum Apostolicarum prædictarum dispositionem, quasi violenter extorquere satagunt, multique iisdem mediis etiam expectativas ad gradus, & dignitates primo vacaturas itaut eis interim currat tempus requisitum a Constitutionibus ad consecutionem Prioratus, ac Abbatiæ respective, necnon decreta connumerationis inter Priores regiminis cum simili clausula, quod eis currat tempus ad Abbatiam, reportare procurent; Unde justitiæ distributivæ ordo pervertitur, cum gravi Monachorum religiosis meritis conspicuorum, detrimento, & Congregatio magnopere perturbatur, perniciosisque abusibus, & corruptelis hujusmodi, nisi mature recidantur, in maximum relaxationis malum prolabi posset.

Abusus, qui interim irrepserunt.

§. 3. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis divinitus Pastoralis Officii cura abusus prædictos penitus, & omnino evellere, illis ansam in futurum præcidere, ac ejusdem Congregationis tranquillitati, quantum Nobis ex alto conceditur consulere, monasticamque observantiam, & in distribuendis secundum cujusque merita honorum præmiis, Justitiæ normam in ea stabilire, atque solidare cupientes, necnon præfatarum Constitutionum, & literarum Apostolicarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratas Constitutiones, & literas Apostolicas circa electiones, & promotiones ad Abbatiæ titularis honorem, ac Decanatus gradum, necnon Decanorum numerum, & promovendorum qualitates, de cætero exacte, ac præcise, & inviolabiliter observari debere, nec expectativas ad Prioratus, & Abbatias, aliasque dignitates, vel gradus dictæ Congregationis primo vacaturos, seu vacaturas cuiquam posthac ullo modo concedi posse, tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus.

Pontifex motu proprio statuit dd. Constitutiones, & literas Apostolicas esse inviolabiliter observandas.

Tollit expectativas.

§. 4. Districte prohibentes tam cuicumque Capitulo Generali, vel Dietæ, quam quibuslibet Abbatibus, & Superioribus Congregationis præfatæ etiam specifica, & individua mentione dignis, sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac dignitatis Abbatialis ipso facto absque alia declaratione incurrendæ, aliisque Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis pœnis ne Constitutionibus, aut literis Apostolicis præfatis, vel præsentibus literis sub quovis colore, vel prætextu, directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet, etiamsi desuper Nostrum, vel hujus Sanctæ Sedis beneplacitum reservaretur, contravenire audeant, seu præsumant.

Prohibet dd. Constitutionibus, & literis Ap. contravenire etiam cum reservatione Apostolici Beneplaciti sub certis pœnis.

§. 5. Ac decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari, neque ipsis præsentibus per quascumque clausulas generales, nisi toto tenore inserto, & consentientibus Superioribus dictæ Congregationis Cassinen. derogari posse.

Mandat præsentium literarum observantiam non obstante quocumque defectu.

Eis mandat derogari non posse nisi toto tenore inserto, & consentientibus superioribus dictæ Congr.

§. 6. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, sive quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 24. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium Mensis Aprilis part. utraque fol. 785.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Eremitarum S. Augustini transeant ad Statum Clericalem, seu ad Ordines promoveantur etiam vigore Indultorum Apostolicorum, nisi petita, & obtenta in scriptis licentia tam Provincialis, quam Generalis, & servata forma eorumdem Indultorum sub

LXXXVII.

pœna

pœna perpetuæ ſuſpenſionis, & redactionis in numerum Converſorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expoſitio facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Dominicus Valvaſorius Mediolanen. Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, quod in eodem Ordine nonnullis abhinc annis, non ſine ingenti ipſius Ordinis detrimento ſerpere incœpit ambitionis morbus, quo plures Fratres Laici, ſeu Converſi propriæ vocationis obliti, ac humilem pertæſi conditionem, qua Regulari ſe manciparunt doctrinæ, a Laicali ſtatu ad Clericalem tranſire, ac ad Sacros Ordines promoveri impotenter pertentant, & à vilioribus exercitiis ad Sacri Altaris Miniſteria aſcendere, quinimo pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta adminiſtrare, necnon Animarum curam exercere minime verentur: & quia non facile in ea Provincia, in qua tanquam Laici ad Religionem admiſſi fuerunt, voti compotes fieri poſſunt, ideo nonnulli eorum de loco ad locum, ac de Provincia in Provinciam vagantes commigrant, & aliqui ad remotiores etiam Inſulas ſe conferunt, atque ita quam nequeunt apud legitimos Superiores ſuos laicalis eorum conditionis conſcios facultatem obtinere, ut Sacris initientur Ordinibus, eamdem ab exteris tandem non ſine dolo extorquent.

Incommoda, quæ ex hujuſmodi tranſitu ſuboriuntur.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, innumera ex hac una inobſervantia ſuboriantur incommoda, quandoquidem decurſu temporis prædicti Fratres Laici, ſeu Converſi, jam utcumque ad Sacros Ordines promoti, ad proprias Provincias, & Conventus, in quibus recepti fuerunt, remigrantes in iiſdem contendunt aggregationis, & filiationis, ut antea fruebantur, potiri Privilegio, quod quidem juſte illis a cæteris Religioſis denegatur, ob indebitam ſtatus variationem, & dedecus, quod Religioſis inurunt per eorum inſcitiam, quam vel Sacrum facientes, vel Officium Divinum legentes, vel Altaris Miniſteria exercentes, aut Sacramenta adminiſtrantes patefaciunt; Inde verò lites, & diſſidia in Conventibus, & Provinciis Ordinis prædicti ſuccreſcere videantur; Nobis propterea dictus Dominicus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut tot malis, ne radices altius agant, opportuno remedio occurrere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis d. Ordin.

§. 2. Nos igitur ipſius Dominici Procuratoris Generalis votis in præmiſſis quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de cetero ullus Frater ad regularem dicti Ordinis habitum inter Laicos, ſeu Converſos receptus, & admiſſus, ad ſtatum Clericalem in eodem Ordine, & ad Sacros Ordines promoveri valeat, niſi prius opportunum ſuper eo Indultum ab hac Sancta Sede Apoſtolica reportaverit, ac etiam tam à Priori Provinciali ſuæ Provinciæ, quam à Priore Generali Ordinis prædicti reſpective facultatem deſuper petierit, & in ſcriptis ſibi concedi obtinuerit. Nec ullus Frater Ordinis hujuſmodi in ſtatu laicali profeſſus, qui Sacros Ordines de ſuorum Superiorum licentia ſuſcipiendi facultatem ab eadem S. Sede obtinuerit, ejuſmodi facultate perfrui valeat, niſi petita, & obtenta pariter tam à Priori Provinciali ſuæ Provinciæ, quam à Priore Generali Ordinis hujuſmodi licentia, ſervatiſque, & adimpletis omnibus, & ſingulis illis, quæ in ejuſmodi Indultis, & literis Apoſtolicis deſuper expeditis præſcripta fuerint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium prohibemus, & interdicimus.

Abſolutio a Cenſuris.

Præſcribit formam ſub qua fratres laici dicti Ordin. ad ſtatum Clericalem tranſire poſſint.

§. 3. Volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, ut qui ſecus egerint, à ſtatu laicali ad Clericalem tranſeuntes, Clericalem characterem ſuſcipientes, vel ſe ad Sacros Ordines promoveri facientes, à Clericalis characteris, & Sacrorum Ordinum hujuſmodi executione perpetuo ſuſpenſi remaneant, ac à ſtatu, & habitu Clericali rejiciantur, & in numerum Converſorum denuo redigantur. Qui vero Fratres Laici, ſeu Converſi Ordinis prædicti tam Clericali characterе, & Sacris Ordinibus prædictis initiati ſunt, ſed ob eorum ignorantiam non levia adferunt Populo ſcandala, & Religionis famæ plurimum derogant, auctoritate dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis prædicti, cui opportunam ad id harum ſerie facultatem tribuimus, a Clericalis characteris, & Ordinum ſuorum reſpective exercitio tamdiu ſuſpendantur, donec ab ipſo Priore Generali, vel ab Examinatoribus per eum deputandis, prævio examine approbati fuerint. Porro Superiores, qui ſine debita, & per præſentes literas præſcripta ſolemnitate concedent prædictis Fratribus Laicis, ſeu Converſis facultatem tranſeundi ad ſtatum Clericalem, ſeu Sacros Ordines ſuſcipiendi aut indebite promotos redarguere, & punire negligent, pœnam privationis Officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto ſe noverint incurſuros.

Quando Indultum Ap. eis non ſuffragetur.

Pœnæ adverſus Contravenientes.

Proviſio quoad fratres laicos jam promotos.

Pœnæ adverſus Superiores indebite concedentes hujuſmodi licentias tranſeundi.

§. 4. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, ac Congregationum, & Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariorū derogatio.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. M. Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Maji 1675. Pontificatus Noſtri anno Sexto.

Dat. 9. Maji. 1675. An. 5.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secretaria in lib. Brevium Menſis Maji par. utraque fol. 109.

LXXXVIII.

Erectio Custodiæ sub nomine Immaculatæ Conceptionis B. V. Virginis in novam Provinciam cum dismembratione Provinciæ S. Antonii Brasilien. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum in Luſitania.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAſtoralis Officii, quo Catholicæ Eccleſiæ per univerſum terrarum Orbem diffuſæ regimini, divina diſpoſitione præſidemus, ſolicitudo nos admonet, ut felici, proſperoque Chriſti fidelium, qui e fluctibus ſæculi in portum vitæ religioſæ confugerunt, gubernio, atque directioni, etiam per novarum Provinciarum inſtitutionem, providere interdum ſtudeamus, ſicut locorum, & perſonarum, & temporum qualitatibus mature perpenſis ad gloriam, & Religionis incrementum, atque Animarum ſalutem expedire in Domino arbitramur.

Refertur ſtatus antiquus Provinciæ S. Antonii Braſilien.

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joannes a Nativitate Provinciæ Sancti Antonii Braſilien. Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum in Romana Curia ſpecialis Procurator, quod d. Provincia primordio ſuæ fundationis ſub titulo Cuſtodiæ S. Antonii Braſilienſis Provinciæ ejuſdem nominis in Luſitania conſiſtenti unita fuit uſque ad ſel. rec. Alexandrum Papam VII. prædeceſſorem noſtrum, qui eam a d. Provincia Luſitaniæ, tum ob earum ab invicem diſtantiam, multitudinem Fratrum, & numerum Conventuum, tum ob cætera requiſita, & ad utriuſque partis inſtantiam ſeparavit, ac in diſtinctam Provinciam, relicto ſolum titulo Sancti Antonii, cum addito, Braſilienſis, erexit.

Alexan. VII. d. Cuſtodiam erexit in Provinciam, & ſeparavit ab altera in Luſitania.

Hujus Provinciæ amplitudo, & incommoda referuntur.

§. 2. Hæc autem Provincia exinde, & antea dum Cuſtodia erat, per vaſtiſſimum Braſiliæ Regnum ad ſpatium quingentarum, & amplius leucarum ita dilatata eſt, ut Miniſter Provincialis in decurſu ſui triennalis regiminis, & multo minus Commiſſarii Viſitatores a Miniſtris Generalibus Ordinis præfati ad canonicam, tam fratrum, quam Conventuum viſitationem deputati, vix unquam integræ ejuſdem Provinciæ viſitationem obire valuerint, in grave regularis obſervantiæ detrimentum, cui ut neceſſarium applicari poſſet remedium, omnes Provinciæ hujuſmodi Fratres tunc in humanis agenti Petro Manero d. Ordinis Miniſtro Generali ſupplicarunt, ut formam aliquam boni regiminis pro tam vaſta, & extenſa Provincia præſcribere vellet.

Fratres ejuſdem Provinciæ ſupplicarunt Miniſtro Generali Ordinis pro opportuno remedio.

Variæ proviſiones Miniſtri Generalis.

§. 3. Ipſe vero Petrus Miniſter Generalis, poſt maturam deliberationem, & graviorum Fratrum conſultationem, diſpoſuit omnibus d. Provinciæ Conventibus ſitis ultra Oppidum Spiritus Sancti, & in ejus Diſtrictu, ſeu Capitanis fundatis ad tractum Sur nuncupatum, dari debere unum Cuſtodem, qui aſſiſtentibus ſibi duobus Diffinitoribus vices, & abſentias Miniſtri Provincialis, tam in ordinariis Fratrum correctionibus, quam in Conventuum viſitationibus, & electionibus extràcapitularibus legitime, & ex totius Provinciæ concordato ſuppleret, utque dicti Conventus, cum ad numerum ſeptem Conventuum creviſſent, gauderent titulo Cuſtodiæ, cum vero ad decem Conventus perveniſſent, gaudere poſſent titulo Provinciæ.

Hanc Regiminis formam amplexum fuit Capitulum Provinciale die 30. Aug. 1657.

§. 4. Quam formam regiminis omnes Fratres d. Provinciæ, tam Diffinitorii, quam Diſcretorii in Capitulo Provinciali die 30. Auguſti 1657. in Conventu S. Franciſci Civitatis Braſilienſis, unanimi conſenſu, & communibus omnium votis, nemine prorſus diſcrepante, vel contradicente, ad majus Dei obſequium, regularis obſervantiæ incrementum, ſolamen Fratrum, & levamen Prælatorum Provincialium, & Viſitatorum perſonaliter viſitantium, amplexi ſunt, & hæc forma regiminis die 22. Junii 1670. per Venerabilem Fratrem Franciſcum Mariam Phini Epiſcopum Syracuſan. tunc temporibus Miniſtrum Generalem ejuſdem Ordinis fuit approbata, & poſtea omni meliori forma, qua fieri potuit in Congregatione Capitulari d. Provinciæ Braſilien. admiſſa, & ratificata die 13. Decembris ejuſdem Anni 1670. a dilecto filio Joanne a Deſerto Miniſtro Provinciali cum communibus omnium Patrum Provinciæ, & Diffinitorii votis, ac ſuffragiis, qui omnes unanimiter ceſſere juri ſuo, ac prætenſioni contra d. Cuſtodiam, eamque in omni libertate a jure requiſita: ut in novam per ſe Cuſtodiam ſub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ erigeretur, ac per proprios, & diſtinctos Superiores regeretur, conſtituere, & hoc ipſum confirmantes iidem Fratres Provinciæ hujuſmodi in ultimo Capitulo Provinciali die 22. Auguſti 1673. quantum ad erectionem in Cuſtodiam, ac etiam ulterius progredientes ſponte, & libere ſupplicarunt, ut in Provinciam ſeparatam ſub titulo jam dicto ſtabiliretur.

Ab altero Miniſtro Generali die 22. Junii 1670. fuit approbata.

Congregatio Capitularis d. Provinciæ Braſilien. die 13. Decembris d. anni conſentit, ut in novam Cuſtodiam erigatur.

Capitulum Provinciale die 22. Aug. 1673. erectionem d. Cuſtodiæ confirmavit, & ſupplicavit ut in Provinciam ſeparatam erigeretur.

§. 5. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dicta Cuſtodia ad præſens ab ultimo Capitulo hujuſmodi in pacifica poſſeſſione ſtatus Cuſtodiæ diſtinctæ reperiatur; præmiſſis vero omnibus attentis, quæ vera eſſe dilecto filio moderno Miniſtro Generali d. Ordinis conſtat, concurrentibuſque cæteris, quæ ab Apoſtolicis, & Generalibus Ordinis hujuſmodi Conſtitutionibus ad canonicam novæ per ſe Provinciæ erectionem requiruntur, præfatus Joannes Procurator Cuſtodiam hujuſmodi confirmari, ac in novam Provinciam ſub titulo prædicto erigi ſummopere deſideret: Nobis propterea nomine dilectorum pariter filiorum Fratrum, tam Provinciæ S. Antonii Braſilien., quam Cuſtodiæ hujuſmodi humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces.

§. 6. Nos igitur eoſdem Joannem Procuratorem, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attentis narratis, & audito per Venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum Epiſcopum Oſtien. S. R. E. Cardinalem Barberinum nuncupatum d. Ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, cui hoc negotium a Congregatione Venerabilium etiam Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita remiſſum fuerat, præfato moderno Miniſtro Generali ſuper veritate omnium ſupra expreſſorum informante, præfatam Cuſtodiam Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, illiuſque Conventus, Domos, & Monaſteria quæcumque, ac in eis degentes Religioſos, & Fratres quoſcumque a d. Provincia S. Antonii Braſilien. auctoritate Apoſtolica perpetuo ſeparamus, ſegregamus, & diſmembramus, ac a quacumque Miniſtri Provincialis, aliorumque Superiorum ejuſdem Provinciæ Juriſdictione, ſuperioritate, ſubjectione, viſitatione, correctione, Cura, & Gubernio itidem perpetuo eximimus, & plenarie liberamus; ipſamque Cuſto-

Abſolutio à Cenſuris.

Pontifex dictam Cuſtodiam in novam Provinciam erigit.

diam,

diam, ac illius Conventus, Domos, Monasteria, Fratres, & Religiosos hujusmodi sic separatos, & dismembratos, ac separata, & dismembrata in novam dicti Ordinis Provinciam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in Regno Brasiliæ ad tractum Sur nuncupandam, quæ a propriis Ministro Provinciali, Custode, Diffinitoribus, cæterisque Superioribus juxta ejusdem Ordinis Statuta eligendis, nominandis, & deputandis, regi, & gubernari bebeat, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuo erigimus, & instituimus.

Concedit huic novæ Provinciæ omnia Indulta, & Privilegia quibus gaudent aliæ Provinciæ ejusdem Ord.

§. 7. Necnon ipsi novæ Provinciæ sic erectæ, & institutæ, illiusque Conventibus, Domibus, Monasteriis, ac Ministro Provinciali, Custodi, Diffinitoribus, cæterisque Superioribus pro tempore existentibus, Fratribusque, & Personis quibuslibet, ut omnibus, & singulis Privilegiis, Gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, Indulgentiis, Indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ, illarumque Conventus, Domus, Monasteria, Superiores, & Fratres, aliæque Personæ, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant eadem auctoritate harum serie similiter perpetuo concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Custodia, ac Provincia, & Ordinis præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 15. Julii 1675. An. 6.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1675. Pontificatus nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. in Lib. Brevium Mensis Julii par. utraque fol. 318.

Licentia fundandi Conventus, ubique Locorum Ord. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum tam Calceatorum, quam Discalceatorum de sola Licentia Ordinariorum Superioribus d. Ord. concessa ad limites Constitutionis Clementis X. LXXXIX.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ Clementiæ abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidentes, ad ea, quæ Conventus, & alia loca Regularia ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis, piorumque operum incrementum, atque Animarum salutem ubique Locorum erigi valeant, propensis studiis intendimus, ac Pastoralis Officii nostri partes desuper interponimus, sicuti omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indultum Pauli V. concessum fratribus Discalceatis Carmelitis.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus de Sancto Marco Procurator Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod cum dudum fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor noster Superioribus, & Religiosis Ordinis Fratrum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, & ubique locorum, quilibet in Districtu suo Domos, & Monasteria, juxta Concilii Tridentini Decreta de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum Personarum cujusvis Ordinis etiam Regularium requisito consensu, condere, fundare, & erigere valerent, licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis, concesserit: & subinde rec. mem. Gregorius Papa XV. pariter prædecessor noster eisdem Fratribus Discalceatis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, illorumque Superioribus, ut Domos, & Monasteria hujusmodi, etiamsi illa aliis Domibus Regularibus Ordinum Mendicantium magis vicina essent, quam in Privilegiis illis concessis præscriptum est; dummodo tamen expressus Ordinariorum Locorum ad id accederet assensus, fundare, & erigere possent pari auctoritate indulserit; ac postmodum piæ mem. Clemens PP. IX. etiam prædecessor noster literas Pauli, & Gregorii prædecessorum præfatorum super præmissis respective emanatas Apostolica similiter auctoritate confirmaverit, & approbaverit, & alias, prout in ipsius Clementis prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 6. Octobris 1668. expeditis, uberius continetur.

Gregor. XV. d. Indultum ampliavit.

Paul. V., & Gregor. XV. similia Privilegia concesserunt Fratribus Discalceatis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.

§. 2. Dictique Paulus, & Gregorius prædecessores similia privilegia Fratribus Discalceatis Ordinis Minorum, seu S. Francisci de Observantia nuncupatorum per suas pariter in forma Brevis die 5. Septembris 1606., & die 23. Decembris 1621. respective expeditas Literas concessisse reperiantur: ipse Franciscus Procurator Generalis Fratres tam Calceatos, quam Discalceatos d. Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum consimilibus Privilegiis, & Gratiis ex nostra, & hujus S. Sedis benignitate decorari summopere desiderat; nam quamvis hic Ordo omnibus Privilegiis, & exemptionibus, quæ aliis omnibus Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium concessa sunt, vigore amplissimæ concessionis eidem Ordini a nobis per quasdam nostras etiam in forma Brevis Literas die 22. Octobris 1670. ema-

Hisce Privilegiis decorari cupiunt Fratres tam Calceati, quam Discalceati Ord. B. Mariæ de Mercede.

Hic ordo gaudet omnibus Privilegiis, & exemptioni-

bus, quæ aliis omnibus Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium sunt concessa.

Super hujusmodi communicatione carent authentico literarum Apostolicarum.

natas, factæ, & consequenter facultatibus prædictis gaudeat, Fratres tamen ipsius Ordinis eadem facultates ad praxim deducere nequeant; quippe qui authentico Literarum Apostolicarum super concessione facultatum hujusmodi expeditarum, exemplo destituti reperiantur.

Preces.

§. 3. Nobis propterea præfatus Franciscus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Francisci Procuratoris Generalis votis in præmissis quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Superioribus, & Religiosis prædicti Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, tam Calceatis, quam Discalceatis ad limites præfatarum Clementis IX. prædecessoris Literarum Apostolica auctoritate tenore præsentium indulgemus, ut ubicumque Locorum quilibet in suo Districtu Domos, & Monasteria juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta de sola licentia Ordinariorum Locorum, nullo aliarum Personarum Ecclesiasticarum, & cujusvis Ordinis Regularium requisito consensu, etiamsi dictæ Domus, & Monasteria aliis Domibus Regularibus Ordinum Mendicantium, magis vicina essent, quam in Privilegiis Ordinum Mendicantium hujusmodi concessis præscriptum est, servata in reliquis Constitutionum Apostolicarum forma, condere, fundare, & erigere possint: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Absolutio à Censuris.

Pontifex dd. Privilegia Pauli V., & Gregor. XV. extendit etiã ad Fratres tam Calceatos, quam Discalceatos Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum prout in rubrica.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Clementis IX. prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 19. Jul. 1675. An. 6.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Julii 1675. Pontificatus nostri anno sexto.

I. G. Sluſius.

Registrata in Secretar. in lib. Brevium Mensis Julii parte utraque fol. 810.

XCI.

Statutum, ut de cætero qui Convictores Collegiorum Pontificiorum Anglorum, Græcorum, Maronitarum, Scotorum, ac Hibernorum recipiuntur, Alumnis ipsorum Collegiorum in victu, & vestitu, totaque domestica disciplina se conformare debeant.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUm (sicut accepimus) ad rectam Juventutis institutionem in Collegiis Pontificis Anglorum, Græcorum, Maronitarum, & Scotorum de Urbe, quorum cura dilectis filiis, & Clericis, seu Presbyteris Regularibus Societatis Jesu, auctoritate Apostolica demandata reperitur, ac etiam in Collegio Hibernorum de eadem Urbe cujus curam bon. mem. Ludovicus S.R.E. Cardinalis Ludovisius nuncupatus illius Fundator, pro tempore existenti Præposito Generali d. Societatis commisit, ipsorumque Collegiorum, & in eis degentium quietem, & felicem progressum plurimum expediat, ut inter Alumnos, & Convictores dd. Collegiorum in victu, & vestitu, totaque domestica disciplina uniformitas servetur, ne ex diversitate oriantur dissidia, & perturbationes, quæ finem institutionis eorumdem Collegiorum ad Dei gloriam, Fideique Catholicæ conservationem, & propagationem pie prudenterque erectorum, impedire valerent.

Statuitur in dd. Collegiis omnimoda conformitas inter Convictores, & Alumnos.

§. 1. Hinc est, quod nos prædictorum Collegiorum, in eisque nunc, & pro tempore commorantium quieti, ac felici, prosperoque regimini, & progressui quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, Ordinis, & conditionis existant, qui in Convictores memoratorum Collegiorum recipientur, Alumnis ipsorum Collegiorum respective in victu, vestitu, totaque domestica disciplina sese conformare debeant, nec in dd. Collegiis commorari ullo modo permittantur, nisi toto tempore, quo in eisdem Collegiis respective convivent, Alumnis sese sicut præmittitur conforment, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Præfigitur terminus dd. Convictoribus pro hujusmodi conformitate sub pœna &c.

§. 2. Volentes, ut Convictores, qui in Collegiis prædictis de præsenti reperiuntur, intra aliquem competentem terminum ipsis à dilecto filio Jo. Paulo Oliva Præposito Generali Societatis prædictæ pro ejus arbitrio statuendum, se se Alumnis ipsorum Collegiorum respective victu, vestitu, totaque domestica disciplina, ut præfertur, conforment, alioquin quantocitius commode fieri poterit inde demittantur.

Decretum irritans.

§. 3. Ac Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus prædictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Collegiorum prædictorum erectionibus, & Constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis

Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii d. Societatis subscriptis, & sigillo prædicti Præpositi Generalis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 23. Aug. 1675. An. 6.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Augusti 1675. Pontificatus nostri Anno sexto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secret. in Lib. Brev. Mensis Augusti par. 2. fol. 319.

XCI. Prohibitio extrahendi Libros Bibliothecarum ex Monasteriis Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercien.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Conservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecæ Monasteriorum Congregationis Reformatæ Monachorum S. Bernardi Ordinis Cistercien., quantum cum Domino possumus benigne consulere, ac dilectum filium Nicolaum a S. Mauro modernum ejusdem Congregationis Abbatem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

§. 1. Supplicationibus ejusdem Nicolai Abbatis Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam cujusvis gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis etiam Ecclesiasticæ, & quacumque auctoritate, superioritate, & officio fungentes, etiam individua mentione dignos, libros, quinterna, & folia, sive impressa, sive manuscripta eisdem Bibliothecis hactenus quovis modo donata, concessa, & assignata, ac in futurum quandocumque donanda, concedenda, & assignanda, sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione ex Monasteriis, quorum sunt extrahere, & asportare, seu ut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat sub excommunicationis latæ sententiæ, a qua nemo, nisi a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, nisi in mortis articulo constitutus, impetrare possit, ac etiam quoad Regulares, privationis vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinis, ac Congregationis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copiæ in valvis Bibliothecarum Monasteriorum prædictorum, vel alio Monasteriorum hujusmodi loco conspicue, quo ab omnibus cerni possint, continuo affixæ remaneant.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Septembris 1675. Pontificatus nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Septembris par. 2. fol. 225.

Statutum circa novos transitus Professorum Societatis Jesu e dicta Societate ad alios Ordines translatorum. XCII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indultum Pauli III. datum Societati Jesu.

Cum dudum fel. rec. Paulus PP. III. prædecessor noster Societati Jesu inter alia concesserat, ut Clericorum Regularium ejusdem Societatis nemo, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor ex dicta Societate egrediens ad alium, quam Carthusiensium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis, vel Præpositi Generalis dictæ Societatis licentia se conferret:

Alterum Indultum Pii IV. favore dictæ Societatis.

§. 1. Itemque rec. mem. Pius PP. IV. etiam prædecessor noster voluerat, ut ne quis prædictorum ab eadem Societate, prætextu cujusvis Indulti, vel quæsito colore melioris vitæ, vel strictioris observantiæ etiam ad Mendicantium vel Cistercienſium, seu S. Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem, Carthusiensi excepto transire possit, dubitari contigisset, an Præpositus pro tempore existens valeret etiam professos, ex causis id exigentibus, ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum esset de ejus licentia, se ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem transferre, piæ me. Gregorius PP. XIII. pariter prædecessor noster re perpensa, atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritate, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volens, statuit, ut deinceps in perpetuum liceret dicto Præposito, quos judicavisset ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Præpositi licentia non tantum ad Carthusienſium, sed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris observantiæ Ordinem per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen superiorum Loci illius, quo destinarentur demigrare, in eisque professionem per Loci illius Monachos, aliosque Regulares ejusdem emitti solitam emittere, habitumque susçipere, & consueta uti eorum disciplina, & alias prout in ejusdem Gregorii prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 22. Septembris 1582. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Dubitatio desuper orta.

Resolutio Greg. XIII.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, non raro contigerit, ut Professi nonnulli prædictæ Societatis laxioris vitæ cupiditate ducti, cum nequirent impetrare a Præposito Generali ipsius Societatis licentiam transeundi ad Ordinem laxioris observantiæ, prout desiderabant, impetrarent saltem facultatem ingrediendi alium Ordi-

Abusus exinde subortus.

nem,

nem, in quo vigebat regularis observantia, atque emissa in eo post modicum tempus per dispensationem professione, inde facilius postea obtinuerint licentiam migrandi ad alium Ordinem laxiorem, in quo exigua valde forma esset religiosæ disciplinæ, non sine scandalo multorum, qui relaxationis ejusmodi amorem in viris Deo per vota solemnia consecratis, merito exhorrescunt:

His Pontifex providet prout in rubrica.

§. 3. Hinc est, quod Nos ejusmodi scandalis ansam in futurum præcidere, ac Societatis prædictæ honori, indeque emissorum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur prospicere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, & ordinamus, ut de cætero in eadem Societate professi, quos Præpositus Generalis dictæ Societatis ab ipsa Societate emittendos judicaverit, quique de ejusdem Præpositi Generalis licentia, ad alium quemvis Ordinem eis ab ipso Præposito Generali præscriptum translati fuerint, inde post emissam ibidem professionem regularem exire, aut denuo ad quemcumque alium Ordinem, Carthusiensi excepto, transire nequeant, nisi de speciali Nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, in qua exprimatur, eos alias in dicta Societate professos, indeque de Præpositi Generalis licentia ad præscriptum ab eo Ordinem, ex quo denuo ad alium transire desiderent, translatos fuisse, ac etiam specifica præsentium literarum fiat mentio.

Pœnæ adversus aliter de novo transeuntes, seu translatos.

§. 4. Alioquin novi transitus hujusmodi, ac professiones, & alia quæcumque inde quovis modo secutura, nulla prorsus, atque invalida, & irrita, nulliusque roboris, & momenti existant, & sic transeuntes pro Apostatis habeantur, omnibusque censuris, & pœnis contra Apostatas statutis, & promulgatis subjaceant, nec ab illis absolutionis beneficium ab alio, quam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (nisi in mortis articulo constituti) reportare valeant.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat inviolabiliter observari: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Societatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici sive Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Septembris 1675. Pontificatus nostri Anno sexto.

Dat. 16. Sep. 1675. An. 6.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium Mensis Septembris par. 2. fol. 290.

Confirmatio Privilegiorum Universitati Studii Generalis Cesenæ, ejusque Collegiis a diversis Romanis Pontificibus respective concessorum, ampliatorum, & confirmatorum, nempe creandi Notarios, & promovendi quotannis quatuor ad Doctoratum utriusque juris Collegio Juristarum, ac aggregandi Collegio Physicorum, & Medicorum quoscumque in arte Medicinæ Peritos huic Collegio respective attributorum, cum Indulto, ut dictum Collegium Juristarum non solum præfatos quatuor quotannis, sed etiam quoscumque alios idoneos, prævio rigoroso examine, ac ser. ser. adinstar aliarum Universitatum promovere possit. XCIII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolicæ dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ Clementiæ, atque sapientiæ abundantiam constituti, ea, quæ ex circumspecta Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum providentia ad promovenda bonarum literarum studia, quæ & Ecclesiæ Dei, & Reipublicæ eximie conducibilia sunt, salubri consilio emanasse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter corroboramus, illaque etiam interdum ampliare studemus, sicut publicæ utilitati, ac Civitatum nobis, & Apostolicæ Sedi, etiam quoad temporalia subditarum decori, & ornamento cognoscimus in Domino profuturum.

Status Generalis Universitatis Cesenæ describitur.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Magister Sanctes de Pilastris presbyter Cesenas in utraque signatura nostra Referendarius, & Subdatarius noster, quod cum in Provincia nostra Romandiolæ unica reperiatur studii Generalis Universitas in Civitate nostræ Cesenæ consistens, in qua ab immemorabili tempore stipendiati sunt decem lectores, ex quibus sex matutinis, & quatuor vespertinis horis Sacros Canones, Leges Civiles, Sacram Theologiam, Philosophiam, Logicam, & Medicinam publice prælegunt, & bo. me. Marcus Aurelius Maraldus dum vixit Brevium Secretorum fel. rec. Urbani VIII., & Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Secretarius aliam prædictis lecturam Sacrorum Canonum, assignato perpetuo honorario, adjunxerit, ac re. me. Julius Papa II. etiam prædecessor noster per suas literas die 24. Junii 1504. expeditas Collegio Juristarum dictæ Civitatis viginti Doctoribus constanti Notarios creandi, & piæ me. Clemens Papa VII. similiter prædecessor noster eidem Collegio duos ad id idoneos quotannis ad gradum doctoratus in utroque Jure, servatis servandis promovendi facultatem, dictus quidem Clemens prædecessor per suas literas die 10. Februarii 1524. emanatas, respective concesserint.

Indulta Julii II., & Clementis VII. Collegio Juristarum dict. Universitatis, creandi Notarios, & duos idoneos quotannis doctorandi.

Paulus V. hanc facultatem doctorandi extendit ad alios duos.

§. 2. Hæcque facultas a Clemente prædecessore concessa ad alios duos, annis singulis doctoratus laurea decorandos a similis rec. Paulo Papa V. prædecessore pariter nostro per suas die 3. Septembris 1610. desuper expeditas literas ampliare

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

pliare, & omnes gratiæ ſupradictæ a ſimilis me. Alexandro Papa VII. etiam prædeceſſore noſtro per ſuas literas die 3. Decembris 1657. emanatas confirmatæ fuerint, necnon fel. etiam rec. Paulus III. per ſuas die 30. Decembris 1535. omnia ſtatuta, privilegia, ordinationes, & Decreta præfato Collegio Juriſtarum conceſſa, confirmaſſe, ac Pius IV. Romani Pontifices prædeceſſores pariter noſtri per ſuas die 23. Julii 1561. reſpective expeditas literas, Collegio Phyſicorum, & Medicorum Civitatis prædictæ quemcumque peritum, & idoneum in arte Medicinæ recipiendi, & hujuſmodi Collegio aggregandi facultatem conceſſiſſe reperiantur.

Alexan. VIII. omnes ſupradictas gratias confirmavit.

Paulus III. omnia ſtatuta, & Privilegia d. Collegio conceſſa confirmavit.

§. 3. Ipſe Magiſter Sanctes pro ſinguiari ſua erga eamdem Civitatem patriam ſuam pietate, bonique publici ſtudio, privilegia, facultates, gratias, & alia præfata, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & ut juris utriuſque ſtudioſis, poſt peractum utriuſque facultatis hujuſmodi ſtudiorum curſum, debitum honoris præmium rependi valeat, facultatem d. Collegio Juriſtarum a memoratis Clemente VII., & Paulo V. prædeceſſoribus, ut præfertur conceſſam, & ampliatam uberius extendi plurimum deſiderat: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Indultum Pii IV. Collegio Phyſicorum, & Medicorum d. Civitatis.

Preces Magiſtri Sanctis de Pilaſtris Subdatarii.

§. 4. Nos igitur ad ea, quæ publice utilia, dictæque Civitati decori fore conſpicimus, favorabiliter intendentes, ac præfati Magiſtri Sanctis Subdatarii noſtri votis in præmiſſis peculiari charitate annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium hac vice dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon omnium, & ſingularum literarum præfatarum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, privilegia, facultates, gratias, & alia ſupra expreſſa dictæ Univerſitati, ſeu ejus Collegiis præfatis a memoratis Julio, Clemente, Paulo III., Pio IV., Paulo V., & Alexandro prædeceſſoribus reſpective conceſſa, ampliata, & confirmata, ut præfertur, expeditaſque deſuper illorum literas ſupradictas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

Abſolutio a Cenſuris.

Pontifex omnia ſupradicta Privilegia auctoritate Apoſtolica confirmat.

§. 5. Præterea præfato Juriſtarum Collegio, ut non ſolum quatuor quotannis, ſed etiam quoſcumque alios, quos nimirum ad id idoneos eſſe duxerit, prævio rigoroſo examine, ac ſervatis ſervandis, & quæ in dictis Clementis, & Paul. V. prædeceſſorum literis præſcribuntur, ad gradum doctoratus in utroque jure ad inſtar aliarum Univerſitatum promovere libere, & licite poſſit, & valeat, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

Inſuper dictorum Juriſtarum Collegio indulget, ut quoſcumque idoneos valeat doctorare.

§. 6. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, eorumque Vicelegatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in ſingulis literis præfatis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem preſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Septembris 1675. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Dat. 28. Sep. 1675. An. 6.

I. G. Sluſius.

Regiſtrata in Secr. Brevium in lib. Menſis Octobris par. 1. fol. 47.

XCIV.

Indultum ut Puellæ Conſervatorii ſub tit. Divinæ Providentiæ de Urbe, licet Meretricum, ſive Mulierum inhoneſtarum natæ, vel ſorores ſint, nihilominus a Deputatis Annunciationis B. M. V., aliarumque Archiconfraternitatum, & Societatum Urbis ad Dotes, ſive ſubſidia Dotalia admitti, illaque conſequi poſſint perinde ac ſi nec Genitrices, nec Sorores tales haberent.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Paparettus, quod cum ipſe ſexaginta tres Puellas in Domum S. Michaelis de Urbe, quam iis, qui ſponte veniunt ad fidem aſſignavimus, congregaverit, illiſque ibidem tanquam in Conſervatorio ſub titulo Divinæ Providentiæ de neceſſariis ad Monachatum, vel Matrimonium, juxta earum reſpective vocationem, ſive inclinationem, ex eleemoſynis, & ſubſidiis Dotalibus providere ſatagat, inter eas vero nonnullæ reperiantur, quæ Meretricum, ſive Mulierum inhoneſtarum natæ, vel ſorores exiſtunt, & dilecti pariter filii Deputati, ſive Adminiſtratores, & Officiales Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, aliarumque Archiconfraternitatum, & Societatum dictæ Urbis, qui Dotes ſive ſubſidia Dotalia pauperibus Puellis diſtribuere ſolent, Puellas dicti Conſervatorii ad Dotes, ſive ſubſidia Dotalia hujuſmodi admittere renuant, cauſati, ei rei obſtare diſpoſitiones Teſtatorum, & piorum largitorum, qui eaſdem Dotes, ſive ſubſidia Dotalia præſtari ordinarunt, ac Puellas, quæ perſonarum inhoneſtarum natæ, vel ſorores eſſent, ab illis excluſerunt.

Exordium.

Subſidia Dotalia ab Archiconfraternitatibus aliiſque locis piis, quibus puellis dari nequeant.

§. 1. Idem Franciſcus Puellas prædictas ad Dotes, ſive ſubſidia Dotalia hujuſmodi, tametſi jus ad illas, & illa Puellis, quæ ex honeſtis Parentibus ortæ ſunt, acquiſitum eſſe prætendi poſſet, admitti poſſe plurimum deſiderat, cum aliunde non ſuppetat modus, eaſdem Puellas in Religione, vel Matrimonio honeſte collocandi, illarumque periculis occurrendi, ac peccatorum, quibus Divina Majeſtas offenditur, occaſiones præcidendi, atque ita, & Dei honori, & publicæ utilitati, atque decori conſulendi.

Damnum exinde obveniens puellis d. Conſervatorii.

§. 2. Nos propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Franciſci votis in præmiſſis quantum cum D. poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque

Preces.

Abſolutio a Cenſuris.

Eccle-

Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam Testamentorum, quam aliarum dispositionum quorumcumque Testatorum, & piorum Largitorum præfatorum tenores, ac alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes:

Omnes hujusmodi pias dispositiones Pontifex pro expressis habet.

Indultum concessum puellis d. Conservatorii.

§. 3. Hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Puellæ Conservatorii præfati nunc, & pro tempore existentes licet Meretricum, seu Mulierum inhonestarum natæ, vel sorores sint, nihilominus a modernis, & pro tempore existentibus Deputatis, sive Administratoribus, & Officialibus, tam Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quam aliarum quarumvis Archiconfraternitatum, & Societatum Urbis præfatæ ad Dotes sive subsidia Dotalia prædicta, servatis alias servandis, admitti, illasque seu illa consequi, & obtinere libere, licite, & valide possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde acsi nec Genitrices, nec Sorores Meretrices, sive Mulieres inhonestas haberent, sed ex honestis Parentibus ortæ reperirentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut præsens gratia non transeat in exemplum.

Mandat hanc gratiam non transire in exemplum.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Puellis prædictis in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & a memoratis Deputatis, sive Administratoribus, & Officialibus, aliisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstantibus præfatorum Testatorum, & piorum largitorum, etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Archiconfraternitatum, & Societatum præfatarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum non intendimus per præsentes literas supradictum Conservatorium in aliquo approbare.

Per præsentes literas dictum Conservatorium non intendit in aliquo approbare.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Octobris 1675. Pontificatus nostri Anno sexto.

Dat. 14. Oct. 1675. An. 6.

I. G. Slusius.

Regist. in Secr. Brevium in lib. mensis Novembris par. utraque fol. 43

XCV.

Extensio Indulgentiarum Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad favorem Calceatorum ejusdem Ordinis &c.

Vide quæ notavi in Constit. 41. Redemptoris hujus Pontificis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ALias nos Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque superioribus Fratribus, & personis, ac Christifidelibus illorum Ecclesias, seu Cappellas pro tempore visitantibus, inter alias nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes auctoritate Apostolica concessimus, seu communicavimus, & alias prout continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, tenoris, qui sequitur videlicet. *Redemptoris &c.* ut pag. 73.

Preces Procuratoris Generalis totius Ord. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Mathias de Cordona Vicarius, & Procurator Generalis totius præfati Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magister, Nobis nuper exponi fecit, ipse concessionem, seu communicationem Indulgentiarum hujusmodi ad familiam Calceatam, seu de Observantia ejusdem Ordinis a Nobis extendi plurimum desideret: Nos ipsius Mathiæ Vicarii, & Procurat. Generalis votis in præmissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati:

Absolutio a Censuris.

§. 2. De memoratorum Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, concessionem, seu communicationem Indulgentiarum, ac peccatorum remissionem, & pœnitentiarum relaxationem præfatæ Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque Superioribus, Fratribus, & Personis, ac Christifidelibus illorum Ecclesias, seu Cappellas pro tempore visitantibus a Nobis per literas præinsertas factam, ut præfertur, ad totam familiam Fratrum Calceatorum, seu de Observantia ejusdem Ordinis, illiusque Superiores, & Fratres, & Personas, ac Christifideles illorum Ecclesias, seu Cappellas pro tempore visitantes, ad limites præinsertarum literarum, auctoritate præfata tenore præsentium extendimus, & ampliamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Omnes præd. Indulgentias, & Gratias Pontifex extendit ad fratres Calceatos B. Mariæ de Mercede, eorumque Ecclesias.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Exten-

Dat. 18. Oct. 1675. An. 6.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Octob. 1675. Pontificatus nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretar. Brevium in lib. Mensis Octobris par. 1. fol. 291.

XCVI.

Confirmatio, & innovatio Brevis Urbani VIII. ab Innocentio X. confirmati, quo mandatur Ordinariis locorum, & Generalibus Ordinum, ut saltem bis in anno necessitates Sacr. Monumentorum Terræ Sanctæ Populo commendari curent &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAlvatoris, & D. Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices (licet immeriti) gerentes in Terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in ea præcipue pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris Mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni qua fieri poterit majori honorificentia recolantur.

§. 1. Cum itaque fel. rec. Urbano PP. VIII. prædecessori nostro, alias exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum Tyrannidem, & pro S. Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur. Idem Urbanus prædec. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, & Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duobus vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per Verbi Dei prædicatores in suis sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ejusdem Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februar. 1634. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Literæ Urbani VIII. referuntur.

§. 2. Et sicut pro parte dilecti filii Ludovici Mimeur Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professoris, pro Gallia Commissarii Generalis ejusdem Terræ Sanctæ nobis nuper expositum fuit, ipse quo præfatæ Urbani prædecessoris literæ, quæ a rec. me. Innocentio PP. X. prædecessore pariter nostro confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum consilio, prædictas Urbani prædecessoris literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces.

DD. literas Urbani VIII. dicitur ab Innoc. X. fuisse confirmatas.

Pontifex prædicti Urbani VIII. literas innovat. & confirmat.

§. 3. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in relatione status suarum Ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum facienda referant, se prædictis Urbani prædecessoris, & præsentibus literis nostris paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Præcipit Ordinariis locorum, ut in relatione status suarum Ecclesiarum facienda referant se prædictis literis paruisse qui buscumque contrariis non obstantibus.

§. 4. Volumus insuper ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Novembris 1675. Pontificatus nostri Anno sexto.

Dat. 2. Nov. 1675. An. 6.

I. G. Slusius.

Regist. in Secret. Brevium in lib. mensis Novembris par. utraque fol. 25.

Beatificatio novendecim Servorum Dei Martyrum Gorcomiensium nuncupatorum.

XCVII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAnctorum Martyrum, quos a charitate Christi non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius separavit, sed fidei, dilectionisque vigor inter cruciatuum certamina, Agonotheta Christo adjuvante, victores præstitit, & consummato passionis cursu ad cœlestis coronæ gloriam evexit, agones, & Triumphos in Sancta Dei Ecclesia celebrari, ac condignis laudum præconiis, atque venerationis honoribus decorari decet: ut qui Sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictæ virtutis suæ exempla reliquerunt, de nostra sint soliciti, qui de sua sunt salute securi, & pia potentique apud Imperatorem nostrum, qui in fortissimorum pugilum suorum honoribus honoratur, & cui ipsi in stolis candidis die, ac nocte serviunt in templo ejus, intercessione, imbecillitati nostræ inter sæculi tentationes laboranti cœlestis gratiæ munera impetrent, quibus, & nos rectum vitæ cursum tenere, & propositum nobis æternæ beatitudinis bravium consequi mereamur.

Vota fidelium.

§. 1. In hanc nos curam ex debito pastoralis officii, quod infirmitati nostræ credidit divina dignatio propensis studiis incumbentes flagitantia id ipsum Christifidelium vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, sicut ad gloriam Omnipotentis Dei, ad exaltationem Catholicæ fidei, spiritualemque fidelium consolationem, atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Resolutio Congregationis SS. Rituum.

§. 2. Cum itaque mature diligenterque discussi, & propensi fuerint per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Processus de hujus S. Sedis Apostolicæ licentia confecti super Martyrio, & Causa Martyrii novendecim Dei Servorum Gorcomiensium nuncupatorum, undecim quidem Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, videlicet Nicolai Pichi Gorcomiensis Guardiani, Hieronymi Werdani Vicarii, Theodorici Emdeni Amersfortii, Nicasii Joannis Hezii, Willehadi Dani, Godefridi Merzvellani, Antonii Werdanii, Antonii Hornariensis, Francisci Rodii Bruxellensis Sacerdotum, & Petri Ascani, ac Cornelii Wicani laicorum, & aliorum octo, nempe Joannis Sacerdotis Ord. Prædicatorum, & Aduani Becani, & Jacobi Lacopii Aldenardensis amborum Ordinis Præmonstratensis, & Joannis Osserwicani Canonici Regularis Ordinis S. Augustini, ac Leonardi Vechelii Buscoducensis, Nicolai Popelii Weldani, Godefredi Dunei Gorcomiensis, & Andreæ Walteri Sacerdotum, & Parochorum Sæcularium, qui omnes simul in

odium Catholicæ fidei, Primatus Romanæ Ecclesiæ, & augustissimi Eucharistiæ Sacramenti post atrocissima, & immanissima tormenta Brilæ in Hollandia anno 1572. interfecti palmam Martyrii accepisse asserebantur, ac super signis, prodigiis, ac miraculis, quæ ad manifestandam Mundo finalem eorum perseverantiam a Deo edita, & patrata fuisse dicebantur, factaque demum coram nobis omnium, quæ in hac Causa gesta sunt plena, & distincta relatione, præfata Congregatio Cardinalium, auditis etiam Consultorum suffragiis, censuit posse quandocumque nobis videretur, ad solemnem eorumdem Dei Servorum Canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in universo Terrarum Orbe Beati nuncupentur:

Preces.

§. 3. Hinc est, quod nos piis, atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum Regis illustris in Imperatorem Electi, aliorumque Principum, ac diversorum præsertim Belgii Antistitum, necnon Ducatus Brabantiæ, & Comitatus Flandriæ Ordinum, ac dilectorum filiorum Francisci Mariæ a Cremona Ministri Generalis, & totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & signanter Ignatii de Broeyer ejusdem Ordinis professoris, & Secretarii Generalis, ac Nationis Germano-Belgicæ Ordinis hujusmodi in Romana Curia negotiorum gestoris, seu Agentis generalis, hujusque Causæ Procuratoris supplicationibus nobis, & huic S. Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati:

Pontifex indulget ut Servi Dei Beatorum nomine nuncupétur, & quoad eorum Corpora, & Reliquias disponit prout in rubr.

§. 4. De Memoratorum Cardinalium Consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut præfati Servi Dei Nicolaus Pichus, Hieronymus Werdanus, Theodoricus Emdenus, Nicatius Joannes Hezius, Willehadus Danus, Godefredus Mervellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornarienfis, Franciscus Rodius, Petrus Ascanus, Cornelius Wicanus, Joannes Adrianus Becanus, Jacobus Lacopius, Joannes Osterwicanus, Leonardus Vecchelius, Nicolaus Poppelius, Godefridus Duneus, & Andreas Walterus in posterum Beatorum nomine nuncupentur, eorumque corpora, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eis quotannis die felicis eorum transitus recitetur Officium, & Missa celebretur de communi plurimorum Martyrum, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani.

De eorum Imaginibus, & Officio.

In quibus locis eorum Officium, & Missa ab omnibus celebrari possit.

§. 5. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in tota Hollandia ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ac in Ecclesiis tam Fratrum, seu Canonicorum Regularium, quam Monialium omnium Ordinum, quos memorati Servi Dei suo Martyrio illustrarunt, & quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias hujusmodi confluentibus.

In dictis locis quando solemnia celebrari possint.

§. 6. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias a die quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Hollandiæ, & Ordinum præfatorum respective solemnia Beatificationis eorumdem Dei Servorum cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die ab Ordinariis respective constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem 24. currentis mensis Novembris assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Et quando in Basilica Principis Apostolorum.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Novembris 1675. Pontificatus nostri Anno sexto.

Dat. 14 Nov. 1675. An. 6.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. Brev. in lib. 6. diversf. fol. 155.

XCVIII.

Avocatio controversiarum inter Episcopum Ampurien., & Inquisitorem, seu Inquisitores Regni Sardiniæ ex causa Processus a d. Episcopo contra Nicolaum Marinum Decanum, & Parochum Collegiatæ Ecclesiæ de Templo super delictis prætensis circa materiam Fidei confect.

Ven. Fratri Archiepiscopo Turritan.

Clemens Papa X.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Episcopus Ampurien., & Civitaten. in Regno Sardiniæ, quod cum dilectus Filius Nicolaus Marinus Decanus, & Parochus actualis Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi de Tempio Apurien. Diœcesis, ipsique Episcopo omnino subjectus, delictum publicæ, & scandalosæ inobedientiæ mandatis ejus in actu solemni Processionis Synodalis perpetraviſſet, & de eo criminaliter fuisset a Promotore Fiscali accusatus, sicut, & postea de gravibus sceleribus ad Parochi, quod ipsi incumbit, officium pertinentibus, & propterea dictus Episcopus præfatum Nicolaum Marinum in Oppido Civitate nuncupato Castri Aragonensis d. Diœcesis detineret censuris, aliisque pœnis circumligatum.

Episcopus Ampurien. ex gravibus delictis relegat Parochum Ecclesiæ Oppidi de Tempio.

§. 1. Dum idem Episcopus causæ cognitioni intendebat, & post duos supra viginti dies ejusmodi relaxationis Mandatis Episcopalibus, & censuris contemptis, ipse Nicolaus Marinus a loco reclusionis discedens, transiit ad istam Civitatem Turritan. sine consensu dicti Episcopi, nec ejus Vicarii in Spiritualibus generalis sub prætextu cujusdam Epistolæ dilecti Filii Inquisitoris adversus hæreticam pravitatem in dicto Regno Sardiniæ auctoritate Apostolica deputati dictum Nicolaum Parochum ad se ob negotia Inquisitoris (cujus Commissarius appellatur) advocantis.

D. Parochus transiit ad Civitatem Turritanam sub prætextu Epistolæ Inquisitoris Regni Sardiniæ.

§. 2. Quo cognito præfatus Episcopus Ampurien. Epistola humanissima ad dictum Inquisitorem missa, perbeneque rogavit, ut dictum Nicolaum repeteret, cujus delicta modo nullatenus Fidei materiam, nec suspicionem attingebant. Inquisitores autem ordinariæ Episcopalis Jurisdictionis perturbatores facti, via Judiciali in alienas messes falcem immittunt, comminantes, aggravantesque lamentabili Plebis scandalo censuras Episcopo, ejusque Vicario generali, nisi a cognitione Causæ dicti Nicolai abstineant.

Episcopus rogat Inquisitorem, ut dictum Parochum remitteret prout in rubrica.

Inquisitores comminantur censuras Episcopo, ejusque Vicario Generali.

§. 3. Quibus cum pro parte Curiæ Episcopalis Ampurien. Juris remediis Notarius occurrisset modeste, Inquisitores prædicti nonnullos homines armatos agmine facto in præfatum Oppidum Castri Aragonensis immiserunt die 2. Mensis Januar. proxime præteriti: quos cum a

Notarius Curiæ Episcopalis utitur Juris remediis.

Inquisitores homines armatos immittunt.

longe

Episcopus tumultum vitavit.

longe Cives Castri Aragonensis conspexissent, commoti, armisque muniti, invadere manu hostili tentabant. Ipse autem Episcopus re cognita, Oppidi portas claudi curavit, & suorum sedata multitudine scandala præoccupavit.

Pontifex causam, & causas inter d. Episcopum, & Inquisitorem, seu Inquisitores pro expressis habet.

§. 4. Quare nos ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito scandalis, & perturbationibus, quæ præmissorum occasione oriri possent, mature occurrere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, ac Causæ, seu Causarum, sive controversiarum hujusmodi inter Episcopum Ampurien., & Inquisitorem, seu Inquisitores præfatos vertentium statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium seu contendentium quorumcumque, & alia quælibet, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime specificatis habentes:

Hanc causam, & causas avocat ad se, & S. Sedem Apost.

§. 5. De Ven. Fratrum Nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium in tota Republica Christiana generalium Inquisitorum adversus hæreticam pravitatem hujusmodi a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Causam, seu Causas, sive controversias præfatas, in statu, & terminis, in quibus de præsenti quomodolibet reperiuntur, cum omnibus, & singulis illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali a memoratis Episcopo Ampurien., & Inquisitore, seu Inquisitoribus Regni Sardiniæ, illorumque respective Vicariis, Commissariis, Officialibus, & Ministris, aliisque Judicibus, & Tribunalibus quibuscumque ad Nos, & Sedem Apostolicam præfatam tenore præsentium avocamus.

Committit Archiepiscopo Turritano, ut hanc avocationem Partibus denunciet, eisque inhibeat.

§. 6. Ac proinde fraternitati tuæ per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut avocationem Causæ, seu Causarum, sive controversiarum hujusmodi a Nobis, ut præfertur, factam eisdem Episcopo, & Inquisitori, seu Inquisitoribus, eorumque respective Vicariis, Commissariis, Assessoribus, Consiliariis, Promotoribus, seu Procuratoribus, Fiscalibus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris, ac quibusvis aliis, quibus oportuerit, seu expedire judicaveris, auctoritate nostra Apostolica quanto citius notifices, & denuncies; eisque, & eorum cuilibet, ne tam conjunctim, quam divisim in præmissis, vel eorum aliquo directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet quidquam innovare, vel attentare audeant quovis modo, seu præsumant, dicta auctoritate districte inhibeas.

Præceptum faciendum Partibus, & Provisio quoad Parochum.

§. 7. Ac illis præcipias, & mandes, ut a quibusvis attentatis, seu innovatis hujusmodi humiliter abstinentes, ad Nos, & dictam Sedem recurrant, actaque omnia, & processus hucusque factos, & facien. ad Nos transmittant, dictumque Nicolaum apud Te retineas, donec a suprema Nostra, & ejusdem Sedis æquitate habeatur Justitiæ complementum: Nos enim tibi præfata omnia, & singula alia, quæ in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi, & exequendi, ac executioni mandari curandi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur.

D. Archiepiscopo opportunas facultates impertit.

Obstantia refert.

§. 8. Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam in favorem S. Officii, & Inquisitorum, etiam generalium, illorumque Officialium, & Ministrorum quorumlibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.

Eis omnibus latissime derogat.

§. 9. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime servatis, & specificatis respective habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogarum esse volumus. cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Febr. 1676. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Dát. 22. Febr. 1676. An. 6.

I. G. Slusius.

Regist. in Secretaria Brev. in lib. Sexto diversorum fol. 243.

XCIX.

Confirmatio literarum Pauli V., & Decreti Congregationis Episcop., & Regular. quoad Abbatiarum mutationes, & guberniorum pro Congregatione Canonicorum Regular. S. Salvatoris Ord. S. Augustini.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Consuetudo Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ord. S. Augustini.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Ludovicus Coci Abbas Generalis, & Bartholomæus Tasca Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, quod licet in eadem Congregatione tam Superiores majores, quam Abbates a suis guberniis, & Abbatiis de triennio in triennium mutari, seu transferri consueverint, & dudum fel. rec. Paulus Pap. V. Prædecessor Noster abusum confirmandi aliquos Abbates in eisdem guberniis, qui tunc introductus erat, per quasdam suas in simili forma Brevis literas die 12. Maji 1607. expeditas sustulerit, ac per easdem literas inter alia statuerit, ut unius Nationis Canonici, qui aliquas ex Prælaturis d. Congregationis obtinuissent, ad easdem nisi sexennio, vel saltem triennio, & ex tunc decurso, iterum in eisdem Monasteriis, & locis promoveri non deberent.

Paulus V. abusum confirmandi aliquos Abbates cum eisdem guberniis sustulit prout in rubrica.

Dispensationes extortæ contra dd. literas Pauli V.

§. 1. Nihilominus nonnulli Abbates Congregationis prædictæ in præteritis trienniis dispensationem, sive gratiam confirmationis in eisdem Abbatiis, & guberniis reportarunt, illorumque exemplo quorumdam aliorum Abbatum temeritas, & ambitio eo processit, ut ejusmodi gratia confirmationis ad sexennium continuum obtenta non contenti, illam ad novennium extendi procurent, & (quod pejus est) conquisitis favoribus; confirmationem hujusmodi, etiam in primariis ejusdem Congrega-

Extensio dd. Dispensationum.

tionis Abbatiis, quæ ab ejusmodi abusu immunes hactenus servatæ fuerunt, sibi concedi contendant, non sine evidenti Abbatum Nationalium, ac præsertim meritis præstantium, præjudicio.

Decretum S. Congregationis Episc., & Regul. per Decretum injunxit Superioribus Generalibus dict. Congregationis S. Salvatoris, ut in præmissis servetur dispositio dd. literarum Pauli V.

§. 2. Quare Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Procuratore Generali præfato, censuit injungendum, prout injunxit Superioribus Generalibus præfatæ Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, ut circa præmissa ab iisdem Abbatiis omnino servetur dispositio prænarratarum Pauli Prædecessoris literarum, in quibus inter alia ordinatur, ut Abbates Congregationis Canonicorum Regularium hujusmodi ab iisdem Abbatiis per sexennium, vel saltem per triennium vacent.

Preces Abbatis Generalis, & Procuratoris Generalis d. Congregationis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat prædicti Ludovicus Abbas Generalis, & Bartholomæus Procurator Generalis, tam supra dictas Pauli Prædecessoris literas, quam Decretum prædictæ Congregationis Cardinalium super illarum observantia, ut præfertur, die 6. Septembris proxime præteriti emanatum Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Ludovico Abbati Generali, & Bartholomæo Procuratori Generali gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Absolutio à Censuris.

§. 4. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatas Pauli prædecessoris literas die 12. Maii 1607., & Decretum super earum observantia a memorata Cardinalium Congregatione die 6. Septembris proxime præteriti respective emanata, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Pontifex dd. Pauli V. literas, & Decretum Congregationis Episcopor. & Regul.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Congregationis Canonicorum Regularium, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorū derogatio.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Februar. 1676. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Dat. 28 Febr. 1676. An. 6.

I. G. Slusius.

Constitutio revocatoria facultatum ingrediendi Monasteria Monialium Almæ Urbis, ac Italiæ, & Insularum adjacentium Mulieribus Sæcularibus concessarum.

C.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus Officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati Nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, credere dignata est, salubriter exequi, adjuvante Domino satagentes, religiosæ Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum quæ oblitæ populum suum, & domum patris sui, divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, tranquillitati consulere jugiter studemus; & illustrior illa portio gregis Christi, sublatis e medio omnibus illis, quæ spiritum in Cœlis conversantem distrahere, ac Christi Sponsas a virtutum studiis, pietatisque exercitiis avocare possent, majora in dies decoris atque ornamenti gratiæ spiritualis cœlesti Sponso donante suscipiat incrementa.

Causa hujus revocationis.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis relatum fuit, nonnullæ mulieres Sæculares, quibus pro spirituali earum consolatione licentiæ ingrediendi Monasteria Monialium, tam in Alma Urbe Nostra, quam in Italia, Insulisque illis adjacentibus consistentia Apostolica auctoritate concessæ erant, ejusmodi gratiis abutentes, mulierum cujuscumque generis, & conditionis agmina secum in eadem Monasteria ducere, ac Moniales ab orationis, aliorumque piorum operum exercitiis avertere, & a divinorum contemplatione avocare, sanctæque solicitudinis spiritum, ac religiosam illarum quietem, atque disciplinam multipliciter perturbare veritæ non fuerint, non sine gravi, tam spirituali, quam etiam temporali ipsorum Monasteriorum, ac Monialium detrimento:

Greg. XIII. & Paulus V. revocarunt licentias datas Mulieribus sæcularibus ingrediendi Monasteria Monialium.

§. 2. Hinc est, quod Nos ejusmodi malorum occasionem penitus recidere cupientes, ac fel. rec. Gregor. XIII., & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Gregorius quidem per suam, quæ incipit, *Ubi gratiæ &c.* anno Incarnationis Dominicæ 1575. Idibus Junii; Paulus vero itidem per suam, cujus initium, *Monialium statui &c.* die 10. Jul. 1612. respective editas Constitutiones similibus incommodis opportuno revocationis licentiarum hujusmodi remedio providerunt, vestigiis inhærentes:

Pontifex omnes hujusmodi licentias postea datas in Urbe, & tota Italia, ac Insulis adjacentibus revocat, prout in rubr.

§. 3. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & Loca Monialium in dicta Urbe, ac in tota Italia, atque Insulis Italiæ adjacentibus existentia quibusvis etiam Comitissis, Marchionissis, & Ducissis, & aliis quibuscumque status, gradus, & conditionis Mulieribus in hunc usque diem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ac etiam a Nobis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & efficacioribus, ac insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis ad tempus, vel in perpetuum, seu alias quomodolibet con-

cessas, quarum, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, & irritamus, ac revocatas, cassatas, & irritas esse decernimus.

Pœnæ adversus Mulieres contravenientes.

§. 4. Inhibentes proinde Mulieribus prædictis, quæ dd. licentias obtinuerunt, sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna, a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutæ absolvi possint, ne Monasteria prædicta prætextu licentiarum hujusmodi ingredi audeant, seu præsumant.

Adversus Abbatissas, seu Priorissas, ac Superiores.

§. 5. Ipsorum vero Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus sub eadem, ac privationis suorum Officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne illas in Monasteria hujusmodi introducere, seu admittere, aut ingredi permittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant similiter, vel præsumant.

Publicatio demandatur, prout in rubrica.

§. 6. Quocirca dilectis Filiis Nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis nunc, & pro tempore existentibus, ac Venerabilibus Fratribus Patriarchis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, necnon dd. Monasteriorum Prælatis, & Superioribus harum serie præcipimus, & mandamus, ut præsentes Literas publicari, & præmissa omnia observari faciant: Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes per prædictas, & alias Sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam quatenus opus fuerit auxilio brachii Sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Quia vero difficile foret has Literas ad omnia loca deferri, volumus ut earum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 29. Febr. 1676. An. 6.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Febr. 1676. Pontificatus nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. 6. Brevium diversf. fol. 162.

Publicatio præsentium literarum.

Die 2. Martii 1676. supradictum Breve, seu Constitutio, affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac etiam in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Alexandrum Albritium Cursorem Apostolicum.

Antonius Canutius Mag. Curs.

CI.

Declaratio circa celebrationem Capitulorum Provincialium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Clemens IX. confirmat Decretum Capituli Generalis Fratr. Capuccinorum Sancti Francisci.

DUdum fel. rec. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster quædam Decreta, seu Capitula in Capitulo Generali Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum facta, & stabilita, & inter alia unum, quo cavebatur, ut Capitula Provincialia, quæ annualia erant, in posterum tantum fierent de triennio in triennium, & singulis annis fieret Congregatio intermedia, auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit, & alias, prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 9. Septembris 1667. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Verum subinde Nos ad instantiam bon. mem. Federici, dum vixit S. R. Eccl. Cardinalis Borromæi nuncupati dicti Ordinis apud nos, & S. Sedem Apostolicam Protectoris, prædictas Clementis prædecessoris literas in nonnullis earum articulis diversimode moderati sumus, & inter alia dispensavimus, ut Capitula Provincialia hujusmodi fierent secundum exigentiam Provinciarum, super quo posset Minister Generalis ejusdem Ordinis juxta necessitatem concedere facultatem, & quemadmodum dd. literæ ordinabant, ut Capitula forent triennalia, in futurum fierent de sequianno in sesquiannum, sublatis Congregationibus intermediis, & alias prout in literis ejusdem Federici Cardinalis Protectoris desuper die 28. Julii 1671. emanatis dicitur contineri.

Pontifex dictum Decretum est moderatus, prout in rubric.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti Filii Stephanus à Cesena Minister Generalis, & Bonaventura à Recineto Procurator Generalis Ordinis præfati Nobis nuper exponi fecerunt, licet ipse Stephanus Minister Generalis vigore moderationis, seu dispensationis a Nobis, sicut præmittitur, concessæ abinde procuraverit, ut communiter omnes Provinciæ ejusdem Ordinis Capitula sesquiannalia, sublatis Congregationibus intermediis celebrarent, quippe qui id bono communi magis expedire cognoverit, nihilominus post obitum memorati Federici Cardinalis, & Protectoris a nonnullis super intellectu verborum, quibus dicta moderatio, sive dispensatio vulgari italico idiomate concepta fuit, mota fuerit aliqua difficultas: An scilicet Ministri Provinciales Capitula triennalia cum Congregationibus intermediis retinere possint? An vero post ejusmodi moderationem fuerit, & sit absolute necessaria licentia Ministri Generalis ad retinenda in Provinciis Capitula triennalia, & Congregationes intermedias hujusmodi? Ac utrum Minister Generalis in vim moderationis, sive dispensationis hujusmodi potuerit, & possit adstringere Provincias ad Capitula de sesquiennio, in sesquiennium, sublatis Congregationibus intermediis, celebranda, prout communi ipsarum Provinciarum bono magis expedire judicaverit.

Dubia exorta super intellectu d. Moderationis.

§. 3. Nobis propterea Stephanus Minister Generalis, & Bonaventura Procurator Generalis præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pro peculiari nostro in Ordinem prædictum paternæ charitatis affectu, omnem in præmissis dubietatem, ne exinde religiosa tranquillitas perturbetur, tollere, dictorumque Stephani Ministri Generalis, & Bonaventuræ Procuratoris Generalis votis favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati:

Preces Generalis, & Procuratoris Generalis dicti Ordinis.

Absolutio a Censuris.

§. 4. Auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse, per moderationem, seu dispensationem supra expressam, quam justis ex causis animum nostrum moventibus pro communis totius Ordinis prædicti bono concessimus, Ministro

Declaratio d. Decreti.

Alia similis Declaratio.

Generali ejusdem Ordinis concedere facultatem ordinandi Capitula sesquiannalia, sublatis Congregationibus intermediis, secundum exigentiam Provinciarum. Talem autem exigentiam debuisse, & debere determinari ab eodem Ministro Generali, non autem a Provinciis. Ac ipsum Ministrum Generalem potuisse, & posse cogere easdem Provincias ad Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum, sublatis Congregationibus intermediis, celebranda, prout secundum datam sibi a Dño prudentiam, ad conservandum, promovendumque in ipsis Provinciis regularis observantiæ rigorem, tollendosque, si qui irrepserint abusus, expedire in Dño judicaverit.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorũ derogatio.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Ordinis, ejusque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 30. Martii 1676. Anno 6.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Martii 1676. Pontificatus nostri Anno sexto.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Aprilis part. utraque fol. 46.

CII.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex Ecclesiis tam Monachorum, quam Monialium Congregationis Vallis Umbrosæ die festo S. Joannis Gualberti Abbatis Fundatoris dictæ Congregationis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœlestium munerum Thesauros, quorum Dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad Christianæ pietatis incrementum, & animarum Christifidelium salutem profuturos speramus, libenter elargimur.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Abbatis Generalis Congregationis Monachorum Vallis Umbrosæ Ordinis Sancti Benedicti nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Monachorum, quam Monialium Congregationis hujusmodi hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentium die festo S. Joannis Gualberti Abbatis, & Fundatoris Congregationis prædictæ a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Aprilis 1676. Pontificatus nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secretaria Brevium in lib. 6. diversorum fol. 549.

Declaratio, quod Conventus Jesu, & Mariæ de Urbe Congregationis Italiæ Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Excalceatorum sit Conventus Generalis, & Studii Generalis &c.

CIII.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Solicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut paternam Religiosarum Congregationum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutarum, ubereseque bonorum operum fructus adjuvante Domino proferre jugiter satagentium curam gerentes, illarum decori, & commodis, ac præsertim Sacrarum, eisque æmulantium bonorum literarum Studiis in eis ad Dei gloriam, & Religionis incrementum promovendis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Expositio facti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Vicarius Generalis, & Gremiales Diffinitorii Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod licet Conventus olim S. Antonii, nunc Jesu, & Mariæ nuncupatus de Urbe dictæ Congregationis, alias a tunc existentibus Superioribus ex contributione Provinciarum tunc existentium ipsius Congregationis acquisitus, & fundatus fuerit, ad hoc ut in eo Studium Generale ad communem utilitatem erigeretur, in eoque subinde Collegium erectum, & multorum annorum spatio sustentatum, literarum Studiis eximie floruerit, ac ut idem Conventus Religiosis literarum scientia conspicuis abundaret, & unaquæque Provincia unum Religiosum, qui ibidem perfectioni studere, seque ad exercitium cujuscumque muneris in obsequium dictæ Congregationis obeundi habilem reddere deberet illuc mitteret an. 1618. a Capitulo Generali declaratum fuerit, quod d. Conventus habeatur dignior omnibus Conventibus, & Prior illius ubique omnes Priores præcederet, præter Priorem localem; Quinimo Capitulum Generale ejusdem Congregationis anno 1628. celebratum insuper declaraverit, prædictum

Declaratio Capituli Generalis anno 1618.

Alia Declaratio d. Capituli Generalis anno 1628.

Conventum

Conventum esse Conventum Generalem, itaut in eo existerent de Familia Fratres ex unaquaque Provincia, ad dispositionem Vicarii Generalis, atque ita diu servatum fuerit. Nihilominus postmodum bo. me. Jo. Baptista S. R. E. Cardinalis Pallottus nuncupatus, Ordinis præfati tunc temporis apud Sedem Apostolicam Protector, declarationes prædictas propter particulares considerationes revocari, & annullari curavit.

Cardin. Protector dd. declarationes revocari curavit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes experientia compertum habeant ad gloriam Omnipotentis Dei, ac communem dictæ Congregationis utilitatem, & unionem, Nationumque pacem expedire, ut Conventus prædictus in pristinum statum restituatur, quo etiam Sanctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis doctrina, quam Fratres Congregationis præfatæ, ex præscripto suarum Constitutionum sequi debent, ibidem facilius valeat promoveri: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Subinde experientia monstravit expedire, ut præd. Conventus in pristinum statum restituatur.

§. 3. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratum Conventum Jesu, & Mariæ de Urbe dictæ Congregationis Conventum Generalem, & Studii Generalis juxta usum, & praxim temporum præteritorum esse, & deinceps fore auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, statuimus, & declaramus.

Preces Vicarii Generalis, & Gremialium Diffinitorii.

Absolutio à Censuris.

Pontifex declarat, & statuit d. Conventum Jesu, & Mariæ de Urbe esse Conventum Generalem, & Studii Generalis.

§. 4. Volentes, ut Prior ipsius Conventus ex qualibet Provincia ejusdem Congregationis, & quatenus fieri poterit, per turnum assumatur, ad hoc, ut dignior, & magis conspicuus eligatur; Ipse autem Prior cum suo Discreto, quem Capitulum dicti Conventus eliget, vocem non in Congregatione Provinciali, sed in Capitulo Generali Congregationis præfatæ habeat, & ad eumdem Conventum unaquæque Provincia ipsius Congregationis mittere debeat unum, vel duos Studiosos ex magis idoneis a Vicario Generali cum consilio Diffinitorii respective illius Provinciæ, ac Superioris Provincialis eligendos.

Mandat, ut Prior d. Conventus ex qualibet Provincia d. Congregationis assumatur.

Quod idem Prior cum suo Discreto vocem habeat in Capitulo Generali.

Quod unaquæque Provincia duos studiosos ad d. Conventum mittere debeat.

§. 5. Porro Studium Generale hujusmodi protectioni dilecti Filii Nostri Palutii Basilicæ Sanctorum XII. Apostolorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati dicti Ordinis moderni, & pro tempore existentis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris peculiariter committimus, & demandamus.

D. Studium Generale peculiariter committit Protectioni Cardinalis Protectoris ejusdem Ordinis.

§. 6. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis, ac Provinciarum, & Conventus præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1676. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Dat. 27. Apr. 1676. An. 6.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. Brevium in Lib. Mensis Aprilis par. utraque fol. 147.

CIV.

Confirmatio Constitutionum Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Hanc Congregationem erexit Clemens VIII. Constit. Ad militantes Ecclesiæ, *quam dein approbavit, duoque Vota præter alia ab istis Discalceatis emitti jussit Paul. V. Constit.* Quæ piæ, *ac ipsos denique a jurisdictione, superioritate, & obedientia Ministri Generalis Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis exemit Urb. VIII. Constit.* Ex quo regimen.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INscrutabili divinæ providentiæ arcano ad Pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus evecti, illa, quæ feliciter gubernandis, ac salubriter dirigendis Congregationibus Religiosorum Virorum leve Christi jugum sub arctioris disciplinæ observantia laudabiliter portantium, ac propriæ, alienæque non spirituali tantum, sed etiam corporali saluti studiosa charitate jugiter incumbentium, in Ecclesia Dei pie, sancteque institutis provide prudenterque dispositæ, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis gloriam, Religionis incremenrum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Narrativa Procuratoris Generalis Congreg. Hispaniæ Fr. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Didacus a Jesu Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod Fratres dictæ Congregationis in suis Capitulis Generalibus aliquas Constitutiones pro felici, prosperoque ipsius Congregationis Regimine, & gubernio fecerunt, quas etiam nuper Diffinitorium generale ejusdem Congregationis revidit, auxit, & correxit, ac ad hanc Sanctam Sedem transmitti curavit, ut nostro, & ejusdem Sedis patrocinio munirentur.

Pontifex has Constitutiones committit examini

§. 2. Nos vero easdem Constitutiones nobis exhibitas nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis, quorum fides, ac prudentia, & Sacrorum Canonum

nonnullorum Prælatorum.

Resolutio dd. Prælatorum.

peritia nobis perspecta est, discutiendas commisimus, qui mandatis nostris prompto obsequio morem gerentes, illas mature, diligenterque examinarunt, & nonnullis sublatis, nonnullis adjectis, aliisque ubi opus fuerit correctis, & emendatis, Constitutiones ipsas in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Constitutiones Generales Fratrum Discalceatorum Congregationis Hispaniæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Regulæ Cap. primum Fratres Discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis.

CAPUT I.

De tribus votis essentialibus, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, ac de quarto non ambiendi.

§. 1. De Voto Obedientiæ.

QUoniam obedientiæ tanquam basi fundamentali omnis Regularium Ordinum gubernatio innititur, intelligent fratres nostræ Congregationis primum humilitatis gradum esse obedientiam sine mora; tunc enim ipsa Obedientia acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dicit, *qui vos audit me audit*, & cum bono animo a Fratribus præberi oportet, *quia hilarem datorem diligit Deus*; nam si cum malo animo obedit subditus, & non solum ore, verum etiam in corde si murmuraverit, etsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

2. Cæterum volumus, & declaramus, ut Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam lethalem, aut venialem, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum.

3. Præceptum autem nullum intelligi volumus, & declaramus, nisi quod spectat ad tria Vota essentialia, & quartum non ambiendi in Clericis, & non transeundi ad Statum Clericalem, & Sacros Ordines in Laicis, vel quod in his Constitutionibus, aut a Superioribus præcipitur sub pœna excommunicationis, vel in virtute Sanctæ Obedientiæ: transgressionem vero, vel omissionem aliorum, secluso contemptu, nolumus obligare, nisi ad pœnam impositam, vel a Superioribus pro eorum prudenti arbitrio imponendam.

4. Quod si aliquis (quod Deus avertat) quoad reverentiam Superiori debitam in re gravi deliquerit, cæteri Religiosi diligenter sub pœna gravis culpæ curent, ut Reus severe puniatur, nullaque culpa irreverentiæ erga Superiorem, quantumvis levis impunita maneat.

5. Si aliquis Religiosus coram Superiore alicui præcepto non obedierit, vel suam inobedientiam mordicus, & pertinaciter defenderit, continuo incarceretur tanquam contumax, & rebellis, & voce activa, & loco privatus sit pro tempore culpæ proportionato ad arbitrium Prælati; & eadem pœna mulctentur, qui contra Superiores insurrexerint istorum Officia usurpantes, vel eorum executionem impedientes.

6. Religiosi nihil omnino agant sine licentia Superioris; præsertim absque illa, cum extraneis non loquantur, nec scribant, neque recipiant literas, quin prius illas manifestent Superiori, qui eas legat, & curet ne scribantur, nec recipiantur, quæ convenientes non fuerint; poterunt tamen sine licentia ad suos Prælatos, Superiores, Diffinitores scribere, & eorum literas accipere.

7. Si subditus aliquis aperuerit, vel non tradiderit Literas Patris Generalis, Diffinitorum Generalium, vel suorum Ministrorum Provincialium, vel Conventualium, vel illas, quæ ad ipsos mittuntur, sit incarceratus, & voce, ac loco privatus pro tempore culpæ proportionato; si vero Delinquens Prælatus fuerit, sit suspensus a suo Officio per quatuor menses; quod si aliquis inferior aperuerit, vel non tradiderit literas, quas quilibet Religiosus alteri mittit, puniatur pœna culpæ gravis, & eadem pœna mulctetur etiam quilibet Prælatus, qui literas sibi non subditorum aperuerit.

§. 2. De Voto Castitatis.

1. Si aliquis Religiosus, (quod Deus avertat) contra Castitatem deliquerit, & de eo convictus fuerit, incarceretur per sex menses, jejunet, & flagelletur arbitrio Superioris, attenta gravitate delicti, & per spatium unius anni privatus sit officio, voce, & loco. Quod si delictum publicum fuerit apud Sæculares, disciplina conventuali flagelletur, ac per integrum annum in carcere sit, & voce, ac loco per triennium careat; si autem in simile peccatum relabatur, prædicta pœna duplicetur.

2. Quoniam autem de hujusmodi delictis plena probatio raro fieri valet, præcipimus Prælatis, ut Religioso de ipsis diffamato, nisi famam suam prius ita purgaverit, ut nullum ministræ de se opinioni locum reliquisse videatur (quod quidem pro timorata eorum conscientia, atque prudentia judicabunt) honores denegent, & gratias, quæ aliis concedi solent videlicet Officia, studia, Ordines, Lecturas, facultatem concionandi, & confessiones audiendi, & a Conventu exeundi &c. Patrumque Provincialium, ac Ministrorum conscientias oneramus, ut specialem curam similium Religiosorum habeant.

§. 3. De Voto Paupertatis.

1. Ad Paupertatis Votum spectat, nihil tanquam proprium, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere: quare qui secus fecerit, vel aliquid custodiendo intra, vel extra Domum, Prælatum celaverit, tamquam gravissime delinquens, pœna proprietarii, ac aliis ad arbitrium Superiorum puniatur. Poterunt tamen Religiosi uti rebus necessariis sibi a Religione, medio Superiore impertitis, quas etiam nullus, quamvis sit Prælatus extra Conventum reservet sub eadem proprietarii pœna. Quod si aliquis inventus fuerit habere pecunias sine licentia, etiamsi illas habeat ad emendum aliquid sibi commissum, vel ad faciendam aliquam restitutionem, vel per modum Depositi, sive alio quovis prætextu, pœna gravi afficiatur.

2. Quilibet Religiosus poterit in Cella habere mensam parcam, & scabellum ex pino, ac Imaginem Crucifixi, & Beatæ Virginis Mariæ in pariete depictam, seu in papyro, absque tamen aliqua illuminatione, nec auro, argento, bombyce, & similibus aliquis utatur, etiamsi sit in parva quantitate, & in ornatum Reliquiarum, sive Imaginum, dum autem, ex rebus sibi ad usum concessis aliqua non utatur, eam reponat in Officina Communi, ad quam pertinet, & nullus unquam utatur verbis istis: *Meum, tuum &c.*

3. Omnia quæ, & quocumque titulo obvenerint Religioso, sive in communi, sive in particulari, tradantur statim Prælato, ut de illis disponat tanquam de bonis propriis Communitatis & in Officina communi reponantur.

4. Pecunia semper sit in Arca, quæ tres habeat distinctas claves, nec superior illam habere, nec expendere, nec licentiam alicui Religioso dare poterit, ut illam habeat, vel expendat,

quin prius in dictam Arcam fuerit intromissa; ab illa autem educetur, ut ab Officialibus Conventus rependatur cum expressa Prælati licentia.

5. Nullus Religiosus habeat clavem Cellæ, Arcæ, Capsulæ, vel alterius similis rei, excepto Patre Generali, & ejus Secretario; Patres vero Diffinitores generales, Provinciales, Redemptores, & Procuratores Generales ad custodienda scripta, & suorum Officiorum sigilla poterunt habere clavem alicujus Capsulæ, seu scrinii. Patres quoque Ministri Conventuales clavem habere poterunt capsulæ sub mensa Cellæ, cujus altitudo digitorum quatuor, longitudo vero duorum sit palmorum, ac etiam habeant Claves Magistras pro Clausura, Religiosi item Officiales habebunt Claves suarum Officinarum. Et etiam Architecti, Fabrilignarii, ac Cæmentarii habere poterunt Clavem alicujus Officinæ, vel Arcæ ad custodienda Instrumenta suorum Officiorum. Officinæ tamen sint extra Dormitorium, nec in eis habitent, nec dormiant Officiales, aliive Religiosi. Prædictæ autem Claves omnium Officinarum sint duplicatæ, & alteram ex eis habeat Minister, qui aliquoties Officinas visitabit, & ab eis amovebit, quæ vel ad munera prædictorum Officialium, vel ad usum Religiosorum necessaria non fuerint.

6. Diffinitorium generale in necessario concedere poterit alicui Religioso Clavem alicujus Arcæ, vel Capsulæ, necnon prævia informatione PP. Ministrorum Lectoribus, & Prædicatoribus manticas cum serulis, in quibus Conciones, & alia scripta custodiant.

7. Patres Ministri de trimestre in trimestre visitent manticas Lectorum, & Prædicatorum in ipsorum præsentia sub pœna suspensionis pro tempore ad arbitrium PP. Provincialium. Similiter sub pœna suspensionis per quindecim dies bis saltem in anno visitabunt Cellas, scripta, habitus, cæteraque alia, quæ Religiosi ad usum habuerint suum, superfluaque, & inutilia auferent quamvis illa habeant cum Prælati Superioris licentia, & de necessariis absque mora providebunt Fratribus indigentibus. Ad hanc autem visitationem exequendam præcepto imposito Subditos obligabunt, ut omnia absque aliqua exceptione patefaciant.

8. In Conventibus, & Collegiis nostris permittimus in solemnioribus festis, & funeribus personarum gravium usum Dalmaticarum pro Diaconis, & Subdiaconis, necnon Collarium pro Acolythis, neutiquam vero manicatum in Crucibus Processionalibus, nec in inferioribus partibus Albarum, & Rochettorum ornatum, qui apud Hispanos dicitur *Faldon*.

§. 4. *De Voto non ambiendi.*

1. Omnes nostri Religiosi ad Chorum deputati, tempore suæ professionis immediate post tria vota essentialia, quartum emittant, non prætendendi in nostra Religione Officia, & Prælaturas, videlicet Ministri Generalis, Diffinitoris Generalis, Magistri Provincialis, & Conventualis, Visitatoris, Præsidentis, necnon Socii in Capitulo Generali, & Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ, vel Regiæ; similiter non prætendendi, neque admittendi ad aliquam Prælationem extra nostram Religionem, juxta formam dispositam a felic. record. Paulo Papa VI., si quis autem inventus fuerit prætendisse aliquam Prælationem, seu Officium ex prædictis incarceretur per mensem, & officio, voce, & loco per triennium privatus sit.

2. Præterea omnes fratres laici in sua professione immediate per tria vota essentialia quartum etiam emittant *de non transeundo ad statum clericalem, & Ordines Sacros, & de non prætendendo directe, vel indirecte dictum transitum juxta Breve fel. rec. Alexandri VII. Qui verò secus fecerit, ad arbitrium Provincialis graviter mulctetur.*

REGULÆ CAPUT SECUNDUM.

Omnes res undequaque licite veniant &c.

Caput Primum.

De Redemptione Captivorum.

§. 1. De Ratione, & Cura, qua separandum, & custodiendum est, quod pertinet ad Redemptionem Captivorum.

1. Præcipimus stricte omnibus Prælatis nostræ Religionis, ut omni cura adimpleant obligationem, quam habent separandi pro Redemptione Captivorum tertiam partem omnium rerum, quæ juxta Sanctam Regulam nostram separari debet, & oneramus conscientias Patrum Visitatorum, ut invigilent hujus legis observantiæ.

2. Separatio ista in quolibet Conventu, & Collegio per Ministrum, seu Præsidentem, & Consiliarios fiat statim, ac receptum fuerit quodlibet genus fructuum, aliarumve rerum, & separatim conservetur in propria specie quod ad redemptionem pertinuerit, & in Libro Redemptionis scribatur. Et post quamlibet Visitationem dictus Minister, seu Præses mittat Redemptori suæ Provinciæ declarationem ab ipso, & Consiliariis subscriptam omnium rerum, quæ secundum hanc Constitutionem pertinent ad Redemptionem.

3. Quotiescumque determinate pro Redemptione Captivorum recepta fuerit aliqua considerabilis, seu magni momenti quantitas, cujuscumque generis sit, similis fiat declaratio a prædictis tribus subscripta, & Redemptori quamprimum mittatur. De parvis autem quantitatibus pro Redemptione determinate receptis, hæc fiet declaratio post quamlibet visitationem, & tunc Redemptori mittetur. Patres vero Redemptores Librum habeant, in quo distincte scribant omnia, quæ ex prædictis declarationibus constiterit spectare ad redemptionem in omnibus Conventibus, & Collegiis unusquisque videlicet pro sua Provincia.

4. Nullus Minister, seu Præses etiam cum Consiliariis audeat titulo aliquo, sive prætextu vendere, & alienare dictas species, sive ex separatis pro tertia parte juxta tenorem Regulæ, sive ex datis determinate ad Redemptionem, sine licentia Provincialis, quem tam ipse, quam Consiliarii monere teneantur tempore apto de periculo, quod potest esse in conservatione rerum, vel fructuum in propria specie, ut de illis disponat in majorem Redemptionis utilitatem.

5. Insuper integra pars tertia separetur pro Redemptione Captivorum ex mobilibus hæreditatis, & bonorum à Parentibus relictorum. Similiter etiam separabitur, deductis expensis in cultura, ex fructibus, & proventibus possessionum provenientibus ex bonis, sive ratione Legitimæ, sive hæreditatis, sive donationis acquisitis. Quando autem Diffinitorium Generale, vel Conventus aliquis, seu Collegium cessionem fecerit alicujus Legitimæ, ad quam Jus habet, numquam cedat partem Legitimæ illius ad Redemptionem spectantem.

6. Præcipimus omnibus Superioribus, ut in Conventibus, seu Collegiis, in quibus non fuerit designata hæc particularis Arca pro custodienda pecunia pertinente ad Redemptionem Captivorum, illa reponatur, & custodiatur in Arca trium Clavium communi Conventus, vel Collegii in loco tamen ejus separato.

7. In qualibet Provincia unus sit Conventus, seu Collegium per Capitulum generale assignatum,

signatum, in quo erit particularis Arca trium Clavium, deserviens dumtaxat pro custodiendis pertinentibus ad Redemptionem. Quæ & erit communis pro pecuniis totius Provinciæ. Ex dictis autem clavibus, altera sit apud Ministrum, altera apud Redemptorem illius Provinciæ, vel ad ejus defectum apud Procuratorem ejus Conventus, seu Collegii, & altera apud Consiliarium antiquiorem. Quod si in aliquo Conventu, vel Collegio evenerit, quod sit Arca particularis pro custodiendis tantum pecuniis ad Redemptionem pertinentibus, illius claves habeant prædicti Minister, Consiliarius antiquior, & Procurator Conventus, vel Collegii; nunquam autem præfatæ Arcæ aperiantur sine assistentia trium Clavariorum, qui distincte, ac perspicue scribant omnia, quæ recipiuntur & in negotiis Redemptionis expenduntur.

8. Redemptores Captivorum bis quotannis P. Generali rationem reddant in scriptis omnium ingressuum, expensarum, Causarum, Litium &c. pertinentium ad bona Redemptionis.

9. Superior, & Consiliarii cujusvis Conventus, & Collegii ad finem singulorum mensium conferant, & summam conficiant omnium quantitatum ad Redemptionem pertinentium, tam ex separatis pro tertia parte, quam ex donatis determinate ad ipsam Redemptionem, & in Libro ejusdem Redemptionis illa scribant, ac propriis nominibus subscribant.

10. Ad hoc, ut pecunia Captivorum integra, & in fideli, ac secura custodia perseveret, mandamus in virtute Sanctæ Obedientiæ, omnibus Religiosis, tam Prælatis, quam Subditis, & unicuique in singulari, ne extrahant, nec expendant (quantumvis sit ratione mutui, vel commodati, alioque titulo non spectante ad Redemptionem) aliquid pertinens ad ipsam Redemptionem Captivorum sine licentia in scriptis Diffinitorii Generalis. Superior autem, qui Constitutioni isti contravenerit, suo Officio sit privatus, & quilibet alius Religiosus voce, & loco per triennium.

11. Insuper præcipimus, quod quilibet Prælatus expendens, vel in toto, vel in parte res in specie propria vini, tritici, hordei, & similes jam destinatas, & separatas pro Captivis, suspensus sit a suo Officio per mensem unum, vel amplius juxta qualitatem culpæ: Et Visitator curet, ut absque mora reintegretur, & restituatur, quod expensum, vel alienatum fuisse constiterit.

12. Patres Provinciales, seu Visitatores in suis visitationibus colligant ex Arcis Captivorum, quod pro ipsorum redemptione inveniunt separatum juxta rationem in Libro Conventus seu Collegii factam, & schedulam extractæ, & receptæ pecuniæ suis nominibus subscriptam relinquant; quod idem fiat quando Redemptor, vel alius Religiosus de consensu, & dispositione dicti Redemptoris, vel Diffinitoris extraxerit ex Arcis aliquid ad Redemptionem spectans. Quilibet autem Visitator Librum habeat, in quo scribat totum, quod colligit, & recipit, & in unoquoque Conventu, seu Collegio ex pertinentibus ad Redemptionem, in quo & subscribant Minister, & Consiliarii, vel Clavarii Arcæ Redemptionis respective.

13. Præfati autem Provinciales, seu Visitatores prædictas pecunias pro Captivis, ut dictum est, ab ipsis collectas reponant in generali Arca suæ Provinciæ, antequam discedant a Conventu, ubi talis est Arca sub pœna suspensionis ab officio per tres menses.

14. Præcipimus PP. Redemptoribus Captivorum, ne pro Redemptionibus æs alienum sine licentia Diffinitorii contrahant, sed observent Instructionem ab ipso nostro Diffinitorio illis injunctam sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per triennium.

15. Patres Provinciales ad Capitulum Generale deferant testimonium subscriptum a Clavariis Arcæ Generalis Redemptionis Captivorum, in quo scripta sint omnia illo triennio separata pro Captivis in omnibus Conventibus, & Collegiis suarum Provinciarum respective.

§. 2. *De modo petendi Eleemosynas pro Captivis.*

1. Pro majori cura, & diligentia colligendi eleemosynas, & omnia ad Captivos spectantia in qualibet Provincia sint duo, vel tres Religiosi Procuratores Redemptionis ad arbitrium, & dispositionem Patris Provincialis, qui & designabit eis terminos ad petendas, & colligendas dictas eleemosynas. Insuper præcipimus PP. Redemptoribus Captivorum, ut designent in Civitatibus, & Oppidis Syndicos, & Collectores Sæculares cum facultate sufficienti ad exigenda, recipienda, & custodienda Legata Testamentorum, operum piorum (ut vocant) & omnium aliarum rerum pertinentium ad Redemptionem. Quæ omnia tempore apto Redemptores ipsi colligant, vel per se, vel per Religiosos Procuratores, & quando in proximo sint pro Redemptione exequenda postulent pro illa eleemosynas a Principibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus, Capitulis, Communitatibus, aliisque personis gravibus.

2. Præterea præcipimus Procuratoribus Redemptionis, imo etiam Generalibus, & Conventualibus omnibus nostri Ordinis, ut sint valde soliciti in procurandis eleemosynis pro Captivis, & omnes similiter Religiosi tam Prælati, quam Subditi in Districtu suarum Domorum diligenter procurent eleemosynas pro Redemptione, & Superiores inquirant ab Inferioribus, quid in hac re actum respective sit.

§. 3. *De Electione, & qualitate Redemptorum.*

1. Diffinitorium Generale, finito quolibet Capitulo Generali, eligat Redemptores Captivorum. Hi autem erunt vitæ, merito, doctrina, ac sapientia præditi, & Officio Diffinitorum Generalium, seu Ministrorum Provincialium aliquando potiti, vel saltem capaces, ut tali munere potiantur. Pro singulis Provinciis singuli eligantur Redemptores; mutua autem ipsorum subordinatio ab eodem Diffinitorio designabitur.

2. In qualibet Domo nostra, in qua fuerint, vel per quam transierint Redemptores Captivorum Conventualitatem habeant, & præcedant omnes non Prælatos, etiam Vicarios: in regimine vero, & administratione Domus non se intromittant. Ad egrediendum tamen a Domo Socium postulabunt a Vicario in absentia Ministri, sine deosculatione tamen Scapularii, nisi Præses fuerit propter absentiam Ministri ultra viginti quatuor horas.

3. Districte præcipimus Redemptoribus Captivorum, ac aliis eorum Sociis proficiscentibus ad Redemptionem ne comportent aliquas res non conducentes ad illius effectum, nec sibi, nec aliis ex Infidelium Regionibus in reditu similia trahant, alias gravissime, & irremissibili punitioni ad arbitrium Diffinitorii Generalis subjacebunt.

4. Redemptores Captivorum intra tres menses post reditum ab executione Redemptionis expensarum istius, & aliarum rerum ad munus istud aptius in futurum peragendum rationem reddant nostro Diffinitorio: quod si omiserint, graviter puniantur juxta culpæ qualitatem.

REGULÆ CAPUT III.

Omnes Ecclesiæ istius Ordinis &c.

CAPUT III.

De divisione Provinciarum, & earum nominibus, ac de Conventuum differentia, & eorum Ædificiis.

§. 1. De nomine Ecclesiarum, Provinciarum, & Domorum Differentia.

1. Omnes nostræ Ecclesiæ intitulentur nomine Sanctissimæ Trinitatis, similiterque omnes Provinciæ nomine alicujus Mysterii, vel Sancti: idcirco prima titulum habeat Spiritus Sancti, secunda Transfigurationis, tertia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & sic de aliis in futurum.

§. 2. In Ordine nostro quatuor sint differentiæ Conventuum. Prima Novitiorum, & Professorum, ubi a Magistris in Cæremoniis, mortificatione, vitaque spirituali instruentur. Secunda Collegiorum, ubi jam Professi Philosophiam, Sacramque Theologiam edoceantur. Tertia Conventuum, in quibus Religiosi spirituali profectui tam proprio, quam proximorum incumbant. Quarta demum Domorum in Desertis, ubi soli Deo vacent.

3. Statuimus ne fiat nova Conventus fundatio, nisi in eo numerus Religiosorum a Regula nostra stabilitus commode cum observantia, & sine distractione sustentari queat.

4. Situs Conventus (si fieri possit) eligatur intra Civitatem, vel Oppidum, in loco tamen ad Religiosorum quietem opportuno, & in quo permansurus sit, nec in eo assistent ultra tres, vel quatuor Religiosos, qui de fabrica curent, donec Ecclesiam, & habitationem cum sufficienti clausura construxerint.

Pro nova Conventus, seu Collegii fundatione Minister eligi non possit, quin tredecim sint fratres, quos Regula exposcit. Interim tamen gubernetur per Præsidentem a Patre Generali, seu Provinciali nominatum.

§. 2. De Constructione, & Fabrica Conventuum.

1. Statuimus ne alicujus Conventus, seu Collegii fabrica incipiatur, quin præcedat illius descriptio, seu Exemplar delineatum ab Architecto aliquo nostri Ordinis, & examinatum a Patre Generali, qui reformabit excessus, si qui contra Constitutiones infra ponendas inventi fuerint. Semel autem a P. Generali examinato, nihil sine ipsius licentia contra illud faciat, sive per additionem, sive per diminutionem. Qui vero in toto, vel in parte hujusmodi Constitutioni contravenerit, vel contraveniri permiserit, suspensus sit ab Officio suo juxta gravitatem culpæ.

2. Ecclesiæ latitudo sit saltem viginti quatuor pedum, & ad summum viginti septem, cui latitudini correspondeat longitudo, & altitudo juxta Regulas Architecturæ. Pinnaculum item, sive extremitas Cappellæ majoris humilis sit, nec extra Ecclesiam opera affabre elaborata, & curiosis cruftis ornata fiant. In Sacrario vero aliquam permittimus *fasciam*, ut vocant.

3. De pariete ad parietem Claustri in longitudinem sit saltem spatium quinquaginta & quinque pedum, non tamen ultra sexaginta; transitus autem pro latitudine novem vel decem pedes capiat.

4. Cellæ habeant undecim pedes in quadrato; Illarum Fenestræ ad summum altitudinis tres pedes, & digitos quatuor, latitudinis pedes duos, & quinque digitos. Transitus autem Dormitorii sex pedes latitudinis non excedat. Cellæ vero Infirmariæ poterunt habere sexdecim pedes in quadro.

5. Officinæ, quæ sunt in terra duodecim tantum pedes altitudinis habeant, itaut parietes Conventus a pavimento Claustri usque ad tectum non excedat altitudinem viginti, & sex pedum, nisi id exigat angustia situs, vel ne Religiosi de foris videantur. Solaria autem, & prospectus plani sint operis, & parvis expensis fabricentur.

6. Observata supradicta ædificiorum proportione, interiores Officinæ, & mansiones disponantur juxta arbitrium prudentis Architecti. In prædictis autem mensuris, per pedem intelligimus tertiam partem Ulnæ Castellanæ; Præcipimusque dictas mensuras immutari non posse, nisi per Capitulum Generale.

7. In Civitatibus, magnisque Oppidis Ecclesiæ, & Claustra pertingant, & non excedant summam longitudinem, & latitudinem ex supradictis. In minoribus vero Oppidis attingant minorem mensuram designatam, non tamen sint infra illam: Idemque volumus, proportione servata, de minima elegantia structuræ Ecclesiarum, quæ semper juxta Regulam nostram debent esse plani operis. Major autem Cellarum, & Officinarum numerus in unoquoque Conventu disponatur juxta majorem, vel minorem Religiosorum numerum, qui ibidem sustentari valent.

REGULÆ CAPUT IV.

Fratres debent esse in una Cohabitatione.

CAPUT IV.

De numero Religiosorum, qui debent esse in quolibet Conventu.

In nostris Conventibus, & Collegiis sit competens numerus Fratrum juxta prudentem Patris Provincialis dispositionem; numquam tamen sint infra tresdecim, sicut præcipit Regula præterquam in alia nova fundatione, ut supradictum est.

REGULÆ CAPUT V.

Omnibus Fratribus suis, sicut sibimet &c.

CAPUT V.

De Cura, quam Prælati tenentur habere erga Subditos.

In omnibus nostris Conventibus, & Collegiis sint Officinæ communes, ex quibus omnia necessaria, tam de victu, quam de vestitu, tam pro salute, quam pro infirmitate æqualiter ministrentur Religiosis omnibus tam Prælatis, quam Subditis sub pœna suspensionis ab Officio Superiori erga hoc negligenti. Curet tamen ut res, quæ conceduntur ad usum, sint prout decet Discalceatos.

REGULÆ CAPUT VI.

Vestimenta sint lanea, & alba &c.

CAPUT VI.

De Vestitu nostrorum Religiosorum.

1. Exterior vestis, seu habitus Fratrum nostrorum sit ex Sacco albo, nec per tres digitos ad terram perveniat, nec latitudo infima in circuitu tres ulnas excedat, ejusque manicæ strictæ sint, & versus manum unius palmi latitudinem non excedentes. Interior vestis etiam erit ex Sacco albo, brevior tamen exteriori tribus digitis; Scapularium similiter sit ex Sacco albo latum ad palmum, & dimidium palmi; altum vero per palmum a terra, & duos ligitos. Caputium interius sit etiam ex eodem Sacco albo,

& ſtrictum, nec illius acuta extremitas ad Cinctorium per quatuor digitos accedat.

2. Cappa ſit ex rudi Sacco fuſci coloris, ſtricta, ſine plicaturis, alta a terra per dimidiam ulnam, & quatuor digitos. Caputium exterius ſit etiam fuſci coloris, & æquale interiori; menſuræ autem prædictæ accipiendæ ſunt de Ulna Caſtellana.

3. Corrigiæ ſint nigræ, & abſque aliqua curioſitate, amplæ ad tres digitos, & tribus longiores Scapulario. Sandalia ſint ex canape, ſeu ſparto, unius ſoleæ, & ex omni parte apertæ, Zocholi ex ligno cum corrigiis anguſtis.

4. Tunicæ immediatæ Corpori, ſint ex ſtameria alba, & rudi; Femoralia vero ex lino rudi, & communi; nulluſque Religioſus tam illas, quam iſta mundanda tradat extraneæ perſonæ privatæ, & diſtinctæ ab ea, quæ ſimilia veſtimenta Communitatis totius abſtergit.

5. Linteola pro emungendis naribus ſint ex lana, & galeri pro itineribus faciendis nigri, vel fuſci coloris.

6. Novitii eiſdem veſtibus utantur, excepto quod quatuor extremitates Scapularii erunt circumciſæ, vel retortæ.

Quicumque contra Statuta in hoc Capitulo, vel in toto, vel in parte fecerit, puniatur pœna gravi per unum, aut plures dies juxta qualitatem culpæ.

REGULÆ CAPUT VIII.

Jaceant in laneis &c.

CAPUT VII.

De Lectulis pro cubito Fratrum noſtrorum.

1. Lectulus ſit ex tabulis, ejus latitudo trium palmorum cum dimidio; altitudo vero tertiæ partis Ulnæ Caſtellanæ cum duobus tantum ſtragulis, ſive lodicibus laneis, & cervicali uno, etiam ex lana.

2. Ne autem Religioſum aliquem ſine habitu mori contingat, præcipimus, quod omnes dormiant cum Scapulario parvo laneo, quod quidem Infirmi in lecto cubantes nunquam dimittant.

REGULÆ CAPUT VIII.

In Cappis, & Scapulariis Fratrum &c.

CAPUT VIII.

De Cruce portanda in Cappa, & Scapulario.

Crux rubei, & cerulei coloris, quam juxta Regulam portare debent Religioſi noſtri in Cappa, & Scapulario ſit abſque curioſa ſtructura, longitudinis unius palmi, latitudinis unius pollicis.

REGULÆ CAPUT IX.

In raſura Ordinem S. Victoris ſequantur Clerici.

CAPUT IX.

De raſura noſtrorum Religioſorum.

1. Fratres deputati ad Chorum Tonſuras Clericales amplas habeant, itaut circulus capillorum trium digitorum latitudinem non excedat, nec ad aures pertingat. Ad uniformitatem autem ſervandam in qualibet Domo ſit menſura, qua in die raſuræ dicta circuli latitudo cenſuretur.

2. Laici barbas creſcere modeſte permittant ad præſcriptum Regulæ. Nec illis unquam Clericalis Corona concedatur.

REGULÆ CAPUT X.

Aſinos, ſive Mulos liceat eis aſcendere.

CAPUT X.

De his, quæ Fratres debent obſervare, quando iter faciunt, & de modo petendi Eleemoſynas.

§. 1. *De Itinerantibus.*

1. Muli, ſive Mulæ, quas Fratres noſtros aſcendere Regula permittit, mediocris ſint ſtaturæ: exhortamurque Religioſos, ut curent obſervare laudabilem Ordinis conſuetudinem Aſinos aſcendendi.

2. Quando Religioſi iter faciunt in Mulis propriis Religionis, non utantur ephippiis, ſive ſellis, ſed clitellis, non fræno cum habenis corrigiatis, ſed ex canabe, nec ſtapedibus ferreis, ſed ligneis. Qui ſecus fecerit ſubjaceant pœnæ ad arbitrium Superioris.

3. Nullus iter faciat abſque licentia in ſcriptis Superioris, cui competit illam concedere, in qua iſte deſignabit tempus pro itinere, ſtatione, & reverſione, & Superior, ac Conſiliarii Conventus, a quo egredietur, dictam facultatem ſubſcribent, notando diem, menſem, annum per verba non per numeros. Qui autem ultra tempus determinatum remoratus fuerit a Superiori Conventus puniatur attenta mora.

4. Itinerans, ad locum dumtaxat, & Oppidum in licentia deſignatum, & via recta pergat. Regiam Curiam nullus ingredietur, niſi tamquam Conventualis, nec illius ambitum per ſpatium unius leucæ abſque Patris Generalis facultate, ſub pœna privationis vocis, & loci per unum annum.

5. In locis, in quibus ſunt Conventus noſtri, nullus Religioſus iter faciens, ſive pergat, ſive veniat Sæcularium Domus ingrediatur abſque licentia Prælati ſub pœna gravioris culpæ per tres dies.

6. Ad quemlibet Ordinis Conventum Religionis pervenerit licentiam patentem faciat; Alioquin Superior illam poſtulet, abſque exceptione alicujus perſonæ. Quæ licentia ſi Frater pro Conventuali venerit, cuſtodiatur in Arca trium Clavium Conventus ſubſcripta a Miniſtro, & Conſiliariis poſt annotationem diei, in quo prædictus Frater pervenit; Qui vero literas patentes non oſtenderit, ipſo facto careat voce, & loco.

7. Nullus Religioſus egrediatur ab Hiſpania ſine licentia in ſcriptis Diffinitorii Generalis ſub pœna Apoſtaſiæ, & privationis Officii, vocis, & loci in perpetuum. Quod ſi Laicus fuerit, portet habitum fuſci coloris per triennium, & eadem pœna afficiantur petentes Romam abſque licentia requiſita, ſecundum Decreta fel. recor. Clementis Papæ VIII. Prælatus vero, qui ſine prædictis requiſitis, & facultatibus miſerit aliquem Religioſum extra Hiſpaniam ſuſpenſus ſit a ſuo Officio per tres menſes.

8. Pater Generalis mittere poterit quemlibet Religioſum quocumque expedire viderit, excepto caſu poſito in Conſtitutione immediata. Provincialis per ſuam Provinciam, & per illius ambitum ad triginta ſolum leucas. Miniſtri Conventuales per ſpatium leucarum duodecim a ſuis Conventibus, non ultra.

9. Provincialis Provinciæ, ubi eſt Curia Regia ad iſtius Conventum poterit ſibi Subditos mutare. Ad negotia vero, ſeu lites non mittat ſine conſilio Patris Generalis.

10. Attento ſpiritu paupertatis, & Clauſuræ Religionis noſtræ ſtatuimus, ut ſine gravi, & urgenti neceſſitate non detur Religioſis facultas itinerandi, nec mutandi Conventualitatem,

neque

neque ad hoc ut sint extra Conventus a Paschate usque ad Festum Sanctissimæ Trinitatis eo anno, quo celebratur Capitulum Generale, nisi occurrat negotium speciale Ordinis, quod differri non valeat.

11. Ad Patriam suam nullus pergat absque Provincialis licentia, nec sine socio absque Patris Generalis concessione, vel nisi in Oppido illo sit Cœnobium nostrum: Prælatus autem, qui secus quemquam miserit pœnæ suspensionis ab Officio per mensem unum subjaceat.

12. Iter facientibus permittimus usum Caligarum, seu tibialium ex sago albo, vel simili materia absque aliqua curiositate, & in urgenti necessitate usum pedulium ex eadem materia. Et Superiores omnia itineri necessaria eis præbeant; Itinerantes autem tenues, & moderatos sumptus faciant, & in omnibus se ipsos exemplum virtutis præbeant. Quod si excessus commiserit a Prælato vicinioris Conventus mulctetur juxta gravitatem culpæ.

§. 2. De modo postulandi Eleemosynas.

1. Religiosi nostri per Areas non postulent, nec quærant Eleemosynas, nec pro illis petendis ultra duodecim leucas a Conventibus se extendant absque Patris Generalis, seu Provincialis licentia: nec item Frater aliquis cujuslibet Conventus, vel Collegii quærat, sive postulet eleemosynam aliquam cujuscumque rationis in Oppido, Villa, sive Districtu, vel termino designato a Provinciali pro altero Conventu, vel Collegio, etiam intra prædictum spatium duodecim leucarum. Quod si nihilominus ita quærens aliquam receperit Eleemosynam Provincialis eam conferri faciat Domui illi, in cujus Districtu quæsita fuit, & propterea tam Subditum, quam Superiorem in toto, vel in parte contravenientes contentis in ista Constitutione arbitratu suo puniat juxta qualitatem culpæ ipsorum; Limitatio autem præfata duodecim leucarum non comprehendit Procuratores Redemptionis, exhortamurque Prælatos, ut ad postulandum ostiatim eleemosynam non alios mittant, quam Fratres Laicos, & semper cum sociis.

2. Nullus Religiosus postulet, aut recipiat eleemosynam aliquam pro suis parentibus, cognatis, aut aliis personis extra Religionem absque Patris Generalis licentia sub pœna reclusionis juxta gravitatem culpæ; si autem aliquis parentes pauperes, & egenos habeat, moneat Provincialem, qui cognita necessitate, sine interventu d. Religiosi, ac consideratis circumstantiis, opem feret juxta possibilitatem, & paupertatem Ordinis.

REGULÆ CAPUT XI.

In Regularibus Horis morem S. Romanæ Eccl. observent.

CAPUT XI.

De Officio Divino, Missa, & Communione Fratrum, & de his, qui Sacris initiandi sunt.

§. 1. De Diligentia, & Sedulitate, qua convenire debent Religiosi ad recitandum, & concinendum Officium Divinum.

1. Omnes Religiosi, audito primo signo, ad Chorum expediantur, & se præparent, considerantes se pergere ad Angelorum officium exercendum, & antequam secundum Cymbali signum finiatur, sint in Choro, sub pœna culpæ levis, vel gravis, si de more habuerint.

2. Matutinum inviolabiliter dicatur media nocte, nisi urgens obstet necessitas: at vero Matutinum feriæ quintæ in Cœna Domini, Parasceves, Sabbati Sancti, necnon Festi Corporis Christi, & per totam ejus octavam dicatur hora quinta post meridiem; Matutinum autem primæ diei Paschæ, & per ejus Octavam usque ad Sabbatum in Albis, dicatur ad Auroram, sive circa horam quartam diei; Omnes autem aliæ horæ Canonicæ recitentur tempore constituto in Cæremoniali Ordinis.

3. Integrum Matutinum cum laudibus cantetur in die Nativitatis Domini, in primo die Paschæ, & primo Pentecostes, in Festo Sanctissimæ Trinitatis, & Sanctissimi Sacramenti, ac feria quinta, sexta, & Sabbato majoris hebdomadæ, necnon in Festo primi Nostri Patriarchæ, & Fundatoris S. Joannis de Matha. In Festis vero primæ, & secundæ Classis, quæ ad colendum pronunciantur, necnon in Festis Domini Nostri Jesu Christi, & Sanctissimæ ejus Genitricis, ac in die octava Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Christi, & (si istud venerationi patenter expositum fuerit) per totam ejus Octavam, & in die nostri quoque Patriarchæ, & Fundatoris S. Felicis de Valois, & in Festo secundo S. Agnetis nostri Ordinis Patronæ in Matutino cantatur Invitatorium cum Hymno sequenti, & Hymnus quoque *Te Deum laudamus*, & in laudibus a Capitulo usque ad Versiculum *Benedicamus Domino*, & ejus ℟. *Deo gratias* inclusive. In die vero Epiphaniæ (cum non sit Invitatorium) in tertio nocturno cantabitur Psalmus *Venite exultemus* cum sua Antiphona. In reliquis vero duplicibus, & semiduplicibus, solus Hymnus *Te Deum laudamus*.

4. In cantando integro Matutino cum laudibus expendantur saltem duæ horæ. Hora vero cum dimidia, quando solum canitur Invitatorium, Hymnus, & Te Deum laudamus, & in laudibus a Capitulo, & quando Officium est de Dominica, & quando licet sit aliud cum eo tamen recitatur Officium parvum Beatæ Virginis Mariæ, vel Defunctorum. In reliquis vero Matutinis, & laudibus hora una cum quadrante.

5. Prima canatur tantum in Vigilia Nativitatis Domini, tertia in Festis feriatis primæ Classis (excepto die Ascensionis, in quo cantabitur Nona.) Item in Festis secundæ Classis (quamvis non feriatis) Domini Nostri Jesu Christi, & ejus Sanctissimæ Matris, necnon in Festis Sanctorum Patriarcharum Nostrorum Joannis, & Felicis, & S. Agnetis secundo. In cantanda autem qualibet minori hora Canonica consumatur dimidia hora; quartum vero horæ istius in illa recitanda, & aliquid amplius, quando conjungitur cum Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis.

6. Missa Conventualis canatur omnibus diebus, quibus cantatur Tertia, & omnibus Dominicis, & diebus feriatis, & in Festivitatibus Nostri Ordinis, & Beatæ Virginis Mariæ, ac in feria quarta Cinerum, feria quinta in Cœna Domini, feria sexta in Parasceve, Sabbato Sancto, Vigilia Pentecostes, & in die Commemorationis Defunctorum, necnon quando fit Officium de aliquo Sancto Martyre in Conventu illo, ubi Corpus vel insignis Reliquia asservatur. Insuper in die una infra Octavam omnium Sanctorum cantabitur Vigilia, Missa, & solemne Responsum pro Captivis Defunctis. In cantanda autem qualibet Missa tres partes horæ consumantur; in recitanda vero dimidia hora. Quod si quis celerior fuerit a Superiore puniatur pœna culpæ mediæ, imo & gravis, si de more habuerit.

7. Primæ, & secundæ Vesperæ, canantur in Festivitatibus primæ, & secundæ Classis, quæ ad colendum pronunciantur, ac in omnibus Christi Domini, & illius Sanctissimæ Parentis, licet non feriatis, atque etiam in diebus San-

ctorum Patriarcharum Joannis, & Felicis, & S. Agnetis Secundo. Vespere autem Secundæ Sanctorum omnium dicantur sine cantu, & eis finitis canantur Vesperæ Defunctorum. Si tamen Festum omnium Sanctorum celebretur in Sabbato, eorum secundæ Vesperæ tunc cantentur in die Dominica sequenti Vesperæ Defunctorum. In Reliquis vero Festivitatibus Ordinis, primæ tantum Vesperæ canantur. In omnibus autem Vesperis cantandis tres quadrantes horæ consumantur; in recitandis vero fere dimidia hora. Superior qui supradicta celerius cantari, vel recitari permiserit severe puniatur.

8. Prædicta, quæ in Festivitatibus cani debent, non concinantur, quando dictæ Festivitates transferantur, sed tantum, quando in propriis diebus ab Ecclesia designatis celebrentur, non tamen propterea omittenda, sed cantanda est Missa in quocumque die feriato, quamvis de Festo illius diei Officium non fiat; nec cantanda sunt supradicta, quando in Choro non sint saltem sex Religiosi, qui canere possint; Missa vero, & alia, quæ ratione dotationis, & eleemosynæ essent canenda, cum paucioribus, & etiamsi sint solemnitates translatæ cani debent.

9. Totum quod in Officio Divino, & Missa cantatur sit in Tono plano, æquali, gravi, & devoto, absque modulatione, & harmonia sub pœna culpæ gravis contravenienti, & suspensionis ab Officio Superiori permittenti. Quæ autem recitantur cum devotione dicantur, & pausatione competenti pro insumendo spatio temporis designato.

10. Officium parvum B. Virginis Mariæ in omnibus Conventibus recitetur diebus in Breviario assignatis, & quamvis non tanta pausatione, quanta majus, non tamen minori devotione.

11. Fratres Laici assistant Officiis Divinis juxta prudentem Superioris dispositionem, attento uniuscujusque labore, & occupatione; & loco Officii Divini singuli recitent quinquagies Orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutationem Angelicam; nempe pro matutino quindecies, pro Laudibus quinquies, & pro unaquaque alia hora etiam quinquies.

12. Religiosus, qui Matutino abfuerit sine licentia, vescatur in terra sine Caputio id, quod cæteris ministratur præter piscem, vel quod in ejus loco præstatur: Si vero alteri cuicumque Horæ Canonicæ non astiterit, arbitrio Superioris puniatur.

13. Tempore Divinorum Officiorum nullus sine urgenti necessitate Præsidi exprimenda, & cum illius licentia a Choro exeat, nisi ad rem ipsi Choro, & Officio pertinentem; eademque causa, & licentia præcedat quotiescumque aliquis Religiosus a quolibet actu communi egressurus fuerit.

§. 2. *De Missa, & Communione Religiosorum.*

1. Omnes nostri Sacerdotes singulis diebus Sacrum faciant, exceptis feria quinta, sexta, & Sabbato majoris hebdomadæ, & quando urgenti causa impediti fuerint; In hoc tamen casu cum licentia omittant Superioris; Qui tamen absque istis circumstantiis rem Sacram facere omiserit pane tantum, & aqua una die vescatur.

2. Sacrificium Missæ peragere debent in propriis Conventibus, nisi Superior urgenti causa, & raro licentiam concedat, ut nonnullus extra propriam Ecclesiam sacrificet.

3. Feria quinta in Cœna Domini omnes Religiosi recipiant Sacrosanctam Eucharistiam de manu sui Prælati, qui Sacerdotes non sunt, cœlesti se pane reficiant omnibus Dominicis diebus, & Feriis quintis totius anni; potest tamen functio ista anteponi, vel postponi propter aliquod solemne Festum. Præcipimus insuper prædictis omnibus Fratribus non Sacerdotibus, quod quotidie Missæ Sacrificio intersint sub pœna jejunii in pane tantum, & aqua.

4. Magister Novitiorum, & recenter Professorum in diebus feriatis Sacra faciant in Ecclesia; in aliis vero diebus in Oratorio suo celebrare poterunt.

5. Societates, Congregationes, Confraternitates Sæcularium absque Diffinitorii licentia, ne admittantur in nostris Conventibus, & Collegiis; Qui secus fecerit ad arbitrium d. Diffinitorii puniatur.

§. 3. *De Eleemosyna Missarum.*

1. Nullus Religiosus recipiat Eleemosynam Missarum, nisi tantum pro suo Conventu, quod si itinerans pro mutatione Conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit Conventu, in quem tendit Conventualis futurus.

2. Pro una Missa, etsi cantata, unicum dumtaxat stipendium accipiatur sub pœna suspensionis ab Officio per tres menses Prælato contravenienti.

3. In nostris Conventibus, & Collegiis non recipiantur Eleemosynæ pro Cappellaniis, & Missis perpetuis sine Patris Generalis licentia in scriptis, nec pro patronatu Conventus, Ecclesiæ, Cappellæ majoris, vel minoris, vel pro Oratione, disciplina, aliove Communitatis exercitio absque Diffinitorii licentia in scriptis, quam concedet consulto Provinciali illius Provinciæ, cujus est Conventus, cui conceditur.

4. Eleemosynæ receptæ pro Missis perpetuis, memoriis, Cappellaniis, Patronatibus dictis, & Sepulturis perpetuis nullatenus in totum, vel in partem (etiam consentiente Conventu) expendantur, sed ad censum, annuosque redditus imponantur. Ex licentia tamen Diffinitorii Generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictæ Eleemosynæ jam investitæ converti poterunt in redditus indemniores, & utiliores Conventui, numquam tamen pro eis subrogari bona alias antea Monasterio acquisita; ad hoc autem, ut sedulo custodiatur pecunia impertita pro Missis, & reliquis in hac Constitutione enumeratis--*Præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto omnibus Religiosis tam Prælatis, quam Subditis, & cuilibet in particulari, ut dum dicta pecunia non investitur, nihil ex ea expendant, etiam titulo mutui aliove quocumque;* superior autem contraveniens privatus sit Officio suo, alius verò quicumque Frater voce, & loco per triennium.

5. Pecuniæ receptæ pro supradictis rebus, dum non investiuntur, seu in annuos redditus conferuntur, in propria conserventur specie: si incrementum habuerint, cedat in favorem memoriæ: si vero decrementum (absque culpa tamen Conventus, vel Collegii) cedat contra memoriam.

6. Ut constet de memoriis, & Missis perpetuis, quæ sunt in quolibet Conventu, & Collegio, justeque adimpleantur, præterquam quod adnotatæ erunt in Libro magno, cui titulus--*Protocollo*, scribantur in tabula publico in loco.

§. 4. *De iis qui ordinandi sunt.*

1. Fratres nostri Sacris initiandi examinentur prius de sufficientia sua a Ministro Conventus, & aliis duobus Religiosis a Provinciali designatis, & postea de vita, & moribus per secreta suffragia Capituli Conventualis approbentur; nec Prælati Superiores suas Literas concedant, donec illis constet de sufficientia, vita, moribus, & ætate;

nullus

nullus Diaconatus, aut Subdiaconatus gradum recipiat, qui duos integros annos professionis non habeat, nec Presbyteratus ante elapsum integrum triennium a professione.

2. In Diœcesi propria, ubi est Conventus, recipiant Ordines Religiosi nostri, quod si ibi non conferantur, poterunt aliam adire Diœcesim, non distantem tamen a Monasterio ultra viginti quatuor leucas; qui secus fecerit, vel permiserit, pœna gravi per tres dies puniatur.

3. Sacerdos primam Missam non celebret, quin prius Prælato constet, tum de Ordine recepto per Literas testimoniales ei patefactas; tum etiam de sufficienti novi Sacerdotis scientia Sacrarum Cæremoniarum ad judicium ipsius Prælati, & aliorum duorum Religiosorum ab eodem designatorum, & quin ulterius per decem dies in exercitiis spiritualibus se præparaverit dictus novus Sacerdos. Qui neutiquam primum Sacrum extra proprium Cœnobium faciat sub pœna gravis culpæ per tres dies.

REGULÆ CAPUT XII.

Omnibus secundis feriis &c.

CAPUT XII.

De suffragiis faciendis pro Defunctis.

§. 1. *De suffragiis Defunctorum in Communi.*

1. Omnibus secundis feriis ad præscriptum Regulæ nostræ dicatur Missa Defunctorum in Conventibus quidem cum cantu, nullumque pro ea stipendium recipiatur. Missa autem finita, fiat per Claustrum Processio prout in manuali: ubi vero Claustrum non fuerit, absolutio canatur in Choro.

2. In omnibus Conventibus, temporibus a nostro manuali designatis, quatuor fiant Anniversaria pro Defunctis Religiosis; Captivis, Benefactoribus, Parentibus, Cognatis, Confratribus Amicis, pro sepultis in nostris Cœnobiis; ac denique pro omnibus fidelibus Defunctis. In quolibet Anniversario dicatur integrum Officium Defunctorum, & canatur solemniter Missa de Requiem, fiatque Processio per Claustrum, & ubi hoc non fuerit, canatur absolutio in Ecclesia. Idemque prorsus fiat in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

§. 2. *De suffragiis pro nostris Religiosis Defunctis, & pro aliis.*

1. Quando aliquis Religiosus e vita decesserit devote, ac solemniter sepeliatur servato Officio Sepulturæ in nostro manuali assignato; & Superior Conventus, seu Collegii, in quo Frater obiit, scribat P. Generali, Provincialibus, Ministris totius Ordinis, ac Chronistæ Generali, referens Domum, in qua mortuus fuit, tempus, & causam mortis, nomen, patriam, ætatem, professionis tempus, exercitia, seu Officia, quæ Defunctus habuerit, & virtutes in quibus specialiter resplenduerit. Provinciales item omnibus Conventibus, & Collegiis suæ Provinciæ idem denuncient ut justa sine mora persolvant, & Ministri de receptione istarum Literarum Provinciales suos moneant, & in Archivio nostri Matritensis Conventus una ex dictis Literis cujuslibet defuncti servetur, ut, si forte dignus sit, de illo in Chronicis commemoratio fiat.

2. In Conventu, seu Collegio, in quo obiit Religiosus præter vigiliam, quæ cantatur in Officio Sepulturæ, integrum Officium Defunctorum recitetur, & tres Missæ de Requiem cum suis Responsoriis in Ecclesia canantur, & præterea novem sine cantu dicantur; cum illæ tres canantur, in medio Cappellæ majoris, sit tumulus altitudinis palmorum quinque panno nigro coopertus, & supra ipsum habitus Ordinis.

3. Singuli Sacerdotes Conventus, seu Collegii pro Religioso ibidem Defuncto tres Missas privatas celebrent, & post quamlibet recitent Responsorium in Tumulo; singuli quoque Fratres ad Chorum deputati tria integra Officia Defunctorum, & Laici tria integra Rosaria recitent, & in ipsa die mortis, vel sequenti Eucharistiam Sacram recipiant pro Defuncti Anima, ac insuper pro illa duas alias offerant Communiones.

4. Quilibet Conventus, & Collegium Ordinis pro Anima cujuslibet Religiosi Defuncti integrum Officium Defunctorum recitet, & Missam unam cantet, & Responsorium circa Tumulum, ut dictum est. Præterea singuli Sacerdotes duas Missas privatas dicant cum Responsoriis, Fratres ad Chorum deputati duo integra Officia Defunctorum; & Laici integra duo Rosaria; & in die, quo notitia mortis pervenerit, vel in sequenti omnes prædicti Fratres simul Sacram Communionem pro Defuncti Anima recipiant, illamque pro illa offerant.

5. Si vita functus fuerit P. Generalis duplicentur in toto Ordine Missarum Sacrificia, Officia Choristarum, & Rosaria Laicorum. Si Provincialis in sua Provincia, si Minister in suo Conventu, seu Collegio; si vero Diffinitor fuerit, vel qui antea munus Ministri Generalis expleverit, omnes Sacerdotes Missam unam, ad Chorum deputati Officium unum, & Laici unum Rosarium recitent supra id, quod pro particulari Religioso tenentur: si vero Defunctus fuerit Redemptor Captivorum, vel Procurator Generalis, quilibet Conventus, & Collegium in communi recitet unum integrum Defunctorum Officium, & unam Missam de Requiem cantet ultra prædicta; quod si defunctus aliquando Diffinitor Generalis, vel Provincialis fuerit, quilibet Sacerdos suæ Provinciæ unam dicat Missam privatam pro Anima illius, & Fratres tam ad Chorum deputati, quam Laici unam Communionem Sacram pro ipso offerant, ultra prædicta pro particularibus, ad quod teneantur Sacerdotes, & Fratres illius Provinciæ pro qua Defunctus Officium illud ultimo exercuit.

6. Si defunctus fuerit Novitius recitetur pro eo integrum Defunctorum Officium, & cantetur una Missa in Conventu, in quo obiit, & quilibet illius Sacerdos unam Missam privatam, Choristæ unum integrum Officium, & Laici unum Rosarium integrum pro ejus Anima recitent.

7. Ad hoc, ut de istarum Constitutionum adimplemento constet, sit ante Chorum Tabula, in qua scribantur Religiosi, qui decesserunt, & decedunt in quolibet triennio, & notetur in ea dies, in quo justa illis soluta sunt.

8. Religiosi nostri semper sepeliantur in Claustro, vel alio in loco illis dumtaxat deputato, ac segregato a Sæcularium Sepulturis, & scribantur; & signentur Fratrum prædictorum Sepulturæ maxime illorum, qui Sanctitatis fama decesserunt.

9. Insuper statuimus, ut in omnibus Conventibus, & Collegiis nostris, cum notitia sit de obitu Summi Pontificis, & D. Cardinalis Protectoris Ordinis nostri, & Regis nostri, & Reginæ solemnes fiant exequiæ pro illis.

10. Præterea dum fuerit notitia de obitu Parentum, vel Fratrum alicujus Religiosi in eo Conventu, vel Collegio, ubi iste Conventualis fuerit, una Missa dicatur pro Defuncto. Idemque fiat pro habente Epistolam nostræ Confraternitatis in eo Conventu, vel Collegio, cujus Religiosos frequentius hospitio excipiebat.

REGULÆ CAPUT XIII.

Singulis diebus, si fieri possit &c.

CAPUT XIII.

De Oratione Mentali, Lectione, examine Conscientiæ, flagellatione, & exercitiis spiritualibus.

1. Singulis diebus in qualibet Domo communis fiat ad Deum mentalis Oratio per duas horas. Una diluculo in Conventibus quidem a die 1. Martii usque ad ultimam Septembris ab hora quinta usque ad sextam, & a die 1. Octobris usque ad ultimam Februarii ab hora sexta usque ad septimam. Altera vero tempore Vespertino semper a quinta usque ad sextam horam; insuper post finitum Matutinum, & Coronam Virginis Mariæ, quæ post illud immediate recitatur, reliquum temporis usque ad secundam noctis horam in Oratione impendatur; quod si quis absque licentia ab Oratione mentali abfuerit, comedat in terra sine Caputio idem quod cæteri, excepto pisce, vel quod ejus vice ministratur.

2. Ne autem fervor spiritus tepescat, imo exercitium Orationis augeatur, præcipimus, nostros Religiosos singulis diebus saltem per dimidiam horam librorum spiritualium lectioni incumbere.

3. Omnes in communi bis in die nempe immediate ante prandium, & post Antiphonam *Benedicta &c.* conscientiæ faciant examen per spatium fere octavæ partis horæ. Qui autem Communitati tunc adesse nequiverit, ubicumque fuerit, eadem hora faciet examen.

4. Omnibus feriis secundis, quartis, & sextis totius anni post Completorium, vel post examen nocturnum, communis fiat flagellatio, & tamdiu duret, quamdiu cantetur Psalmus *Miserere &c.* cum Antiphona, versibus, & Orationibus in nostro Cæremoniali assignatis, excipiuntur vigilia, & dies Nativitatis Domini, cum tribus immediate sequentibus, dies etiam Vespertinus, & dies ipse Circumcisionis, necnon vigilia, & dies ipsa Epiphaniæ, dies Vespertini, & dies ipsi Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis, ac denique feria secunda Paschæ, feriaque secunda Pentecostes; si autem in supradictis feriis venerit solemne festum, poterit in antecedenti, vel sequenti die, vel in ipso festo post matutinum fieri flagellatio; quæ quidem fiat in omnibus feriis majoris Hebdomadæ, itaut feria quinta, quarta, & sexta Psalmus *Miserere* ter cantetur in qualibet disciplina cum versiculo *Christus factus est obediens &c.*, & Oratione--*Respice &c.*, ut in Officio illorum dierum, fiatque post Matutinum.

5. Omnes Religiosi tam Subditi, quam Prælati singulis Annis faciant per decem dies exercitia spiritualia in Cellis suis, vel in aliquo loco separato ad id destinato, quo tempore cum Communitate solum interfint Matutino, Primæ, Completorio, Orationi mentali, examini Conscientiæ, Disciplinæ, & Refectorio.

REGULÆ CAPUT XIV.

Singulis quoque noctibus pro statu, & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &c.

CAPUT XIV.

De Sacrificiis, & Orationibus faciendis pro Exaltatione Sanctæ Catholicæ Fidei inter Principes Christianos, Captivis, Benefactoribus, & reliquis Ecclesiæ necessitatibus.

1. Stricte præcipimus omnibus nostris Religiosis, ut in suis Sacrificiis, Orationibus Communibus, & aliis bonis operibus, tam in communi, quam in particulari exercendis Deum orent pro exaltatione S. Catholicæ Fidei, & Pace Romanæ Ecclesiæ, pro Summo Pontifice, nostris Regibus, & Principibus, pro D. Cardinale Protectore nostri Ordinis, pro ejusdem Ordinis conservatione, & augmento spirituali, pro Benefactoribus, & Captivis Christianis, & his, pro quibus Universalis Ecclesia consuevit orare, specialiter autem pro fine isto sequentia fiant.

2. Singulis noctibus, antequam ad somnum capiendum Religiosi se conferant, omnes simul in Ecclesia, vel in Choro magna devotione recitent Antiphonam Sanctissimæ Trinitatis -- *Benedicta sit Sancta &c.* cum versu, & Oratione, prout in nostro manuali, & finito conscientiæ examine recitent similiter Litaniam Lauretanam Sanctissimæ Dei Parentis, prout in eodem manuali, & qui legitima impeditus causa interesse ei non potuerit, illam privatim recitet.

3. In omnibus Domibus non Collegiis Sabbatis totius anni cantetur Missa B. Virginis Mariæ, illis exceptis, in quibus occurrit alia Missa canenda ex designatis *Cap. 11. §. 1. n. 6.*, necnon Vigilia Nativitatis Domini, Octavis privilegiatis, Sabbato infra Octavam Corporis Christi, & Sabbato in quo cebrari incipit Capitulum nostrum Generale; si autem aliquo alio Sabbato recurrerit obligatio canendi alias Missas pro dotatione, aliove Titulo, sive gratuito, sive oneroso non ideo omittenda est prædicta Missa Sanctissimæ Virginis; pro qua (nisi fuerit dotata) stipendium non recipiatur. Præterea in omnibus Conventibus, & Collegiis cantetur solemniter Antiphona *Salve Regina* Sabbatis totius anni, & diebus Vespertinis Festivitatum Beatæ Mariæ Virginis, qui vero sine licentia dictæ Missæ, vel Antiphonæ non interfuerit, semel in terra comedat sine Caputio.

REGULÆ CAPUT XV.

Jejunent ab Idibus Septembris.

CAPUT XV.

De Jejuniis.

1. Præter jejunia in Regula nostra præcepta, jejunent etiam Religiosi nostri omnibus feriis sextis totius Anni, necnon in diebus Vespertinis Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Patris nostri Felicis, ac in die S. Marci Evangelistæ, & feria secunda, tertia, & quarta immediatis ad Festum Ascensionis Domini, nisi solemnis festivitas intervenerit. Per solemnes autem intelligimus festivitates nostri Ordinis, & Beatæ Virginis Mariæ, & quæ ad colendam pronunciantur. Jejunium vero Feriæ sextæ Majoris Hebdomadæ erit in pane, & aqua tantum.

2. In jejuniis Ecclesiæ pro serotina refectiuncula ministretur fructulum panis, & pomum aliquod, vel quid simile. In jejuniis vero Ordinis cum pane nonnulla præbeantur olera, itaut forma jejunii non excedatur.

REGULÆ CAPUT XVI.

Carnibus vesci liceat tantum in Dominicis diebus.

CAPUT XVI.

De abstinentia a Carnibus.

1. Si quis Religiosus absque licentia, & causa in diebus per Regulam nostram prohibitis id ediderit, quod Ecclesia in die Veneris mandu-

cari prohibet, pro prima vice jejunet semel in pane, & aqua tantum, pro secunda vero circularem recipiat flagellationem. Quod si fuerit Prælatus severe puniatur ad arbitrium sui Superioris; & si comederit coram Sæcularibus per decem dies exercitia faciet spiritualia; Superior item, qui sine necessitate præbuerit, darive permiserit carnes toti, magnæve parti Communitatis, suspendatur ab Officio per duos menses.

2. Ad majorem vero observantiam nostræ Regulæ, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis nostris Religiosis, ne comedant carnes extra Domos nostræ Religionis in diebus prohibitis per Regulam, absque licentia in scriptis Prælati sui juxta tenorem Regulæ ipsius, quod si aliquis in morbum inciderit, distansque fuerit a Conventu; itaut non possit facile obtinere licentiam a Prælato, eis vesci poterit virtute hujus Constitutionis.

3. Nullus Religiosus quamvis imbecillem habeat valetudinem, & frequentes indispositiones, carnem comedat, vel linteo utatur absque licentia sui Ministri, qui eam concedat mature perpensa necessitate, & pro tempore durationis illius.

4. Ministri curent, & charitative hortentur Religiosos, qui pro infirma valetudine carnibus vescuntur, ut ab iis pro aliquo tempore se abstineant, experientia namque compertum est, quamplures fere a salute desperatos recuperasse illam, vitæ communi se conformantes, & in Domino fiducialiter sperantes.

REGULÆ CAPUT XVII.

Possint emere ad suum victum.

CAPUT XVII.

De cibo, & honesta fratrum recreatione:

§. 1. *De cibo nostrorum Religiosorum.*

1. Superiores suppeditent necessaria de victu Religiosis juxta indigentiam ipsorum; quod si propter negligentiam, vel Domus paupertatem non provideant fratres tanquam veri Christi Discipuli patienter ferant. Attamen si necessitas postulaverit, humiliter ipsos moneant, quod si adhuc non subvenerint, liceat eis Provinciali denunciare, qui Prælatos convictos puniat.

2. Omnes ad Refectorium ad primam mensam conveniant, in illo mantilia non sint, sed pro singulis fratribus singulæ parvæ mappæ. Patinæ, scutellæ, pateræ, & similia alba non sint, nisi tantum pro Infirmis.

3. Omni tempore in quantitate cibi servetur uniformitas, nec Superior unquam variationem quoad hoc permittat, exceptis magnis festivitatibus, in quibus extraordinaria prout moris est, ministrabuntur.

4. In Refectorio semper meridie, & sero lectio habeatur spiritualis, servata Cæremonialis nostri dispositione.

5. In omnibus Conventibus, & Collegiis prandium fiat post undecimam horam; quando vero jejunatur ex Ecclesiæ præcepto post undecimam, & dimidiam fiat. Cœna, seu refectiuncula nunquam sit ante Completorium.

6. Extra Communitatem nemo comedat, vel bibat absque expressa Superioris licentia.

7. In Refectoriis nostris non admittantur Sæculares nisi raro, & Benefactores, sive personæ graves; id quod præsertim evitari debet in festis solemnibus, professionibus, & primis Sacris.

§. 2. *De honesta Religiosorum recreatione.*

1. Omnes Fratres simul in loco uno semper post prandium per unam horam recreationem habeant exceptis feriis majoris Hebdomadæ, & insuper per aliam horam post cœnam, seu refectiunculam vespertinam a Paschate usque ad ultimam diem Septembris, ac in festivitatibus solemnibus totius anni, & a vigilia Nativitatis usque ad Epiphaniam, atque in feria secunda, & tertia post Dominicam quinquagesimæ; attamen Novitii, & recenter professi qua die Sacra Communione refecti fuerint, post prandium non recreentur, & tam ipsi, quam Philosophiæ Scholasticæ cum suis Magistris semper habeant recreationem distinctim a Conventualibus.

2. In recreationibus omnibus cum modestia, & honesta gravitate se gerant; legatur ibi res aliqua spiritualis, vel de illa agatur, & saltem de rebus indifferentibus; non vero de Genealogiis, stirpibus, nationibus, Patriis, Nuntiis, & rumoribus inutilibus ad ædificationem, & profectum Animarum, verbaque jocosa, faceta, detractoria non dicant, non contentiones habeant: ut autem supradicta observentur, Superior recreationibus adesse curet, & huic Constitioni contravenientem flagellatione puniat.

3. Quando recreationis gratia Religiosi e Conventu exierint, maneant intra illum, qui ejus obligationibus satisfacere valeant; si recreationis extraordinariæ extra Conventum fuerint in aliqua Villa, seu Suburbana Domo, vel prædio, Prælatus designet terminum, ad quem Religiosi accedere possint, & quem non transgrediantur, absque expressa ibidem Præsidentis licentia.

4. Nullo tempore Religiosi nostri Comœdias, aliosve actus tametsi spirituales agant, nec Prælati agi permittant, nec pro quovis alio ludo, & oblectatione vestes sæcularium deforis portent, nec propriis nudentur: qui autem contravenerint, vel contravenire permiserint, a Provinciali severe puniantur. A vigilia vero Nativitatis usque ad Epiphaniam dumtaxat poterunt nostri musicis uti Instrumentis.

5. Nullus unquam procuret, nec permittat, ut in nostris Ecclesiis repræsentationes etiam omnino spirituales fiant; qui secus fecerit gravi pœna ad arbitrium Provincialis puniatur.

REGULÆ CAPUT XVIII.

Vinum sumendum a Fratribus &c.

CAPUT XVIII.

De sobrietate servanda.

A Religiosis præsertim Discalceatis valde aliena est intemperantia, & ebrietas, propterea quilibet in hac materia defectus magnopere reprehendi, & puniri debet: quare si quis (quod Deus avertat) ebrius aliquando deprehensus fuerit, si acciderit sine scandalo, pœna culpæ gravis puniantur per sex dies, si cum scandalo, sit incarceratus per tres menses, & privatus loco, & voce per annum unum, quod si fuerit Laicus habitu fusci coloris induatur, si cum scandalo per annum unum, si absque illo per quatuor menses.

REGULÆ CAPUT XIX.

In Civitatibus, in Villis, sive Castellis.

CAPUT XIX.

De abstinentia a cibo, & potu servanda a Religiosis extra Conventum in Oppidis, ubi illum habemus.

Qui in loco, ubi est Cœnobium nostri Ordinis extra illud comedent, vel hospitatus fuerit, incarceretur: per quindecim dies si pernoctaverit, suspensus sit ab officio, voce, & loco per sex menses: si biduo pernoctaverit, ultra dictam

pœnam incarceratus existat per dies viginti : quod si amplius perduraverit, augeatur pœna, attenta gravitate culpæ, & transgressione Regulæ.

REGULÆ CAPUT XX.

Numquam in Tabernis &c.

CAPUT XX.

De locis, in quibus Religiosi hospites non esse tenentur.

Regula dirigit omnes nostras actiones ad honestatem, majoremque perfectionem, ideo maximo jure præcipit, ne habitemus, comedamus, vel bibamus in Tabernis, Popinis, & hujusmodi locis minus honestis; & contravenientes subjicit pœnæ culpæ gravis ad arbitrium Ministri, quod præcipimus stricte observari.

REGULÆ CAPUT XXI.

Talis sit charitas inter Fratres Clericos, & Laicos &c.

CAPUT XXI.

De vita æquali, & communi, ac de confessu Fratrum.

§. 1. *De Vita communi, & æquali.*

1. Observent omnes æqualitatem præceptam a nostra Regula erga victum, vestitum &c. qui vero absque superioris licentia dederit, aut receperit cibum alium, & diversum in quantitate, qualitate, & condimento ab eo, qui in Communi cæteris ministratur, puniatur juxta qualitatem culpæ.

2. Nullus Religiosus alium ex nostris etiam Patrem Generalem titulo appellet *Reverendissime*, aut Paternitatis, sed taceat dotes omnes : nominentur Patres, & *Reverentia*, non Sacerdotes Fratres, & Charitatis, ratione tamen submissionis, & reverentiæ debitæ Superioribus omnes Religiosi in toto Ordine cum Sermonem agunt de P. Generali præsente, nec non de ejus prædecessoribus, & de Diffinitoribus Generalibus actualibus dicant *Noster Pater*, eodemque pronomine *Noster* decoretur Provincialis ab omnibus suæ Provinciæ, Minister a Subditis, seu Conventus, seu Collegii.

3. Titulus Doctoris, Magistri, & hujusmodi nulli nostratum præstetur, tametsi ante ingressum in Religionem illo gradu, & titulo fruretur, nec illius intuitu aliquis immunitate, libertateque in Ordine nostro gaudeat.

§. 2. *De concessu inter Fratres servando.*

1. Decernimus, quod Pater Generalis habeat primum locum, & sedem in tota Religione, Provincialis in sua Provincia, absente Patre Generali, & his duobus absentibus Minister in suo Conventu, seu Collegio; deinde cæteri Religiosi ordine sequenti. Patres Diffinitores Generales, Patres Provinciales hospites juxta antiquitatem suorum Provinciarum. Patres Ministri hospites juxta antiquitatem suorum Conventuum. Patres Redemptores Captivorum, & si ipsi concurrant servent inter se præcedentiam a Diffinitorio designatam. Patres Procuratores Generales, quibus in Hispania, concurrentibus primum locum habeat Hispanus. In Italia vero Romanus. Patres Vicarii in suis Conventibus. Patres Vicarii Hospites juxta antiquitatem Domorum suarum. Patres Sacerdotes professi tam Conventuales, quam Hospites juxta antiquitatem suarum professionum. Fratres Diaconi professi juxta antiquitatem professionis. Fratres Subdiaconi professi juxta antiquitatem professionis. Fratres Choristæ juxta antiquitatem professionis. Novitii Sacerdotes juxta antiquitatem habitus. Fratres Laici professi juxta antiquitatem professionis. Novitii Choristæ juxta antiquitatem habitus. Novitii Laici juxta antiquitatem habitus.

2. Tempore Capituli Generalis, vel Diffinitorii Patres Diffinitores Capitulares locum habeant, & sedem infra designatam *Cap.* 39. §. 4. *num.* 4., *& Cap.* 40. §. 5. *num.* 2. Patres Visitatores, dum tali munere funguntur, præsideant, & præcedant alios ab ipsis visitandos.

3. Nullus præeminentiam, vel loci præcedentiam habeat, eo quod in Religione functus fuerit aliquo Officio, etiam Generalatu.

4. Quando in itinere fuerint, præcedentiam, & graduationem *nu.* 1. assignatam observent, nisi justa de causa Prælatus aliquem minus antiquum in præsidem designet.

REGULÆ CAPUT XXII.

Infirmi seorsum dormiant, & comedant &c.

CAPUT XXII.

De charitate erga Infirmos.

1. Superior Conventus sub pœna suspensionis ab Officio præsto sit Infirmis, provideatque de omnibus necessariis pro ipsorum medela, & curatione, quin paupertate Conventus excusetur; non vero permittat, quod extra Conventum cibus condiatur, nisi in aliqua gravi infirmitate, & aliquo condimento a nostris ignoto; quod si defectus aliqua re acciderit hortamur ægrotos, ut tanquam pauperes patienter ferant.

2. Quotidie Superior visitet Infirmos, & curet tempore apto illis Sacramenta ministrari; quod si sua negligentia absque pœnitentia, Viatico, vel extrema Unctione aliquis decesserit, suspensus sit ab Officio per unum annum, vel augeatur pœna arbitrio Provincialis juxta culpam; & Infirmarii si quam culpam habuerint, juxta illius gravitatem mulctentur; curet insuper Prælatus, ut ægroti saltem in qualibet hebdomada (dum infirmitatis accidentia non impediverint) cœlesti reficiantur pane, & in Paschate pro adimplemento præcepti Ecclesiastici Sacra Eucharistia solemniter ministretur non valentibus surgere ex lecto, prout in nostro Manuali.

3. In quocumque Conventu, vel Collegio quis ægrotaverit, quamvis sit Hospes, curetur, donec salutem recuperet, nisi justa de causa Provincialis illum mittat in aliam Domum, & istius Minister, & Conventuales illum cum charitate recipiant, ac de necessariis provideant, sicut cæteris Conventualibus.

4. Si propter infirmorum frequentiam Conventus aliquis in egestatem devenerit, Provincialis illi subveniat, facta cum licentia Generalis aliqua per Conventus contributione.

5. Nullus ægrotus ex nostris curetur extra Conventum, etiam in Domo Parentum suorum nisi casu, quo morbus ita sit gravis, quod ab illo aliter non posse evadere prudenter judicetur; & tunc quidem fiat cum licentia in scriptis Patris Generalis, & in Oppidis, in quibus Cœnobium nostrum non est.

6. Balnea medicinalia nullus intret ægrotus, absque Patris Generalis licentia in scriptis, sub pœna privationis vocis, & loci.

7. Sine expressa licentia sui Prælati nemo Medicum consulat, nec medicinis utatur sub pœna gravis culpæ.

8. Liceat Infirmis cum Prælati Benedictione uti tibialibus, & pedulibus, vel aliqua alia re ex sago albo, vel simili materia, ut se protegant, & foveant.

REGULÆ CAPUT XXIII.

Si qui Religiosi ad hospitandum advenerint &c.

CAPUT XXIII.

De charitate exercenda cum Hospitibus Religiosis, & Sæcularibus.

§. 1. *De Hospitibus Religiosis.*

1. Superiores benevoli recipiant Hospites nostri Ordinis, & necessaria illis suppeditent sub pœna culpæ gravis; cæteri Religiosi familiariter cum illis agant, primaque nocte ipsorum pedes laventur. Ac simili charitate, & benevolentia, recipiatur quilibet alterius Ordinis Religiosus qui ad hospitandum in Domos nostras advenerit.

2. Hospites nostri Ordinis, transacta prima die, Choro, & aliis functionibus Communitatis assistant, nisi forte per prolixitatem itineris Superior longiorem illis requiem concedat.

3. Si ultra quatuor dies in Conventu remorentur, pecunias, si quas habent, Superiori tradant, ut in trium Clavium Arca custodiantur, alioquin pœnæ culpæ gravis subjaceant per tres dies, & Superior illas integras restituat sub pœna suspensionis ab officio per mensem unum.

4. Statim ac Hospites ad Conventum accesserint (nisi Prælati sint) Ministro declarent quid curæ, & negotii habeant, & absque licentia illius quamvis Ministri Conventuales, vel Provinciales sint, non egrediantur e Conventu, obediantque, sicut Conventuales Ordinationibus, & præceptis ipsius Prælati.

5. Transactis duobus diebus Hospites Missas celebrent pro intentione, & obligatione Conventus, vel Collegii illius, in quo hospitantur: si tamen venerint, ut Conventuales, a prima die pro illo Sacra faciant.

§. 2. *De Hospitibus Sæcularibus.*

1. Etiam Sæculares benevole, & charitative recipiantur, non tamen in communi Dormitorio, sed in loco separato hospitentur.

2. Ne permittant Sæculares intra Cellas, & Officinas Conventus, quamvis illius famuli sint, bene tamen aliqua persona gravis, sed raro, & cum Superioris licentia, & Religioso comitante.

REGULÆ CAPUT XXIV.

Nullus Frater Laicus, sive Clericus &c.

CAPUT XXIV.

De otiositate a nostris Fratribus fugienda.

1. Nullus Religiosus, sicut præcipit Regula sit sine proprio Officio, juxta prudentem Prælati dispositionem.

2. Officia in communi Tabula singulis hebdomadis æqualiter distribuantur, & imponantur omnibus Religiosis, tam Prælatis, quam Subditis at juxta vires, & occupationes uniuscujusque, prout in nostro Cæremoniali disponitur. Et Sacerdotibus, qui jam triginta & octo annos ab Habitu recepto expleverint, non imponantur officia legendi, & serviendi in Refectorio, nec Infirmarii, nec Pulsatoris Cymbalorum, nec ultimam, nec penultimam Missam celebrandi, nec insuper Fratres Laici, qui eosdem triginta & octo annos Habitus compleverint cogantur pulsare media nocte ad Matutinum, neque in Coquinam destinentur.

§. 3. Prædictæ Tabulæ Officia cura magna Fratres adimpleant. Quod si quis urgenti causa adimplere quandoque non valuerit, Superiorem tempore apto moneat, ut alium substituat sub pœna disciplinæ non monenti.

REGULÆ CAPUT XXV.

Silentium observent semper in Ecclesia sua.

CAPUT XXV.

De Silentio, & Clausura, & modo servando in exitu a Conventu.

§. 1. *De Silentio.*

1. Præter loca, in quibus Regula nostra præcipit semper observari silentium etiam inviolabiliter servetur in Sacristia, & Claustro insuper in omni loco servetur, facto signo post prandium ut Religiosi ad Cellas se conferant usque ad Vesperas, vel aliud simile signum, necnon ab examine conscientiæ nocturno, usque ad Primam diei sequentis; Licebit tamen eis cum Superiore his temporibus loqui super aliquo, quod differre non possint.

2. Religiosi nec inter se, nec cum Sæcularibus umquam deambulent, vel confabulentur in Claustro: si cui opus fuerit alterum alloqui, id faciat in Aula, sive loco ad id destinato a Superiore, & cum illius licentia.

3. Omnes Religiosi mutuo se honore afficiant, non tamen id fiat urbanitatibus alienis ab humilitate Discalceatorum.

§. 2. *De Clausura.*

1. Singuli Religiosi in singulis seorsim habitent Cellis, a quibus non exeant sine urgenti necessitate, vel ad Chorum; idque præsertim observetur tempore Silentii.

2. Nullus alterius Cellam (etiam Superioris absente ipso) ingrediatur sub pœna saltem comedendi super terram. Quod si privative Cellam de nocte intraverit, privatus sit voce, & loco per mensem. Si autem in aliquo Conventu defectus erga hoc reperiatur, Superior ad illum vitandum præceptum imponat, & majorem pœnam.

3. Nullus ab alterius Cella extrahat Codices Libros, vel rem aliam, sine licentia Superioris, qui contravenientem severe puniat.

4. Laudabilis nostri Ordinis consuetudo observetur, nempe in nocte post Litanias Lauretanas, pulsentur Tabellæ in Dormitoriis, & dicatur sententia spiritualis, cujus meditatione Religiosi in Cellas, lectulosque, se conferant, ac intra quadrantem horæ lucem extinguant. Qui intra illud spatium non extenserit pronus in terram die sequenti comedat.

5. Superior per se, vel per suum Vicarium, quando expedire viderit, Cellas nocturno tempore visitet; Clausuram vero singulis noctibus, portas iterum observando magistra Clavi, quam semper apud se retineat; Qui autem negligens in debita Clausura servanda fuerit, suspensus sit ab Officio per tres menses.

6. Quando solitæ Processiones per nostra fiunt Claustra, non permittatur ingressus Mulierum in illa. Qui secus fecerit, graviter, ad arbitrium Provincialis puniatur.

§. 3. *De egressu Fratrum à Conventu.*

1. Superiores Redemptores Captivorum, Procuratores Eleemosynarum, Quæstores, vel loco Procuratoris Conventus alius Religiosus cum suis Sociis poterunt dumtaxat ad Oppidum exire. Et Prædicatores similiter ad concionandum, & Confessiones ad audiendas Confessarii: Quod si in aliquo Conventu fuerint plures Hospites, & negotia, poternnt alii egredi cum licentia Diffinitorii: Superior autem huic Constitutioni contraveniens pœna culpæ gravis puniatur; Ipseque ita sit assiduus in Domo, quod Sub-

diti ejus exemplo libenter ferant ſuam incluſionem, nec uno eodemque tempore Miniſter, & ejus Vicarius extra Cœnobium umquam ſint.

2. Nullus Superior in locis, in quibus ſunt Conventus noſtri, Religioſum aliquem, etiam Eleemoſynæ Quæſtorem ſine Socio ad Oppidum mittat, ſub pœna culpæ gravis, prudenterque ſe gerat in aſſignatione Sociorum: Quos autem deſignaverit, recipiant Subditi abſque excuſatione ſub pœna etiam culpæ gravis. Qua etiam pœna afficiantur Socii, qui extra Monaſterium ita ſeparantur, ut mutuo ſe non videant, præſertim dicti Eleemoſynæ Quæſtores.

3. Ante horam Orationis Matutinæ nullus e Domo exeat, abſque urgenti neceſſitate, redeantque omnes ante noctem. Contraveniens autem pronus in terram die ſequenti panem, & aquam comedat, nec exeant in diebus feriatis, & in illis, in quibus Sæculares habent Ludos, & publicas lætitias, ſpectacula, & ſimilia, excepta cauſa gravis, & ita urgentis negotii, quod differri non valeat. Qui vero abſque illa licentiam dictis diebus petierit, vel conceſſerit, pœnæ culpæ gravis ſubjaceat.

4. Quando Religioſi noſtri ad Oppidum exeunt, in illas tantum ingrediantur Domos, ad quas expreſſam licentiam habent, nec negotia ſuſcipiant, niſi à Superiore commiſſa, quod ſi occurrerit, in ingreſſu ad Conventum Prælato exponant. Qui vero parti alicui hujus Conſtitutionis contravenerit, pœna culpæ gravis afficiatur, vel majori, ſi ratione circumſtantiæ alicujus culpa augeatur.

5. Egreſſurus e Conventu obtenta licentia, indutus Cappa ſimul cum Socio Benedictionem accipiat a Prælato, & a Sanctiſſimo Sacramento breviter orans; idemque faciant in ingreſſu; Tempore autem Viſitationis actualis a Viſitatore Benedictionem accipiant, ſemperque eamdem accipient Prælati ab aliis ſibi Superioribus in eadem Domo exiſtentibus.

6. Numquam Religioſi noſtri ſimul in communi egrediantur ad funera, vel cantanda Reſponſoria, niſi in eis locis, in quibus unicus fuerit Conventus, vel Collegium noſtri Ordinis, vel ad funera, & exequias Regum, Epiſcoporum, Prælatorum, & ſimilium gravium perſonarum, quando aliæ Religiones concurrant. In his autem & quibuſvis aliis publicis functionibus ſingulari modeſtia noſtri reſplendeant, nec a Communitate aliquis umquam ſeparetur ſub pœna culpæ gravis per tres dies.

7. Hortamur Superiores, ne permittant, ut Religioſi, qui pro ſua infirma valetudine carnibus veſcuntur, aut lino, ſive alia re noſtræ auſteritati oppoſita utuntur, iter faciant, vel extra Conventus exeant niſi raro, & juſta de cauſa.

8. Nullus Religioſus ſub pœna gravis culpæ e Domo egrediatur ad agenda negotia Sæcularia, etiam ſuorum Parentum; ſi tamen commode excuſari non poſſit, id liceat ei obtenta prius Prælati Superioris licentia.

REGULÆ CAPUT XXVI.

Juramenta non faciant niſi magna neceſſitate.

CAPUT XXVI.

De circumſtantiis, quæ concurrere debent pro Juramento à noſtris Religioſis faciendis.

Juramenta non faciant, niſi magna occurrerit neceſſitas in cauſis juſtis, & honeſtis cum licentia ſui Prælati, vel juſſi ab aliquo, qui id eis præcipere poſſit; Qui autem abſque iſtis circumſtantiis juraverit, diſciplina Conventuali plectatur.

REGULÆ CAPUT XXVII.

Pignora non accipiant, & depoſitum auri &c.

CAPUT XXVII.

Prohibetur noſtris Religioſis acceptatio pignorum, & depoſitorum.

Præcipit Regula noſtra capite iſto, ne pignora, nec depoſita Auri, Argenti, vel pecuniæ a noſtris ſuſcipiantur; Quare qui contravenerit tamquam violator Regulæ puniatur.

REGULÆ CAPUT XXVIII.

Si quod vitium in re, quæ venditur.

CAPUT XXVIII.

Præcipitur, quod defectus rei venditæ manifeſtetur Emptori.

Religioſi noſtri veritatis, & Juſtitiæ amatores eſſe debent; Ideo manifeſtent Emptori vitium, ſi aliquod notum fuerit in re, quam vendere volunt ſub pœna gravis culpæ infligendæ non indicanti.

REGULÆ CAPUT XXIX.

Capitulum ſi fieri poſſit ſingulis Dominicis diebus fiat.

CAPUT XXIX.

De Capitulo Conventuali, & Conſiliariis Conventus.

§. 1. *De Capitulo Conventuali.*

1. Nullus, niſi Sacerdos, & poſt tres annos a profeſſione Votum habeat in Capitulo Conventuali.

2. Quando juxta noſtram Regulam, & Conſtitutiones res aliqua a Capitulo Conventuali decerni debet, Superior illam Communitati proponat die antecedenti, & in ſequenti definiatur per ſecreta ſuffragia a Prælato, & Conſiliariis regulanda.

3. Ut ſemper conſtet quænam res diffinitæ, & determinatæ ſunt a Capitulo Conventuali, in quolibet Conventu, & Collegio ſit Secretarius electus de corpore ipſius Capituli, & ab eodem Capitulo cum conſilio, & aſſenſu Provincialis, qui quidem Secretarius in libro ad id deſtinato ſcribat omnia Decreta prædicti Capituli, approbationes ordinandorum, & ſimilia, & poſt quam ea legerit ipſi Capitulo, Miniſter, & Conſiliarii ſubſcribant, & ipſe quoque Secretarius tamquam atteſtans.

4. De omnibus actis, ac determinatis in Capitulo ſemper cuſtodiatur ſecretum. Si quid vero aliquis aliis revelaverit Religioſis non Capitularibus, vel Sæcularibus, maxime quando Prælatus ſecretum commendavit, ad arbitrium Provincialis privetur voce activa in Capitulo Conventuali juxta inconvenientia ex revelatione ſubſecuta.

De Conſiliariis Conventus, & eorum Officio.

1. In quolibet Conventu, ſeu Collegio Pater Provincialis deſignet quatuor Conſiliarios, ex quibus duo primi Officium exerceant, & in eorum abſentia alii duo, & cum actu exercentibus conſulat Prælatus omnes res ad Conventus adminiſtrationem pertinentes, exceptis gravioribus majoriſque ponderis; iſtæ enim per majorem partem Capituli Conventualis decerni debent.

2. In ſingulis Conventibus, & Collegiis ſingulæ ſint pro cuſtodiendis pecuniis Arcæ trium Clavium, quarum alteram Superior, duas alias Conſiliarii Officium exercentes habeant, & ſine

assistentia cunctorum trium neutiquam Arca ista aperiatur.

3. In dicta Arca sit Liber, in quo scribatur omnis pecunia, quæ recipitur, & expenditur, & ex quo procedit; Sit etiam alter Liber, in quo clare, & distincte scribatur, quomodo satisfactum est oneribus Missarum, suffragiorum, cæterarumque obligationum perpetuarum, & temporalium, quæ Conventus habet, & qualiter etiam sit satisfactum Missis, & suffragiis pro nostris Religiosis, & Defunctis; sit quoque Liber alter, in quo exprimantur quantitates tritici, hordei, vini, olei, & similium, quæ quocumque titulo recipiuntur, & in Conventu expenduntur; ac denique sit Liber alius pro Redemptione Captivorum, ut dictum est supra *Capitulo* 2. §. 1., in quo scribantur, non solum, quæ Conventus separat pro dicta Redemptione, sed etiam omnia, quæ quoquo modo, & titulo pro illa recipiuntur. Et de omnibus in hoc numero dictis Superior, & Consiliarii in fine cujusvis mensis rationem conficiant, & in prædictis Libris scribant, & subscribant. Quod si in hoc fuerint negligentes, severe puniantur ad arbitrium Patris Provincialis.

4. Etiam in quolibet Conventu, & Collegio sit in Arca trium Clavium, sive in Archivio Liber magnus nomine *Protocollo*, in quo clare, & cum distinctione scripta sint, & scribantur fundatio, & status Conventus, obligationes perpetuæ Missarum, & suffragiorum, bona stabilia, & immobilia, & census tam in favorem, quam contra; & in eodem Protocollo sit quoque Index, & Inventarium omnium scripturarum in favorem Conventus cum notatione loci, temporis, & scribæ, a quo signatæ sunt. Ac denique in dicta Arca, vel Archivio custodiantur omnes, & quæcumque scripturæ, Instrumenta, & Inventaria pertinentia ad Conventus, vel Collegii bona.

REGULÆ CAPUT XXX.

Non solum Fratribus, sed & Familiæ Domus &c.

CAPUT XXX.

De Capitulo, Collatione Spirituali, & exhortatione in diebus Dominicis.

1. Singulis Dominicis ante Primam in omnibus Conventibus, & Collegiis Capitulum juxta tenorem Regulæ in Aula Capitulari fiat, in quo Prælatus hortetur Religiosos ad observantiam, majoremque perfectionem, illorum culpas corrigat, agatque de receptis, & separatis, & separandis pro Redemptione Captivorum, de statu Domus, & ejus substantia, audietque Subditos Capitulares, quæ ad perfectionis ipsius Conventus, vel Collegii regimen in ipso Capitulo proposuerint, & quod expediens videatur, exequi curet. Quibus finitis, si adhuc non sit hora recitandi Primam, reliquo tempore usque ad illam omnes in communi mentaliter orent.

2. Prima cujuslibet Mensis Dominica ante correctionem culparum, & ante omnia prædicta *num.* 1., habeant Fratres per spatium dimidiæ horæ collationem spiritualem de aliquo vitio extirpando, seu virtute adipiscenda, vel de puncto aliquo Orationis, & omnes suam sententiam, & Judicium pronuncient, ac deinde Superior brevem erga eamdem rem concionem agat.

3. Insuper per Dominicos dies bis etiam in hebdomada advertentiæ, culparumque correctio in eadem Aula Capitulari fiant; A Paschate quidem usque ad primam diem Octobris immediate post Vesperas; Reliquo vero tempore anni post Completorium.

4. Omnia prædicta, tam videlicet hortationes, & collationes, quam culparum correctiones solum fieri possunt a PP. Generali, Provinciali, Ministro, Præsidente, vel Vicario.

REGULÆ CAPUT XXXI.

De omnibus rebus, & clamoribus &c.

CAPUT XXXI.

De Correctione culparum, de earum gravitate, & pœnis.

§. 1. *De modo animadvertendi culpas in Capitulo.*

1. Singulis Hebdomadis designetur Sacerdos cujus Officium sit zelare observantiam, & charitative, ac simpliciter proponere in Capitulo culpas Religiosorum, infra hebdomadam quidem leviores; die vero Dominica, quæ majoris sint ponderis. Hortamurque Zelatorem, ut fideliter, & sine personarum acceptione suum adimpleat Officium; idemque faciat Capituli præses si culpam aliquam animadverterit.

2. Ut sanctæ nostri Ordinis Consuetudines conserventur Superiores pro culpis levioribus flagris cedant Religiosos, imponantque mortificationes ordinarias, & extraordinarias per Refectorium in publica Mensa faciendas; in quarum exercitio ipsi præcedant, ut eorum vestigia subditi libenter sequantur.

3. Hortamur Religiosos, quibus in Capitulo nulla adscripta fuit culpa, ut ipsimet se accusent pro humilitatis exercitio.

4. Animadversiones æquo animo ferat, & humiliter pœnitentiam accipiat absque satisfactione, nisi de aliqua fuerit a Præside interrogatus, & tunc submisse, & breviter satisfaciat, sit tamen semper Justitia, & lenitas in Corrigente, & in Correcto submissio.

5. Si quis in Capitulo suas, vel alienas culpas absque licentia excusare & defendere voluerit, statim severe puniatur ad arbitrium Præsidentis Capituli, nisi prudentia dictante melius videatur punitionem in commodius tempus differre: Nemoque de culpis animadversis conqueratur sub pœna jejunii in pane, & aqua tantum.

§. 2. *De gravitate culparum, & earum pœnis.*

1. Non solum generalibus gratiæ Dei auxiliis, verum & specialibus Religiosi muniuntur; attamen talis est humana fragilitas, ut timere possint lapsus etiam graves, cum in Cœlo, Paradiso, & Collegio Apostolico nonnulli defecerint. Quare prudenter prævenientes designamus omni genere culpæ (nempe levis, mediæ, gravis, gravioris, & gravissimæ) sequentes pœnas.

2. Culpa levis est errantem in Choro, in recitatione, vel cantu, non statim terram osculari, præsto item non esse actibus Communitatis, manducare, & bibere absque licentia, & his similia, pro culpis istis infligatur pœna, non nihil recitandi, vel faciendi in Refectorio aliquam mortificationem ordinariam.

3. Culpa media est minus decenter Divinis Officiis interesse, frangere aliquod Capitulum præceptivum Regulæ, de more habere negligenter, & tarde interesse actibus, & functionibus Communitatis, negligentem quoque esse in adimplendo Officio de communi tabula, vel in exequendis simplicibus mandatis Superiorum, contendere immediate cum Sæcularibus, vagari per Conventum, res ad Ecclesias pertinentes irreverenter tractare, libros, & alia hujusmodi communia negligenter curare. His culpis arbitrio superiorum pœnæ correspondeant.

4. Culpa gravis est committere quodcumque peccatum mortale absque scandalo. Si alicui ex istis non fuerit in Constitutionibus nostris pecu-

liaris

liaris pœna designata, Minister (cui competit gravem culpam judicare) Delinquentem poterit in Carcerem conjicere, vel aliam pœnam ad arbitrium imponere, attentis qualitatibus culpæ.

5. Etiam reducitur ad culpam gravem ludere absque scandalo chartis pictis, taxillis, ac similibus: sumere sine licentia aliquas res communes ab Officinis, vel eas, quas Fratres habent ad usum, dicere, aut scribere alteri aliquod opprobrium, aut malitiosum verbum: verba quoque inhonesta proferre, aut cum Mulieribus immodeste, & inverecunde colloqui. Pro his, & similibus plectantur Rei flagellis in Capitulo, & Jejunio in pane, & aqua tantum, vel recludantur in Cellis per aliquot dies post asperam reprehensionem.

6. Culpa gravior est committere quodcumque peccatum mortale cum scandalo, vel quodcumque peccatum incontinentiæ, Contumaciæ, Inobedientiæ, vel Apostasiæ, etiam sine scandalo. Pro his culpis, & unaquaque illarum Reus incarcerabitur per tres menses, & privabitur voce, & loco per annum, vel in Capitulo flagellabitur a Præside, & a tota Communitate, & semel jejunabit in pane, & aqua tantum, ac in Cella recludetur pro tempore suæ culpæ proportionato: Qua pœnitentia durante, nullum Reus exerceat Officium; quod si Sacerdos fuerit, Missam non celebret; si Frater ad Chorum deputatus poterit circulus Coronæ pro tempore Carceris ei radi; si vero Laicus indui poterit vestimentis fusci coloris; quas, & similes pœnas adhibere valebit Provincialis pro arbitratu suo; semper tamen proportionatas cum qualitatibus culpæ.

7. Culpa gravissima est committere delictum, cui in Jure pœna mortis, vel triremium inflicta est, verbi gratia, ponere Libellos infamatorios, fingere, & adulterare subscriptiones, vel Sigilla Superiorum, patrare facinus aliquod, propter quod Delinquens expelli debeat. Propter hæc a Diffinitorio generali gravissime puniantur Rei, attenta delicti qualitate, vel expellantur, servata forma infra posita *Capitulo* 33. *§. 2. num.* 2., gravissimas enim culpas judicare soli Diffinitorio Generali competit.

§. 3. De nonnullis animadvertendis circa dictas pœnas.

1. Quando in nostris constitutionibus ponitur pœna suspensionis, vel privationis (etiamsi inibi dicatur ipso facto) non intelligatur ante, sed post sententiam Judicis super facto, & quando absolute dicitur, quod aliquis careat voce, intelligatur de utraque activa nimirum, & passiva.

2. Si in Capitulo Dominicali præsens fuerit aliquis Sacerdos privatus voce; postquam egressi sunt ab illo omnes fratres Laici, & Choristæ, Præses corrigat eum, si vel ipse, vel Zelator aliquam notavit culpam, & statim prædictus e Capitulo exeat; privatus sede, seu loco; si Sacerdos sit, sedeat post omnes alios Sacerdotes, nisi alium inferiorem locum illi designaverit, & proportione servata similiter fiat cum non Sacerdotibus.

3. Quando in nostris Constitutionibus designatur pœna privationis Officii, & vocis; si Delinquens Officium, & vocem non habeat, infligatur illi alia proportionata pœnitentia.

4. Suspensi ab Officio remaneant in suis propriis domibus, nisi suspendens, vel Pater Generalis alios conventus illis assignet pro tempore suspensionis.

5. Quando pro pœnitentia imponitur Jejunium in pane, & aqua, Pœnitens adimpleat in Refectorio ad primam mensam prorsus in Terra absque Mappa, & Caputio.

6. Volumus, quod illi, qui de more habuerint committere culpas leves, puniantur pœna culpæ mediæ, & quibus mos fuerit committere culpas medias, mulctentur pœna culpæ gravis, & sic de reliquis, & dum non resipiscunt, pœna augeatur. E contra vero Superior, qui pœnitentiam imposuit, poterit prudenter, & attentis circumstantiis, minuere illam eis, qui humiliter adimplent, & signa emendationis ostendunt.

7. Culpis illis, quibus Constitutiones nostræ pœnas non statuunt, Superiores pro suo prudenti arbitrio imponant proportionatas, semper cum delictis, & circumstantiis, & ad similitudinem hic designatarum.

8. Ad puniendum delicta, semper attendantur personæ, & circumstantiæ, ut sic, vel augeatur, vel minuatur pœna.

9. Prælatus inferior sit obligatus fidem facere Superiori, qualiter pœnitentia ab ipso imposita executioni mandetur.

§. 4. De Carcere nostrorum Conventuum.

1. In omnibus nostris Conventibus, & Collegiis sit locus securus, ac deputatus ad Custodiam Reorum, non tamen adeo rigorosus, ut in discrimen veniat salus Religiosorum inibi inclusorum, & sint in eo compedes, vincula, aliaque necessaria ad pœnam, & majorem custodiam Delinquentium.

2. Si aliquis propter sufficientem alicujus gravis delicti probationem jussus fuerit a Judice incarcerari exuatur in ipso Carcere habitu albo, & induatur vestimento fusci coloris, poteritque (si Reus fuerit ad Chorum deputatus) in eodem Carcere Coronæ circulus ei radi.

3. Si propter negligentiam, vel malitiam Custodis Carceris Reus aufugerit, Custos in Carcerem conjiciatur, & juxta gravitatem culpæ puniatur.

4. Si quis quoquo modo opus tulerit incarcerato, ut aufugiat; si effectus non fuerit sequutus, incarceretur per viginti dies; si effectus sequutus, sit toto tempore in Carcere, quo Delinquens debebat esse. Carcerem autem confringentibus, tempus incarcerationis duplicetur.

5. Si quis sine Superioris licentia visitaverit, vel alloquutus fuerit incarceratos, pœnæ culpæ gravis per diem unum subjaceat.

6. Prælatus per se, vel per alium curet de solatio incarceratorum, & de exhortatione ad tolerantiam, libros spirituales illis concedat, sed non atramentarium, vel alia ad scribendum requisita, nisi raro, pensatis circumstantiis, & cum scientia eorum, quæ scribunt.

REGULÆ CAPUT XXXII.

Nullus Frater Fratrem suum in publico accuset &c.

CAPUT XXXII.

De pœna contra lædentes famam aliorum.

1. Si quis alterius famam apud Religiosos nostri Ordinis læserit, & convictus fuerit, pœna talionis puniatur, sicut præcipit Regula, & ante omnia famam restituat; si vero nostræ Religionis decorem, & suorum Religiosorum æstimationem infamiæ labe denigraverit apud Sæculares, vel Religiosos alterius Ordinis, præter pœnam supradictam careat voce activa per triennium, & inhabilis sit ad omnia Ordinis Officia.

2. Si quis falsum testimonium in re gravi contra alium dixerit, & convictus fuerit; præter pœnam talionis nunquam in Testem produci valeat.

REGULÆ CAPUT XXXIII.

Si quis scandalum, vel aliquid hujusmodi fecerit &c.

CAPUT XXXIII.

De Apostatis, fugitivis, incorrigibilibus, & manus violentas in alios injicientibus.

§. 1. *De Apostatis, & Fugitivis.*

1. Ille reputandus, habenduſque est ut Apostata (quantum ad pœnam) qui absque licentia Superiorum vagatur extra Conventum sine habitu, habeat, vel non, intentionem redeundi ad Claustra, aut etiam cum habitu, si per octo dies extra Claustra permanserit; iste ergo ipso facto sit excommunicatus, & pro tali promulgetur a Superiore coram Communitate. Item, qui de nocte sine licentia a Conventu exierit, eodem modo sit excommunicatus, & velut Apostata puniatur.

2. Si quis absque licentia exierit a suo Conventu, vel a Confinio, & Jurisdictione sui Prælati immediate recurrens ad Superiorem Prælatum non habeatur pro excommunicato; poterit tamen arbitrio Superioris puniri; si justam causam recursus non reddiderit; si vero aliorsum divertit, & via recta Superiorem non adivit, severius puniatur.

3. Statim ac sit notitia de alicujus Religiosi exitu a Conventu sine licentia, quamvis recurrat ad Superiores, Prælatus illius processum formet de fuga, & certiores faciat Patres Generalem, & Provincialem de illa, & de die, & causa ipsius fugæ.

4. Et quia felic. record. Urbanus VIII. per suas literas in forma Brevis sub die 4. Aprilis 1637. incipien.--*Altera &c.* post alteras quoque ab eodem, & a felic. record. Paulo Papa V. emanatas, præcipit, ut nullus nostri Ordinis Religiosus ad alium quemcumque Ordinem, Religionem, sive Congregationem (excepto Ordine Carthusianorum, petita, & obtenta licentia a Superioribus nostri Ordinis) sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ pœna, etiam emissionis quarti Voti, seu perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris Regulæ, seu observantiæ prætextu, vel contemplatione, aut quavis justa, probabili, aut legitima causa se transferre audeat: Ideo literæ prædictæ inviolabiliter serventur.

5. Apostatæ, & fugitivi pro prima vice, & fuga puniantur juxta gravitatem culpæ, & ipso facto omittent antiquitatem Sedis, & Loci, & in futurum illorum antiquitas incipiat a die regressus ad Ordinem post dictam primam fugam. Qui secundam fecerint eadem pœna afficiantur. Pro tertia vero fuga (vel pro una, si per annum duraverit) si tales non expelluntur, pœnis impositis pro prima, & secunda fuga plectantur, & præterea inhabiles sint ad Prælaturas Ordinis; & voce activa careant; si quis vero Apostasiæ ratione excommunicatus celebraverit, gravioribus pœnis, severiusque mulctetur.

6. Denique non solùm Patribus Ministris, verum etiam omnibus Religiosis facultatem, & auctoritatem concedimus, ut in casu necessitatis possint capere, ac comprehendere Apostatas, & fugitivos cujuscumque Provinciæ, & Domus sint, hortamurque in Domino Superiores, & eorum Conscientias oneramus, ut curent diligenter, & caute compellere, & revocare fugitivos sub pœna gravis culpæ per tres dies.

§. 2. *De incorrigibilibus, & eorum expulsione.*

1. Ille Religiosus judicandus est incorrigibilis, qui audens commitere, & repetere graves culpas, admittere non vult pœnitentiam legitime a Superiore pro illis impositam. Similiter ille, qui ribus diversis vicibus punitus pro culpis gravibus ad meliorem vitæ rationem non redit. Etiam ille, cujus emendatio desperatur propter ipsius obstinationem, & pravos mores.

2. Incorrigibiles, vel perpetuo Ergastulo sunt mancipandi, vel a Religione expellendi, observando in omnibus Decreta sacræ Congregationis Concilii publicata de mandato felic. record. Urbani VIII. anno 1624. die 22. Septembris; quando autem expulsio alicujus fuerit executioni demandanda, prius in Capitulo Conventuali sententia legatur, & flagellis cæsus a Communitate coram ipsa spolietur habitu.

3. Numquam Pater Generalis expulsis Literas testimoniales concedat, illos ad Sedem Apostolicam rejiciens, vel jubens aliam ingredi Religionem, sed tantum tradat Literas fidem facientes de expulsione facta juxta dicta decreta Sacræ Congregationis, & in quibus etiam exprimantur pœnæ Expulso impositæ a Judicibus in Sententia Expulsionis.

4. Sententiæ in causis criminalibus prolatæ, & rei intimatæ non statim executioni mandentur, quin prius revideantur, & iterum examinentur Causæ; si Rei ipsi erga hoc supplicationem fecerint, & humiliter id postulaverint.

5. Appellare a correptione, & pœnitentia Regulari ad extremum Judicem prohibitum est per felic. Record. Sixtum V., Gregorium XIII., & Clementem VIII., quare si quis ab illa appellaverit severe puniatur ad arbitrium Diffinitorii.

§. 3. *De injicientibus manus violentas in alios.*

1. Si quis minatus fuerit, vel manus violentas injecerit, vel eum percusserit, arbitrio Ministri puniatur, attenta gravitate culpæ; quod si eam commiserit contra aliquem Prælatum inferiorem incarceretur, & aliis pœnis afficiatur a Provinciali, considerata prudenter qualitate delicti: si vero contra Provincialem, a Patre Generali; si autem contra Generalem a Diffinitorio Generali Delinquens puniatur, attenta semper qualitate culpæ.

REGULÆ CAPUT XXXIV.

Si quis Frater in Fratrem peccaverit &c.

CAPUT XXXIV.

De inferentibus injuriam aliis, & de correctione fraterna.

1. Religiosus, qui alteri injuriam fecerit, sive præsenti, sive absenti, juxta arbitrium Ministri puniatur, attenta culpæ gravitate.

2. Si quis scit, alium commisisse aliquod peccatum; si occultum est, & speratur emendatio, corripiat eum secreto juxta Evangelium, & nulli revelet sub pœna Carceris per tres menses, si ex tali revelatione scandalum sequatur, si vero non sequatur, afficiatur pœna culpæ gravis per sex dies, & semper ante omnia honorem restituat; si verò correctio facta non prodesset, vel si antequam illam faciat, prudenter judicet, quod nihil proderit, revelet Superiori pio, & cordato, ut suo consilio, & efficaciori documento vel aliis convenientibus mediis Reus ad meliorem se frugem recipiat.

3. Si quis contra bonum commune, & honorem nostræ Religionis aliquod delictum patraverit, qui de illo notitiam habuerit, denuncier Superiori, ut Patri, & si culpæ qualitas, & cir-

cum-

cumstantiæ exigunt etiam ut Judici deferat, qui lapsi salutem procuret, & decorem Religionis recuperet.

REGULÆ CAPUT XXXV.

Si pro necessitate Domus debitum aliquod fuerit contrahendum &c.

CAPUT XXXV.

De modo contrahendi Debita, & cura in eis solvendis.

1. Nullus sive Minister, sive Præses, sive Procurator, sive particularis quilibet Religiosus audeat, imo nec valeat debitum aliquod contrahere sine consilio, & assensu Capituli Conventualis, ut præcipit Regula.

2. Nullus Minister in fine sui Officii relinquat Domum suam oneratam debitis excedentibus quantitatem centum Ducatorum absque licentia sui Provincialis, & præcipimus Ministro Successori, ut curet solvere confestim debita sui Antecessoris, & ante illorum solutionem nullas expensas faciat, nisi præcise pro victu, & vestitu Religiosorum.

3. Inhibemus Conventibus omnibus, & Collegiis nostris, ne accipiant pecuniam ad Censum, sive ad interesse, sine licentia in scriptis Diffinitorii Generalis.

REGULÆ CAPUT XXXVI.

Si quisquam de substantia Domus violentiam fecerit.

CAPUT XXXVI.

De modo servando in Litibus, & negotiis.

1. Nullus sive Prælatus, sive Procurator incipiat Causam, & Litem, quin observet circumstantias, quas Regula nostra disponit; & propterea Inferiores Provinciali prius ab eo obtineant licentiam, quod si hæc facile haberi non potuerit, & Causa urgeat, lis inchoari poterit de consensu Capituli Conventualis, & statim Provincialis certior fiat.

2. Stricte præcipimus omnibus Religiosis ne ipsimet adeant Tribunalia sæcularia pro negotiis mere temporalibus agendis, nisi urgente causa, poterunt tamen Judices alloqui, & intercedere.

3. Nullus ex nostris, sine Patris Generalis facultate exerceat Officium Executoris Testamentarii sub pœna suspensionis a suo Officio, voce, & loco per tres menses; si vero aliquis Executor Testamenti fuerit nominatus, & commode absque mora prædicta licentia haberi non possit, & Judicio Ministri, & Consiliariorum expediens videatur, statim exercere dictum Officium, illud exerceat; ita tamen, ut pro executione, & perfectione illius obtineat intra duos menses præfatam facultatem. Copia item Testamenti subscripta a Ministro, & Consiliariis mittatur Patri Generali, ut judicet an expediat, vel non, & pro quo tempore, ac quibus circumstantiis talem concedere facultatem.

4. Nulli superiori liceat Judicis Conservatoris munus exercere, absque speciali Summi Pontificis Licentia.

5. Nullus item Religiosus sit Patronus, piæ alicujus memoriæ, vel administrator bonorum, quæ non sint nostræ Religionis, nisi casu quo Patronatus, & administratio annexa sit Officio, quo quis fungitur in Religione.

REGULÆ CAPUT XXXVII.

Solicite vero Minister provideatur &c.

CAPUT XXXVII.

De Diligentia adhibenda a Prælatis erga observantiam Regulæ.

1. Hortamur in Domino omnes Prælatos, ut sint valde soliciti in observantia sanctæ nostræ Regulæ, sicuti ipsa disponit, ut ipsorum exemplo subditi perfectius adimpleant illius præcepta.

2. Nullus Prælatus ita se occupet in negotiis, etiam Causarum piarum, ut a Gubernio Domus, & vita communi sequenda impediatur, nec subditis id ipsum ullo modo permittat.

3. Ministri a suis Conventibus, suisque Collegiis absentiam ultra octo dies non faciant sine licentia sui Provincialis.

REGULÆ CAPUT XXXVIII.

Non liceat Superioribus Confessiones subditorum audire &c.

CAPUT XXXVIII.

De Confessariis, Prædicatoribus, Lectoribus Studentibus, Collegiis, & Bibliothecis.

§. 1. *De Confessariis Religiosorum.*

1. Visitatores in qualibet visitatione deputent in scriptis Confessarios pro Religiosis; illorumque facultas durabit usque ad sequentem visitationem, in qua facta designatione, cesset præterita, etiamsi concessa fuerit a Prælato superiori illi, qui tunc visitat, & nullus sive hospes, sive Conventualis audeat Confessiones Religiosorum audire, sine prædicta designatione pro illo Conventu, vel Collegio, in quo existit, quamvis ad munus istud deputatus sit pro alio Conventu, vel Collegio, etiam ejusdem Provinciæ.

2. Patres tamen Diffinitores Generales actuales poterunt absque aliqua limitatione audire Confessiones cujuslibet Religiosi nostri Ordinis, & similiter cuicumque Sacerdoti idoneo ejusdem peccata sua confiteri. Eodem modo Patres Ministri absque limitatione excipere poterunt Confessiones suorum subditorum in Casibus a Regula dispositis, & ipsimet confiteri peccata sua cuilibet subdito suo idoneo.

3. Magister novitiorum Confessiones eorum audiat, semel tamen in quolibet mense (die a Patre Ministro assignanda) permittatur illis confiteri alteri Confessario approbato pro Religiosis designando, etiam ab eodem Ministro, recenter Professi confiteantur suo Magistro, & alteri Confessario ex approbatis, deputando etiam a Ministro, idemque intelligatur de Collegialibus studentibus &c.

4. Si in aliquo Collegio deficiant sacerdotes approbati a superioribus pro excipiendis confessionibus Religiosorum, Minister deputet idoneos, & ad id necessarios, donec sit copia approbatorum; poteritque tam istis, quam illis (quando expedire judicaverit) impedire ne audiant Confessiones, & cuilibet ex sibi subditis poterit dare facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti idoneo sui Conventus, etiam non deputato a Superiori Prælato, tametsi sit copia approbatorum, id tamen raro fiat.

5. Quando Religiosi nostri iter faciunt, vel sunt in aliquo Oppido, ubi Monasterium nostrum non est, nec habent Confessarium nostri Ordinis approbatum, poterunt confiteri pecca-

ta sua Sacerdoti simplici idoneo nostræ Religionis, vel cuilibet Confessario approbato Religioso, vel Sæculari.

6. Decernimus, quod Sacerdotes nostri non habentes facultatem audiendi Confessiones Religiosorum nostrorum concessam vel per constitutiones nostras, vel per Superiores, qui illam concedere possunt, non valeant excipere confessiones etiam Sacerdotum nostrorum.

§. 2. De Confessariis Sæcularium.

1. Nulli ex nostris liceat audire confessiones virorum Sæcularium sine eo, quod habeat tres annos completos sui Sacerdotii, & sine facultate Ordinarii, ac sui Provincialis; qui quidem prius simul cum Ministro Conventus, & alio Religioso docto, & virtute prædito ab ipso Provinciali designato illum examinet de scientia Morali & per secreta suffragia approbent, vel reprobent; si autem Provincialis non potuerit interesse examini, alium pro illo deputet Religiosum loco ipsius.

2. Ad audiendas confessiones fœminarum, quilibet ex nostris debet habere licentiam Diffinitorii, quam etiam petierit a Patre Provinciali, consulto Ministro Domus, ac insuper debet prius audivisse Confessiones virorum sæcularium laudabiliter, & per duos integros annos. In quo inhibemus Diffinitorio, ne valeat dispensare.

3. Qui sine requisitis, & facultatibus expressis in duobus muneribus antecedentibus ausus fuerit confessiones audire, vel examini Ordinarii sine licentia Ordinis se exponere, privatus sit Ministerio excipiendi Confessiones, nec ad illud ei umquam licentia concedatur, nisi per capitulum Generale.

4. Ad hoc autem Confessarii post obtentam facultatem excipiendi Confessiones, negligentes non sint in studio, nec doctrinam moralem pro derelicta habeant, præcipimus, ut omnes Confessarii tam virorum, quam feminarum (exceptis qui sint, vel fuerint Prælati, Superiores, vel Ministri, vel Sac. Theologiæ Lectores) examinentur indispensabiliter in secunda visitatione cujuslibet triennii a Visitatore, & duobus Religiosis designatis *in num. primo hujus §. 1.* qui per secreta suffragia approbent, vel reprobent, & a reprobato licentiam auferat Visitator: hoc autem examen semper fiat donec Confessarii expleverint viginti annos laudabilis exercitii audiendi Confessiones, & post viginti annos non amplius examinentur.

5. In Ecclesiis nostris (præter confessionaria in earum parietibus elaborata, quæ pro parte interioris Conventus habeant ingressum pro Confessariis) sint etiam Confessionaria alia amovibilia ex decenti ligno fabricata; Nullus autem Confessarius feminarum audiat confessiones, nisi in aliquo ex prædictis Confessionariis, nec in amovibilibus eas excipiat, nisi qui actualiter sit, vel aliquando fuerit Prælatus, vel qui ætatis annos quinquaginta habeat, vel licentiam a suo Prælato pro casu raro, & expressam pro qualibet vice.

6. In nullum ex dictis Confessionariis Religiosus aliquis ingrediatur, qui feminarum Confessarius non sit absque Ministri licentia; qui secus fecerit pœna culpæ gravis puniatur: quod si iteraverit inhabilis maneat ad obtinendam facultatem audiendi Mulierum Confessiones, vel alia æquivalenti pœna afficiatur juxta statum suum.

7. Licentiæ excipiendi confessiones sive virorum, sive feminarum non intelligantur absolute, & in perpetuum concessæ, sed dependenter a voluntate Religionis, quæ illas poterit limitare, abolere, & tollere, sine obligatione reddendi causam. Quod non intelligitur cum illis Religiosis, qui sunt, vel fuerunt Prælati, vel qui habent quinquaginta ætatis annos: illæ autem licentiæ tantum judicentur continuari, & permanere, quas subscriptas relinquat Visitator in sua Visitatione, vel Pater Generalis quando Conventus perambulet, & ita non subscriptæ eo ipso cessent.

8. In Oppidis, in quibus sunt Conventus nostri, non concedatur licentia ad exitum a Domo pro audiendis Confessionibus sæcularium continuo in die us determinatis, nisi raro, & cum licentia in scriptis Procuratoris Generalis.

9. Nullus Religiosus in loco aliquo Officium Parochi exerceat, etiam pro parte sub pœna culpæ gravis per tres dies, nec Diffinitorium valeat dispensare in Constitutione ista, nec Fratres, qui feminarum Confessarii non sint, mittant Prælati pro audiendis confessionibus ad Oppida illa, in quibus non est conventus noster.

§. 3. De Prædicatoribus.

1. Nullus Religiosus audeat concionari, quin prius per triennium Philosophiæ, & per aliud Triennium Theologiæ Scholasticæ vacaverit, & obtenta in scriptis licentia Patris Generalis, qui cum Examinatoribus supra *§. 2. num. primo* assignatis, experietur quid scientiæ, & virtutis habeat, & præsertim eum sedulo examinabit de præcipuis sanctæ fidei nostræ mysteriis, & de sensibus sacræ Scripturæ, & per secreta suffragia approbatio, vel reprobatio fiat: & insuper, ut de ejus genio, ac ingenio constet, disponet intra tempus illi assignandum, & habebit concionem coram Communitate & (si fieri possit) coram Patre Provinciali.

2. Nullus publice concionetur, quin prius præsentetur Ordinario, sub pœna privationis vocis, & Loci per sex menses.

3. Prædicatores in suis concionibus solum intendant morum reformationem, & virtutum augmentum. Qui verò in hoc defectuosus fuerit & a superiore aliquoties admonitus non se emendaverit, Officio Concionatoris privetur.

4. In Civitatibus, & Locis, in quibus non est Conventus noster, non admittantur sermones Quadragesimæ, itaut tota, vel majori parte illius Religiosus sit extra Claustra absque licentia Patris Generalis.

5. Prædicatores solo titulo concionandi (etiamsi pro tota Quadragesima Conciones habeant) carnibus non vescentur: Qui vero nisi illis vescatur Quadragesimæ tempore, concionari non valet, cesset a Concionibus, excepto casu, quo aliquis independenter a prædicatione pro sua infirma, & ægra valetudine, carnibus vescatur; talis enim prædicando in Quadragesima illas edere poterit cum licentia Provincialis, caute tamen, frugaliter, & exemplariter.

6. Si Superiori expediens visum fuerit, disponet, ut in loco, in quo est Conventus Ordinis, Religiosus aliquis Dominicis diebus exeat ad docendum Populum Doctrinam Christianam.

7. Liceat Prædicatori non interesse Choro (excepto tempore Orationis mentalis) tribus aut quatuor diebus ante Concionem. Disponentibus vero sermones pro Quadragesima plus temporis indulgeat Superior.

8. Pater Provincialis in secunda visitatione ujuslibet Triennii examinet Prædicatores (his exceptis, qui sunt, vel fuerunt Prælati, aut Lectores, vel qui per duodecim annos laudabiliter munus concionandi exercuerunt) & auferat facultatem ab illis, qui in virtute, & scientia fuerint defectuosi, vel inutiles ad animarum profectum, & ab illis, qui titulo Prædicationis a Choro, & vita communi se eximunt, & faveat, foveatque eos, qui in Concionibus suis Doctrinam, Zelum, & Spiritum ostendunt.

§. 4. *De Lectoribus.*

1. Pater Generalis eligat Lectores tam Philosophiæ, quam Theologiæ Scholasticæ, Expositivæ, & Moralis, præveniatque eos sex mensibus ante Cursum, ut se præparent, semperque deputet personas doctas, observantes, amantes docere Doctrinam S. Thomæ, non quæstiones inutiles, seu periculosas; & (si fieri possit) Lectores sint ex Provincia, in qua sunt Collegia, & omnes semper in scriptis dictabunt.

2. Assistant semper Lectores Orationi mentali, & Matutino Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, Festi Sanctissimæ Trinitatis, Sanctissimi Sacramenti (& si fuerit expositum) in diebus infra Octavam, nec non Matutino omnium festivitatum Christi Domini, & ejus Sanctissimæ Matris, quæ fuerint primæ Classis, & nostrorum Patriarcharum: Assistant etiam omnibus Vesperis, quæ cum cantu celebrantur, & Beatæ Mariæ, & Ordinis nostri, etiam si non canantur, nisi in aliquo ex istis diebus habeant conclusiones; & etiam si habeant Conclusiones in ipso die, assistant Missæ solemni, quæ in prædictis festivitatibus celebratur, nec non Primæ in Vigilia Nativitatis, Nonæ in die Ascensionis Domini, & Tertiæ quando canitur; insuper assistant Processionibus, Antiphonæ--*Salvæ Regina*--Officiis, & Missis, quæ cantantur pro nostris Religiosis Defunctis, Examini Conscientiæ, flagellationi communi, ac denique omnibus actibus, & functionibus Communitatis, ad Chorum non pertinentibus, exceptis in ista Constitutione.

3. Tempore cursus, seu Lectionum suarum non exeant Lectores ad prædicandum, neque ad audiendas Confessiones extra Locum, in quo est Collegium; id tamen eis licebit in majori Hebdomada.

4. Religiosus, qui habuerit licentiam in scriptis a Diffinitorio Generali pro scribendo Libro, qui typis mandandus sit, exemptionibus fruatur, quibus gaudent Lectores, dum illum scripserit, vel etiam dum excudatur, si ipse correctioni assistat, & similes Scriptores teneantur quotannis præsentare ante Diffinitorium Elucubrationes suas, ut ab ipso judicetur, an digni sint pro illis prædicto privilegio, & exemptione.

5. Nullus Religiosus percipiat redditus ex Cathedra, nec illam petat, aut prætendat, nec pro alio substituatur, neque ut alius eam adipiscatur suffragium ferat.

§. 5. *De Studentibus, vel Collegis.*

1. Pater Generalis designet Religiosos (unum saltem annum habentes completum post Professionem) qui Philosophiæ, Theologiæ Scholasticæ, Expositivæ, & Moralis studiis vacaturi sint, illosque eligat virtute, ac ingenio præditos, viribusque robustos pro jungendo studio cum austeritate vitæ nostræ; & antequam in Collegium pergant, eos examinari faciat de sufficientia Grammaticæ a Religiosis ab ipso assignandis.

2. Collegæ nostri per Triennium Philosophiæ, & per aliud Triennium Theologiæ Scholasticæ, ac denique per biennium Expositivæ, & Morali Theologiæ operam dabunt; & tempore vacationum in suis Collegiis maneant, nisi Pater Generalis aliud disposuerit. Dum autem Artium, & Theologiæ Scholasticæ studio incumbunt, non audiant Confessiones, nec concionentur. In ultimo tamen anno hujusmodi Theologiæ Scholasticæ liceat eis in munere Concionatorio se instruere, prædicando coram Communitate in Refectorio, vel Aula Capitulari.

3. Collegæ Philosophi, vel Theologi Scholastici tempore cursus Ordines Sacros non recipiant, nisi illi conferantur in loco, ubi est Collegium, vel in Oppido a Collegio non distante ultra sex leucas; nec Collegæ isti, dum tales sunt in Patriam suam abibunt, nec alia itinera agant, nec a Domo exibunt (etiamsi sint in aliquo Conventu extra Collegium) nisi cum Communitate, vel cum suo Ministro, vel cum Patribus Diffinitoribus; ad exercitia tamen Literarum poterunt exire cum suis Lectoribus, designatis tamen a Provinciali.

4. Nullus Collega ingrediatur Cellas Patrum Lectorum.

5. Omnes studentes diligenter examinentur in singulis Visitationibus a Visitatore, Ministro, & Lectoribus, & qui in facultate, cui vacat culpabiliter, aut inculpabiliter non profecerit, seu progressum non facturus judicetur, a Collegio excludatur per Secreta Examinatorum suffragia. Si tamen Collegæ fuerint minus observantes, vel ita fractæ valetudinis, ut simul cum studio communem vitam sequi non valeant, tales Visitator solus excludere poterit a Collegio. Exclusus autem, vel quia culpabiliter non proficiebat, vel propter alias culpas, non egrediatur a Conventu, in quem missus fuerit per spatium temporis arbitrio Superioris, nec concedatur ei facultas, ut Sacris initietur, nisi transactis duobus annis, ultra permissos a nostris Constitutionibus. Si vero jam fuerit Sacerdos facultas audiendi Confessiones ei non concedatur, nisi transactis etiam duobus annis, ultra requisitos pro reliquis Sacerdotibus a nostra Constitutione: semel autem exclusus, ad studia non redeat, quin prius constet cessasse causam, propter quam fuit studiis privatus, vel a Collegio ejectus.

6. Stricte præcipimus, ut nullus petat, vel sibi procuret mediis interceſſionibus extra Ordinem nostrum, studia, ordines, licentias audiendi Confessiones, concionandi, pergendi in Patriam suam, Conventualitates, & alia hujusmodi sub pœna inhabilitatis ad id, quod petit, & per talia media procurat, Superioribusque jubemus, ut hanc Constitutionem diligenter observent.

§. 6. *De Collegiis.*

1. In singulis Provinciis nostri Ordinis, duo sint Collegia, unum pro Philosophia, alterum pro Theologia Scholastica docenda, & si fieri possit, Tertium quoque sit pro Theologia Expositiva, & Morali. Quod si in qualibet Provincia hoc Collegium designari non potuerit, deputetur saltem unum pro toto Ordine, in quo Theologiæ Expositivæ, & Morali vacent per biennium Collegæ ex omnibus Provinciis indiscriminatim, qui jam cursus suos Scholasticæ Theologiæ peregerunt. Omnia autem, & singula Collegia Diffinitorium Generale designet.

2. Ministri Collegiorum docti sint, & observantes, qui sedulo curent, ut Lectores, & Collegæ causa studiorum non omittant Orationis, & mortificationis exercitia, nec observantiam nostrarum Constitutionum tam particularium pro Collegiis, quam Communium, quæ illis non opponuntur.

3. In Collegiis Philosophiæ sint Magistri Spirituales, sub quorum disciplina in habitatione separata vivant Studentes, qui Sacerdotes non sint. In Collegiis vero Theologiæ Magistrorum vices obtineant Vicarii.

4. Conventuales aliquot sint in Collegiis ad officia eorum agenda, ad Conciones habendas, & audiendas Confessiones, ut sic satis temporis maneat Collegis ad studium. Et quando tempore Vespertino, ut moris est, Conclusiones defenduntur, si Conventuales tempore Orationis mentalis eis non assistunt, orent in Choro.

5. Cur-

5. Cursus Literarius incipiat a die S. Lucæ Evangelistæ, & duret usque ad diem Vigiliæ Pentecostes exclusive: Hujus temporis decursu singulis diebus non Festivis singuli Lectores Philosophiæ duas dictent Lectiones; singuli vero Theologiæ unam, & quælibet cujuslibet Lectoris lectio per unam duret horam: similiter singulis diebus Festivis expendatur una hora in Conferentia literaria, & tres in Conclusionibus defendendis singulis Dominicis diebus, ab hora videlicet tertia post meridiem usque ad sextam. Post cursum vero, tempore Vacationum, bis in hebdomada Conferentiæ per spatium unius horæ sint, & semel singulis mensibus Conclusiones per duas horas tantum. Patres autem Ministri, & Lectores, prout illis melius expedire visum fuerit, designabunt tempora pro dd. exercitiis, exceptis Conclusionibus tempore cursus, quæ in jam designato defendantur.

6. Communis mentalis Oratio tam Matutina, quam Vespertina, semper sit a quinta hora usque ad Sextam, & finita matutina, recitentur simul Prima, Tertia, Sexta, & Nona in spatio aliquantulum longiori dimidia hora, & quandoque prolixiore, juxta majorem earum quantitatem, & ad initium Primæ, & non ante, incipiat celebratio Missarum.

7. In Vigilia Nativitatis Domini cantetur Prima, & in die Ascensionis Nona eo modo, & tempore, ac in Conventibus; Tertia quoque canatur immediate ante Missam Conventualem in die Nativitatis Domini, Prima die Paschæ, ac Prima Pentecostes, necnon in Festivitatibus Epiphaniæ, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Natalitiis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Patriarchæ nostri Joannis de Matha, ac in Festo omnium Sanctorum, in quibus diebus Sexta, & Nona dicentur eodem tempore, & pausatione, ac in Conventibus.

8. Missa Conventualis canatur omnibus Dominicis diebus, & diebus feriatis, ac in Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & Ordinis Nostri, atque etiam in die Cinerum, in Feria Quinta, Sexta, & Sabbato majoris Hebdomadæ, in Vigilia Pentecostes, in die Commemorationis omnium Defunctorum, ac in quatuor Anniversariis Anni, atque etiam quando fit Officium de aliquo Sancto Martyre in Collegio illo, ubi Corpus, vel insignis ejus Reliquia asservatur. Præterea in omnibus Collegiis debet cantari Missa in Exequiis nostrorum Religiosorum Defunctorum, & quando ex dotatione, vel alia obligatione perpetua, sive temporali ad id tenentur: Secundis vero feriis a Regula designatis dicatur Missa sine cantu pro Defunctis: ea finita fiat a Communitate absolutio Fidelium Defunctorum cum cantu. In quatuor autem prædictis Anniversariis, & in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum post Missam fiat per Claustrum Processio, & ubi hoc non fuerit, cantetur absolutio in Ecclesia.

9. Vesperæ, nisi eo die habenda sit lectio Vespertina, vel defendendæ Conclusiones, canantur tam Primæ, quam Secundæ, eo tempore, & solemnitate, ac in Conventibus tribus primis diebus Nativitatis Domini, tribus Paschatis, ac tribus Pentecostes, necnon in Festivitatibus Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ, in Nativitate S. Joannis Baptistæ, Natalitio Apostolorum Petri, & Pauli, ac Beatorum Patriarcharum Nostrorum Joannis, & Felicis, & in secundo Festo S. Agnetis Virginis, & Martyris Nostri Ordinis Patronæ, In Festivitate autem omnium Sanctorum semper canantur primæ Vesperæ, quoad secundas observetur sicut & quoad Vesperas Defunctorum, quod dictum est de Conventibus *Capitul.* 11. §. 1. *num.* 7.; In Reliquis vero Festivitatibus primæ, aut secundæ Classis, quæ ad colendum pronunciantur, solum Vesperæ secundæ canantur; In recitandis autem quarta pars horæ expendatur.

10. Immediate post mentalem orationem vespertinam dicatur Completorium, quod fere per quadrantem horæ durabit, & eo finito, Cellas petant ad studendum usque ad horam octavam cum dimidia, nisi quies, & recreatio sit habenda. Si autem fuerit nox communis flagellationis, flagellentur tempore hyemis post Completorium ante studium; Reliquis vero anni temporibus post nocturnum conscientiæ examen.

11. Matutinum recitetur inviolabiliter hora noctis octava cum dimidia, nisi fuerit nox recreationis, tunc enim immediate post Completorium dicetur; & recitatio ejus duret fere per horam. Cantetur autem cum Laudibus (tempore, ac solemnitate, ac in Conventibus) in die Nativitatis, & Resurrectionis Domini, ac in triduo majoris Hebdomadæ, & in Festo Corporis Christi cum tota ejus Octava; At vero in Festo Sanctissimæ Trinitatis, & primi diei Pentecostes, & Sancti Patris Nostri Joannis de Matha cantetur etiam Matutinum cum laudibus hora quinta post meridiem.

12. Circa Religiosorum numerum, qui requiritur ad canendum omnia prædicta in solemnibus, & quid, quando celebrantur non in propriis diebus, observetur quod dictum est de Conventibus *Cap.* 11. §. 1. *num.* 8.

13. Insuper præcipimus, ut in quatuor anni Anniversariis recitetur in omnibus Nostris Collegiis integrum Officium Defunctorum, sicut in Conventibus, & omnes Collegiorum Religiosi, qui Coronam Beatæ Mariæ Virginis non recitaverint in communi cum Collegis, illam recitent privatim.

14. In recreationibus nocturnis a Paschate usque ad Pentecosten solum poterunt perseverare usque ad horam nonam, & in residuo tempore æstivo ad summum usque ad dimidiam post Nonam.

15. Non admittantur in Collegiis Nostris externæ personæ ad Lectiones, Conclusiones, vel alia literalia exercitia; Nec Religiosi Nostri extra proprias Domos publice arguant, vel defendant. Qui autem Constitutioni isti omnino, vel partim contravenerit, privatus sit voce, & loco juxta gravitatem culpæ.

§. 7. *De Bibliotheca.*

1. In unoquoque Conventu, ac Collegio Nostro sit Communis Bibliotheca, cujus incrementum, ac in dies augmentum Ministri procurent. In ea sint Libri ad studia Religiosorum, spiritualium ipsorum profectum, & proximorum salutem; Sit deputatus a Provinciali Religiosus, qui eam mundatam, clausamque habeat, & Libros suos ordine juxta ipsorum diversas facultates dispositos, qui etiam necessarios Religiosis ad Lectionem, studiumque distribuat cum licentia Prælati; & sit quoque in ipsa Bibliotheca Inventarium recto ordine Alphabetico dispositum omnium Librorum Conventus, & Collegii.

2. Ut autem Libri non diminuantur, nec deficiant, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Religiosis ne præbeant, nec alienent, nec ad alium Conventum, vel Collegium portent, vel mittant Librum aliquem, Quinterna, Codices, aut Codicem, aliave manuscripta existentia in Bibliotheca alterius Conventus, vel Collegii, sive ad illam pertinentia, etiam illa, vel ex illis Libris, Quin-

ternis, Codicibus, seu Manuscriptis, quæ Religiosi habent in Cellis, vel alio loco ad studium, lectionem, & usum suum; nec similiter commodent prædictos Libros, Codices, Quinterna, Manuscripta, aut portent extra Conventum, vel Collegium, ad quod pertinent: Minister vero poterit libellum aliquem spiritualem præbere alicui personæ devotæ, seu Benefactori: Poterit etiam aliquos Libros sui Conventus, vel Collegii commodare aliquibus personis, prout expedire viderit. Semper tamen in Bibliotheca remaneant scripti a Bibliothecario Libri, qui, & personæ, quibus commodantur cum annotatione diei, mensis, & anni; non poterit tamen Minister, etiam Capitulo Conventuali consentiente, alienare aliquem, vel aliquos Libros nisi sint inutiles, & pro utilibus permutentur, quod si secus fecerit, pœnæ gravis culpæ subjaceat.

3. Pater Provincialis, quando illi conveniens visum fuerit, potest concedere licentiam Religioso, ut secum habeat, & portet ad usum Librum aliquem Spiritualem, Biblia parva, & Compendium Casuum Conscientiæ; nec Libros alios poterit quisquam secum portare, nisi de licentia Diffinitorii, vel Patris Generalis.

4. Codices, aliaque Manuscripta Defunctorum Religiosorum in Bibliotheca Domus illius, in qua decedant, vel in Archivio Generali Ordinis deponantur: nullus, etiam Prælatus, sub pœna culpæ gravis illa sibi reservare audeat, nec alteri concedere.

5. Denique sub eodem præcepto, ut supra *num.* 2.; præcipimus, ut nullus extrahat e Bibliotheca aliquem, vel aliquos Libros, Quinterna, Codices, vel Manuscripta absque licentia Prælati; Religiosus autem extrahens, notitiam præbeat Bibliothecario, & similiter illum præmoneat, ut colligat, & in Bibliotheca reponat Libros, & cætera ad illam spectantia, quando ipse Religiosus longam absentiam a Conventu facere intendit, vel in alium migrat.

REGULÆ CAPUT XXXIX.

Generale Capitulum de Triennio in Triennium celebretur.

CAPUT XXXIX.

De Capitulo Generali, & forma illud celebrandi.

§. 1. *De tempore, & loco, in quo celebrandum est Capitulum Generale.*

1. Capitulum Generale de triennio in triennium celebretur Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha, nisi justa de causa (judicio Diffinitorii omnibus Votis præter unum concurrentibus) differatur, & tunc die designando ab ipso Diffinitorio celebretur. Si vero instante tempore, quo juxta Regulam, Capitulum Generale celebrari debet, Pater Generalis infirmetur, itaut assistere non valeat, tunc ipsemet poterit Capitulum differre per unum mensem tantum.

2. Generale Capitulum semper celebretur extra Curiam Regiam, in Conventu designato a Diffinitorio, & in eo non admittantur hospites, nec alii Religiosi præter necessarios pro Capituli, & Conventus servitio.

3. Provinciales, & Socii in Domum Capitularem non intrent per duos menses ante celebrationem Capituli, excepto Provinciali illius Provinciæ, ubi Capitulum celebratur, cui solum per quindecim dies ante celebrationem prohibetur intrare in dictam Domum, & excepto etiam Socio ejusdem Provinciæ, quando casus occurrerit, quod sit Minister ipsius Domus Capitularis; prædicti igitur Vocales convocati tempore apto a Patre Generali congregentur in prædicta Domo, simul cum Diffinitorio Generali, jam inibi præexistente, feria sexta ante Dominicam quartam post Pascha, & non antea sub pœna ad arbitrium Diffinitorii infligenda contravenienti; si vero propter causas *n.* 1. dictas Capitulum differatur, tunc congregabuntur die assignato a Diffinitorio, vel a Patre Generali respective.

4. Si aliquod negotium tanti ponderis occurrat, quod judicio Diffinitorii conveniens sit habere Congregationem Generalem, diffinitorium, concurrentibus ex septem suffragiis sex, poterit convocari ad illam, in qua dumtaxat habeant suffragium qui in Capitulo Generali illud habent.

§. 2. *De Præside, & Electoribus in Capitulo Generali.*

1. In Capitulo Generali præsideat Pater Generalis, expiret, vel non in ipso Capitulo ejus Officium; quod si congregato jam Capitulo, ipse ægrotaverit, vel propter aliam causam ad Capitulum non accesserit, tunc totum Capitulum eligat Præsidentem Generalem in prima ejusdem Capituli sessione; qui in absentia dicti Ministri Generalis ejusdem auctoritate, & præeminentiis præsideat, cujus Præsidentis Officium solum durabit usque ad finem dicti Capituli, quod tunc celebratur. Si autem congregato Capitulo Generali, etiam contigerit, Ministrum Generalem e vita discedere, electo prius Præside, ut dictum est, fiat electio Ministri Generalis in illo Capitulo, in quo hoc evenerit, sicut disponit fel. rec. Urbanus Papa VIII. per suas Literas in forma Brevis expeditas die 22. Augusti anno 1633. incipien. *--Injuncti nobis &c.*

2. In dicto Capitulo suffragium tantum habeant sequentes, videlicet, Pater Generalis, expiret, vel non ejus Officium in illo Capitulo, quod si loco ejus eligatur Præses Capituli juxta dicta num. præcedenti; talis etiam suffragium habeat, similiter illud habeat novus Minister Generalis, quando in eodem Capitulo eligitur, & in eadem Domo Capitulari reperitur, vel a die quo ad illam pervenerit. Item Diffinitores Generales, Ministri Provinciales, & singuli Socii pro singulis Provinciis, quorum videlicet Officia tunc expirant, nullusque poterit suffragium suum compromittere.

3. Si quis ex Capitularibus aliqua ex causa fuerit inhabilis, vel activa voce privatus, seu dubium super hoc fuerit, ad Diffinitorium spectet id determinare, vel declarare, cui determinationi, vel declarationi omnes stent sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in illo Capitulo.

4. Quando contigerit Prælatum aliquem Superiorem proferre sententiam suspensionis ab Officio, vel privationis vocis contra Prælatum sibi inferiorem suffragium habentem in Capitulo Generali, vel in Diffinitorio effectum non habeat, quin prius consulatur idem Diffinitorium, casu quo in vim dictæ sententiæ impediatur dictum suffragium præfato Reo; quod intelligatur etiam quando sententia tantum est declaratoria prædictæ pœnæ impositæ, videlicet ipso facto a jure, vel a Bullis, seu Brevibus Pontificiis, vel a nostris Constitutionibus.

5. Nullus sive in Capitulo Generali, sive in Diffinitorio audeat subornare Electores directe, vel indirecte, vel precibus, pollicitationibus, minis, aliove modo illos inducere, ut alteri præstent, vel negent suffragium; & contraveniens tamquam pacis perturbator puniatur pœna privationis Officii, vocis, & loci per triennium.

§. 3. De Sociis Provinciarum, eorum Officio, qualitatibus, & electione.

1. In Capitulo Generali suffragium habeat pro qualibet Provincia Socius unus, qui simul cum Provinciali vocem Provinciæ ad Capitulum adducat pro electionibus faciendis, & cæteris ad ipsum spectantibus: debet autem Socius esse Minister alicujus Conventus, vel Collegii suæ Provinciæ, præditusque doctrina, observantia, & experientia in regimine, nullusque poterit esse Socius in duobus Capitulis immediatis.

2. Factis in Capitulo Generali omnium Prælatorum electionibus, ex Ministris noviter electis, eligantur per secreta suffragia, & canonice Socii pro Capitulo Generali immediate sequenti, & ad uniuscujusque electionem tantum concurrant quinque, nimirum Pater Generalis, duo Diffinitores Provinciæ pro qua Socius eligitur, Provincialis ejusdem Provinciæ, & Socius illius, qui tunc expirat.

3. Quod si per mortem, inhabilitatem, aut aliam justam causam, Socius electus non possit interesse Capitulo immediate sequenti, pro quo fuit electus, tunc fiat electio novi Socii ante Capitulum, tempore sufficienti, ut illi nota fiat electio, & adire possit ad Capitulum; ad hanc autem electionem concurrent canonice, & per secreta suffragia, solum Pater Generalis, duo Diffinitores, & Provincialis illius Provinciæ, pro qua eligitur Socius juxta Breve fel. rec. Alexandri VII. expeditum die 4. Februarii anno 1660. incipien--*Ad pastorale fastigium &c.*

4. Si quis Minister, vel alter Religiosus aliquid animadvertendum, vel notatione dignum habeat remittendum ad Capitulum, tradat Socio suæ Provinciæ, vel suo Provinciali, ut unus, vel alter portet.

§. 4. De forma celebrandi Capitulum Generale.

1. Feria sexta ante Dominicam quartam Paschæ ad Vesperam Præses Capituli congreget omnes Capitulares, & imponat illis præceptum in scriptis jubendo, quod si quis sciverit alicujus Capitularis impedimentum, propter quod non debeat admitti ad Capitulum, illud manifestet statim ante ipsum. Quod si facta sufficienti probatione, impedimentum aliquid inventum fuerit, ad Diffinitorium pertinebit declarare inhabilem esse habentem tale impedimentum, & illum a Capitulo excludat, deinde deputet Diffinitorium duos Capitulares ad legendas Epistolas, & advertentias ad Capitulum missas, quas fideliter suo tempore referent, & manifestent etiam Vocalibus graduationem Domorum ab ipso factam præcisè ad eligendos Ministros pro illis.

2. Sequenti die Sabbati, nempe prima Capituli diluculo cantetur, assistentibus omnibus Religiosis Missa solemnis de Spiritu Sancto, cum Commemoratione Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum nostrorum Patriarcharum; idemq; etiam fiat in omnibus Conventibus, & Collegiis Ordinis pro fœlici Capituli eventu, ac propterea in omnibus Domibus toto tempore Capituli communis, & particularis fiat Oratio, ut Deus illuminet Capitulares, ad hoc, ut conformiter omnia faciant, & operentur ad majorem Domini gloriam, & Religionis utilitatem, & incrementum.

3. Finita Missa, Præses Capituli (etiamsi forte aliquis, vel aliqui ex vocalibus non pervenerint) jubeat fieri signum cum Cymbalo ad Capitulum Generale, & omnes Gremiales congregati in Aula Capitulari sequenti ordine sedeant.

4. Primo loco Pater Generalis, vel Præses Capituli in ejus defectum, deinde diffinitores ordine suæ electionis; postea Provinciales juxta antiquitatem suarum Provinciarum, ac denique juxta eamdem Socii præfatarum Provinciarum; qui quidem Ordo observabitur toto tempore Capituli extra Aulam Capitularem tam in sedibus, quam in Præsidentiis, quamvis præsens sit Provincialis Provinciæ, & Minister Conventus, ubi celebratur Capitulum.

5. Illico Præses Capituli Concionem habeat spiritualem hortando Vocales, ut in omnibus actionibus, & electionibus præ oculis habeant majorem Dei gloriam, & Religionis incrementum.

6. Exhortatione finita, ut sine scrupulo ad Electiones procedatur, genuflexis omnibus Præses ad cautelam illos absolvat ab omnibus, & quibuscumque Censuris, forma sequenti. Omnes dicent Confessionem Generalem, & Præses Capituli prosequetur dicens: *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c. si tenemini aliquo, vel aliquibus vinculis Excommunicationis, Suspensionis, aut interdicti in quantum se extendunt Gratiæ, & Privilegia Ordini nostro indulta mihi commissa, & vobis concessa. Ego absolvo vos ad effectum electionum faciendarum, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, Communioni, & unitati fidelium, In Nomine Patris, † & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*, item eadem auctoritate. *Ego absolvo vos ab omnibus aliis, de quibus fieri consuevit absolutio in consimilibus Capitulis, ut sitis absoluti hic, & in Tribunali Domini nostri Jesu Christi, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in sæcula sæculorum. Amen.*

7. Capitularibus sic absolutis, & adhuc genuflexis ante Imaginem Crucifixi (quæ debet esse supra primam, & principalem mensam Aulæ Capitularis) Gratiam Spiritus Sancti invocabunt devote dicentes Hymnum--*Veni Creator Spiritus &c.* quo finito Præses Capituli, cæteris respondentibus, prosequitur versiculum--*Emitte spiritum tuum, & creabuntur*--℟. *Et renovabis faciem terræ*--*Benedicamus Patrem, & filium cum Sancto Spiritu*--℟. *Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Emitte eis auxilium de Sancto*--℟. *Et de Sion tuere eos*--*Ora pro nobis Sancta Dei genitrix*--℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*--*Exultent justi in conspectu Dei*--℟. *Et delectentur in lætitia*--*Domine exaudi Orationem meam*--℟. *Et clamor meus ad te veniat*--*Dominus vobiscum*--℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

MEntes nostras quæsumus Domine Paracletus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem sicut tuus promisit filius veritatem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Defende quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Deus qui per Sanctos Patres nostros Joannem, & Fœlicem Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos cœlitus instituere dignatus es: præsta quæsumus, ut eorum suffragantibus meritis a Captivitate Corporis, & Animæ, te adjuvante, liberemur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super Congregationes illis commissas Spiritum Gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Deus largitor pacis, & amator Charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate con-

cordiam, ut ab omnibus, quæ nos pulsant, tentationibus liberemur.' Per Christum &c.

8. Rogatione finita Electores omnes ante supradictam Imaginem Crucifixi faciant juramentum, quo se obligent ad eligendum digniores, & aptiores respectu Officiorum, quæ proponuntur, & quod præ oculis habebunt in omnibus electionibus majorem Dei gloriam, & progressum Religionis juxta tenorem nostræ Regulæ. Idem quoque juramentum facient Electores Sociorum, & Diffinitores in Diffinitorio, vel in qualibet alia Congregatione, quando facienda est electio alicujus Prælati, vel Socii.

Formula Juramenti talis est.

Ego Frater N. de N. juro, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beatis Patribus nostris Joanni, & Fœlici me electurum illos, quos juxta meam conscientiam credam digniores, & aptiores futuros esse Ordini nostro, ejus Provinciis, & Conventibus, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia.

9. Facto juramento Capitulares sedentes eligant per secreta suffragia Secretarium Capituli de ejus Corpore, & per majorem suffragiorum partem electus pronunciabitur a Præside Capituli, in cujus manus Secretarius electus faciet juramentum fidelitatis, & servandi secretum sequenti forma.

Ego Frater N. juro, & promitto Deo Omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, ac Beatis Patribus nostris Joanni, & Fœlici me in omnibus ad meum officium spectantibus fidelitatem, & secretum servaturum.

10. Confestim Capitulum eligat per secreta suffragia tres Capitulares in Scrutatores ad regulandum suffragia in Electionibus. Isti autem (si aliud visum non fuerit Capitulo, quod per secreta suffragia determinabit) semper erunt Præses Capituli, & duo Diffinitores immediate sedentes ad dexteram, & ad sinistram illius; qui quidem Scrutatores statim faciant coram Capitulo juramentum fidelitatis, & secreti sequenti forma.

Ego Frater N. de N. juro, & promitto Omnipotenti Deo, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beatis Patribus nostris Joanni, & Fœlici, me Scrutatoris Officium fideliter facturum, & secretum semper servaturum, non relevando personas, quæ suffragia præstiterunt, vel negarunt hic, vel alteri.

11. Deinde Capitulum per secreta quoque suffragia eligat ex Scrutatoribus unum, qui officium faciat Secretarii præcise in Scrutiniis. Et electus faciat statim ac pronunciatur a Præside juramentum in manus istius, ea forma, quæ posita manet *n.* 9. pro Secretario Capituli.

12. Rursus Capitulum eligat per secreta suffragia unum ex vocalibus, qui post regulata suffragia in Electionibus nomine ipsius Capituli faciet, & pronunciet electiones, forma assignanda §. *sequenti*, & pro casu, quo suffragia concurrant pro aliquo Officio in ipsum Electorem, seu Pronunciatorem, Capitulum eligat alterum, qui ejus electionem pronunciet; quod si aliter visum non fuerit Capitulo (quod per secreta suffragia, determinabit) semper primus Scrutator Elector erit, seu Pronunciator, & pro casu electionis suæ secundus Scrutator.

13. Eadem forma, idemque totum, quod tribus numeris antecedentibus dictum est erga Scrutatores, & Secretarium Scrutinii, & Electores, sive Pronunciatores Electionum, servetur omnino quotiescumque in Diffinitorio, sive in alia quacumque Congregatione extra, vel intra Capitulum Generale, facienda sit aliqua electio Canonica Prælati, vel Socii.

14. Prædictis igitur præambulis finitis, procedat Capitulum ad Electiones, & procedant omnes, fiatque ante prandium Electio Patris Generalis, si facienda est in illo Capitulo. Generalis autem recens electus, si Præses sit, sedeat immediate post Patrem Generalem, qui expirat, sive post Præsidem Capituli, non tamen præsideat, nec Officium exerceat usque quo finiatur Capitulum; nihilominus omnes tam Capitulares, quam cæteri Religiosi Conventus, statim ac Electio facta sit pergant processionaliter cum Electo in Ecclesiam cantantes Hymnum -- *Te Deum laudamus* -- & ibi accipiant ab eo Benedictionem, & omnia fiant juxta formam dispositam in nostro Manuali; tamen si Generalis electus præsens non fuerit, illum non expectet Capitulum, sed prosequatur.

15. Si in Capitulo illo non sit facienda Electio Ministri Generalis eodem Sabbato ante prandium incipiant fieri cæterorum Prælatorum Electiones, & prosequantur in reliquis sessionibus tam Vesperæ ejusdem Sabbati, quam mane, & vespere sequentium dierum hoc ordine: prius eligantur Diffinitores Generales, quorum prior electus sit Diffinitor, secundo electus secundus, & sic de cæteris, servata prioritate Electionis. Deinde eligantur Ministri Provinciales juxta antiquitatem suarum Provinciarum, postea ministri Conventuales secundum graduationem Domorum a Diffinitorio factam, & vocalibus jam manifestam, ut *num. primo* dictum est, propter quam graduationem non intelligatur Conventus amittere antiquitates suas. Quando autem facta fuit Electio ministri Generalis eodem mane nullæ aliæ fiant, sed vespere post prandium fieri incipiat ordine dicto.

16. Finitis electionibus, prosequantur Sessiones necessariæ ad agendum de observantia, progressu, bonoque communi nostræ Religionis, & ante omnia, ac præcipuè de ejus instituto, Redemptione nimirum Captivorum. Quibus conclusis, Capitulum per secreta suffragia eligat octo ex nostris noviter electis, ad hoc ut priores quatuor, vel quinque concurrant simul cum Diffinitoribus (sicut præcipit Regula) ad correctionem, vel depositionem Patris Generalis, si in illo triennio opus fuerit; reliqui vero Ministri ad hoc deputati juxta ordinem suæ Electionis succedant primis, si ex istis aliquis defecerit mortis, renunciationis, aut alia quavis causa. Declaramus autem, quod ad istam correctionem, vel depositionem possint eligi Ministri Provinciales.

17. Insuper idem Capitulum eligat sex Patres ex gravioribus Religionis quorum consilio, & assensu Pater Generalis (quando casus occurrerit) ejiciat ab ordine aliquem, vel aliquos, instructo processu, & plene probatis causis expulsionis juxta decretum Sacræ Congregationis Concilii; & propterea eligat quoque Capitulum ad eumdem effectum alios quatuor, vel sex Patres subrogandos ordine suæ Electionis in defectum alicujus, vel aliquorum ex sex prius electis.

18. Deinde eligantur Socii Provinciarum pro Capitulo immediate futuro, juxta supradicta in isto *Capitulo §. 3. num. 2.* Quibus electionibus factis legantur coram toto Capitulo Decreta Sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis, & Præses Capituli hortetur Gremiales ad illorum strictam obedientiam, & observantiam.

19. Decretis lectis idem Præses Capituli continuo imponat præceptum vocalibus omnibus, & singulis, ut intra spatium viginti & quatuor horarum revelent ante ipsum, & manifestent impedimentum, si quod forsan fuerit, ratione cujus aliquis ex Prælatis noviter electis non possit, nec debeat confirmari in suo Officio. Quod si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad Diffinitorium spectat judicium de illo. Nullo autem invento, Capitulum totum confirmet electionem Patris Generalis juxta Breve felic. record. Urbani Papæ VIII. expeditum die 3. De-

cembris

cembris Anno 1636. incipiens -- *Exponi Nobis &c.* Deinde Diffinitorium Generale confirmet Electiones Diffinitorum Generalium, Ministrorum Provincialium, & Conventualium; & Electores Sociorum Electiones illorum confirment.

20. His expeditis quilibet Provincialis secundum antiquitatem suæ Provinciæ surgat, & coram Capitulo legat Catalogum Religiosorum, qui illo triennio in sua Provincia decesserunt; deinde surgat Secretarius Capituli, & coram etiam toto Capitulo, legat Electiones omnes, statuta, Decreta, & cætera omnia acta, & disposita in ipso Capitulo, quæ cuncta debent esse scripta in Libro Capituli Generalis cum annotatione in qualibet Prælatorum Electione, numero suffragiorum concurrentium ad illam. Et his lectis subscribant in eodem Libro omnes vocales. Quo facto dissolvitur Capitulum.

21. Jam perfecto, dissolutoque Capitulo, Diffinitorium Generale novum visitet Patrem Generalem, & Diffinitores, qui suo jam munere functi sunt, forma infrascripta *Cap.* 41. *§.* 1., & receptis depositionibus Capitularium contra illos, Visitationeque concluſa (nisi forte insinuentur culpæ, quæ majorem inquisitionem atque examen requirant: nam tunc fiet, quod citato *Cap.*, *&* §. disponitur. Missa solemnis de Requiem pro Defunctis Religiosis, & Benefactoribus Ordinis, & Concio habeatur, qua functione peracta, Capitulares se mutuo charitate fraterna amplectantur, & in suos Conventus proficiscantur.

§. 5. *De modo servando in Electionibus faciendis.*

1. Nec Pater Generalis, nec alius Superior nostri Ordinis habeat Jus nominandi, vel proponendi aliquam personam determinatam, ut eligatur; poterit tamen quandoque Diffinitorium, si illi expedire visum fuerit aliquas personas proponere: relinquendo tamen Electores liberos, ut suffragia sua illis, vel aliis præstent.

2. Postquam omnes sua suffragia dederunt in qualibet Electione, Scrutatores illa ante omnia numerent, attendendo an correspondeant, & æqualia sint numero vocalium: quod si ita est primus scrutator illa reponat in urna, & postea singillatim extrahat, & legat, legendaque præbeat duobus aliis Scrutatoribus, & Secretarius Scrutinii illa singillatim scribat, & numeret; si vero quando Schedulæ numerantur, non ascendunt ad numerum vocalium, vel excedunt, comburantur statim sine eo, quod legantur, & iterum de novo suffragia ferantur. Cæterum si aliqua Schedula vacua, seu alba inventa fuerit, vel cum suffragio sub conditione, vel alternativa, vel præstito personæ incapaci secundum jus, inhabilitate utique reddente nullam ipso jure electionem; tunc eo casu talis schedula pro nulla, & pro non suffragio reputanda est: ideoque separetur, & regulatio, & numeratio aliorum suffragiorum fiat, & illis solum attendatur ad videndum an sit electio, vel non.

3. Si in primo, vel secundo scrutinio non sit Electio, scrutatores consulant Diffinitorium, & istud (si illi expediens visum fuerit) jubeat, quod suffragia publicentur, & quæ quisque habeat manifestetur, ut ita Vocales facilius ad Electionem conformentur.

4. Scrutinio facto, Pronunciator ad id a Capitulo electus juxta dicta *§. antecedenti num.* 12., faciat, & pronunciet electionem pro illo, qui habet omnia suffragia, vel plus quam medietatem, declarando numerum determinatum sequenti forma; quamvis suffragium Electo non dederit -- *Ego Frater N. de N. nomine meo, & omnium Electorum præsentium per decem suffragia,* V. G. *Eligo in Majorem, ac Generalem Ministrum nostræ Religionis, vel in Diffinitorem Generalem, vel in Ministrum Provincialem Provinciæ N. vel in Ministrum Conventus, vel Collegii N., vel in Socium Provinciæ N. Patrem Fratrem N. de N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

5. Forma ista faciendi, seu pronunciandi quamlibet electionem semper observetur tam in Capitulo, quam in Diffinitorio, vel alia quavis Congregatione: Schedulæ autem esse poterunt scriptæ propria suffragantis manu, vel aliena. Quæ igne comburantur in ipso Capitulo, vel Diffinitorio, vel Congregatione, antequam Vocales surgant.

6. Omnes controversiæ, & difficultates ortæ in, vel super electionibus, etiam Patris Generalis determinentur per Diffinitorium generale, cujus resolutioni nemo contradicat sub pœna ad arbitrium ipsius Diffinitorii infligenda.

§. 6. *De modo aliquid proponendi, & decernendi in Capitulo Generali.*

1. Ut maturiori consilio determinetur, quod in Capitulo Generali propositum fuerit liceat ipsi Capitulo (si illi expedire videbitur) decisionem differre usque in sequentem diem.

2. Quotiescumque Judicio trium Capitularium conveniens sit proponi, vel determinari rem aliquam in Capitulo, Præses teneatur illam proponere, ut decidatur; dum tamen non sit novam condere Constitutionem; ad hoc enim proponendum, & conferendum major Capituli pars debet petere, & instare.

3. Præcipimus, ut nullo prætextu a Summo Pontifice postuletur immutatio, seu mutatio in re aliqua Sanctæ nostræ Regulæ, nisi hoc fiat per Capitulum Generale, concurrentibus omnibus votis, nemine discrepante, & conveniens huic Constitutioni ipso facto privatus sit Officio suo, & inhabilis perpetuo ad quæcumque alia; similiter ne postuletur a Sede Apostolica, nisi per Capitulum Generale, & consentientibus tribus ex quatuor partibus suffragiorum innovatio, alteratio, seu abrogatio quoad totum, vel quoad partem alicujus Constitutionis ex confirmatis ab ipsa Sede Apostolica.

4. Ut aliqua Constitutio de novo concedatur ejus convenientia in tribus Capitulis Generalibus sedulo, ac diligenter expendi, & agitari debet hoc ordine: postquam in Capitulo actum est de re aliqua, si a majori parte suffragiorum approbata fuerit, statim vim habeat ordinationis, & executioni mandari incipiat usque ad sequens Capitulum, in quo mature examinata secundo, si a duabus partibus ex tribus suffragiorum non approbetur, omnino extincta maneat dicta Ordinatio; si autem approbetur a dictis duabus partibus, perseveret ejus executio usque ad tertium Capitulum. In hoc autem iterum, atque iterum expensis convenientibus, vel inconvenientibus repertis in ejus executione; si adhuc approbetur a tribus ex quatuor partibus suffragiorum, habeat deinceps vim Constitutionis; alias non concurrentibus dictis tribus suffragiorum partibus eo ipso revocata, & penitus extincta maneat præfata ordinatio. Declaramus autem, quod quando tres, vel quatuor partes suffragiorum æquales esse non possunt, non attendatur, nec ratio habeatur de votis superabundantibus ad tres, vel quatuor partes æquales.

5. Ad hoc autem, ut aliqua Constitutio ex non confirmatis in specie a Sede Apostolica quovis modo alteretur, vel abrogetur, & ad hoc, ut fiat Constitutio contraria alicui ex eis, eodem modo in tribus Capitulis generalibus examinanda est ejus convenientia, vel inconvenientia, ita tamen ut quamvis in primo Capitulo consentiat major pars Suffragiorum, non statim executioni mandetur, nec suspendatur per illud triennium Constitutio antiqua. Quod si in sequenti Capitulo consentiant duæ partes ex tribus suffragiorum,

tunc suspendatur per triennium antiqua Constitutio, & executioni mandetur nova Ordinatio; alioquin ista prorsus extincta maneat; quod si in tertio Capitulo, re diligenter perpensa, consentiant tres partes ex quatuor suffragiorum, aboleatur antiqua Constitutio quoad id, in quo per novam alteratur, innovatur, mutatur, seu in contrarium disponitur, cum indulto tamen Sedis Apostolicæ; si vero in hoc Capitulo, non consentiant dictæ tres partes suffragiorum, præfata ordinatio, eo ipso nulla sit, & omnino maneat extincta: ad Capitulum Generale pertinet dispensare Constitutionibus, dummodo non sint ex confirmatis a Sede Apostolica, ita tamen quod si non pertineant ad universale Ordinis Regimen sufficiat major pars Vocalium; si autem pertineant ad prædictum regimen, dum non sint confirmatæ a Sede Apostolica fieri debet consentientibus duabus ex tribus Capituli partibus.

6. Ad facienda quæcumque statuta, nullatenus tamen nostris Constitutionibus contradicentia, quæ enim habeant Decretorum Capituli Generalis, sufficiat major pars suffragiorum, & ex tunc executioni mandetur; si autem in Capitulo immediate sequenti expresse non confirmentur, eo ipso extincta maneant; & quamvis approbentur ne dum a majori, sed etiam a duabus partibus ex tribus suffragiorum, non ideo censeantur in via ad Constitutiones, nisi ab initio facta fuerint tamquam Ordinationes Capituli in eum finem.

7. Omnia, quæ in Capitulo deciduntur per secreta suffragia, determinentur calculis albis, & nigris.

§. 7. *De pertinentibus privative ad Capitulum Generale.*

1. Ad Capitulum Generale spectat privative facere omnes Electiones Prælatorum Ordinis, admittere renunciationes Prælatorum, quæ in ipso fiunt, condere Constitutiones, juxta dicta §. *antecedenti num.* 4., impetrare a Sede Apostolica concurrentibus omnibus suffragiis, immutationem nostræ Regulæ in re aliqua.

2. Ad illud quoque privative pertinet, consulta prius Sede Apostolica, dividere Provincias, dummodo pro aliqua de novo constituenda sint saltem octo Conventus, ac itidem consulta eadem Sancta Sede, relinquere, & desertas facere fundationes Conventuum jam admissas, & possessas; ac etiam dispensare, consentiente saltem majori parte vocalium in Constitutionibus a Sede præfata non confirmatis, nec spectantibus ad universale Ordinis Gubernium; quod tamen raro fiat, & maturo consilio.

3. Denique ad ipsum attinet disponere, agere, stabilire omnia, quæ secundum nostram Regulam, & Constitutiones ipsi reservantur.

REGULÆ CAPUT LX.

Electio Majoris, ac Generalis.

Ministri de sexennio in sexennium.

CAPUT LX.

De qualitate Eligendorum in Prælatos, ac de eorum, & aliorum Officiis, Jure, & potestate.

§. 1. *De his, qui eligi debent in Prælatos.*

1. Nullus eligatur in Ministrum Conventualem, quin prius per triennium fuerit Vicarius, vel Præses alicujus novæ fundationis, vel Magister Novitiorum, aut recenter Professorum, vel Secretarius Prælati superioris, vel Procurator Generalis, vel Lector Sacræ Theologiæ, vel concionatus fuerit tribus Quadragesimis, itaut in qualibet hebdomada uniuscujusque tres habuerit Conciones, & titulo prædicationis, nec Carnes comederit, nec lineis usus fuerit.

2. Deinde in Superiorem Prælatum nullus eligi possit, qui prius per tres annos non fuerit Minister Conventualis, vel per integrum sexennium Secretarius Patris Generalis, vel Lector Theologiæ Sacræ, vel qui per sex jam annos Officium Procuratoris Generalis laudabiliter non exercuerit: vel qui octo Quadragesimis concionatus non fuerit, laudabiliter etiam, & cum conditionibus, & circumstantiis *num. antecedenti* expressis; qui vero propter fractam, ægramque valetudinem dicta Officia exercere non potuit; si tamen sit persona ætatis provectæ, ac virtute, doctrina, & consilio prædita eligi poterit in Diffinitorem.

3. In Ministrum Generalem, Provincialem, & Conventualem eligi non possit, qui propter fractam valetudinem Choro interesse non valet, vel carnibus vescitur, lineisque utitur; poterit tamen esse Diffinitor, si qualitatibus numero antecedenti designatis præditus fuerit, & cum conditione etiam quod tantum sit unus Diffinitor, qui vitæ Communis austeritatem sequi non valeat.

4. Decernimus, quod nullus eligatur ad duas Prælaturas simul, nec Prælatus aliquis sit simul Procurator Generalis, excepto Ministro nostri Conventus Curiæ Romanæ, nec similiter sit aliquis simul Prælatus, & Redemptor Captivorum.

5. Pater Generalis in Capitulo, in quo expirat non possit reeligi in Generalem, neque in aliam Prælaturam Diffinitorii, videlicet Provincialis, vel Ministri Conventualis usque ad Diffinitorium celebrandum mense Septembris anni immediate sequentis ad celebrationem Capituli, in quo expiravit; similiter, nec eligi possint usque ad prædictum Diffinitorium Diffinitores Generales in Officium Diffinitorum, Provinciales in Officium Provincialium, nec Ministri Conventuales in Ministros earumdem Domorum, si per triennium, vel majorem partem Triennii functi sunt Officio suo. Possunt tamen isti eligi in alia Officia, vel in alia Monasteria: per majorem autem partem triennii intelligimus, quando electi fuerint ante Diffinitorium Generale Mensis Septembris Anni immediate sequentis ad celebrationem Capituli antecedentis.

6. Qui per sex annos continuos, & integros superiori Prælatura functus fuit, non valeat in Capitulo Generali, in quo expirat, eligi in Diffinitorem, vel Provincialem, vel in Ministrum Conventualem. Poterit tamen id fieri in Diffinitorio mensis Septembris anni immediate sequentis ad Capitulum illud. Similiter, qui per sex annos continuos, & integros Minister Conventualis fuit, vel uno triennio Minister, & alio triennio etiam integro Prælatus superior, non possit eligi in Ministrum Conventualem, nisi alicujus Domus ex duabus Matricibus designatis a Capitulo Generali pro qualibet Provincia. Poterit tamen eligi in Diffinitorem, vel in Provincialem pro prima vice tantum. In Generalem vero eligi poterit quilibet ex contentis in hac Constitutione. Per Officia autem continua, & integra intelligamus illa, quæ non vacarunt per tres menses continuos, sive sit in principio Triennii, vel sexennii, sive in medio, sive in fine. In prohibitionibus his non repetendi Electiones, non comprehenditur Minister nostri Conventus Romani.

7. Insuper duo Fratres Germani non possint sibi immediate succedere in eodem Officio Ministri Generalis, Diffinitoris, Provincialis, vel Socii juxta Breve SSmi. Domini Nostri Clementis

X. expeditum die 15. Decembris Anno 1670. incipiens -- *Exponi Nobis &c.* -- nec possint etiam dicti duo fratres Germani simul, seu in eodem tempore, & triennio habere Officia, quibus annexum sit Votum in Capitulo Generali.

8. Eligendus in Ministrum Generalem debet habere ætatis quadraginta, & quatuor Annos; habitus vero sexdecim; in Ministrum Conventualem ætatis triginta, & tres annos, habitus quatuordecim.

§. 2. *De Officio Patris Generalis, & his, quæ ad ipsum attinent.*

1. Omnes obediant submisse, & humiliter Patri Generali, tanquam Patri, & Pastori totius nostræ Religionis, in quo residet potestas, & Jurisdictio respectu totius Congregationis, sicut in Provinciali respectu suæ provinciæ, & in Ministro respectu sui Conventus; habet præterea potestatem, & Jurisdictionem sibi concessam sive Jure Communi, sive privilegiis nostræ Religioni concessis, exceptis illis, quæ limitantur per nostras Constitutiones; quare cum illi competat regimen totius Ordinis, vigilare, & curare maxime debet perfectam Regularis disciplinæ observantiam.

2. Hortamur tamen Patrem Generalem, ne se in Officia aliorum Superiorum intromittat, nisi negligentia, vel culpa illorum id exigat, aut aliquando ratio, & prudentia suadeat, semper vero debent omnes illi obedire. Quod si excesserit in dicta intromissione a Diffinitorio submisse, & reverenter moneatur.

3. Numquam aliquid disponat, determinet, aut præcipiat contra id, quod a Provincialibus dispositum, determinatum, aut præceptum fuit, quam prius id notum Provincialibus fuit.

4. Ad Patrem Generalem pertinet præsidere in tota Religione, in Diffinitorio, & in Capitulo Generali proponere tam in isto, quam in illo, quæ in eis agenda, vel determinanda sunt, & executioni mandare, quod ipsis decretum est, & facere, quod observentur disposita in nostris Constitutionibus.

5. Item ad ipsum spectat semel saltem in suo sexennio videre omnia Monasteria totius Ordinis, & inquirere, ac visitare quemcumque Conventum, vel Collegium, prout ipsi conveniens visum fuerit.

6. Ad ipsum quoque pertinet Religiosos ab una in aliam transferre Provinciam, nominare, & designare Lectores, & Collegas tam Philosophiæ, quam Theologiæ Scholasticæ, Expositivæ, & Moralis. Licentiam præstare Lectoribus ad itinera facienda; deputare in qualibet Provincia cum consilio Provincialis respective, Magistros Novitiorum, recenter Professorum, & Collegarum Philosophiæ, & concedere Epistolas Confraternitatis ubicumque, & cuicumque expediens illi videbitur, & cætera omnia, quæ nostræ Constitutiones ei concedunt, & curæ ipsius committunt.

7. Si Officium Patris Generalis ante finitum sexennium vacare contigerit mortis, renunciationis, depositionis, aut alia quavis causa, statim primus Diffinitor Generalis convocet cæteros Diffinitores Generales, & Ministros Provinciales, & dicto primo Diffinitore Generali Præsidente, omnes simul canonice eligant unum Vicarium Generalem, qui eamdem auctoritatem, præeminentiam, vocem, & locum, ac Minister Generalis habeat, ejusque Vicarii Generalis Officium hujusmodi duret usque ad finem primi subsequentis Capituli Generalis, in quo Electio Ministri Generalis fieri debet, prout omnia disponit felic. record. Urbanus Papa VIII. in suo Brevi expedito die 22. Augusti anno 1633. Incipien.--*Injuncto nobis &c.*; Sigilla autem Ordinis in prædicto casu custodiat Secretarius, qui fuit Patris Generalis, & cum primo congregatum fuerit Diffinitorium illa ipsi Diffinitorio tradat, & simul Clavem Archivii Generalis, de qua *§. sequenti num.* 18.

§. 3. *De Diffinitorio Generali.*

1. Quolibet anno die tertia Maii, & 13. Septembris Patres Diffinitores Generales congregentur ad celebrandum Diffinitorium Generale in Conventu, vel Collegio jam ab ipso Diffinitorio antecedenti deputato, nec ad istud sit necessaria Convocatio, nec admittatur aliqua excusatio, nisi aliquis infirmitate, aut alia causa inevitabili sit impeditus; nec liceat Patri Generali aliquem Diffinitorem occupare, vel impedire, itaut dictis temporibus assistere non valeat Diffinitorio.

2. Si Pater Generalis absens fuerit, infirmus, vel taliter impeditus, ut dictis Diffinitoriis adesse nequeat, congregentur præfatis temporibus Diffinitores, & Præsidente primo ex eis, celebrent Diffinitoria; numquam tamen absente Patre Generali, aliqua fiat electio, vel admittatur renunciatio, vel nova Conventus fundatio.

3. Congregari etiam poterit Diffinitorium, semper ac Patri Generali visum fuerit, qui & illud congregare quoque tenebitur, quando major pars Diffinitorum id postulaverit.

4. Quotiescumque Diffinitorium celebretur, præsente Patre Generali, si vacans fuerit aliquod Officium Diffinitoris, ante omnia eligatur Diffinitor, idemque fiat casu, quo in ipsa actuali Diffinitorii celebratione, tale Officium per mortem, renunciationem, aut aliam justam causam vacaverit; & si electus absens est, prosequatur Diffinitorium, nulla tamen fiat Electio, donec novus Diffinitor perveniat, sine ipsius consensu, si fuerit intra Hispaniam, secus si extra illam fuerit.

5. Diffinitorii tempore congregentur Diffinitores semel saltem in die per spatium unius horæ; durabitque Diffinitorii celebratio diebus necessariis pro expeditione rerum, & negotiorum ad arbitrium ipsius Diffinitorii.

6. Semper ac celebretur Diffinitorium, teneatur Pater Generalis proponere Officia tunc vacantia, & ad Diffinitorium pertinentia, ut eorum Electiones fiant, & similiter negotia occurrentia, quæ determinationem Diffinitorii expectant, & per ejus Decreta, & decisiva suffragia judicentur.

7. Quilibet ex Diffinitoribus poterit proponere quamlibet rem ex attinentibus ad Diffinitorium, & si majori illius parti expedire videatur per secreta suffragia decidetur.

8. Res graves, quales sunt Electiones, renunciationum admissiones, & similia proponantur pridie ante decisionem.

9. Quando aliquid determinatum est in Diffinitorio, non agatur iterum de illo, absente aliquo ex eis, qui primo Decreto astiterunt, imo etiam omnibus præsentibus, non controvertatur iterum, nisi concurrentibus tot suffragiis, quot necessaria sunt ad dispensandum.

10. Epistolæ ad Diffinitorium missæ, non aperiantur, nisi coram ipso, & ibi publice legantur, nisi aliter eidem Diffinitorio visum fuerit.

11. Diffinitorium poterit mittere aliquem ad Curias Romanam, & Regiam, & quo illi expediens visum fuerit pro aliquo gravi negotio ad bonum commune Religionis pertinente, dum tamen in hoc conveniant omnes, qui fuerint in Diffinitorio uno dempto.

12. Poterit etiam aliquem ex Diffinitoribus in quolibet gravi negotio occurrente occupare, & mittere quocumque illi conveniens visum fuerit, etiam extra Hispaniam.

13. Non poterit Diffinitorium vices suas concedere Patri Generali seorsim, nisi quando adierit

aliquam Provinciam, vel Conventum videndum vel in simili casu raro, & semper cum limitatione ad ea tantum, quæ probabiliter, judicio ipsius Diffinitorii occurrere possunt, designando casus speciales, qui, & in Libro Diffinitorii scripti manebunt.

14. Deputet Diffinitorium in suum secretarium unum ex Partibus Diffinitorii, qui statim ac electus fuerit, juramentum emittat servandi secretum, & fidelitatem, forma præscripta pro secretario Capituli Generalis supra *Capitulo 39. §. 4. num. 9.*

15. Quod actum decisumque fuerit a Diffinitorio in ejus libro scribatur, & in electionibus Canonicis in ipsos factis annoretur numerus suffragiorum, & antequam finiatur Diffinitorium legantur coram ipso, & postea subscribatur a Patre Generali, Primo Diffinitore, & Secretario.

16. Pater Generalis Determinationes, & Decreta Diffinitorii executioni breviter mandari curet, quod si remisse in hoc se gesserit, & reverenter monitus non se emendaverit; Diffinitores primus, & secundus exequi faciant, ea subscribendo simul cum Secretario, & signando Diffinitorii sigillo.

17. Si (quod Deus avertat) Pater Generalis se gereret cum magno Sæcularium scandalo vel Religionem regeret notabili relaxatione, & observantiam in rebus gravibus negligeret, tunc Primus Diffinitor convocet omnes alios, qui omnes simul uniti, & non aliter, ac re mature considerata convocent quatuor, vel quinque Ministros per Capitulum Generale deputatos, & simul cum illis humiliter, & reverenter, vel in scriptis, vel oretenus, bis moneant, & corrigant Patrem Generalem, qui si adhuc ab excessibus, & culpis non cessaverit; omnes dicti Prælati, Diffinitores, utique, & Ministri simul congregati, & majori illorum parte consentiente, & causa cognita judicent, an mereatur deponi, & ita sentientibus, & judicantibus deponatur, & in tali casu, dum Causa agitur, poterunt omnes simul in toto Ordine, cui, vel quibus necessarium fuerit imponere præcepta, & censuras, quæ, & alia quæcumque mandata subscripta a primo, & secundo Diffinitore, & referendata a Secretario fidem faciant, & obligent, & in tali casu poterunt dicti Prælati jubere etiam Patri Generali præceptis, vel Censuris aliisque mediis opportunis, ne dum, causa ipsius agitur, & concluditur, Officium suum exerceat, nec alio sit Conventu præter sibi ab eis designatum.

18. Omnes Processus, & Causæ Criminales custodiantur in Archivio generali Ordinis, & Patres Provinciales, & Visitatores remittant dictas Causas jam absolutas, ut in Archivio reponantur, imo & etiam remittent incœpras, & nondum finitas, si ab ipsis absolvendæ non sunt; idemque faciant Patres nostri de causis ab ipsis inchoatis, & formatis, vel illas remittant ad suum Provincialem, ut de illis judicet. Quo facto ipse eas mittet ad prædictum Generale Archivium, in quo conserventur sub clavi, quæ apud Patrem Generalem, vel ejus Secretarium sit.

19. Et ne decursu temporis Libri Ordinis, Bullæ, Brevia, Privilegia, cæteræque Scripturæ disperdantur, decernimus, quod in nostro Conventu Matriensi sit Archivium generale, in cujus parte separata omnia prædicta reponantur, & custodiantur sub duabus clavibus, quarum altera sit apud Patrem Generalem; altera vero apud unum ex Diffinitoribus designandum a Diffinitorio, & similiter ad eumdem effectum in Conventu nostro Curiæ Romanæ sit aliud Archivium cujus Claves habeant Pater Minister, & Pater Procurator Generalis istius Curiæ; quando vero utrumque munus Minister exerceat, alteram ex his Clavibus habeat Consiliarius antiquior.

§. 4. *De spectantibus ad Diffinitorium Generale.*

1. Primum pertinet ad Diffinitorium, servatis alias servandis, novas Conventuum fundationes admittere, ex uno situ in alterum jam factas transferre, Conventus unius Provinciæ alteri Provinciæ designare, & adscribere, consulendo tamen in prædictis Provinciales illarum Provinciarum, in quibus aliquid ex dictis faciendum sit.

2. Etiam pertinet ad ipsum punire culpas gravissimas, ut dictum est supra *Cap. 31. §. 2. n. 7.*, facere statuta (quæ acta communiter dicuntur pro reformatione totius Ordinis illa revocare, ac in illis dispensare, declarare dubia erga nostras Constitutiones occurrentia, dispensare in eisdem Constitutionibus ad universale Ordinis regimen non spectantibus, excepto quando id in Constitutionibus Diffinitorio prohibetur (quod tamen raro fiat) & consentientibus omnibus suffragiis præter unum; etiam attinet ad ipsum dispensare in Statutis, seu Decretis Capituli Generalis.

3. Ad Diffinitorium quoque spectat designare tempus, & locum, in quo celebrandum est Capitulum generale, destinare etiam locum, in quo celebranda sunt Diffinitoria, mense Majo, & Septembri.

4. Ad ipsum Diffinitorium etiam spectat admittere renunciationem Patris Generalis, si actualiter tunc non celebratur Capitulum Generale ad cujus admissionem omnia suffragia concurrere volumus, admittere etiam renunciationes extra Capitulum Generale factas, aliorum Prælatorum eligere, & nominare Procuratores Generales, ac deputare Religiosos, qui Redemptionem Captivorum exercere debent; & qui ad Sacramenta ministranda Captivis profecturi sunt, & tam his, quam illis Instructiones præstare, quas observare debent, facultatem concedere Religiosis, ut Romam petant, vel quemlibet alium locum extra Hispaniam.

5. Insuper præbere consensum, ut a Summo Pontifice, vel ejus Sacris Congregationibus licentia obtineatur ut aliquis, seu aliqui Religiosi nostri transitum faciant ad alias Religiones, licentiam concedere, ut libri typis mandentur, sine qua nemo id audeat facere sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ per Triennium.

6. Item facultatem concedere Conventibus, ut hæreditates, seu legitimas renuncient, excepta tamen parte ad Redemptionem Captivorum spectante, & cum conditione, quod si persona, in cujus favorem facta fuerit renunciatio, absque hærede necessario decesserit, ad Religionem legitimam redeat; istæ autem Renunciationes in libro Conventus renunciantis scriptæ in memoriam maneant. Deinde potest etiam Diffinitorium, & ad ipsum spectat licentiam concedere, ut Conventus cum partibus componatur, & ut ad consensum, sive ad damnum pecunias recipiant, obtenta tamen prius super præmissis debita Sedis Apostolicæ licentia.

7. In Electionibus faciendis extra Capitulum a Diffinitorio, quando concurrunt tantum sex Electores, si post tres sessiones, in quarum singulis tria Scrutinia habita sint, electio canonica non sequatur, tunc concurrat cum Diffinitorio, & suffragium habeat ad illius electionis effectum Provincialis Provinciæ, cujus est Officium vacans.

8. Præcipimus omnibus Religiosis, tam Prælatis, quam Subditis, ne recurrant ad Diffinitorium pro expeditione rerum ad alios Superiores pertinentium; qui autem sine debitis circumstantiis recurrit, juxta gravitatem culpæ puniatur.

9. Diffinitorium nihil poterit facere ultra conceſſum a Regula, & noſtris Conſtitutionibus, nec negotium aliquod, vel Cauſam ad ipſum non pertinentem poterit ſibi arrogare, niſi in caſu raro, & omnibus ſuffragiis concurrentibus.

10. Pater Generalis, & etiam Diffinitorium, quando illis expediens viſum fuerit, mittant aliquam inſtructionem Patribus Provincialibus, quæ & pro bono regimine, & reformatione Provinciarum, & pro ipſorum Subditorum profectu deſerviat.

§. 5. De Patribus Diffinitoribus Generalibus.

1. Pater Generalis, & Diffinitores, dum poſt ſuam electionem primo in Diffinitorio congregabuntur, faciant ante omnia in ipſo Diffinitorio juramentum ſervandi perpetuum ſecretum de rebus in eo agendis; quod juramentum tunc obliget, quando major pars Diffinitorii declaraverit debere ſervari ſecretum in tali, vel tali caſu, qui autem illud fregerit, ab eodem Diffinitorio ſevere puniatur.

2. Patres Diffinitores Generales ſex debent eſſe, juxta Breve felic. record. Alexandri VII. expeditum die 30. Januarii 1658., ſingulique duo in ſingulis Provinciis eligantur: Omnes autem ſint æquales in poteſtate, & præeminentiis, ut ubicumque fuerint, immediate Patri Generali ſubjiciantur, & in Conventu, in quo Capitulum Generale, vel Diffinitorium celebratur, dum hæc durant, ſedeant immediate poſt Patrem Generalem, & omnibus aliis præſideant, etiam Provinciali illius Provinciæ, in qua ſunt.

3. Habitent in Conventibus a Patre Generali deſignatis, aptis tamen, ut opportune, & ſcribere, & recipere Epiſtolas poſſint ad ſuum munus ſpectantes; Et in omnibus Conventibus, & Collegiis, ubi fuerint, ſuffragium habeant, ſicut cæteri Conventuales, & abſente Miniſtro, ſi ibi non fuerit Præſes aſſignatus per Patrem Generalem, vel Diffinitorium, præſideant in actibus, & functionibus Communitatis, ſignumque faciant, ut moris eſt; numquam vero ſe intromittant in regimen Domus, niſi abſentibus Miniſtro, & Vicario; Tunc enim quoad omnia Præſides erunt Conventus, & omnes Religioſi ſemper, & ubique eamdem obſervantiam, & reverentiam præſtent, ac ſuis Miniſtris.

4. In quolibet Conventu, ubi fuerint ſimul cum Patre Generali ab ipſo licentiam, Socium, & Benedictionem accipiant ad exeundum e Domo. Si autem Pater Generalis ibi non eſt, dicatur Miniſtro, & cum Socio ab ipſo deſignato, exeant; Socius tamen ipſe a Miniſtro Benedictionem accipiat.

5. Epiſtolas quibuſcumque Religioſis, & Sæcularibus ſcribere, & ab illis Miſſas recipere liceat Diffinitoribus abſque alicujus, etiam Patris Generalis, impedimento, vel examine, etiamque eis liceat ſine aliqua licentia alloqui quaſcumque perſonas, obſervando tamen, quod Regula, & Conſtitutiones diſponunt quoad loca, & tempora tacendi, & loquendi.

§. 6. De Officio Patrum Provincialium.

1. Omnes humiliter, & prompte ſuo Provinciali obediant tamquam Patri, & Paſtori, qui & ideo magna ſolicitudine ſuæ Provinciæ invigilet, & in tota illa eamdem habeat poteſtatem, quam Miniſtri in ſuis Conventibus; in eorum tamen Officia non ſe intromittat, niſi illorum negligentia, & culpa exigente, vel neceſſitate, & prudentia poſtulante.

2. Ad Patrem Provincialem ſpectat concedere licentiam, ut in Religione recipiantur, qui ad Chorum deſtinantur; Item ut tam iſti, quam Laici exiſtentes in anno probationis, ſeu Novitiatus, (recipiantur ſuo tempore ad Profeſſionem; Similiter præſtare literas, Vulgo -- *Réverendas* --) ut Religioſi Sacris initientur; facultatem, ut concionentur; & licentiam, ut Confeſſiones audiant virorum, & petere a Diffinitorio licentiam, ut Religioſi Confeſſiones Fœminarum audiant. Pro his autem omnibus hortamur Patres Provinciales, & eorum conſcientias oneramus, ut antequam dictas facultates concedant certam, & plenam notitiam habere curent de virtute illorum, quibus eas concedunt, ac de ipſorum ætate, ſcientia, & cæteris ad ea requiſitis tam a Jure, quam a Bullis Pontificiis, & noſtris Conſtitutionibus, & inſuper dum a Diffinitorio poſtulaverit licentiam, ut aliquis Religioſus Fœminarum excipiat Confeſſiones, mittat petitionem proprii Miniſtri ejuſdem Religioſi, in qua tam Miniſter, quam Conſiliarii ejuſdem Conventus, vel Collegii teſtificentur de Annis ætatis, Habitus, & Presbyteratus talis Religioſi, & quanto tempore Confeſſiones Virorum laudabiliter, ac prompte audiverit.

3. Pertinet etiam ad Provincialem ſuſpendere, & tollere, quando conveniens judicaverit, facultates, & licentias prædicandi, & audiendi Confeſſiones, tam Virorum, quam Fœminarum, deinde impertiri in ſua Provincia Benefactoribus, & aliis perſonis Epiſtolas Confraternitatis quibus participes fiant ſuffragiorum, cæterorumque bonorum Operum ſuæ Provinciæ, & facultatem præſtare Conventibus ad perpetuo alienandas Sepulturas Eccleſiarum, non vero Cappellæ Majoris, vel Minoris.

4. Rurſus ſingulis Annis ſemel ſaltem viſitare omnes Conventus, & Collegia ſuæ Provinciæ; Si vero Pater Generalis aliquam illius Provinciæ Domum viſitavit, tunc Provincialis non teneatur eam pro illo anno viſitare; Quod ſi contigerit aliquem Fratrem Germanum Provincialis eſſe Miniſtrum alicujus Domus ſuæ Provinciæ non viſitet Domum illam ipſe Provincialis, ſed tunc eo caſu illam viſitabit Pater Generalis, vel de ejus commiſſione alter Religioſus. Deinde ſi Pater Provincialis infirmitate, vel alia juſta cauſa impeditus, non valeat viſitare per ſe, ſuumque Officium exercere, poterit vices ſuas alteri Religioſo Provinciæ ſuæ committere; nunquam tamen nominare, ſeu inſtituere Vicarium Provincialem, ſive pro tota, ſive pro parte ſuæ Provinciæ; Hoc enim ad Diffinitorium attineat.

5. Præterea ad Provincialem ſpectat ſuos Religioſos ab uno in alium Conventum transferre, & præbere eis (exceptis Lectoribus, & Studentibus) licentias ad itinera facienda, neceſſitate exigente, & ſervatis his, quæ dicta manent ſupra *Cap.* 10. *§.* 1.

6. Suſpendere quoque ab Officio Miniſtrum, qui gubernare neſcit, vel qui ſua malitia, aut negligentia, vel defectu capacitatis permittit, anſam præbet, & cauſa eſt, quod omnes, vel plerique Subditorum vivant irreligioſe, laxe, vel ſine pace, aliaque inconvenientia tam in Oppido, quam in Conventu ſequantur: Quacumque ergo ex iſtis cauſis poteſt Provincialis ſuſpendere aliquem Miniſtrum quantumvis aliis bonis moribus ornatum, conſuletque diffinitorium, ut ſi expediverit prædictus Miniſter deponatur.

7. Ad Provincialem etiam pertinet nominare, & deſignare ſimul cum Miniſtro Vicarios omnium Conventuum ſuæ Provinciæ, & Collegiorum, necnon illos ſuſpendere, imo, & conſulto Patre Generali, eos privare, tam in caſibus expreſſis in noſtris Conſtitutionibus, quam ſi propter alias culpas id mereantur, ſine obligatione reddendi cauſam, & rationem cur ita fiat, niſi Sacræ Congregationi, aut Generali, quando requiſitus fuerit. Item admittere

renun-

renunciationes Officiorum, quorum designatio ad ipsum pertinet, tametsi cum Ministro nominario facta fuerit.

8. Ad ipsum etiam spectat culpas punire usque ad graviorem inclusive, absolvere a censuris ad limites facultatis ei concessæ per Jus commune, vel Pontificia Privilegia.

9. Habeat Provincialis Librum in quo scribat facultates, quas concedit ad concionandum, ad virorum Confessiones audiendas, & Ordines recipiendos, & in eo nedum notet diem, mensem, & annum, & nomen Religiosi, sed etiam ejus Patriam, & Conventualitatem.

10. Non liceat Provinciali absque expressa licentia Patris Generalis contributionem imponere in sua Provincia; possit tamen licentiam concedere alicui Ministro, ut de consensu majoris partis Capituli Conventualis opem ferat alteri Conventui, vel Collegio indigenti. Super quo hortamur omnes Ministros, & Conventus, ut mutuo se adjuvent, ut religiosa, & fraterna charitas ita exerceatur, & conservetur.

11. Provincialis expirans rationem in Capitulo Generali reddat Patri Generali de omnibus expensis ab ipso factis in illo triennio, & in quibus eas fecit: quod si non reddiderit, Pater Generalis eam exigat.

12. Si Provincialis obierit, vel alia de causa ejus Officium cessaverit, Prædecessor immediatus sit ipso facto Vicarius Provincialis, nisi inhabilis, vel impeditus sit; nam tunc Vicarius Provincialis erit Diffinitor primus illius Provinciæ, & in istius defectum secundus, donec Diffinitorium eligat Provincialem.

13. In casu mortis alicujus Provincialis, ejus Secretarius, & Minister, & Consiliarii Conventus, in quo obiit, vel vicinioris, si forte extra Clavium ponant, & custodiant manticas, Codices, & Scripturas, ac alia similia, quæ penes defunctum, & ad ipsum attinentia inventa fuerint, & claves Manticarum apud Secretarium sint, qui etiam unam ex tribus Clavibus Arcæ habebit donec Vicarius Provincialis, vel Provincialis de novo electus accedat, cui omnia cum sigillis, & formulario Officii tradentur, nisi Pater Generalis aliter disposuerit. Et præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ prædictis Ministro, Secretario, ei, & Consiliariis, & omnibus, & singulis aliis Religiosis, ut numquam aperiant, nec aperire permittant dictas Manticas, nec videant, seu legant scripta, quæ apud se Provincialis defunctus habebat.

§. 12. *De modo servando in Visitationibus Conventuum.*

1. Hortamur in Domino Visitatores, ut scopus, ac finis suarum Visitationum semper sit conservare in suo rigore, & perfectione observantiam nostræ Regulæ, Constitutionum Sanctarum consuetudinem, & cæremoniarum, pacem statuere, culpas, & negligentias corrigere, & punire.

2. Pro initio Visitationis jubeat signum fieri ad Capitulum, & omnibus simul junctis, ac genuflexis incipiat Antiphonam -- *Veni Sancte Spiritus*, quam omnes prosequantur, & post eam dicat Versiculum -- *Emitte Spiritum tuum &c.* & Orationes -- *Deus qui corda fidelium* -- *Defende quæsumus Domine Beata Maria &c.* -- *Deus qui per Sanctos Patres nostros Joannem, & Felicem &c.* postea omnes sedeant, & Visitator faciat brevem Concionem Spiritualem ad intentum pro sua Visitatione.

3. Quo facto, imponat præceptum, & censuram, ut omnes ante ipsum dicant, & denuncient quidquid correctione dignum animadverterint tam in Prælato, quam in Subditis omni affectione, amore, odio seclusis, atque an quærendis, seu parandis, & custodiendis Eleemosynis pro Redemptione Captivorum observentur exacte quæ Leges nostræ disponunt, & ad hoc, ut ante ipsum quoque manifestent omnia quæcumque penes ipsos fuerint, sive pro suo usu, sive pro alio fine, quovisve titulo; Et insuper sub prædicto præcepto, & censura jubeat ab omnibus custodiri silentium in pertinentibus ad ipsam Visitationem, tam inter se, quam inter alios quoscumque, & tam verbis, quam scriptis. Durabit dictum præceptum, & censura per dies necessarios, sed non pauciores, quam quinque.

4. Ante examen Religiosorum visitet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Altaria, Oleum Sanctum, Ornamenta, cæteraque alia ad Cultum Divinum pertinentia.

5. Postea vocando singillatim Religiosos, visitet, examinet, ac diligenter inquirat ab eis primo, quomodo observentur mandata Dei, & præcepta Sanctæ Ecclesiæ, necnon quatuor Vota, Regula, Constitutiones, & Sanctæ Consuetudines Ordinis. Item an fuerit vel sit aliquod scandalum, vel quid habens speciem peccati, tam intra, quam extra Conventum. An sit pax inter Religiosos. An observetur Regularis Disciplina in Officio Divino, Oratione, Silentio, Vita Communi, Clausura, cæterisque obligationibus. An abusus introducatur in vestitu, aliisque rebus. An Prælatus necessaria Religiosis, præsertim Infirmis suppeditet, & an ipse Regulam, cæteraque alia observet.

6. Ut Visitatores hæc adimpleant, necesse est, calleant ea, quæ ad correctionem fraternam attinent, & ad Regulam, Constitutiones, & Consuetudines. Ideoque oportet eos habere Summarium principalium Statutorum, quæ observari debent, ut juxta illud facilius interrogent, & examinent Religiosos.

7. Cellas visitent, & videant, quæ ad usum Religiosi habeant, & quæ paupertati, observantiæque nostræ convenientia non fuerint, amoveant, & necessaria Subditis ministrari faciant.

8. Officinas etiam visitent, & animadvertant, si in illis sint necessaria pro Religiosis, tam valentibus, quam male habentibus, vel aliquid superfluum, & indecens nostro statui. Carcerem quoque visitent, & notent, si in eo sint, quæ debent, juxta disposita supra *Capit.* 31. §. 4. Bibliothecas quoque videant, & examinent an juxta eas, & ejus Libros observentur supra dicta *Capit.* 38. §. 7.

9. Similiter diligenter visitent Libros Conventus tam illos, in quibus bona stabilia, & Census continentur, quam illos in quibus notantur recepta, & expensæ in quacumque specie pecuniæ, tritici, hordei, vini, olei &c. necnon Libros Redemptionis Captivorum, & receptoris ad habitum, & professionem, ab ultima Visitatione, usque ad illam. Et Prælatus contra Bullas, & Decreta Pontificia sive in toto, sive in parte recipiens ad habitum, vel Professionem aliquos Novitios, pœnis impositis in illis, & aliis ad suum arbitrium Provinciales afficiant.

10. Deinde visitent Tabulam, seu Catalogum Religiosorum Defunctorum, Librum etiam, in quo scribuntur Missæ, & alia suffragia, obligationesque perpetuæ Conventus, & videant an illis sit satisfactum; Quod si invenerint aliquem defectum, statim curent plene satisfieri, & severe puniant Superiorem negligentem.

11. Præterea examinent Confessarios, Concionatores, & in Collegiis studentes, juxta supra dicta suis locis.

12. Insuper coram Communitate attente videant habitus, Scapularia, Cappas, & Caputia

tia Religiosorum, & curent, quod exacte observent mensuræ dispositæ a nostris Consuetudinibus, severe puniendo Prælatum in hac parte remissum, & negligentem, & Religiosos excedentes.

13. His peractis, iterum in Aulam Capitularem Religiosos convocari jubeant, & exhortationem faciant Spiritualem laudandi virtutes, & observantiam, & corrigendo defectus, & culpas omnium in Communi, & singulorum in particulari. Ac deinde Religiosi, quibus nulla culpa imposita est, defectus suos ipsimet, ut moris est, confiteantur.

14. Si Minister aliquam commiserit culpam majori parti Communitatis ignotam, Visitator illam in publico non reprehendat, sed secreto coram aliquibus ex observantioribus, & notitiam habentibus: Similiter secreto corripiet secretas culpas cæterorum, & publice publicas, ac notorias: Et quando gravitas delicti virgam justitiæ exigat, semper Visitator simul misericordia utatur: Hortamurque illum in Domino, ne impunitas relinquat culpas, itaut exinde majoribus excessibus occasio, & ansa præbeatur.

15. Correctione culparum finita, præceptum imponat Visitator, ut pro tempore juxta prudens ejus judicium necessario, omnes, & singuli de actis in illa Visitatione, & ad eam pertinentibus, strictum silentium observent, tam inter se, quam inter alias quascumque, & tam verbis, quam scriptis. Deinde omnes in communi leviter flagellis cedat, & postea sequenti absolvat forma videlicet--Omnes prostrati dicant Confessionem generalem, postea Visitator--*Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.*, & confestim--*Auctoritate, qua fungor in hac parte, in quantum possum, absolvo Vos ab omni Sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, vel interdicti. In nomine Patris †, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

16. Si Visitatori expediens visum fuerit aliqua facere statuta vulgo--*Acta*--rebus exigentibus, & maturo consilio perpensis, illa in scriptis faciat, & in Arca trium Clavium custodiantur. Durabunt autem tantum usque ad sequentem visitationem, si in ea denuo approbata non fuerint. Omniaque præcepta, & Censuræ cessent, cessante Officio Provincialis, qui ea imposuit, & solum maneant tamquam simplicia mandata, usque ad sequentem visitationem: monemusque Provinciales, ut in primis suis visitationibus scire curent præcepta, Censuras, acta, & mandata suorum Prædecessorum, & denuo illa approbent si expedire viderint.

17. Si in aliquo Conventu Visitatores aliquam invenerint culpam excedentem suam Jurisdictionem, statim Diffinitorio notitiam præbeant, mittentes Processum (si factus fuerit) vel informantes de delicto, quod si hoc tale fuerit, quod remedium præsentaneum exigat, apponat necessarium, quamvis delictum (ut dictum manet) Jurisdictioni suæ non subsit.

18. Decernimus, quod quilibet Prælatus possit punire, & puniat quaslibet culpas ad suam Jurisdictionem pertinentes, procedendo in earum cognitione sine strepitu, & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, juxta concessionem motu proprio factam Ordini nostro a felic. record. Paulo Papa V. die 17. Augusti anno 1611. incipien. -- *Circumspecta Sedis Apostolicæ &c.*

19. Visitatores, & alii quicumque Judices in Causis, quas formaverint, non manifestent reis nomina testium, nec circumstantias aliquas, per quas in illorum cognitionem venire possint.

20. Denique Visitatores post finitas singulis annis Visitationes, rationem reddant Diffinitorio de statu Conventuum, & Collegiorum.

§. 8. De Patribus Visitatoribus Delegatis.

1. Qui per Delegationem Patris Generalis, vel Diffinitorii visitaverint totam nostram Religionem, vel aliquam illius Provinciam, teneantur in quolibet Conventu visitando manifestare Commissionem, quam portant; obedientia tamen eis præstabitur statim ac primo illam in aliquo Conventu patefecerint, & possessionem acceperint.

2. Visitatores prædicti præsideant in omnibus Conventibus, ad quos Jurisdictio sua se extendit, omnibus aliis Religiosis tam Prælatis, quam subditis eadem auctoritate, potestate, ac præeminentia, qua fungitur qui eos delegavit.

3. Quando vero aliquis pro Conventu Curiæ Romanæ visitando designatus fuerit, tantum præsidebit Religiosis illius a die, qua illis per se ipsum notoriam fecerit suam Commissionem, quæ solum durabit usque ad finem visitationis, & hac peracta cessabit Officium, subditusque manebit Ministro dicti Conventus, & eo absente Procuratori Generali, nisi forte Visitator alias superior sit, idemque omnino intelligatur respective de Visitatore Delegato alterius, vel aliorum Conventuum in particulari.

4. In reliquis omnibus Visitator Delegatus servet formam visitandi *in §. antecedenti* positam, nisi aliquid ei in Commissione limitetur, & Instructionem etiam sibi datam a Delegante sub pœna juxta gravitatem culpæ ei infligenda.

§. 9. De PP. Secretariis Prælatorum Superiorum.

1. Pater Generalis in sui Secretarium eligat Sacerdotem, qui suo consilio, prudentia, & viribus valeat illum in sui muneris onere portando adjuvare; Illum in scriptis designet præbendo ei Literas patentes sui Officii, & Secretarius statim ac eas recipiat, juramentum emittat in manibus ipsius Patris Generalis de servando secretum, & fidelitatem juxta formam præscriptam pro Secretario Capituli Generalis supra *Cap. 39. §. 4. num. 9.*

2. Similiter quilibet Provincialis eligat sibi Secretarium eisdem qualitatibus præditum, & ei Literas patentes tribuat, ac Secretarius in manibus ipsius prædictum præstet Juramentum, statim ac nominatus fuerit.

3. Idem omnino faciat Visitator delegatus in electione Secretarii, & iste in emissione Juramenti, excepto casu, quo delegans in Commissione designavit Visitatori Secretarium, vel iste Literas patentes dedit; tamen etiam in isto casu Secretarius Juramentum faciet in manibus Delegati, si in delegantis prius non emisit illud.

4. Prædicti omnes Secretarii in quolibet Conventu, vel Collegio Jurisdictionis Prælatorum, quorum Secretarii sunt, in quo simul cum ipsis fuerint, dum eorum Officium duraverit, Conventuales sint cum voce, & loco, & ad exeundum a domo a suis tamen Prælatis, quorum Secretarii sunt, licentiam, socium, & Benedictionem accipiant.

§. 10. De Officio PP. Ministrorum.

1. Patri Ministro humiliter, & reverenter sui obediant subditi. Ad ipsum spectat immediate Conventus, vel Collegii Regimen, principalis cura, soopusque illius sit Spiritualis subditorum profectus, præeunte semper ipso Doctrina, & exemplo: quapropter P. Generalis non poterit Ministrum aliquem eximere a vita Communi.

2. Ad ipsum etiam attinet hortari frequenter Subditos ad observantiam Regulæ, Constitutionum, Sanctarum consuetudinum, & Cæremoniarum, applicando contravenientibus sine exceptione personarum pœnas per Constitutiones nostras impositas, nec permittat Subditos se intromittere in negotia sæcularia. Ministrum

autem in executione hujus Constitutionis remissum, P. Provincialis ad arbitrium suum puniat.

3. Disponat, & præcipiat Minister in suo Conventu quidquid illi conveniens visum fuerit ad majorem observantiam, & Subditorum reformationem ac correctionem: quod ut melius ac plenius exequi valeat, decernimus, quod faciat, & substantiet processus, & informationes culparum, ac delictorum commissorum a Religiosis in suo Conventu, vel alio in loco sui confinii, quamvis delicta excedant suam jurisdictionem, puniatque usque ad culpam gravem inclusive; nam graviores, & quibus annexum est scandalum, Provinciali, & Diffinitorio reservantur. Cæterum, si contigerit, quod aliqua culpa suam excedens jurisdictionem brevi indigeat remedio, opportunum adhibeat, illamque puniat: ac statim, sub pœna suspensionis ab Officio per unum mensem, moneat Superiorem, ad quem cura spectat, & cæteras informationes culparum, quas ipse non punierit, mittat Prælato, cui competat Sententiam proferre. Nullus autem Minister poterit sui Conventus visitationem Generalem facere, imponendo præcepta, & Censuras; hoc enim proprium est Provincialis.

4. Sit etiam Minister in temporalibus valde providus, & omnibus suis subditis nihil ex necessariis de victu, & vestitu deficiat; ad quæ distribuenda non expectet Religiosorum petitiones, quando necessitas patuerit; sed eas pastorali solicitudine præveniat, & amore paterno æqualiter omnibus juxta cujuslibet indigentiam subveniat, & sic Religiosi relicta omnium temporalium cura, spiritualibus magis intenti sint, & severe puniatur a Provinciali Minister in hoc deficiens.

5. Disponat etiam, & distribuat in suo Conventu Officia, vel per se solum, vel simul cum Provinciali, aut Capitulo Conventuali, juxta ea, quæ in diversis partibus harum Constitutionum statuuntur, constituendo in illis personas idoneas; Officiales autem omnia sibi a principio tradita juxta eorum Inventarium, suis Successoribus, vel Consiliariis tradant.

6. Curet Minister, quod in omnibus Officinis sui Conventus sint Inventaria, seu Libri, in quibus scripta inveniantur omnia, quæ sunt in dd. Officinis; & bis quotannis cum Consiliariis, & Officialibus respective illas, & libros visitet, ut incrementa scribantur, & de necessariis, quæ defuerint, diligenter provideatur.

7. Quando Superior Prælatus miserit Literas patentes pro transferendo aliquo Religioso in alterum Conventum, non eas subscribant Minister, & Consiliarii, donec talis Religiosus in procinctu sit ad iter arripiendum; eo autem ipso, quod subscribantur, statim cesset ejus Conventualitas, & deinde tamquam hospes habeatur.

8. Si Conventus aliquis pecuniam habeat (etiam obligationum, seu Missarum perpetuarum) conferendam in Censum, Minister (adhuc suffragante Capitulo Conventuali) id facere non valeat sine Patris Provincialis facultate.

9. Nullus Minister, vel particularis Religiosus, quamvis sit Procurator Conventus, seu Administrator bonorum, & facultatum ipsius, destruat, demoliatur aliquam Domum, vel possessionem, nec radicitus evellat Vineas, Oliveta, Arbusta; imo nec Religiosus Agricola, aut Hortulanus arborem (nisi aridam) succidat sine consensu Communitatis, & licentia in scriptis Prælati Superioris, qui illam concedet, majori utilitate inspecta; nec similiter sine præfato consensu, & licentia valeat aliquis ex dictis vendere, aut alienare Ædificiorum dirutorum reliquias, & materias, nec etiam emptas, aut alio titulo receptas pro nova fabrica, aut pro reparatione Conventuum, seu possessionum eorum.

10. Nullus item Minister, aut Præses valeat in toto cujuslibet anni spatio vendere, aut alienare triticum, hordeum, oleum, vinum, & similia, sive sint in propriis prædiis collecta, sive empta, sive pie oblata ultra quantitatem, & valorem quadraginta ducatorum ex unaquaque specie sine consensu majoris partis Capituli Conventualis, & semper in libro expensarum scribatur quantitas, & qualitas venditorum, seu alienatorum, & etiam notetur in eo dictus consensus Capituli Conventualis, quando intervenerit, Contravenientes autem tam isti, quam præcedenti Constitutioni, severe puniantur ad arbitrium Patris Provincialis juxta qualitatem culpæ.

11. Patres Ministri simul cum Consiliariis faciant rationum summas (vulgo *Cartaquensas*) status suorum Conventuum, vel Collegiorum, incrementi eorum, provisionis, debitorum, aliarumque rerum; idque tempore apto disponant, itaut dictæ rationum summæ a Ministro, utrinque, & Consiliariis subscriptæ mittantur, & perveniant simul cum libro, seu rationibus Missarum ad manus Secretarii Diffinitorii quindecim diebus ante Capitulum Generale, ut prædictum Diffinitorium tempus habeat ad eas videndas; istarum autem copia, & transumptum de verbo ad verbum subscriptum etiam a Ministro, & Consiliariis maneat in Conventu in Libro deputato ad hunc tantum effectum; quod si aliquis Minister tempore dicto, & determinato non miserit dictam rationem puniatur ad arbitrium Diffinitorii; at vero si aliqua rationum summa facta inveniatur absque debita fidelitate, subscribentes privati sint voce, & loco per annum.

12. Minister ante finem sui Officii provideat Conventui, seu Collegio suo de omnibus rebus necessariis usque ad mensem Septembris immediatum post Capitulum Generale, successorique Ministro, ac Consiliariis per Inventaria, & transumptum, de quo *numero antecedenti*, rationem reddat status Conventus, & augmenti, vel detrimenti, ut noviter electus Minister sciat quod sit in Conventu, & quid ipsi traditur.

13. Minister, non Socius, in suo Conventu, vel Collegio maneat tempore Capituli Generalis, & illum regat, & gubernet, ac in eo præsideat, etiam post Capitulum, donec novus Minister accedat, possessionemque accipiat, nisi aliud illi jubeatur.

14. Denique statuimus, quod quando Pater Generalis, vel Diffinitorium designaverit aliquem in Præsidem alicujus Conventus, vel Collegii, seu novæ fundationis eamdem habeat potestatem, & præeminentias, ac si esset Minister.

§. 11. *De PP. Vicariis, & eorum Officio.*

1. In quolibet nostri Ordinis Conventu, & Collegio sit unus Vicarius, qui Ministrum adjuvet in onere sui Officii; debet autem Vicarius eligi Confessarius Virorum, & Fœminarum, & persona prudens, & capax ascendendi ad Ministerium, & qui habeat ætatis saltem triginta annos, & habitus duodecim, poterit tamen Diffinitorium in ætate dispensare.

2. Munus Vicarii non duret ultra mensem unum, postquam accessit ad suum Conventum, possessionemque accepit, Minister denuo, sive in Capitulo Generali, sive in Diffinitorio electus, quamvis si solum per triennium officium exercuit, poterit reeligi in eodem Conventu, vel Collegio; non vero, si ultra biennium, nisi dispensante Diffinitorio.

3. Præcipuum Vicarii munus est diligenter curare omnia, quæ attinent ad Officium Divinum, & quod exacte observentur Sacri Ritus, & Ordinis Cæremoniæ, ac cuncta, quæ disponit nostrum Manuale; quare omnia, quæ circa Chorum, Altare, Processiones, & alia ad Officium,

& cultum Divinum pertinentia Vicarius ordinaverit, executioni mandentur, nisi aliud Minister disponat; est enim Vicarius Magister Cæremoniarum.

4. Curet etiam Vicarius, quod quilibet Religiosus adimpleat Ministerium, in quod ab obedientia est destinatus; & ubi Magister Novitiorum, vel Professorum non fuerit, officia Tabulæ singulis hebdomadis Vicarius distribuat.

5. Singulis Dominicis diebus juxta præceptum Regulæ familiam, sive famulos Domus pro capacitate sua Vicarius hortetur divertere a malo, bonumque facere, eosque simpliciter moneat, quid credere, aut agere debent pro salute Animarum suarum, & vita æterna adipiscenda.

6. In absentia Ministri quoad regimen Conventus præsideat Vicarius, & in defectum istius Diffinitor antiquior præsens, & in Diffinitorum absentia Redemptor Captivorum, & in istius absentia Procurator Generalis, & isto deficiente Sacerdos antiquior in professione; quando Minister justa de causa Sacerdotem minus antiquum non deputaverit; nullus autem ex prædictis aliquid innovet; si tamen Minister absens fuerit ab Oppido ubi est Cœnobium ultra viginti quatuor horas, poterunt prædicti tunc imponere præcepta, & accipere Novitios ad habitum, & professionem: adhuc tamen in isto casu Vicarius non præcedat in Sede Diffinitores, nec isti ab illo Socium petant ad exitum e Domo.

7. Quamvis in aliquo Conventu, vel Collegio sit Vicarius actu exercens suum Officium poterit Pater Provincialis pro absentia Ministri à Domo sua nominare, & eligere Præsidentem ubi, & quando expedire viderit.

8. Quando aliquis Prælatus Superior deputaverit Præsidem alicujus Conventus, seu Collegii duret ejus Officium, quamvis cessaverit Officium Superioris, qui illum nominavit usque ad possessionem Ministri, vel alterius novi Præsidis: Et idem intelligi volumus de Præsidentibus (sive sint Vicarii, sive alii) deputatis tempore, quo celebratur Capitulum Generale pro Conventibus, sive Collegiis, quorum Ministri sunt Socii, vel pro aliis quibuscumque.

§. 12. *De Gubernio paterno, & spirituali Prælatorum.*

1. Prælati sunt Pastores, & Patres Subditorum, ideoque debent spiritualia pascua eis ministrare, ignorantes docendo, remissos fovendo, jacentes erigendo. Hæc exercere tenentur singulari amore, & benevolentia erga omnes, & singulos eorum. Quod ut aptius, faciliusque adimpleant, oportet ipsos agnoscere mores, conscientiam, & vires uniuscujusque, viam, & profectum spiritualem, Orationem, virtutum in operibus si se exerceat, mortificationes, quibus utitur, gratias, quas a Deo accepit, & quid ex his, & Sacræ Communionis frequentia utilitatis, & fructus percipiat: Hoc est enim Pastorem perfecte cognoscere gregem suum.

2. Expedit igitur, quod hoc paternum regimen omni cura teneatur, & diligentius observetur a majoribus Superioribus, quapropter Pater Generalis, & Diffinitores maximopere invigilare debent profectui Subditorum, mittendo quandoque in totum Ordinem Literas Pastorales, & exhortationes ad majorem observantiam, & extinctionem abusus, si aliquis introducatur, & illius auctorem puniendo.

3. Provincialibus utpote ordinariis Visitatoribus specialibus competit hæc cura suorum Subditorum. Quare in Visitationibus observabunt, quæ dicta sunt §. 7. hujus Capituli, nec sibi satisfaciant cum correctione exteriori, sed hominem interiorem dirigere præsertim curent: Pro quo Epistolas Spirituales etiam mittant (quando illis expedire visum fuerit) per totam suam provinciam, & alias exhortatorias ad progressum, & correctionem Subditorum.

4. Ministris Conventualibus immediate hoc regimen incumbit, ab illis præcipue Subditorum salus, spiritualisque utilitas pendet, de qua in extremo Judicio strictissimam rationem reddent; idcirco, ut suæ obligationi satisfaciant, tenentur spiritualem illorum vitam exemplo suo alere, & doctrina sua perficere, illam omnibus, & singulis pro uniuscujusque statu, & capacitate proponendo, & de quadrimestri in quadrimestre affabiliter cum unoquoque in particulari agendo, & communicando omnia, quæ ad directionem animarum suarum spectant.

§. 13. *De PP. Procuratoribus Generalibus, & Conventualibus, ac de eorum Officiis.*

1. Diffinitorium Generale eligat Procuratores Generales Curiæ Romanæ, & Hispaniæ Religiosos virtuosos, zelatores, prudentes, in rebus gerendis industriosos, quibus amplum mandatum, & potestatem dabit pro occurrentibus negotiis tam totius Ordinis, quam alicujus particularis Conventus, & confestim ac electi fuerint, faciant Juramentum fidelitatis in manibus Patris Generalis, vel alterius de ejus commissione.

2. Eorum Officium duret per triennium, & vacent quando noviter electi possessionem acceperint; si tamen Diffinitorio bene visum fuerit, poterit illos reeligere, commutare, & Officiis abdicare sine obligatione reddendi causam, cur hoc faciant, nisi Sacræ Congregationi, quando requirantur.

3. Procuratores Generales poterunt è Domo exire semper si negotia id exigant, Socio assignato a Prælato, & ab isto benedictione accepta. In quocumque Conventu, ubi fuerint, Conventuales sint cum voce &c., & in actibus, & functionibus Communitatis, præsideant omnibus, quos in sede præcedunt, etiam Vicario, a quo in absentia Ministri Socium postulabunt, sed ab eo benedictionem non accipient, nisi forte Vicarius sit simul Præses propter absentiam Ministri ab Oppido ultra viginti quatuor horas, & numquam se intromittant in regimen Conventus, nisi quando competat præsidentia per absentiam Ministri, Vicarii, Diffinitoris, & Redemptoris Captivorum.

4. Literas eorum, quas scribunt, & quas recipiunt nullus Prælatus aperire, videre, seu impedire audeat, excepto P. Generali, cui dd. Procuratores notitiam omnium negotiorum Ordinis præstabunt, & præsertim Procurator Generalis Hispaniæ id faciat singulis semestribus per Librum, in quo cunctorum rationem scriptam habeat, & in absentia Prioris Generalis notitiam illam, & rationem præbeat Diffinitori antiquiori existenti in Curia Regia; & ante fines suorum Officiorum, uterque rationem accepti, & expensi in executione eorum Patri Generali fideliter reddant.

5. Hortamur PP. Procuratores Generales, & etiam Conventuales, ut semper, ac commode fieri possit per sæculares Procuratores negotia expediri faciant, ut sic frequentes eorum egressus e Conventu virentur.

6. Pater Procurator Generalis Curiæ Romanæ non valeat sine licentia Capituli Generalis impetrare a Sede Apostolica Literas pertinentes ad regimen universale Ordinis, nec favorem, vel auxilium aliis ad id præstare: Quod si aliquo modo, & via ei constiterit aliquem Religiosum id quomodocumque intendere, teneatur sub præstito fidelitatis Juramento patefacere Diffinitorio; & in omnibus negotiis Religionis servet semper Institutionem, vel dispositionem Diffinitorii, & nihil absque ejus licentia operetur.

7. Quilibet Religiosus, nisi fuerit Diffinitor per Romam petens, vel in Italia existens subdatur Ministro, & in ejus absentia Procuratori Generali Curiæ Romanæ, & illi licentiam manifestet, & causam viæ suæ declaret tamquam Superiori, cui in omnibus obedire tenetur; quod si aliquis absque debita licentia illuc profectus fuerit, Minister remittat in Hispaniam ad Procuratorem Generalem, vel ad suum Provincialem, nisi attentis circumstantiis, videatur propter culpas in carcerem injicere, vel alio remedio uti.

8. Pater Procurator Generalis Hispaniæ sit valde vigilans in expeditione negotiorum sibi a Prælatis commissorum, quæ quidem tenetur agere, & expedire. At vero sine consensu Patris Provincialis numquam sæcularium negotia, vel propria personalia, vel alicujus particularis Religiosi gerat; super difficultatibus autem, quæ in executione sui Officii occurrerint, consulat Patrem Generalem.

9. Conventuales Procuratores eligantur a Conventibus, seu Collegiis, consulto, & approbante Patre Provinciali. Officium Procuratoris Conventualis expiret transacto mense integro post acceptam a Ministro denuo electo illius possessionem Conventus, & Collegii quod mandatum Procuratoris dedit; si vero Patri Provinciali, & Communitati visum fuerit, poterit reeligi cum licentia Diffinitorii; quod quidem antequam illam concedat, notitiam curet habere de moribus dicti Procuratoris, & a sedulitate in executione sui Officii. Totum autem in hac Constitutione expressum quoad Procuratores Conventuales, prorsus, & in omnibus intelligi volumus de Administratoribus quarumcumque facultatum, seu bonorum cujuscumque Conventus, & Collegii.

10. Procuratores Conventuales in Civitatibus, seu Oppidis ubi sunt Cancellariæ, Regiaque Consilia, seu Audientiæ, teneantur suscipere, gerere, & expedire lites, & negotia Ordinis ad dicta Regia fora concurrentia, & Patres Ministri hujusmodi Conventuum, non occupent suos Procuratores, itaut prædicta Ordinis negotia agere non valeant.

11. Procuratores omnes Conventuales, & Administratores bonorum, & facultatum cujuslibet Conventus, seu Collegii singulis quadrimestris rationem reddant suis Ministris, & Consiliariis de executione suorum Officiorum, & de acceptis, & expensis pro eorum expeditione. In quem effectum sit Liber in Arca trium Clavium, in quo dictæ rationes scribantur, & debita pro & contra Conventum cum annotatione diei, mensis, & anni, personarum, a quibus, & finem, in quem contracta sunt; & librum istum, quando, & sicut cæteros Monasterii visitet Provincialis, & Procuratorem, vel Administratorem non reddentes rationem, amoveat ab Officio, reddentem vero, sed non fideliter arbitratu suo puniat.

§. 14. *De Sigillis in Ordine nostro utendis.*

1. Pater Generalis habeat tria Sigilla. Primum magnum ad signandum negotia gravia, secundum mediocre ad ordinaria, & tertium parvum pro Literis. In primo sculpta sit Imago Sanctissimæ Trinitatis, & in circuitu verba ista -- *Signum primitivum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum.* In duobus aliis incisum sit scutum Ordinis, & in circuitu verba hæc -- *Pater Minister Generalis.*

2. Diffinitorium Generale habeat etiam suum Sigillum, in quo incisum sit Ordinis scutum cum Inscriptione ista per circuitum -- *Diffinitorium Generale Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum*, -- cum hoc autem signabuntur negotia, quæ Pater Generalis nomine Diffinitorii expedierit, addendo etiam in illorum Corpore -- *De consensu nostri Diffinitorii Generalis*; -- per hæc enim verba, & Sigillum distinguenda sunt negotia Diffinitorii, ab expeditis a Patre Generali solo.

3. Singuli Patres Diffinitores singula habeant sigilla parva pro Epistolis suis, & in illis sit scutum Ordinis, & inscriptio hæc -- *Diffinitor Generalis.*

4. Quilibet Provincialis duo habeat Sigilla; unum mediocre, & alterum parvum. In utroque sculptum sit Ordinis scutum; & per circuitum in majori verba ista -- *Provincia Spiritus Sancti* --, vel alterius Titulus; si altera fuerit Provincia, in minori vero -- *Provincialis Provinciæ Spiritus Sancti* (verbi gratia) & sic de cæteris.

5. Quilibet etiam Minister Conventualis habeat Sigillum parvum pro Epistolis, & negotiis occurrentibus, & in illo scutum sit Ordinis, & per Circuitum titulus sui Conventus, vel Collegii v. g. -- *Minister Conventus Matritensis.*

6. Visitatores Delegati habeant etiam Sigillum cum scuto Ordinis, & ista Inscriptione -- *Visitator Generalis, vel Visitator Provincialis* -- sigilla autem ista sint penes Patrem Generalem, & Provincialem respective, ut ea suo tempore tradant Visitatoribus ab eis delegatis, qui & finita sua Commissione reddant illa Delegantibus.

7. Insuper PP. Redemptores Captivorum, & Procuratores Generales pro negotiis, & Epistolis sigilla habeant parva cum scuto Ordinis insculpto, & inscriptione per gyrum -- *Redemptor Captivorum*, vel *Procurator Generalis.*

8. Præcipimus, quod nullatenus excedatur a dispositio in hoc §., nec ullus alius extra prædictos (cujuscumque status, vel conditionis sit) sigillo utatur sub pœna gravis culpæ.

REGULÆ CAPUT XLI.

Postquam vero Diffinitores Generales.

CAPUT XLI.

De Visitatione, & Depositione Prælatorum.

§. 1. *De forma visitandi Patrem Generalem, & Diffinitores.*

1. Pater Generalis, finito Capulo Generali intermedio, in quo ejus officium non expirat, statim post Confirmationem electionum visitetur per Diffinitores noviter Electos, & quatuor, vel quinque Ministros, quos disponit nostra Regula; pro quo Diffinitor Primus, & isto absente secundus imponat præceptum omnibus Capitularibus, ut intra viginti quatuor horas coram ipso Diffinitore solo, qui imposuit præceptum, manifestent si quid animadverterunt, seu notarunt in Patre Generali erga ejus mores, regimen, observantiam nostræ Regulæ, & Constitutionum, ac sui officii executionem. Quod si aliquæ Culpæ apparuerint, prædictus Diffinitor convocet cæteros Diffinitores, ac Ministros, & ab ipsis judicetur, & proportionata applicetur punitio. Si vero ex Depositionibus factis a Capitularibus, vel ab aliis Religiosis per Epistolas expedire videatur eis majorem facere culparum Inquisitionem; præcipimus dictis Diffinitoribus, & Ministris in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut intra tres Menses post celebratum Capitulum Generale omni secreto, & diligentia fiat dicta Inquisitio, vel ab ipsis Diffinitoribus, & Ministris, a Provincialibus, vel ab aliis Religiosis idoneis deputatis ab ipsis Judicibus. Causa autem concluса sententiam proferant recte, & prudenter, & nullo respectu omittatur quælibet diligentia necessaria, & conveniens.

2. Quando in Capitulo Generali novus eligatur Generalis, ſtatim ac confirmentur Electiones, præteritus Generalis, qui in illo Capitulo expiravit, viſitetur eodem modo: dumtaxat tamen per novum Diffinitorium.

3. Diffinitores, qui expirarunt, viſitentur etiam finito Capitulo Generali ipſo per novum Diffinitorium; Inquiſitio autem ſolum fiat circa executionem ſuorum Officiorum. Circa mores enim viſitatio & inquiſitio reſervatur Patri Generali, qui ante prædictum Capitulum illam tenetur facere, & ſimul cum Diffinitorio judicare, quando in aliquo ex Diffinitoribus culpa alicujus ponderis apparuit.

4. Si quis Religioſus habuerit aliquid contra Patrem Generalem, vel Diffinitores, id manifeſtet illorum Viſitatoribus reſpective, certiores illos faciendo, vel per Literas, vel per Provincialem, vel Socium, vel alio convenienti medio.

§. 2. De forma viſitandi PP. Provinciales.

1. Quando ante Capitulum Generale Patres Provinciales non fuerint viſitati à Patre Generali vel ab alio de ejus Commiſſione, viſitentur a Succeſſoribus in prima viſitatione ſuorum Conventuum, & Collegiorum imponendo præceptum, ut omnes declarent, ſi quid in eis adverterunt, ſeu notarunt circa vitam, & mores, ac ſuorum Officiorum executionem; quod ſi opus fuerit, informationem faciant prudenter, & ſecreto, & audito Prædeceſſore, finitaque, perfecta, & concluſa prædicta Cauſa, qui fecit mittat illam ad Diffinitorium, ut ſententiam ferat.

2. Inſuper ſi forte aliquis Provincialis defecerit in obſervantia, & bonis moribus, ac ſui Officii executione, vel remiſſus fuerit in rebus gravibus, quando hoc conſtiterit Patri Generali, vel Diffinitorio, mittant Religioſum, qui viſitet eum, & iſte cauſa perfecta tradat, vel mittat illam Diffinitorio, ut de opportuno remedio provideat.

§. 3. De Cauſis propter quas Prælati debent deponi.

1. Diffinitores exceſſus Patris Generalis ſeorſum corrigant, & emendent, qui coram ipſis humiliter ſe proſternens veniam petat, & ſtans de ſuis exceſſibus ſe accuſet; quod ſi Prævaricator Ordinis fuerit, aut Contemptor, aut adeo negligens, & remiſſus, ut Ordinis diſſolutionem, & Viſitationem inducat, moneatur a Diffinitoribus, ut officio Generalatus cedat. Alioquin eum deponendi liberam habent facultatem.

2. Reliqui autem Officiales amoveantur a ſuo Officio, ſi commiſerint peccatum aliquod contra tria vota eſſentialia, & quartum non ambiendi, vel manifeſte de ipſis fuerint vehementer ſuſpecti. Item ſi aliis negotiis dediti non adimpleant ſuum munus, ſi ter moniti negotia non relinquant, vel ſi inutiles, aut ita negligentes fuerint ad gubernandum, & ſequatur grave detrimentum Regulari obſervantiæ, vel ſi minis, publicationibus, fraudibus, aut alio ſimili modo procurent alteri Officium intra, vel extra Religionem, aut ſi accipiant pecunias, vel rem pretioſam ad hoc ut faciant, vel expediant aliquid, quod ratione Officii expedire tenentur; cæterum tam contra P. Generalem, quam contra alios Prælatos, & Officiales ad certum tempus canonice electos Diffinitores ad ſententiam depoſitionis minime procedant, niſi prius ex actis legitime conſtet reſpective de cauſis ſuperius expreſſis, vel aliis, quæ ex Canonicis Sanctionibus, & noſtris Conſtitutionibus ad depoſitionem requiruntur.

REGULÆ CAPUT XLII.

Si quis hujus Ordinis Frater eſſe voluerit &c.

CAPUT XLII.

De Novitiatibus, receptione, educatione, & approbatione Novitiorum.

§. 1. De Conventibus, in quibus educandi ſunt Novitii.

1. Pater Generalis cum conſenſu Provincialis, in qualibet Provincia deſignet domos Novitiorum neceſſarias pro educatione Novitiorum; & ſemper ſint ſegregatæ a frequentia, & concurſu ſæcularium, & ſemel deſignatæ non relinquantur ſine gravi cauſa. Miniſtri autem dictarum Domorum prudentes ſint, & obſervantes, & qui jam fuerint (ſi fieri poſſit) Magiſtri Novitiorum, vel Profeſſorum.

2. Similiter Pater Generalis eligat Magiſtrum Novitiorum cum conſilio Provincialis, pro cujus Provincia eligatur, & ſit perſona Spiritualis, prudens, docta, & potens viribus ad rigorem vitæ Communis ſuſtinendum.

3. Superiores curent, quod Religioſi Conventuales Novitiatuum ſint valde obſervantes, & exemplares.

4. Omnes Novitii ſtatim ac Sanctum noſtræ Religionis habitum ſuſceperint, deducantur ad Novitiatum ſub pœna gravis culpæ, infligenda Superiori, qui illos detinuerit.

§. 2. De Perſonis non admittendis ad Sanctum noſtrum Habitum.

1. Non admittantur ad noſtrum habitum, qui Infirmitatem contagioſam habeant, nec qui ſit, vel fuerit mancipium, nec qui Sæculari Veſte indutus noſtrum habitum petierit, ſi fuerit Profeſſus (ſive valide, ſive invalide) in alia quacumque Religione, vel Congregatione noſtri Ordinis, v. g. in Patribus noſtris Calceatis, aut etiam in Diſcalceatis, vel Reformatis ejuſdem Ordinis non Subditis noſtræ Juriſdictioni; nec etiam admittatur Neophytus, nec qui deſcenderit per lineam rectam (in quolibet gradu) a Judæis, Hæreticis, Mauris, vel Mauriticis, nec ullus, cujus prædeceſſores per lineam etiam rectam, ac in quolibet etiam gradu ob hæreſis, vel Judaiſmi, vel Sectæ Mahometanæ crimina puniti fuerint ab hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus. Quod ſi aliquis ex dictis in hac Conſtitutione cælans aliquod ex prænarratis impedimentis profeſſionem fecerit apud nos, ſtatim ac detegatur tale impedimentum, ejiciatur, quia Religio non præſtat ſuum conſenſum ad talem profeſſionem: Quapropter omnes in publico coram Communitate moneantur ante receptionem habitus, & etiam ante profeſſionem, quod ſi habet aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, profeſſio (etiamſi fiat) invalida, & nulla eſt, quamvis pluribus annis in Religione ſint. Admonemus tamen ad prædictam ejectionem Profeſſi procedi non poſſe, niſi infra quinquennium a die Profeſſionis, & deductis Cauſis coram Superiore ſuo, & Ordinario ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, quod ex Sententia Sacræ Congregationis vindicat ſibi locum non modo quando Subditus vult deducere cauſas nullitatis ſuæ Profeſſionis, ſed etiam quando Superior vult illum ejicere tamquam nulliter Profeſſum.

2. Præterea non admittantur Religioni Profeſſi aliorum Ordinum, Religionum, Congregationum, vel Societatum abſque licentia Capituli Generalis, concurrentibus duabus partibus ex tribus ſuffragiorum vocalium, & eam

non concedat, quin prius perpendat privilegia dictorum Ordinum, & Causam transitus, & concurrant alia requisita Sacrorum Canonum.

3. Insuper nec recipiatur ad Chorum, qui non habeat ætatis quindecim annos; nec ad statum Laici, qui non habuerit viginti, vel qui excesserit trigesimum quintum annum, nec aliquis Eunuchus, nec Uxoratus, si Uxor maneat in sæculo, nec irretitus aliqua irregularitate, quæ difficiliter dispensari possit, nec habentes notabilem deformitatem, nec Religiosus Professus apud Patres nostros Calceatos, vel apud aliam nostri Ordinis Congregationem, nec aliquis ex comprehensis in Interrogatorio pro Informationibus Novitiorum infrapositо §. *sequenti*, nullus ex prædictis in hoc numero tertio recipiatur absque licentia Diffinitorii Generalis, & in casibus, in quibus illam concedere potest juxta Jus Commune, & nostras Constitutiones, & numquam illam concedat, ut iterum recipiatur, qui fuit antea Novitius nostræ Religionis, vel alterius, sine prævio examine Causæ sui egressus. Volumus tamen, quod si aliquis ex dictis, & prohibitis in his duobus numeris, nempe secundo, & tertio hujus §. habitum receperit, & Professionem fecerit sine licentia, & facultate requisita, & expressa in prædictis duobus numeris, talis professio sit firma, & valida, dum non sit ex comprehensis *num.* 1.

4. Denique præcipimus, quod nulla Fœmina admittatur ad nostrum Habitum, ut fiat nostri Ordinis Mantellata, seu Tertiaria, Vulgo -- *Beata* -- absque licentia Patris Generalis, nec permittatur sine eadem licentia, quod emittat Votum in manibus alicujus Prælati ex nostris, vel alterius Religiosi sub pœna privationis Officii Prælati, & vocis, & loci per Triennium Subdito contravenienti.

§. 3. *De forma faciendi Informationes pro admittendis ad nostrum Habitum.*

1. Antequam ad nostrum Sanctum habitum quisquam admittatur Religiosus designatus a Patre Provinciali, faciat ex Commissione ipsius Informationem Juridicam, & plenariam de genere, moribus, & vita juxta Bullas summorum Pontificum recipiendo Juramenta a Testibus, factaque illa per sequens Interrogatorium.

2. Primo interroget, si Testis est propinquus, si est habilis secundum Jus ad testificandum, si moveatur amicitia, vel odio, vel zelo Justitiæ, vel si comprehensus invenitur sub aliqua ex generalibus interrogationibus, vel quare moveatur ad deponendum, & quot ætatis annos habeat.

3. Secundo si cognovit illum, qui prætendit nostrum Habitum, & ejus Parentes, Avos, & Ascendentes, & a quanto tempore illos cognoscit.

4. Tertio si scit, d. Prætendentem descendere a Judæis, Hæreticis, Mauris, & Mauriticis, vel a Pœnitentiatis per Tribunal Sac. Inquisitionis ob crimen Hæresis, vel Judaismi, vel Sectæ Mahometanæ, vel si audivit aliquem ex Parentibus, seu Ascendentibus ejus habere aliquem ex prædictis defectibus.

5. Quarto, si scit, Prætendentem esse Neophytum, seu noviter Conversum ad fidem, vel aliquid erga hoc audivit.

6. Quinto, si scit, quod dictus Prætendens Parentes ejus, vel Avi sint notati aliqua infamia.

7. Sexto, si scit, quod sit filius legitimus, ac ex legitimo Matrimonio, & uti talis judicatus, & reputatus.

8. Septimo, si scit, quod sit Liber, id est, quod non sit, nec fuerit Servus, seu Mancipium.

9. Octavo, si scit, quod dictus Prætendens non sit ligatus vinculo Matrimonii, vel Fide Sponsalium, itaut de sua persona disponere non possit.

10. Nono, si scit, quod habeat aliquam Infirmitatem contagiosam.

11. Decimo, si scit, quod habeat aliqua debita, quæ solvere non possit, vel si teneatur reddere rationem ex qua ipsi, vel Ordini nostro aliqua vis, seu molestia subsequi valeat.

12. Undecimo, si scit, quod Prætendens fuerit Novitius, vel Professus in nostra Religione, vel in aliquo quocumque Ordine, Congregatione, seu Societate, etiam in nostris Patribus Calceatis, vel in Discalceatis, seu Reformatis nostri Ordinis non subjectis nostræ Jurisdictioni.

13. Duodecimo, si scit, quod Prætendens & petit, & accipere vult habitum sponte, & proprio affectu, ac voluntate allectus, non vi, metu, fraude, aut alio humano respectu.

14. Decimotertio, si scit, quod parentes Prætendentis sint pauperes, itaut ad sustentationem suam indigeant adjutorio illius, vel Religionis, si recipiatur ad eam.

15. Decimoquarto, si scit, verum esse omne quod deponit, itaut si aliquid esset in contrarium sciret, vel audivisset.

16. Si in aliqua Regione, vel Provincia opus fuerit strictioribus aliquibus interrogationibus, Superiores illas apponant in Interrogatorio, & Informantes adimpleant.

17. Insuper stricte præcipimus, quod quilibet informans sub pœna gravis culpæ per dies proferat fidem Baptismi Prætendentis, & illam inserat informationi, ut de Baptismo, & ætate constet, inscribatque in Libro, in quo ejus receptio, & professio scribenda est; Prælatus autem, qui non fecerit Testimonium Baptismi scribi in Libro, & qui aliquem ad professionem admiserit sine dicta Baptismi Fide severe puniatur.

18. Facta informatione, & clausa ipse informans curet illam quamprimum tradere Patri Ministro Conventus, vel Collegii, in quo Prætendens Habitu nostro indutus est; & dictus Minister, ac Consiliarii, & Magister Novitiorum, vel Professorum, (vel si ibi Minister non est) Vicarius; omnes itaque simul videant Informationem, & approbent, vel reprobent, & rationem fideliter reddant Capitulo Conventuali de contentis in ea; & oneramus conscientias Examinatorum dictæ Informationis, & Religiosorum Capitularium super secreto.

19. Si Informatio fieri commode non possit antequam Prætendens accipiat Habitum, saltem Superior Conventus, vel Collegii, vel ejus nomine alias Religiosus ab ipso deputatus coram Examinatoribus destinatis pro Informationibus videndis clare, & distincte legat Interrogatorium Prætendentis, & per ipsum singillatim interroget, accepto ab eodem Juramento de veritate dicenda, & an comprehendatur in aliquo ex ibi contentis, & postea quamprimum possibile sit, fiat Informatio juridica, & plenaria, quam approbent, vel reprobent Minister, Consiliarii, & Novitiorum Magister.

§. 4. *De modo recipiendi Novitios.*

1. Quicumque recipiendus ad Habitum nostrum examinetur prius de sua Vocatione a Prælato, vel ab aliquo Religioso experto ab ipso designato, & animadvertat, si est bonæ indolis, & docilis, & virium sufficientium ad portandas Religionis austeritates.

2. Ad Chorum non recipitur, nisi qui latinitatem sufficienter calleat ad alias scientias addiscendas, quod ut constet, Pater Minister si vo-

luerit,

luerit, & quatuor Religiosi deputati a Patre Provinciali, vel aliquo ex istis deficiente, alius loco ejus designatus a Ministro, examinent Prætendentem, & per majorem partem suffragiorum secretorum declaretur ejus sufficientia; liceat tamen Patri Generali justa de causa aliquid in defectu Grammaticæ supplere, maxime quando Prætendens ingenii acumine pollet.

3. Post hæc visa, & approbata Informatione juridica, vel recepto juramento, ut dictum manet §. *antecedenti* proponatur Capitulo Conventuali, cui competit receptio, & fideliter illi significentur dotes Prætendentis, & solum recipiatur, qui majorem partem suffragiorum Capituli Conventualis habuerit.

4. Nullus ad Chorum recipiatur absque licentia in scriptis Patris Provincialis, nec Fratres Laici sine licentia Procuratoris Generalis, quam concedit, consulto prius Patre Provinciali illius Provinciæ, ubi est Domus, in qua recipiendi sunt, & si gaudeant integra valetudine, & viribus ad laborem corporalem, in quo ratione sui status versari, & exerceri debent; Ideoque ante receptionem capiatur experientia per aliquot dies de perseverantia in Vocatione, & de salute, ac viribus; Nec plures Laici admittantur, nisi quot prudenter judicaverint Superiores necessarios esse pro servitio Religionis.

5. Laici perpetuo conservent nomen, statum, & Ministerium Laicorum, nec ullo tempore ad Clericalem statum admittantur. Et Superiores contrafacientes privationis Officiorum, & Vocis activæ, & passivæ, pœnam incurrant; prout statuit in Motu proprio Ordini nostro concesso fel. rec. Paulus Papa V. die 17. Augusti 1611. incipien. -- *Circumspecta Sedis Apostolicæ &c.*; Nec illis unquam concedatur corona, nec literarum studia sub pœna privationis Officii, & Vocis activæ, & passivæ per sexennium Superiori contravenienti.

6. Ad Habitum Donati, seu Oblati nullus recipiatur sine approbatione Capituli Conventualis, & obtenta licentia Patris Provincialis; & qui recipiendi sunt, habeant ætatis saltem viginti annos, & amplius, & non excedant trigesimum secundum, polleantque integra salute, & viribus ad laborem corporalem, in quo sunt exercendi; semel autem recepti non expellantur sine consensu Patris Ministri, & Consiliariorum. De eorum educatione curet Pater Vicarius Conventus, vel Collegii, & numquam permittantur e Domo exire ante expletum quadrimestre post eorum receptionem ad Habitum. Prædicti non utantur lineis, nec Calceamentis. Concurrant ad Orationem mentalem, ad Matutinum cantatum, ad flagellationem, & Communionem Communitatis, & ad exhortationem spiritualem, quæ Dominicis diebus fieri solet, ubi eorum defectus ante Religiosorum culpas a Zelatore, vel Præside advertantur, ac corrigantur, & statim a Capitulo exeant; Officia Tabulæ illis, sicut & Laicis singulis Hebdomadis distribuantur; & cum obierint, funeralia, & Officia fiant pro eis, sicut & pro Novitiis.

§. 5. *De educatione Novitiorum.*

1. Patres Ministri Domorum Novitiatus, nihil pertinens ad Novitios, vel ipsorum directionem jubeant, vel disponant inconsulto Magistro illorum.

2. Religiosi Conventuales Novitiatuum non loquantur cum Novitiis sub pœna gravis culpæ, nec audeant illos reprehendere; si vero aliquem defectum in Novitio aliquo viderint dicant Prælato, vel Magistro, vel in Capitulo culpam animadvertant.

3. Novitiis numquam injungantur Officia, nec imponantur occupationes, quæ occasionem illis præbeant tractandi cum Sæcularibus, nec permittatur, quod visitentur adhuc a Parentibus, & Cognatis, nisi in casu raro, consentiente, & præsente Magistro.

§. 6. *De approbationibus Novitiorum.*

1. In anno approbationis Novitii ter proponantur Capitulo Conventuali, ut judicet, an attentis eorum vita, & moribus digni sint, ut ad professionem admittantur; ad quam nullus Frater Laicus approbetur, nec recipiatur, qui aliqua ex Officiis propriis sui status, & Ministerii recte non didicerit. Post quartum mensem a receptione Habitus proponantur prima vice a Capitulo, secunda post octavum, tertia post decimum mensem.

2. Ut Novitius censeatur approbatus debet habere majorem partem suffragiorum secretorum Capituli Conventualis; quod si eam non habuerit, statim habitu spolietur, & modeste dimittatur. At semel approbatus a Capitulo habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius Capituli Conventualis, vel saltem consentientibus, & convenientibus Ministro, & Magistro, & Patre Generali, vel Provinciali; quod si ad neutrum ex his duobus facilis sit recursus, suppleat illius defectum consensus duorum Religiosorum jam antea ad hunc effectum deputatorum a Patre Provinciali.

3. Oneramus conscientias Conventualium cujuscumque Novitiatus, ut in approbationibus Novitiorum, utpote cum sit magni ponderis res, singulari prudentia, & Religionis zelo se gerant, secluſa omni affectione, & humano respectu.

4. Bona actualiter Novitiorum, etiam ipsis consentientibus, & petentibus, non distribuantur adhuc inter pauperes nec alio modo consumantur, & Prælatus, qui aliter fieri permiserit, pœna culpæ gravis per tres dies puniatur.

REGULÆ CAPUT XLIII.

Ad professionem vero aliquis non recipiatur &c.

CAPUT XLIII.

De professione Novitiorum, de receptione illius per professos, de recenter professis, & eorum Domibus, ac Bonis.

De professione Novitiorum, de receptione illius per professos.

1. Peracto integro probationis anno, Novitius cum licentia P. Provincialis admittatur ad professionem, quam faciat juxta regulas, & Constitutiones nostræ Sacræ Religionis tenore sequenti:

Formula professionis.

Ego Fr. N. de N. facio meam professionem, & promitto obedientiam, castitatem, & paupertatem Sanctissimæ Trinitati, & Beatæ Virgini Mariæ, & Sanctis Patribus nostris Joanni, & Felici, necnon & nostro Rev. Patri Fratri N. de N. Ministro Generali, aliisque meis Superioribus Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, eorumque successoribus secundum Regulam Primitivam dicti Ordinis a fel. rec. D. N. Papa Innocentio III. stabilitam, & a piæ memoriæ D. Papa Urbano VIII. ad perfectiorem formam redactam, & secundum Constitutiones ejusdem Ordinis, sine mitigatione usque ad mortem.

Continuo destinati ad Chorum emittant quartum votum non ambiendi, juxta Breve fel. recor. Pauli Papæ V. expeditum die 10. Februarii anno 1610. incipien. *Quæ piæ, & Sanctæ*, illud faciant sequenti forma: *Præterea promitto, me, directe, vel indirecte per me, aut per alios intra nostram Congregationem, prælationem aliquam, aut Officium per Constitutiones prætendi prohibitum mihi nunquam prætensurum; & pariter juxta nostram Congregationem, neque directe, neque indirecte per me, aut per alios ullam prælationem prætensurum, vel oblatam accepturum, nisi præcepto ejus, qui mihi præcipere poterit, adstringar.*

Fratres Laici (quando faciunt professionem, quam vulgari lingua facere debent) post emissionem trium essentialium votorum, continuo emittant quartum non transeundi ad statum Clericalem, nec Sacros Ordines suscipiendi juxta præceptum fel. rec. Alexandri VIII. per suas Literas in forma Brevis expeditas die 13. Januarii anno 1663. incipien. -- *Pastoralis Officii &c.* fiatque sequenti modo, & lingua etiam vulgari.

Præterea promitto me nunquam transiturum ad statum Clericalem recipiendo primam Tonsuram nec recepturum Ordines majores, vel minores, videlicet Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri prætensurum omnes, nec quemlibet in particulari, nec etiam prætensurum directe, vel indirecte dictum transitum, vel receptionem dictorum Ordinum omnium, vel cujuslibet in particulari.

Professio facta, scribatur in libro professionum, notando, quod fuit facta, prævisa, & approbata informatione juridica de genere, moribus, & vita juxta tamen Bullarium Summorum Pontificum, & nostrarum Constitutionum, & subscribatur a Religioso, qui professionem fecit, a Prælato Domus, a Magistro Novitiorum, & ab aliis duobus Religiosis, qui præsentes professioni fuerunt, & ab illo etiam, in cujus manibus illam fecit professus, si forte distinctus fuit a Prælato, & confestim informatio igne comburatur.

Insuper omnes, & singuli nostri Religiosi professi tam ad Chorum destinati, quam Laici, tam Prælati, quam Subditi semel, & singulis annis in die assignato a Diffinitorio Generali repetant, & denuo confirment suam professionem unoquoque iterum singillatim faciente, & renovante quatuor vota, quæ primo in sua professione emisit juxta formam præscriptam *in hoc §.* Omnesque illam repetant coram Communitate in manibus Prælati, seu Præsidis Communitatis ipsius, & ante omnes ipse Præses coram ipsa Communitate. Initio vero formæ supra positæ mutent verbum *Facio*, in verbum *Repeto*, & Pater Generalis loco verborum ad ipsum attinentium in eadem forma dicat *necnon Sanctissimo Domino Nostro Papæ N. ejusque, & Beati Petri Apostoli legitimis Successoribus*, quod si aliquis propter Infirmitatem, aliamve legitimam causam assistere non valuit functioni isti, repetat Professionem quamprimum possit coram Communitate etiam.

§. 2. *De recenter Professis, & eorum Domibus.*

§. 1. In qualibet Provincia sit una, vel duæ Domus, ubi recenter Professi cum suo Magistro in habitatione separata, & clausa vivant, & perseverent saltem per triennium post professionem, vel quousque ad ætatem Sacris Ordinibus sufficientem pervenerint in spiritualibus exercitiis, quibus instructi fuerunt in Anno probationis; Interea vero etiam studiis Literarum operam dare possint, & debeant juxta præscriptum Decretorum sa. mem. Clementis VIII.

§. 2. Cum Magistro Professorum quoad ejus assignationem, & reliqua omnia observetur totum, quod in diversis partibus harum Constitutionum dictum expressumque manet de Magistro Novitiorum, & quod Ministri nihil disponant erga professos inconsulto dicto Ministro.

§. 3. Dicti recenter Professi destinati ad Chorum, donec Annum Professionis adimpleverint, non exeant ad Oppidum, nec aliorsum nisi cum Communitate, nec propriam Patriam adeant (nisi ibi Conventus sit, & pro Conventualibus ejusdem designentur) donec Sacerdotes sint; Postquam autem a dicta habitatione separata, & clausa recenter Professorum exierint quousque Sacerdotio initientur disciplinæ Vicarii subjaceant, præterquam Collegio Artium, ubi sunt Magistri.

§. 4. Si quis jam Sacerdos nostrum habitum accipiat sub Institutione Magistri sit etiam per integrum Annum post Professionem, & non amplius, nec a Domo egrediatur, nisi post expletum dictum Annum, nec in propriam Patriam pergat, donec quatuor annos post Professionem expleverit, nisi ibi sit Conventus noster, & pro Conventuali in eum adeat.

§. 5. Fratres Laici similiter sub disciplina Magistri recenter Professorum sint primo Anno post Professionem, & insuper duobus aliis Annis sub ipsius Magistri, vel ubi iste non sit, sub Vicarii institutione, nec primo dicto anno e Conventu exeant, nisi in Communione, nec in Patriam pergant, nisi post quatuor annos transactos a Professione, vel nisi in ea sit Conventus Ordinis, & pro Conventualibus mittantur.

§. 3. *De Donis, & hæreditatibus Profitentium, & Professorum.*

§. 1. Decernimus quod dona illorum, qui in nostra Religione profitentur dividantur, & medietas detur Conventui, in quo Professionem fecit, & altera medietas sit Collegii, in quo recepit Habitum, vel a quo directus, & missus fuit ut Habitum reciperet: Quod si non fuit in aliquo Collegio receptus, nec ab eo directus, sive missus talis bonorum medietas deserviat pro expensis a Diffinitorio designandis; Si vero aliter factum fuerit, declaramus deberi in conscientia reddi, ac restitui dicto Collegio, vel Diffinitorio. Hoc autem tantum intelligatur, quando noster Professus non fecit testamentum ante Professionem in favorem alicujus personæ extra nostrum Ordinem: Si enim fecit, ejus ultima voluntas adimpleatur.

§. 2. In exigendis nobis per Fratres in nostra Religione Professos relictis nobis, vel ad nos pertinentibus, maxima servetur charitas, ac præ oculis habeatur indigentia, & qualitas Fratrum, & Sororum Religiosi, & specialiter hoc observetur cum ejus Patre, vel Matre, quando per mortem alterutrius hæreditas obvenit Nobis; Tunc enim (si Charitas exigit) volumus ne talium bonorum fructus excipiantur, vel petantur, donec alter superstes moriatur.

Preces dicti Procuratoris Generalis.

§. 3. Quare præfatus Didacus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut Constitutiones hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Didaci Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes:

Absolutio a Censuris.

§. 4. Hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apo-

Pontifex dd. Constitut. approbat, & confirmat.

stolica

stolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus, etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet, etiam formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, penitus, & omnino supplemus, & sanamus.

Supplet quoscumque defectus.

Decretum pro observantia.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas, & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, & Decretum irritans.

Latissime contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, etiam Congregationi, & Ordini prædictis, illorumque Superioribus Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 1. Julii 1676. An. 7.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Julii 1676. Pontificatus nostri Anno Septimo.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. Brevium in Lib. Mensis Julii par. 2. fol. 132.

Ad individuæ Trinitatis, gloriosissimæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum laudem, & gloriam sempiternam.

INNOCENTIUS UNDECIMUS PONT. CCXLIV.

ANNO CHRISTI MDCLXXVI.

INnocentius Undecimus, Benedictus antea vocatus, Filius Livii Odescalchi Novocomensis, S. R. E. Diaconus Cardinalis Tit. SS. Cosmæ, & Damiani, & postea Presbyter Tit. S. Honuphrii: Pontifex electus die 21. Sept. 1676. Coronatus die 4. Octobris ejusdem Anni: Creavit Cardinales 43. Vixit An. 78. in Pontificatu An. 12. Mens. 10. Dies 22. Obiit die 12. Augusti 1689. Sepultus est in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes Menses duos.

Regulæ Cancellariæ, quas de more initio sui Pontificatus Innocentius XI. promulgavit, quia aliis in superiori Tomo contentis similes sunt, brevitatis studio omittuntur.

Committitur Majoricensi Episcopo, ut Majoricæ, supplicante Civitate, & omnibus Religiosis Mendicantibus consentientibus, Cœnobium Fratrum Capuccinorum Apostolica auctoritate constituat. I.

Vid. Constit. 25. Clem. X., quæ inc. Alias fel. rec. *sup. Tom. VI. fol. 29.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 9. Nov. 1676. An. 1.

Vener. Frater Salutem, & Apost. Benedictionem.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Aragoniæ Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod cum ipsi alias videlicet die 5. Sept. 1671. Indultum fundandi in Regno Majoricæ Conventum eorum Ordinis, servata tamen Constitutionum Apostolicarum dispositione, sibi a fel. recor. Clemente PP. X. prædecessore nostro, per quasdam suas in simili forma Brevis literas tibi, seu tunc existenti Episcopo Majoricen. directas concedi obtinuissent, teque, seu dicto Episcopo permittente, ad actualem unius Conventus cum Ecclesia in Civitate Majoricen. erectionem devenissent. Dilecti etiam filii Fratres Minores Ordinis ejusdem S. Francisci Strictioris Observantiæ nuncupati, qui in prædicto Regno a pluribus abhinc annis duos insignes Conventus possident, prætendentes se gravatos, & asserentes præfatas literas Apostolicas obreptionis, & subreptionis vitio laborare, ex quo in illis recensitum, & expressum non fuerat, quod dudum, nempe anno 1649. instantibus iisdem Fratribus Capuccinis pro obtinendo hujusmodi fundationis indulto, & contradicentibus ipsismet Fratribus Strictioris Observantiæ Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, die 28. Jan. 1650. & respective diversis aliis temporibus nempe die decima quinta Junii 1650. vigesima quinta Aprilis 1653., & septima Decembris 1657. uniformibus decretis etiam per literas Apostolicas confirmatis mandaverat pro tempore existenti Episcopo Majoricen. ne permitteret Fratribus Capuccinis Conventum, aut Domum quamcumque in prædicta Civitate erigere, ipsisque præciperet, ut a præfata Insula discederent. Et insuper asserentes, quod in primodictis literis

Decreta Congregationis Episcop., & Regul.

teris

teris derogatum non fuerat literis recor. mem. Alexandri Papæ VII., etiam prædeceſſoris noſtri pariter in forma Brevis expeditis, quibus ſpecialiter prohibetur in Regno Majoricæ aliquem Conventum fundari, niſi ſervata quinque leucarum diſtantia ab aliis Conventibus, jam erectis, inſtiterunt acriter pro declaratione hujuſmodi ſubreptionis, & Apoſtolici Indulti revocatione. Quare propoſito, & mature diſcuſſo dubio, eadem Congregatio die vigeſima ſeptima Januarii 1673. decrevit literas primodictas tanquam ſubreptitias non eſſe exequendas, & quicquid vigore illarum erat geſtum, tanquam attentatum eſſe revocandum, ac ſervandas eſſe ordinationes, & decreta alias facta; Iterumque propoſito dubio die vigeſima ſeptima Aprilis ejuſdem anni perſtitit *in deciſis*, & perpetuum impoſuit ſilentium, mandavitque tibi, ſeu tunc exiſtenti Epiſcopo Majoricen., ut omnia geſta in executionem primodictarum literarum Apoſtolicarum, utpote attentata revocari faceres, ſeu faceret. Quæ quidem ejuſdem Congregationis decreta per alias dicti Clementis prædeceſſoris literas ſimiliter in forma Brevis expeditas approbata, & confirmata fuerunt, & pro prædictorum omnium executione Monitorium a dilecto filio cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. generali Auditore relaxatum, & ipſis Fratribus Capuccinis intimatum fuit. Verum ſtantibus præmiſſis, cum dd. Fratres Capuccini ea qua par eſt obedientia Apoſtolicis mandatis obtemperantes, & a prædicta Inſula in Hiſpaniam transfretantes, Conventum, quem, ut ſupra dictum eſt, erexerant, vacuum dimiſiſſent, Civitas Majoricen. videns ſe tam piis Religioſis orbatam, tota in amaritudinem converſa eſt, & ad memoratum Clementem prædeceſſorem recurſum habuit, humiliter ſupplicando, ut attento conſenſu cæterorum omnium Religioſorum Mendicantium ſupremæ ſuæ pietatis dona impertiri dignaretur, & iiſdem Fratribus Capuccinis ſpecialem gratiam & favorem facere retinendi, ſeu de novo fundandi ibidem Conventum in quo duodecim Religioſi permanere poſſent. Ipſe vero Clemens prædec. devotis prædictæ Civitatis, & Regni precibus, quantum æquitati conſentaneum foret annuere cupiens, prævia oris aperitione, ſpecialem Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium benigne deputavit, in qua dum utriuſque partis rationum momenta diſcutiebantur, benedicente Domino, res in pace compoſitæ ſunt, & præfati Fratres Minores Strictioris Obſervantiæ diſcretiori conſilio Fraternam charitatem exercentes ſuum præſtiterunt conſenſum. Quare dicti exponentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratæ ſpecialis Congregationis Cardinalium conſilio, attentis ſupra expreſſis, ac noviter deductis Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut poſtquam tibi conſtiterit Fabricam novi Conventus hujuſmodi cum Eccleſia, Choro, Sacriſtia, Dormitorio, Refectorio, aliiſque Officinis, hortis, & ſpatiis eſſe numeris omnibus abſolutam, & ſupellectilibus tum ſacris, tum profanis ſufficienter inſtructam, quodque ex piorum Benefactorum eleemoſynis duodecim Religioſi ſuſtentari commode poſſint, ad prædictam erectionem, & fundationem auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio procedas.

§. 2. Non obſtantibus ſupradictis Decretis, & Apoſtolicis in forma Brevis literis, & præſertim dicti Alexandri prædeceſſoris, aliiſque ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die nona Novembris 1676. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Aliud decretum.

Fratres Capuccini Mandatis Apoſtolicis parent.

Preces Civitatis.

Nonnullorum Cardinalium Congregationi cauſa cognoſcenda remittitur.

Patres concordant.

Delegatio fundationis cœnobii.

II.

Confirmatur decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo ſtatuitur, Fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Provinciæ Portugalliæ gradum ſupernumerarii Magiſtri Apoſtolicis literis conceſſum aſſequi non poſſe, niſi in examine idonei comprobentur.

Fratres Redemptionis Captivorum Provinciæ Portugalliæ frui debere omnibus Privilegiis conceſſis a Sede Apoſtolica aliis fratribus ejuſdem Ordinis Provinciarum Caſtellæ, Legionis ac Bethicæ ſtatuit Paulus III. Conſtitutione quæ incipit Inter Curas, *Bull. Rom. Tom.* 1. *Conſt.* 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Summa precum.

NUper pro parte dilecti filii moderni Miniſtri Provincialis Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod cum nonnulli Fratres dictæ Provinciæ gradum Magiſtrorum ſupranumerariorum ipſius Provinciæ ſibi ab hac Sancta Sede concedi obtinuerint per quaſdam literas Apoſtolicas in ſimili forma Brevis deſuper expeditas, in quibus appoſita fuit clauſula: *Dummodo prævio rigoroſo examine ad id idonei reperirentur*, dictique Fratres per injuriam Miniſtri Provincialis, qui eandem Provinciam elapſo triennio gubernavit, in poſſeſſionem dicti gradus intruſi ſint, tametſi juxta præſcriptum dictarum literarum rigoroſum examen non ſubiverint ſecundum Conſtitutiones Ordinis prædicti a recolendæ me. Alexandro PP. VII. prædeceſſore pariter noſtro in forma ſpecifica confirmatas, id vero in magnum Provinciæ præfatæ præjudicium, & dedecus, & (quod deterius eſt) in aliquem contemptum, & illuſionem præfatarum literarum Apoſtolicarum cedat, cum id, quod tam juſte, & rationabiliter per eaſdem literas præcipitur, non ſit impletum. Idem modernus Miniſter Provincialis plurimum cupiebat Apoſtolica auctoritate præcipi, ut dicti Fratres indebite in gradum prædictum hactenus intruſi impleant conditionem in ſupradictis literis Apoſtolicis appoſitam de rigoroſo examine, illudque intra menſem, vel alium terminum dictæ Congregationi Cardinalium beneviſum ſubeant in forma præſcripta a dictis Conſtitutionibus, alias

Cauſa Decreti ejuſque confirmationis.

Preces Miniſtri Provincialis.

omnino a prædicto gradu Magistrorum tanquam indebite possesso exturbentur. Emanavit ad supplicationem dicti moderni Ministri Provincialis ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito P. Procuratore Generali Provinciæ Lusitaniæ, & attenta remissione libelli per SS. D. Nostrum facta, censuit suprascriptam conditionem de rigoroso examine appositam in præfato Brevi Apostolico esse omnino, & rigorose ad præscriptum Constitutionis Ordinis observandam, prout præsentis Decreti tenore stricte observari mandat, & præcipit eadem Sacra Congregatio. Romæ 9. Octobris 1676. Cardinalis Gaspar Carpineus. I. D. Archiepiscopus Joannen.*

Decretum S. Congregationis Episc. & Regul.

§. 1. Cum autem sicut modernus minister Provincialis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos specialem ipsi moderno Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum prænsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apostolica ejusd. Decreti.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno Primo.

III.

Ecclesia Cathedralis S. Salvatoris Brasilien. supplicante Petro Principe, & Gubernatore Portugalliæ & Algarbiorum, & consentiente Archiepiscopo Ulyssiponensi, salvo jurepatronatus Regio in Metropolitanam erigitur.

Dat. 16. Nov. 1676. An. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter Pastoralis Officii curas, quo per ineffabilem divinæ Majestatis providentiam universalis Ecclesiæ regimini præpositi sumus, illam peculiari affectu, & solicitudine libenter amplectimur, qua fides Orthodoxa in animis hominum, vel gignitur, vel jam genita nutritur, defenditur, & roboratur, ac Christi Oves, & Dominicus Grex, quem Cœlestis Pater, suo sanguine redemit, & in unius Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ unitatem adunavit ab incursibus debacchantium Adversariorum immunes redduntur, quorum, quo major est a capite distantia, eo vigilantior debet esse super eos nostra Apostolica solicitudo, propterea eorum Civitates, & loca, quæ post longas ignorantiæ tenebras Spiritus Sancti cooperante gratia, verum Christi lumen, & cognitionem receperunt, specialibus prærogativis, gratiis, & favoribus prosequi, eorumque Ecclesias jam fundatas dignioribus titulis exornare decrevimus, maxime id sublimium Principum exposcentibus votis, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Jus patronatus Regium Ecclesiæ S. Salvatoris Brasilien., ejusque Vacatio.

§. 1. Sane Ecclesia S. Salvatoris Brasilien., quæ de Jure patronatus pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illustrium ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur, & cui bo. me. Stephanus Episcopus Brasilien. dum viveret, præsidebat, per obitum dicti Stephani Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destituta: Nos vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta, providi, vigiliisque Pastoris more considerantes, quod ex omnibus Regionis Brasiliæ locis, quæ Portugalliæ, & Algarbiorum Reges a Barbaris, & Gentilibus, aliisque feris nationibus habitatæ post varios sudores, & impensas propterea factas ditioni subegerunt, Civitas Sancti Salvatoris in Bahia omnium Sanctorum, ob illius amplitudinem, cultiores civium mores, agri fertilitatem, aeris benignitatem, ac Populi frequentiam, & commercium prima erat, & postquam Reges ipsi vastissimas Provincias, & Oppida, Portus, & loca in illis partibus suis viribus, ac diuturnis, & frequentibus bellis, periculisque felicissime acquisiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos divini, humanique Juris eatenus expertes opera, & Ministeria variorum Religiosorum, aliorumque vitæ probatæ virorum, abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæresumque erroribus ad Fidem Catholicam, extra quam nulla est salus, & cognitionem veri luminis, qui est Christus, & Sanctum Baptismatis lavacrum, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium allici curaverant dictam Civitatem tanquam Regiam suam, & Proregum suorum Sedem, illiusque Diœcesim sumptuosis Dei Templis, Monasteriis, Xenodochiis, & sacris locis, necnon Ministris Ecclesiasticis locupletaverant, & ornaverant; & dilectus filius nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, prædictorum Regum vestigia, & exempla secutus, ad illas Regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios, doctrina, vitæque integritate insignes viros pro spirituali salute animarum præcipua quadam solicitudine, & industria assidue laborantes notabili impensa sæpius miserat, quorum concionibus, exemplis, & monitis conversos in eadem Fide instrui, & confirmari studuerat, & a Fide abhorrentes, dum expediebat, vel salutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eisque rationibus Religio Christiana, Divina favente Clementia, eis in locis, sic longe lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendosque, & in doctrina indigentes, erudiendos, & ad bonum Pastorem, qui pro eis animam suam posuit, reducendos, majoraque Ecclesiastica Seminaria plantanda, novorum Præsulum institutio omnino expediens videatur. Quodque in illis partibus, quantumvis longissime, & latissime protenderentur, nulla Metropolitana Ecclesia existit, ad quam illarum Incolæ super eorum querelis, & appellationibus, Justitiæ complementum obtenturi, recurrere possint, sed illi ad Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Ulyssiponen. in Regno Portugalliæ existentem Metropolitanum inde remotissimum confugere, vel Jura sua indefensa cogun-

Causæ erigendi de Ecclesiam in Metropolim.

tur

tur relinquere, quo fit, ut sæpe numero quam plurimi ad illicita procliviores sint, excessusque, & crimina impunita remaneant.

§. 2. Attendentes igitur, quod tam difficile sit per tam latam, tamque diffusam Diœcesim ad unum tantum pro Justitia consequenda a personis Ecclesiasticis, & secularibus recursum habere, matura super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Petro Principe, & Gubernatore supplicante, ac Venerabilis etiam Fratris nostri moderni Archiepiscopi Ulyssiponen. adhoc expresso accedente consensu, dictam Civitatem Sancti Salvatoris, Archiepiscopali, & Metropolitana prælatione, & titulo, dignam judicantes, de consilio, & assensu, & potestate similibus, ad Omnipotentis Dei laudem, & honorem, & Orthodoxæ fidei exaltationem, necnon totius militantis Ecclesiæ gloriam, Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus suffraganeam Ecclesiam Ulyssiponen. Civitatem, & Diœc. &c. prædictas, & dilectos filios eorum Clerum, & Populum a Provincia Ulyssiponen., cui etiam Metropolitico Jure subesse dignoscuntur, Apostolica auctoritate perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia, & pro tempore existen. Archiepiscopi, & dilectorum etiam filiorum Capituli, & prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione penitus eximimus, & liberamus, necnon Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ, ut præfertur, vacantem in Metropolitanam, & Sedem Episcopalem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Ecclesiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ nuncupando cum Pallii, & Crucis delatione, ac omnibus, & singulis aliis insigniis, honoribus, Juribus, Privilegiis, & prærogativis Ecclesiæ, & Sedis Metropolitanæ, ac Archiepiscopalis de jure patronatus dicto Petro Principi, & successoribus suis Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus, qui illud deinceps in perpetuum ad eandem Ecclesiam Metropolitanam, ut prius ad olim Cathedralem S. Salvatoris Brasilien. habere debeant, salvo, & illæso remanente, de simili consilio, dicta auctoritate erigimus, & instituimus, ac Archiepiscopalis, Metropolitanæ nomine, titulo, & honore decoramus.

§. 3. Necnon prædictis Ecclesiæ, & Civitati Sancti Salvatoris de Bahia Sancti Sebastiani, & de Olinda nuper Oppida, & per Nos etiam hodie in Civitates, illorumque Ecclesias in Cathedrales erecta, pro suis, & pro tempore existentis Archiepiscopi Sancti Salvatoris de Bahia suffraganeis, qui tanquam membra capiti, eidem Archiepiscopo jure Metropolitico subsint, & Provinciæ Sancti Salvatoris de Bahia Clerum, & Populum universum pro earundem Ecclesiarum S. Salvatoris de Bahia Provincialibus, quorum singulorum causæ ad dictum Archiepiscopum Sancti Salvatoris de Bahia juxta Sacrorum Canonum statuta referuntur, de simili consilio, etiam perpetuo concedimus, & assignamus, & quoad Archiepiscopalia Metropolitica Jura subjicimus.

§. 4. Decernentes ex tunc irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, subjectionis, & Decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Preces Petri Principis, & Gubernatoris Portugalliæ, ac Algarbiorum.

Erectio Ecclesiæ S. Salvatoris in Metropolitanam.

Novæ Metropoli Ecclesiæ suffraganeæ assignantur.

Oppidum de Olinda a Diœcesi Urbis S. Salvatoris de Bahia dismembratur, & suis præscriptis limitibus Civitas esse decernitur, ejusque Ecclesia Salvatori dicata Cathedralis constituitur. IV.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 22. Nov. 1677. An. 1.

¶ Exordium.

AD Sacram Beati Petri Sedem in plenitudine potestatis meritis licet imparibus assumpti mentis nostræ aciem ad ea potissimum dirigimus, per quæ grata, & accepta sinceræ fidei, & prosperæ devotionis obsequia Christo Domino Regi, & Redemptori Nostro exhibita promoventur, & præcipue cum ab iis, qui valde dissitas ab hac Alma Urbe Regiones incolunt, impenduntur, quorum pietatem in dies magis, ac magis augeri in Domino lætamur, eorumque augmenta Apostolica benignitate, & vigilantia juvare summopere optamus; quapropter cum ad hoc maxime conducat, ut Christifidelium greges aptis Pastorum Ministeriis regantur, ut quo magis eorum numerus crescit, horum etiam cura multiplicetur:

Conditio Oppidi de Olinda exponitur.

§. 1. Sane cum in Regno Brasiliæ in Provincia Pernambuci, ultra alia notabilia Loca unum Oppidum Civitas nuncupatum de Olinda Brasilien. Diœcesis a sex millibus Hispanorum inhabitatum Regum Portugalliæ dominio subjectum, & in eo una major Ecclesia Sancti Salvatoris invocatione, in qua Missæ, & alia divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur, aeris salubritate, ac Populi frequentia, & commercio, pluribusque virorum Monasteriis, Incolisque generis nobilitate, literarum, & armorum gradibus decoratis insigne reperiatur, quod a Civitate Sancti Salvatoris Bahiæ usque adeo remotum sit, & Christianorum multitudo, divino operante Spiritu Sancto, ita coaluerat, ut Episcopus Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existens ad illud, ejusque fines citra periculum transmeare, ac alios singulorum vultus, ut Episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni Pastoris in universum gregem Dominicum curæ suæ commissum exercere nequeat; & postquam Reges ipsi vastissimas Provincias, Oppida, Portus, & Loca in illis partibus summis viribus, & diuturnis, & frequentibus bellis, periculisque felicissime acquisiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos divini, humanique juris eatenus expertes opera, & ministerio variorum Religiosorum, aliorumque vitæ probatæ virorum, abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæresumque erroribus, ad Fidem Catholicam, extra quam nulla est salus, & cognitionem veri Numinis qui est Christus, & Sanctum Baptismi lavacrum, sanctæque Matris Ecclesiæ gremium allici curaverunt, dictam Civitatem tanquam Regiam suam, & Proregum suorum Sedem, illinsque Diœcesim sumptuosis Dei Templis, Monasteriis, Xenodochiis, & sacris locis, necnon Ministris Ecclesiasticis locupletaverunt, & ornaverunt; & dilectus filius Nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator prædictorum Regum vestigia, & exempla sequutus ad illas Regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios doctrina, vitæque integritate insignes viros pro spirituali salute animarum præcipua quadam solicitudine, & industria assidue laborantes notabili impensa sæpius miserat, quorum concioni-

Causæ dismembrationis.

bus,

bus, exemplis, & monitis converſos in eadem Fide inſtrui, & confirmari ſtuduerat, & a Fide abhorrentes, dum expediebat, vel ſalutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eiſque rationibus Religio Chriſtiana, Divina favente Clementia, eis in locis ſic longe lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendoſque, & doctrina indigentes erudiendos, & ad bonum Paſtorem, qui pro eis animam ſuam poſuit reducendos, majoraque Eccleſiaſtica ſeminaria plantanda novorum Præſulum inſtitutio omnino expediens redderetur.

§. 2. Præterea quod tam difficile ſit per tam latam, tamque diffuſam Diœceſim ad unum tantum pro Juſtitia conſequenda a perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus recurſum habere; Nos qui hodie ex certis tunc expreſſis cauſis, matura ſuper hoc cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Petro Principe, & Gubernatore per ejus literas Nobis ad hos humiliter ſupplicante Eccleſiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus ſuffraganeam Eccleſiæ Ulyſſiponen., dictas Civitatem, & Diœceſim, necnon dilectos filios earum Clerum, & Populum a Provincia Ulyſſiponen., cui tunc Metropolitico Jure ſuberant, ac Oppidum Sancti Sebaſtiani cum certis terminis ſpecificandis, & certis limitibus diſtinguendis ab eadem Diœceſi Sancti Salvatoris Bahiæ ita quod poſthac inibi tres Diœceſes eſſent perpetuo ſegregavimus, diviſimus, & ſeparavimus; illaque omnia a pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi, & Capituli, ac prædictæ Eccleſiæ Ulyſſiponen., necnon quoad legem diœceſanam Oppidum prædictum Sancti Sebaſtiani cum ſua Diœceſi, ac Clero, & Populo ab Archiepiſcopi, etiam pro tempore exiſtentis, ac Capituli, & præfatæ Eccleſiæ Sancti Salvatoris Bahiæ ſuperioritate, Juriſdictione, poteſtate, ſubjectione, viſitatione, & correctione moderni Venerabilis etiam Fratris noſtri Archiepiſcopi Ulyſſiponen. adhoc accedente conſenſu prorſus eximimus. & liberavimus; necnon Eccleſiam S. Salvatoris Bahiæ certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam in Metropolitanam, ac Sedem Epiſcopalem, in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſque, & Metropolitanæ Eccleſiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiſcopo S. Salvatoris Bahiæ nuncupando; necnon Oppidum S. Sebaſtiani præfatum, in Civitatem, ac Parochialem Eccleſiam ſub invocatione ejuſdem Sancti Sebaſtiani præfati Oppidi ejuſdem Sancti Sebaſtiani in Cathedralem pro uno Epiſcopo Sancti Sebaſtiani nuncupando, qui Archiepiſcopo Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore exiſtenti Metropolitico Jure ſubeſſent ereximus, & inſtituimus; necnon Sancti Sebaſtiani ſub invocatione ejuſdem Sancti Sebaſtiani Eccleſiæ ſic in Cathedralem Eccleſiam erectæ Oppidum Sancti Sebaſtiani præfatum ſic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Caſtra, Villas, Territoria, & Diſtrictus dictæ Provinciæ Divi Januarii a Capitania Spiritus Sancti incluſive uſque ad flumen de Plata per oram maritimam, & Terram intus pro ſua Diœceſi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, & Populum pro ſuis Clero, & Populo conceſſimus, & aſſignavimus, prout in diverſis etiam confectis literis plenius continetur.

Preces Pontifici oblatæ.

§. 3. Dictum Oppidum de Olinda Epiſcopali & Civitatis denominatione, & titulo dignum judicantes, de eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac præfato Petro Principe, & Gubernatore humiliter ſupplicante Oppidum de Olinda præfatum cum certis terminis inferius ſpecificandis, & certis limitibus diſtinguendis ab eadem Diœceſi Sancti Salvatoris Bahiæ, ita quod poſthac tres inibi Diœceſes exiſtant, auctoritate Apoſtolica perpetuo ſegregamus, dividimus, & ſeparamus, illaque omnia a pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi, & Capituli, ac præfatæ Eccleſiæ Ulyſſiponen., necnon quoad legem Diœceſanam de Olinda Oppidum præfatum cum infraſcripta ſua Diœceſi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiſcopi etiam pro tempore exiſtentis, & Capituli ac prædictæ Eccleſiæ Sancti Salvatoris Bahiæ ſuperioritate, Juriſdictione, poteſtate, ſubjectione, viſitatione, & correctione attento conſenſu dicti moderni Archiepiſcopi Ulyſſiponen. prorſus eximimus, & liberamus.

Oppidum de Olinda Diœceſi S. Salvatoris diſmembratur.

Eximitur a Juriſdictione Archiepiſcopi.

§. 4. Necnon Oppidum præfatum de Olinda in Civitatem, & dictam Eccleſiam ſub invocatione Sancti Salvatoris prædicti Oppidi in Cathedralem pro uno Epiſcopo de Olinda nuncupando, qui illi præſideat, & illius ſtructuras, & ædificia ampliari, & ad formam Cathedralium Eccleſiarum redigi faciat, & dictis Eccleſiis Sancti Salvatoris, & Civitati de Olinda, ejuſque Diœceſi tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura quot in eis pro Divino cultu, & dictæ Eccleſiæ de Olinda ſervitio, & Eccleſiaſtici Cleri donec ipſi Epiſcopo de Olinda videbuntur convenire de præfati Petri Principis, & pro tempore exiſtentium Regum præfatorum conſilio, & aſſenſu, prævia cujuſlibet congrua dotatione, ab ipſo Petro Principe, & Regibus Portugalliæ facienda quamprimum fieri poterit erigat, & inſtituat; necnon Epiſcopalem Juriſdictionem, & poteſtatem exercere, omniaque, & ſingula, quæ ordinis, quæque Juriſdictionis, aut cujuſlibet alterius muneris Epiſcopalis ſunt, & quæ alii in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis, & dominiis conſtituti Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, Civitatibus, & Diœceſibus facere poſſunt, & debent, facere libere, & licite poſſit, & debeat, ac in eadem de Olinda ſic erecta Eccleſia Epiſcopalem dignitatem cum ſede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Eccleſiæ hujuſmodi de jure, vel conſuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum; necnon Epiſcopali, & Capitulari Menſis, aliiſque Cathedralibus inſigniis ad Omnipotentis Dei laudem & glorioſiſſimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiuſque triumphantis Eccleſiæ gloriam, ac fidei Catholicæ exaltationem, conſilio, & auctoritate ſimilibus, perpetuo erigimus, & inſtituimus, & Sancti Salvatoris de Olinda Eccleſiam Cathedralis, & de Olinda Oppidum hujuſmodi Civitatis illiuſque incolas Civium nomine, titulo, & honore decoramus.

Conſtituitur Civitas ejuſque Eccleſia fit Cathedralis.

§. 5. Necnon eidem Eccleſiæ S. Salvatoris de Olinda Oppidum de Olinda præfatum ſic in Civitatem de Olinda erectum pro Civitate, & alia Oppida, Caſtra, Villas, Territoria, & Diſtrictus dictæ Provinciæ de Pernambuco ab Arce Seara incluſive per oram maritimam, & Terram intus uſque ad flumen Sancti Franciſci, quod inſerviet pro termino inter Diœceſim de Olinda, & Diœceſim S. Salvatoris de Bahia pro ſua Diœceſi, & illius Clerum, Incolas, & habitatores, & Populum pro ſuis Clero, & Populo concedimus, & aſſignamus, non obſtante alia ſeparatione, ſeu diſmembratione ejuſdem Provinciæ de Pernambuco olim facta cum erecta fuerit in Adminiſtrationem ſpiritualem a ſan. mem. Paulo V. prædeceſſore noſtro per literas datas 5. Julii milleſimo ſexcenteſimo quartodecimo.

Diœceſis termini deſignantur.

§. 6. Necnon Eccleſiæ præfatæ S. Salvatoris de Olinda ejuſque Menſæ Epiſcopali præfatæ pro ejus dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipſum Petrum Principem aſſignatos; quam quidem ſummam idem Petrus Princeps de ſuis propriis, ac pro tempore exiſtentium Regum Portugalliæ redditibus, & ſpecialiter de illis, qui

Redditus ſeu dos Epiſcopatus.

ex ipsa Regione Brasilien. percipiuntur gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & solvere quotannis promisit, seu promittit similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Jusp atron., & præsentandi intra annum ad Episcopatum Regibus Portugalliæ conceditur.

§. 7. Et insuper Petro Principi, & Gubernatori, ac pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus præfatis Juspatronatus, & præsentandi personas idoneas infra annum ad dict. Ecclesiam de Olinda videlicet nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici tam pro hac prima vice, quam quoties illam deinceps quovis modo etiamsi apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem de Olinda Ecclesiæ Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum. Ad majorem vero post Pontificalem, & principales, & alias dignitates, Canonicatus, & præbendas, necnon Beneficia erigenda, & per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi ex bonis eorum mere laicalibus congrue dotanda tam ab eorum primæva erectione, post quam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis etiam ex quarumcumque personis, etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit pro tempore existenti Episcopo de Olinda præfato similiter per eum ad præsentationem præfati Petri Principis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum facta infra terminum a jure præfixum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis instituendis eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, ac concedimus.

Etiamsi vacet apud S. Sedem.

Item ad alias Dignitates, & beneficia.

Etiamsi vacent apud S. Sedem.

§. 8. Decernentes Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi præfato Petro Principi, & Gubernatori, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus præfatis ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, neque derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis & Gubernatoris, & pro tempore existentium Regum præfatorum ad id expressus accedat assensus, & si quovis modo derogetur derogationes hujusmodi cum inde sequutis nullius roboris, efficaciæ, vel momenti fore.

Declaratur Iuspatr. competere ex dotatione, & fundatione, nec ei esse derogandum.

Clausulæ.

§. 9. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, & ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque præfatæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & quibusvis aliis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, præsertim, quod Ecclesia Sancti Salvatoris Brasilien. præfata vacet, & Pastore suo destituta reperiatur, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, & ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, & Nostra, ac Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ulyssiponen., & Sancti Salvatoris de Bahia Ecclesiarum præfatarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Erigitur Oppidum S. Sebastiani in Regno Brasiliæ in Civitatem, ejusque Ecclesia Parochialis in Cathedralem. V.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Dat. 22. Nov. 1676. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis Pastoralis solicitudo in supremo Apostolicæ potestatis solio ex Omnipotentis Dei providentia constituta ad ea potissimum dirigitur, per quæ Salvatoris nostri Jesu Christi æternitatis Unigeniti fides, & gloria in dies magis augetur, & multiplicatur, qui ubi messem multam esse conspexit, operariorum penuriam attendens, Ministrorum suorum curas, variis in diei horis ad opera mittere non destitit, cum & ipse, ut homines salutaris vitæ, cœlestis patriæ cultores efficeret, de summis Cœlorum ad hujus Mundi infima, & in Sacrosanctæ Crucis Ara pro nostra salute in pretium immolari dignatus sit, cujus cum licet vices geramus in Terris inter multiplices curas, quæ ex Apostolico munere nobis incumbere dignoscimus, illa præsertim cordi nostro est ut multiplicata messe agri, & dominici cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus, & fructuosis Ministeriis fructus spiritualis ad Centesimum usque augeatur, & Populus Christianus eisdem Rectoribus gubernetur, quos Pastor æternus sui operis Vicarios esse disposuit, propterea piissimi Patris familias partes favorabiliter implere exoptamus.

Causæ hujus erectionis.

§. 1. Sane cum in Regno Brasiliæ, in ea parte, quæ Rivus Januarii appellatur, inter cætera unum Oppidum Civitas nuncupatum Sancti Sebastiani Brasilien. Diœcesis quater mille circiter focularibus constans Regum Portugalliæ Dominio subjectum, & in eo una Parochialis Ecclesia sub ejusdem Sancti Sebastiani invocatione, in qua Missa, & alia divina Officia, & Ecclesiastica sacramenta administrantur, aeris salubritate, ac Populi frequentia, & commercio pluribus virorum Monasteriis, Incolisque generis nobilitate, literarumque, & armorum gradibus decoratis insigne reperiatur, quod a Civitate S. Salvatoris Bahiæ usque adeo remotum sit, ut Christianorum multitudo, divino cooperante Spiritu Sancto, ita coaluerit, ut Episcopus Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existens ad illud, ejusque fines citra periculum transmeare, ac aliorum singulorum vultus, ut Episcopum decet inspicere, aliasque partes boni Pastoris in Universum gregem Dominicum curæ suæ commissum exercere nequeat, postquam Reges ipsi vastissimas Provincias, Oppida, Portus, & loca in illis partibus summis viribus, ac diuturnis, & frequentibus bellis, periculisque felicissime acquisiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos Divini, humanique Juris eatenus expertes opera, & Ministerio variorum Religiosorum, & aliorum vitæ probatæ virorum, & abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & gentilitatis, hæresumque erroribus ac fidem Catholicam, extra quam nulla est salus, & cognitio veri luminis, qui est Christus, & Sanctum Baptismatis lavacrum, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium allici curaverant, dictam Civitatem tanquam Regiam suam Proregum suorum Sedem illiusque Diœces. sumptuosis Dei Templis, Monasteriis, Xenodochiis,

& sacris locis, necnon Ministris Ecclesiæ locupletaverant, & ornaverant; & dilectus filius Nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, prædictorum Regum vestigia, & exempla sequutus, ad illas regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios doctrina, vitæque integritate insignes viros pro spirituali salute animarum præcipua quadam sollicitudine, & industria assidue laborantes, notabili impensa sæpius misérat, quorum concionibus, exemplis, & monitis, conversos in eadem fide instrui, & confirmari studuerat, & a fide abhorrentes dum expediebat, vel salutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eisque rationibus Religio Christiana, Divina favente clementia, eis in locis sic longe, lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendosque, & doctrina indigentes erudiendos, & ad bonum Pastorem qui pro eis animam suam posuit reducendos, majoraque Ecclesiastica Seminaria plantanda novorum Præsulum institutio omnino expediat.

Narratur Ecclesiam S. Salvatoris de Bahia erectam fuisse in Metropolitanam.

§. 2. Præterea difficile redderetur per tam latam, tamque diffusam Diœcesim ad unum tantum pro Justitia consequenda a Personis Ecclesiasticis, & secularibus recursum habere: Nos qui hodie ex certis tunc expressis causis matura super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Principe, & Gubernatore per ejus literas nobis ad hoc humiliter supplicante Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus suffraganeam Ecclesiæ Ulyssiponen., & dictas Civitatem, & Diœcesim, necnon dilectos filios earum Clerum, & Populum a Provincia Ulyssiponen., qui tunc Metropolitico Jure fuberant, ac Oppidum de Olinda, cum certis terminis inferius specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ, ita quod posthac inibi tres Diœceses essent, perpetuo segregavimus, divisimus, & separavimus, illaque omnia, & pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen., necnon quoad legem Diœcesanam Oppidum prædictum de Olinda cum sua Diœcesi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiscopi, etiam pro tempore existentis, Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione moderni Venerabilis etiam Fratris nostri Archiepiscopi Ulyssiponen. adhoc accedente consensu, prorsus eximus, & liberavimus; necnon Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ, certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam, in Metropolitanam, & Sedem Episcopalem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Ecclesiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ nuncupando; necnon Oppidum de Olinda prædictum in Civitatem, & Ecclesiam sub invocatione Sancti Salvatoris ejusdem Oppidi de Olinda in Cathedralem pro uno Episcopo de Olinda nuncupando, qui Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existenti Metropolitico Jure subsit, ereximus, & instituimus, necnon Sancti Salvatoris de Olinda Ecclesia sic in Cathedralem Ecclesiam erecta, Oppidum de Olinda prædictum sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus dictæ Provinciæ de Pernambuco ab Arce Seara inclusive per oram maritimam, & terram intus usque ad Flumen Sancti Francisci, quod inserviet pro termino inter Diœcesim de Olinda, & Diœcesim Sancti Salvatoris de Bahia pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, & Populum pro suis Clero, & Populo concessimus, & assignavimus, prout etiam in diversis, etiam confectis literis plenius continetur.

Ecclesiam Oppidi de Olinda in Cathedralem.

Diœcesis termini præscribuntur.

§. 3. Dictum Oppidum Sancti Sebastiani Episcopali, & Civitatis donatione, & titulo dignum judicantes de eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, & assensu similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac prædicto Petro Principe, & Gubernatore humiliter supplicante Oppidum Sancti Sebastiani prædictum cum certis terminis inferius specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ, ita quod posthac tres inibi Diœceses existant, auctoritate Apostolica perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia a pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen., necnon quoad legem Diœcesanam Sancti Sebastiani Oppidum prædictum cum infrascripta sua Diœcesi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiscopi, & pro tempore existentis, ac Capituli, ac pariter Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, & correctione, attento consensu dicti moderni Archiepiscopi Ulyssiponen. prorsus eximus, & liberamus; necnon Oppidum prædictum Sancti Sebastiani in Civitatem, & Parochialem Ecclesiam Sancti Salvatoris ejusdem Sancti Sebastiani prædicti Oppidi in Cathedralem pro uno Episcopo Sancti Sebastiani nuncupando, qui illi præsideat, & illius structuras, & ædificia ampliari, & ad formam Cathedralium Ecclesiarum redigi faciat, & in dicta Ecclesia Sancti Sebastiani, & Civitate, ejusque Diœcesi tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura quot in eis pro divino cultu, & dictæ Ecclesiæ Sancti Sebastiani servitio, & Ecclesiastici Cleri decore, ipsi Episcopo Sancti Sebastiani videbuntur convenire de prædicti Petri Principis, & pro tempore existen. Regum prædictorum consilio, & assensu, & prævia cujuslibet congrua dotatione ab ipsis Petro Principe, & Regibus Portugalliæ facienda quam primum fieri poterit erigat, & instituat; necnon Episcopalem Jurisdictionem, & potestatem exercere omnia, & singula, quæ ordinis quæque Jurisdictionis, aut cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ aliis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & dominiis constituti Episcopi in suis Ecclesiis Civitas, & Diœcesis facere possunt, & debent, facere libere, & licite possit, & debeat, ac in eadem S. Sebastiani sic erecta Ecclesia Episcopalem dignitatem cum Sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ hujusmodi de Jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum; necnon Episcopali, & Capitulari Mensis, aliisque Cathedralibus insigniis ad Omnipotentis Dei laudem, & Gloriosissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiusque Triumphantis Ecclesiæ gloriam, & Fidei Catholicæ exaltationem consilio, & auctoritate similibus perpetuo erigimus, & instituimus, & Sancti Sebastiani Ecclesiæ Cathedralis, & Sancti Sebastiani Oppidum hujusmodi Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine Titulo, & honore decoramus.

Preces Petri Principis, & Gubernatoris Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum.

Erectio d. Oppidi in Civitatem, ejusque Ecclesiæ Parochialis in Cathedralem.

Diœcesis termini assignantur.

§. 4. Necnon eidem Sancti Sebastiani Ecclesiæ Oppidum Sancti Sebastiani prædictum, sic in Civitatem Sancti Sebastiani erectum pro Civitate, aliaque Oppida, Castra, Villas, Territoria, ac districtus dictæ Provinciæ Divi Januarii a Capitania Spiritus Sancti inclusive, usque ad Flumen de Plata per oram maritimam, & Terram intus pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, Populum pro suis Clero, & Populo concedimus, & assignamus. Non obstante alia separatione, seu dismembratione ejusdem Provinciæ Divi Januarii olim facta, cum erecta fuerit in administrationem spiritualem a sa. me Gregorio XIII. prædecessore nostro per literas

datas 19. Julii 1576., necnon Ecclesiæ prædicti Sancti Sebastiani, ejusque mensæ Episcopali prædictæ pro ejus dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipsum Petrum Principem assignatos, quam quidem summam idem Petrus Princeps de suis propriis, ac pro tempore existentium Regum Portugalliæ redditibus, & specialiter de illis, qui ex ipsa Religione Brasiliæ percipiuntur, gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quot annis promisit, seu promittit, similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Dos mensæ Episcopalis.

§. 5. Et insuper Petro Principi, & Gubernatori, ac pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis Juspatronatus, & præsentandi infra annum personas idoneas ad dictam Ecclesiam Sancti Sebastiani videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici tam pro hac prima vice, quam quoties illam deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi, in ejusdem Sancti Sebastiani Ecclesiæ Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum: Ad majorem vero post Pontificalem, & principales, aliasque Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon Beneficia erigenda etiam per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi, ex bonis eorum mere laicalibus congrue dotanda, tam ab eorum primæva erectione postquam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis etiam ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit pro tempore existenti Episcopo Sancti Sebastiani prædicto, similiter per eum ad præsentationem prædicti Petri Principis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum facta infra terminum a Jure præfixum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & præbendis, ac Beneficiis instituendis, eadem auctoritate perpetuo reservamus, & concedimus.

Juspatron. & præsentandi ad d. Ecclesiã Regibus Portugalliæ conceditur.

§. 6. Decernentes Jus Patronatus, & præsentandi hujusmodi Petro Principi, & Gubernatori, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem, etiam Consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, neque derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis, & Gubernatoris, & pro tempore existentium Regum prædictorum ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde sequutis, nullius roboris, vel momenti fore: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem Sanctæ R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos sedisque prædictæ Nuncios, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & quibusvis aliis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Declaratur Juspatr. competere ex Dotatione, & fundatione, nec ei derogandum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, præsertim quod Ecclesiæ Sancti Salvatoris Brasilien. prædicta vacaret, & Pastore suo destituta reperiretur, Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, & ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de non tollendo Jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ulyssiponen., & S. Salvatoris de Bahia Ecclesiarum prædictarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, assignationis, applicationis, approbationis, reservationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Decimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Confirmatur Decretum Congregationis Concilii, quo decernitur ad Abbatem Commendatarium pertinere approbare Monachos pro audiendis confessionibus sæcularium in Ecclesiis Monasteriorum S. Scholasticæ, & S. Specus Sublacen. Ordinis S. Benedicti nullius Diœcesis Provinciæ Romanæ. VI.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

EManavit nuper à Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad favorem dilecti filii nostri Caroli Barberini ejusdem S. R. E. Diaconi Cardinalis Caroli nuncupati, perpetui Commendatarii Monasteriorum S. Scholasticæ, & sacri Specus Sublacen. insimul perpetuo unitorum Ordinis S. Benedicti nullius Diœcesis Provinciæ Romanæ, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *Sublacen. Jurisdictionis.*

Exemplum supplicis libelli Eminentissimi Commendatarii.

§. 1. Eminentissimus D. Cardinalis Carolus Barberinus modernus Abbas Commendatarius Sublacen. exponit, qualiter Monachi Ordinis Cassinensis degentes in SS. Monasteriis S. Scholasticæ, & S. Specus insimul unitis Abbatiæ Sublacen. pro audiendis Confessionibus sæcularium in Ecclesiis dictorum Monasteriorum consueverunt hucusque approbationem oretenus recipere à Vicario Generali Abbatis Commendatarii pro tempore existentis; quoties enim novus superior Claustralis regimini eorumdem Monachorum præficiebatur, cum primum ipsum Vicarium Generalem inviseret, consuevit semper quosdam ex Monachis, quos ad id munus magis idoneos judicaret, eidem proponere, ut necessariam approbationem pro excipiendis sæcularium Confessionibus, si ita ei videbatur, ab ipso reciperent, prout de facto oretenus, ipsius Vicarii arbitrio recipiebant, duraturam nimirum pro toto tempore regiminis illius superioris, qui illam postulaverat, unde novus superior, novam subinde approbationem pro confessariis petebat.

§. 2. Morem hunc approbandi oretenus Confessarios Eminentissimus Cardinalis Carolus modernus Commendatarius haud satis probavit; ideoque cum illum servari inveniisset per ipsius Vicarium, cum cæteris, etiam fere omnibus Confessariis, sive sæcularibus, sive Regularibus suæ Abbatiæ, cupiens pro sua pietate, ac zelo præsertim post editas Constitutiones Synodales consultius procedere, Vicario injunxit, ut in posterum ad earumdem Constitutionum præscriptum, omnibus Confessariis, sive Sæcularibus, sive Regularibus facultatem audiendi Confessiones, non alias quam in scriptis concederet singulis semestribus renovandam. Decretum hoc Eminentiæ suæ paulo post, ut par erat ad praxim deductum fuit ab ejus Vicario respectu Confessariorum Sæcularium, & etiam aliorum Regularium.

§. 3. Verum

§. 3. Verum cum illud quoque quoad Monachos exequi contenderet occasione novæ approbationis, quæ illis juxta prænarratum morem pro excipiendis Sæcularium Confessionibus concedenda erat in mutatione Superioris Claustralis, qui nuper illorum regimini præfectus fuit, iste promptum se quidem exhibuit ad recipiendam approbationem oretenus, sed recusavit illam recipere in scriptis. At cum vidisset eam oretenus nequaquam posse obtinere cœpit ulterius asserere Monachos Sublacen. nullatenus teneri ad dictam approbationem, sive in scriptis, sive etiam oretenus recipiendam, tam ratione cujusdam antiqui Privilegii Martini V. eisdem Monachis concessi pro audiendis quorumcumque Fidelium Confessionibus, quam ratione reliquorum Privilegiorum, & exemptionum, imo etiam prætensi eorum Territorii separati per quod non modo credunt se immunes omnino à Jurisdictione Abbatis Commendatarii, verum etiam opinantur se posse cum Bonis mensæ Conventualis constituere propriam quamdam Diœcesim ab illa ejusdem Abbatis penitus divisam. Perstitit idem novus Superior Claustralis pro quadam urbanitate erga Eminentissimum Abbatem his non obstantibus se recepturum pro Monachis oretenus licentiam audiendi Confessiones, prout reliqui ejus Antecessores consueverant.

§. 4. Verum idem Eminentissimus Abbas nolens ullam Jurisdictionem sibi attribui ex urbanitate Monachorum, sed illam dumtaxat, quæ sibi de Jure competit, cupiens modis consultioribus exercere, monita parte Monachorum ad informandum, petiit per Sac. Congregationem declarari: Primo an Monachi SS. Monasteriorum S. Scholasticæ, & S. Specus Abbatiæ Sublacen. teneantur recipere approbationem pro audiendis Sæcularium Confessionibus in Ecclesiis dd. Monasteriorum ab Eminentissimo Abbate Commendatario, non modo oretenus, prout hucusque consueverunt, verum etiam in scriptis. Præterea cum iidem Monachi consueverint de præterito in propriis sedibus Confessionalibus retinere publice affixas notulas casuum reservatorum eidem Eminentissimo Abbati, ac modo illas non amplius retineant, quatenus ad primum Dubium affirmative respondeatur, consecutive declarari postulat: Secundo, an iidem Monachi teneantur in propriis sedibus Confessionalibus publice affixas retinere notulas casuum reservatorum eidem Eminentissimo Abbati, & quatenus teneantur quibus remediis ad id compelli possint.

Dubia in d. S. Congregatione proposita.

Die 10. Octobris 1676. Sac. &c. ad utrumque Dubium respondit affirmative, & ab Eminentissimo Commendatario procedendum esse Juris remediis contra inobedientes.

Decretum S. Congregationis.

In quorum &c. Dat. Romæ hac die 5. Novembris 1676.

S. Archiepiscopus Brancaccius Episcopus Viterbien. S. C. C. Sec.

§. 5. Cum autem sicut d. Carolus Cardinalis, & Commendatarius Nobis subinde exposuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Carolum Cardinalem, & Commendatarium specialis gratiæ favore prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apost. præd. Decreti.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Monasteriorum, & Ordinis præfatorum; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno Primo.

Confirmatio quorumdam Statutorum pro Ordine S. Pauli Primi Eremitæ in Regno Portugalliæ &c. VII.

De hoc Ordine mentionem faciunt Paul. Morig. de histor. Religion. cap. 49., & Sylvest. Marul. in Ocean. Religion. ejusque Privilegia habes in Constit. In supremo *Alex. VII., quoad Monasteria pro studiis Generalibus, & gradibus constit.* Ex injuncto nobis 60. *Clem. X.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Pontifici oblatæ.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Fratres Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ, quod vigore facultatis, quam Constitutiones dicti Ordinis Diffinitorio in Capitulo Generali ipsius Ordinis congregato tribuunt, adjungendi ad Constitutiones hujusmodi ea, quæ pro bono ejusdem Ordinis regimine magis expedire videbuntur, Diffinitorium in Capitulo Generali dicti Ordinis proxime præterito congregatum, statuit, seu decrevit:

Statuta, seu Decreta Diffinitorii dicti Ord. in Capitulo Generali.

§. 1. Primo, ut is Frater, qui per triennium Visitatoris officio functus fuerit, triennio subsequenti in Visitatorem eligi nequeat. Secundo ut Prior, sive Superior Generalis primo anno sui triennii visitet super Processu Visitatoris, qui antecedenti triennio officium suum absolverit, idque faciat per actus separatos, quos deferat ad primam mensam definitionis, ad hoc, ut ibidem judicentur. Tertio, ut in futurum Vicarii Domus Regularis de Valdinfante nuncupatæ in omnibus Capitulis Generalibus Ordinis prædicti vocem habeant, & in omnibus Conventibus, in quibus reperientur, sedere debeant in Refectorio ad mensam, quæ Transversa vocatur.

§. 2. Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat, Statuta, seu Decreta hujusmodi bono dicti Ordinis regimini conducibilia sint, & propterea dicti Exponentes illa, quo in futurum tamquam Constitutiones ejusdem Ordinis inviolabiliter observentur, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent:

§. 3. Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad præmiſſorum effectum dumtaxat conſequendum harum herie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis expoſitis, Statuta, ſeu Decreta ſupra expreſſa a Diffinitorio, facta, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus: Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Pontifex cõfirmat dd. Statuta, & Decreta.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis præfati, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 27. Novembris 1676. Pontificatus noſtri Anno primo.

VIII.

Committitur Nuncio Portugalliæ moderatio inhibitionis factæ Inquiſitoribus dicti Regni Portugalliæ in Cauſa Recurſus novorum Chriſtianorum.

Hanc inhibitionem habes ſupra inter Conſtit. Clementis X. incipien. Cum dilecti nobis.

Ven. Fratri Marcello Archiepiſcopo Chalcedonen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ven. Frater ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.

Dat. 28. Nov. 1676. An. 1.

ALias cum dilecti filii Chriſtiani novi nuncupati, ſive ab Hebræis deſcendentes in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis degentes, qui in carceribus Tribunalium Inquiſitionis adverſus hæreticam, & apoſtaticam a Fide catholica, & Religione Chriſtiana pravitatem in Ulyſſiponen., Eboren., & Conimbricen. Civitatibus auctoritate Apoſtolica inſtitutorum propter imputata eis crimina ad Officium Inquiſitionis hujuſmodi ſpectantia, de quibus accuſati, ſeu inquiſiti reſpective exiſtebant, detinebantur, ad fel. rec. Clementem Papam X. Prædeceſſorem noſtrum, & hanc Sanctam Sedem recurriſſent, conquerentes, bo. me. Petrum Archiepiſcopum Siden., qui tunc adhuc in humanis eſſe credebatur, Generalem, & reliquos Inquiſitores adverſus hæreticam pravitatem in dictis Regnis auctoritate præfata deputatos, ſeu eorum aliquos ad novum actum (ut vocant) Fidei contra ipſos, ſive ad eorum condemnationem, eorumque ad publice abjurandum coactionem, & in hujus defectum ad diverſarum pœnarum inflictionem, atque executionem nimia præcipitatione, quæ Juſtitiæ noverca eſſe ſolet, nec ſervatis iis, quæ per Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum æquitatem præſcripta ſunt, devenire velle, non ſine Juſtitiæ ſubverſione, ac ipſorum, totiuſque eorum Nationis ruina, & deſtructione:

Cauſa conceſſionis prædictæ Inhibitionis.

§. 1. Idem Clemens prædeceſſor qui in ſupremo Juſtitiæ throno a Domino conſtitutus, Juſtitiam omnibus æqua lance adminiſtrare tenebatur, eorumdem Chriſtianorum recurſum hujuſmodi admittens, ac cauſam, & cauſas quaſcumque contra eos, & eorum quemlibet ſuper criminibus, & delictis ad officium inquiſitionis hujuſmodi quomodolibet ſpectantibus in præfatis, aliiſve Tribunalibus quibuſcumque adverſus hæreticam, & apoſtaticam pravitatem prædictam in ſupradictis Regnis dicta auctoritate inſtitutis, ſeu eorum aliquo earenus quovis modo motas, & pendentes, in ſtatu, & terminis, in quibus tunc quomodolibet reperiebantur, ad ſe, & ad Sedem præfatam avocans, ipſaſque cauſas cum omnibus, & ſingulis illarum accidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali per Congregationem Ven. Fratrum noſtrorum tunc ſuorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana generalium Inquiſitorum adverſus hæreticam, & apoſtaticam pravitatem hujuſmodi a Sede præfata deputatorum, cui eaſdem cauſas commiſerat, & demandaverat, audiri, cognoſci, decidi, fineque debito, prout Juris foret, terminari debere omnino volens, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memorato Petro Archiepiſcopo Inquiſitori Generali, ac reliquis Inquiſitoribus præfatis diſtricte inhibuit, ne cauſa, & cauſis hujuſmodi in præfata Cardinalium Congregatione pendentibus, aut alias quomodolibet donec, & quouſque ſpecialis expreſſa deſuper ab ipſo Clemente prædeceſſore, & eadem Sede licentia eis conceſſa fuiſſet, ad ullum ſimilem actum (ut vocant) Fidei, ullamve publicationem, promulgationem, aut executionem novarum ſententiarum quarumcumque contra præfatos Chriſtianos novos, ut præfertur inquiſitos, ſeu accuſatos, vel denunciatos, & in Carceribus prædictis detentos, aut illorum aliquem devenire ullo modo auderent, neque ipſi, aut eorum aliquis, ſeu ipſorum, & cujuſlibet eorum reſpective Conſiliarii, Commiſſarii, Procuratores Fiſcales, Aſſeſſores, Notarii, Actuarii, cæterique Officiales, & Miniſtri contra ipſos, aut eorum quemlibet, illorumve, & cujuſlibet eorum reſpective Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, ſeu negotiorum Geſtores, aut alias quomodolibet pro eis intervenientes quovis modo directe, vel indirecte, ſeu alias quomodolibet quicquam novi attentare, vel innovare præſumerent.

Inhibitio facta à Clemente X.

§. 2. Ipſe enim Clemens prædeceſſor eiſdem Generali, & reliquis Inquiſitoribus, eorumque, & cujuſlibet eorum reſpective Conſiliariis, Commiſſariis, Procuratoribus Fiſcalibus, Aſſeſſoribus, Notariis, Actuariis, cæteriſque Officialibus, & Miniſtris prædictis in virtute Sanctæ obedientiæ diſtricte præcepit, & mandavit, ut quibuſcumque mandatis, ordinationibus, & Decretis dictæ Congregationis Cardinalium in Cauſa, ſeu Cauſis hujuſmodi earenus forſan emanatis, &

Contenta in eadem Inhibitione.

inposterum usque ad finem, & terminum earumdem Causarum quomodolibet emanaturis, omni mora, dilatione, tergiversatione, oppositione, & contradictione postpositis, & remotis, prompte, sicut devotos dictæ Sedis filios decet, parerent, nec illa, eorumve executionem quomodolibet impedire, aut illis in Judicio, vel extra illud se opponere, aut contradicere ullo modo auderent, seu præsumerent; Alioquin dictus Petrus Archiepiscopus Inquisitor Generalis suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis muneris Inquisitoris Generalis, reliqui vero Inquisitores præfati, eorumque respective Consiliarii, Procuratores Fiscales, Commissarii, Assessores, Notarii, cæterique Officiales, & Ministri excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis officiorum quomodocumque ad Tribunal Sancti Officii spectantium pœnas ipso facto, & absque ulla declaratione se respective novissent incursuros, a quibus absolutionem idem Clemens prædecessor sibi, & dictæ Sedi Apostolicæ specialiter reservavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Octobris 1674. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Archiepiscopus Bracharen. Generalis Inquisitor a Pontifice constituitur.

§. 3. Cum autem Nos hodie, seu nuper Ven. Fratrem Verissimum Archiepiscopum Bracharen. hæreticæ, & apostaticæ pravitatis hujusmodi Inquisitorem Generalem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis supradictis cum solitis facultatibus in locum præfati Petri Archiepiscopi defuncti per alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum tenorem præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, dicta auctoritate constituerimus, & deputaverimus; Causa vero, seu Causæ præfatæ in supradicta Cardinalium Congregatione adhuc pendeant: Hinc est, quod Nos Decretis quibusdam provisionalibus ab eadem Cardinalium Congregatione in Causa Recursus hujusmodi antehac emanatis, & a præfato Clemente prædecessore approbatis, a quibus recedere nullo modo intendimus, inhærentes, ipsaque Decreta renovantes, & donec ea, quæ super dubiis propositis decernenda nobis visa fuerint, statuimus, omnino observari præcipientes:

Pendente d. Recursu Decreta provisionalia Congregat. Cardinalium General. Inquisit. servari præcipitur.

§. 4. De præfatorum Cardinalium Consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut inhibitionem a memorato Clemente prædecessore per suas literas præfatas sicut præmittitur factam in omnibus ejus partibus auctoritate nostra Apostolica ita modereris, & reformes, ut Verissimo Archiepiscopo generali a Nobis deputato, & reliquis Inquisitoribus prædictis contra supradictos Christianos novos nuncupatos in dictis Carceribus, ut præfertur detentos, servato juris ordine, ac juxta æquitatis, & Justitiæ regulas liceat procedere ad pœnas & animadversiones debitas, præterquam ultimi supplicii, triremium perpetuarum, & confiscationis bonorum, a quibus eos, & eorum quemlibet donec, & quousque a Nobis, & Sede præfata aliter dispositum fuerit, omnino abstinere volumus.

Committitur Nuncio moderatio inhibitionis.

§. 5. Ac proinde eisdem Verissimo Archiepiscopo Generali, & reliquis Inquisitoribus, illorumque, & cujuslibet eorum respective Commissariis, Consiliariis, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris dicta auctoritate districte, & sub pœnis, quæ in præfatis Clementis prædecessoris literis expressæ sunt denuo inhibeas, ne contra eosdem Christianos novos in Carceribus hujusmodi detentos, aut eorum aliquem interea ad ultimi supplicii, vel triremium perpetuarum aut confiscationis bonorum hujusmodi pœnas procedere audeant quovis modo, seu præsumant.

§. 6. Præterea tibi facultatem harum serie tribuimus eadem auctoritate permittendi Verissimo Archiepiscopo Generali, reliquisque Inquisitoribus prædictis, ut prout Justitia exegerit, & ordo poposcerit rationis procedere possint, etiam contra præfatorum Christianorum novorum in dictis Carceribus detentorum Procuratores, Advocatos, Agentes, seu negotiorum Gestores, & alias quomodolibet pro eis intervenientes, dummodo tamen non possit subesse suspicio, hoc fieri in odium recursus supradicti ad hanc Sanctam Sedem habiti, & ab eadem Sede admissi, ad quem effectum dicti Inquisitores acta talium Processorum tibi ad beneplacitum tuum communicare teneantur.

Derogatio.

§. 7. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, aut adversari dici possent, præfatis Clementis prædecessoris & nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno primo.

IX.

Confirmatio Decreti circa processionalem delationem Cadaverum ad Ecclesias Regularium.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 2. Dec. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus loci de Binasco Papien. Diœcesis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi alias a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum obtinuerint Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *Papien. Funerum.* Regulares Minores strictioris Observantiæ S. Francisci Diœcesis Papien. ad aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum Ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari:

Primo, An Curatus unius Diœcesis quæcumque sit in transitu Cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Diœcesi transeundo per propriam Jurisdictionem, & Parochiam, possit aliquam partem petere Ceræ, & pecuniarum ab hæredibus Defuncti prætendere.

Secundo, An proprius Parochus Defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque Diœcesis ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere, & licite per eamdem cum Stola, & Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho.

Die 28. Novembris 1671. Sacra &c. Ad Primum respondit negative, ad Secundum affirmative -- In quorum fidem &c. Romæ 14. Novembris 1676.

Decretum Congregationis Concilii.

I. M. Brancaccius Episcopus Viterbien. S. C. C. Secretarius.

Preces.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque

Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apostolica d. Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Decembris 1676. Pontificatus nostri Anno primo.

X. Gratiæ, & Privilegia concessa Conclavistis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 6. Dec. 1676. An. 1.

Motu proprio &c. Nos volentes (*omittitur tenor hujus Constitutionis, quia in omnibus convenit cum alia simili Clem. X.*)

FIAT B.

Datum Romæ apud S. Petrum octavo Idus Decembris Anno primo.

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

Magister Cæremoniarum. Reverendissimus D. Franciscus Maria Phæbeus, Urbevetanus, Archiepiscopus Tarsensis, Archihospitalis S. Spiritus Commendatarius, Sacrarum Cæremoniarum Præfectus.

Sacrista. Rmus D. Fr. Joseph Eusanius, Aquilanus, Episcopus Porphyriensis, Sacrista.

Carolus Vincentius Carcarasius, Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Presbyter Romanus.

Fulvius Servantius, Presbyter de S. Severino, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via lata de Urbe.

Petrus Paulus Bona, Presbyter Romanus.

Petrus Sanctes de Fantibus, Presbyter Camerinensis.

Gabriel Confidatus Servantius, Clericus Assiensis, Magistri Cœremoniarum.

Secretarius Collegii. Abbas Guido Passioneus, Clericus Forosempronensis, sacri Collegii Secretarius.

Conclavistæ. Franciscus Maria de Alice, Presbyter Mediolanensis, Joseph. Sanctes Flamma Laicus Comensis nostri, dum Cardinalatus honore fungebamur.

Abbas Joannes Baptista de Palagio, Presbyter Romanus, Canonicus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso de Urbe. Philippus Baldassarus, Presbyter Romanus, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. Franciscus Rattus, Clericus Romanus, Francisci Ostien. Barberini.

Abbas Federicus Bonaventura, Clericus Urbinas. Joannes Baptista Sardinius, Presbyter Valturanen. Diœcesis. Antonius Leonus, Laicus Ariminensis. Ulderici Portuen. Carpinei.

Angelus Maria Cirellus, Clericus Januensis. Angelus Michael Astancollus, Clericus Tudertinus. Antonius Cæsar Bustolinus, Clericus Romanus. Julii Sabinen. Gabriellis.

Abbas Octavius Pieritius, Presbyter Bononien. Cæsar Sega, Clericus Bononien. Constantius Accursius, Presbyter Mutinensis. Cæsaris Prænestini Facchinetti.

Bernardinus Rischius, Presbyter Prænestinus, Prior S. Michaelis de Mirabello Diœcesis Aquen. Nicolaus Lusse, Laicus Parisiensis. Hieronymi Albanen. Grimaldi. Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum S. R. E. Cardinalium.

Angelus Maria Bocconius, Presbyter Regien. Antonius Manfrenatus, Laicus Ferrarien. Caroli S. Laurentii in Lucina Rossetti.

Nicolaus Augustinus, Laicus Forolivienſis. Joannes Baptista Carpanus, Presbyter Vercellen. Diœcesis, Prior S. Bartholomæi de Cherio. Carolus Donatus de Veteribus, Clericus conjugatus Mediolanen. Nicolai S. Mariæ Transtyberim Ludovisii.

Marchio Claudius Pallavicinus, Archidiaconus Parmensis. Joannes de Niserz, Laicus Burburensis, Diœc. Leodien. Joseph de Archangelis, Laicus Æsinus. Alderani S. Praxedis Cybo.

Thomas Piscius, Presbyter e S. Justo Firmanæ Diœc. Aloysius Sigaldus, Laicus Januen. Laurentii SS. Quirici, & Julittæ Raggii.

Dominicus de Malclere a Sommervillers, Clericus Tullen. Carolus Fromentin. Laicus Diœcef. Suessionensis. Joannes Gobin. Laicus Nanneten. Joannis Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz.

Joannes Baptista Vannius, Clericus Camerinensis. Antonius Piersantes, Clericus de Mathelica Camerinen. Diœcef. Aloysii S. Alexii Homedei.

Abbas Petrus Bartholus, Presbyter Venetus. Petrus Paulus Pontinus, Clericus conjugatus de Setia Terracinen. Diœc. Dominicus Tagliaferrus, Clericus conjugatus Alatrinus. Petri Sancti Marci Otthoboni.

Carolus de Marchis, Presbyter Asculanæ Diœcef. Joseph Sfasciamontius, Clericus Montis Alti. Franciscus Venantius, Laicus Sabinen. Francisci SS. Quatuor Coronatorum Albicii.

Jacobus Sorbolongus, Laicus Forosempronienſis. Thomas Emmanuel de Zarate, Clericus Calaguritanæ Diœcef. Hieronymus Bernius, Presbyter Ferrarien. Caroli S. Chrysogoni Pii.

Abbas Benedictus de Rubeis, Presbyter Firmanæ Diœc. Franciscus Squarcius, Laicus Senensis. Augustinus Lottus, Laicus Romanus. Flavii S. Mariæ de Populo Chisii.

Andreas Mansius Lucensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Lucensis. Lelius Cerchius, Clericus conjugatus Lucen. Paulus de Angustinis, Laicus Fanen. Hieronymi S. Hieronymi Illiricorum Bonvisii.

Abbas Raphael Mazzeus, Clericus Florentinus. Bartholomæus Juliettus, Laicus Anconitanus. Antonii S. Mariæ Angelorum Bichii.

Abbas Sperellus Sperellus, Presbyter Assien. Joannes Vincentius Sfortia Laicus de Monte Franco Spoletanæ Diœcesis, Jacobi S. Mariæ in Aracæli Fransoni.

Abbas Carolus Felix Matta, Presbyter Cremonen. Julius Burantus, Laicus Callicen. Petri S. Pancratii Vidoni.

Abbas Marcus Antonius Zollius, Presbyter Bergomensis. Henricus Jal, Laicus Bavarus Rosenhemensis Diœc. Frisingen. Gregorii S. Thomæ in Parione Barbadici.

Joannes Vincentius de Cæsaris, Clericus Romanus. Joannes Claudius Laicus Tullen. Hie-

ronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni.

Carolus Antonius Airoldus, Presbyter Mediolanen. Canonicus Ordinarius Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanen. Federicus Pusterla, Presbyter Mediolanen. Joannes Franciscus Agliaudus, Clericus Taurinen. Diœc. Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littæ.

Abbas Franciscus Milonus, Presbyter de Sorpello Vintimillien. Diœcesis. Joseph Bonellus, Clericus Camerinen. Diœcesis. Nerei SS. Nerei, & Achillei Corsini.

Innocentius Torellus, Presbyter Senensis. Petrus Sodus, Clericus Pientinus. Polidorus de Amicis, Laicus Urbinaten. Cælii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei.

Fr. Antonius de Ildaris, Eques Hierosolymitanus Bituntinus. Bernardinus Portus, Presbyter Bononien. Joseph de Antoninis, Laicus Alanensis. Caroli S. Mariæ in Via Carafæ.

Fr. Fortunatus de Vecchis Ordinis Hierosolymitani, Prior Senensis. Fr. Ugo Ferretus, Eques Hierosolymitanus. Sallustius Musiottus, Laicus Asculanus. Palutii SS. Duodecim Apostolorum de Alteriis.

Abbas Joseph de Annibaldensis a Molasia, Clericus Romanus. Flaminius Peregrinus, Laicus de Polo Tiburtinæ Diœcesis. Joannis Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus.

Comes Antonius de Polcenico, Clericus Concordiensis. Petrus Pontinus, Clericus Romanus. Jacobi S. Mariæ de Pace Ninii.

Abbas Joseph Zaffontius, Presbyter Senensis. Centurio Durantus, Clericus e Castro S. Eliæ Nepesinæ Diœcesis. Valentinus Lancia, Clericus Amerinus. Innici S. Clementis Caraccioli.

Joseph Muzzenius, Presbyter Utinensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Aquilejensis. Marcus Antonius Guizzardus, Clericus Patavinus. Joannis SS. Viti, & Modesti Delphini.

Abbas Alexander Capponus, Clericus Florentinus. Joannes Theodorus Jacquet, Presbyter Rupefortensis Leodien. Diœc. Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracen. Amadeus Capitanei, Laicus Vercellen. Diœcesis. Jacobi SS. Joannis, & Pauli Rospiglioſii.

Philippus de Borau de Castellis, Laicus Diœcesi. Dajocensis. Franciscus Timolion de Choisii, Abbas S. Sequani Lingonensis Diœc. Parisien. Leonardus Lomestrul, Laicus Diœc. Lemovicensis. Emmanuelis Theodori S. Laurentii in pane, & perna Bullionii.

Joannes Romani a Fonte, Presbyter Oscanus Toletanæ Diœcesis. Petrus a Sagasta, & Zavala, Presbyter Oppidi de Durango Calaguritanæ Diœcesis. Ludovici S. Sabinæ de Porto Carrero.

Marcus Antonius Perfettus, Laicus Sarzanensis. Ægidius Sallecher, Laicus de Seittenstetten. Passavien. Diœc. Caroli S. Hadriani Cerri.

Horatius Cardona, Laicus Camerinensis. Antonius Franciscus Mainardus, Laicus Anconitanus. Franciscus Ferrarius, Presbyter Placentinus, Canonicus insignis Collegiatæ S. Antonii ejusdem Civitatis Placentiæ. Dominicus Fortes, Laicus Asculanus. Lazari S. Mariæ in Aquiro Pallavicini.

Julius Cæsar Grimaldus de Bastia, Clericus Diœc. Marianen. Joannes Antonius Barbatus, Presbyter e Rocca Sicca Terracinen. Camilli S. Eusebii Maximi.

Petrus Franciscus Giampè de Fabriano Camerinen. Diœc. Franciscus Maria de Laurentiis, Presbyter de Serra S. Quirici Camerinen. Diœcesis. Gasparis S. Silvestri in Capite de Carpineo.

Abbas Claudius de Caignon, Presbyter Parisiensis. Joannes de la Chaise, Laicus Parisien. Bernardus Sensè, Clericus Burdigalensis. Casaris Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Destroei.

Joannes Vernerus Baro de Plitter Storff, Clericus conjugatus Passavien. Diœcesi. Petrus Aloysius de Ruyte, Clericus conjugatus Leodien. Theodorus Holter, Clericus Novesiensis. Gerardus Josephus Hieble, Presbyter Colonien sis. Bernardi Gustavi de Baden.

Bonaventura de la Font, Subdiaconus Tolosanus, Prior Commendatarius S. Leontii ejusdem Civitatis Tolosanæ. Ludovicus Manden. Laicus Clemontensis. Petri Bonsſi.

Christophorus Melgarexo, Laicus Civitatis Mursiæ Carthaginen. Diœc. Paulus de Villanova, Clericus Oxomen. Diœcesis. Joannes Angelus Desiderius Malebrius, Laicus Papien. Joannis Everardi S. Bartholomæi in Insula Nidardi.

Franciscus Antonius Puntius, Presbyter Neapolitanus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Gravinen. Abbas Paulus Ferella, Presbyter Muranus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Garganicæ. Fr. Vincentii Mariæ S. Sixti Ursini.

Petrus Dominicus Mennitus, Prior S. Juvenalis Civitatis Urbevetanæ, Presbyter Squillacensis. Franciscus Carpinus, Laicus Firmanæ Diœcesi. Jacobus Blattman, Laicus Constantiensis. Federici S. Marcelli Columnæ.

Petrus Paulus Bernasconus, Clericus Beneficiatus Basilicæ Vaticanæ Romanus. Petrus Ferrarius, Laicus Parmensis. Bartholomæus Bellomini, Laicus Montis Ilcinei. Francisci S. Matthæi in Merulana Nerlii.

Joseph Bonjoannes, Presbyter Diœc. Montis Regalis. Guerrinus Bonettus, Laicus Mantuanus. Hieronymi S. Pudentianæ Gastaldi.

Joannes Piolus, Presbyter Romanus. Hieronymus Debbia, Clericus conjugatus de Castellarano Rhigien. Diœc. Alexandri S. Priscæ Crescentii.

Philippus de Castro, Presbyter Roman. Clericus Beneficiatus Basilicæ Vaticanæ. Antonius Duteus, Laicus Faventinus. Galeatii S. Bernardi Marescotti.

Antonius Dentius, Clericus Forolivien sis. Franciscus Bertotius, Clericus Diœc. Januensis. Bernardini S. Stephani in Monte Cœlio Rocci.

Joseph Calavecchia, Presbyter Fulginatensis. Marcus Antonius Albericus de Orciano Fanen. Diœc. Marii S. Joannis ante Portam Latinam Albericii.

Joseph Danesius, Presbyter Januen. Octavius Valletta, Laicus Taurinen. Fabritii S. Calixti Spadæ.

Joannes Lerbone, Presbyter Ciceſtrensis Diœc. Jacobus Philippus de Annibalis, Laicus a Monte Castro Tudertinæ Diœc. Petrus Smit, Laicus Candaven. Diœc. Fr. Philippi Thomæ Huvard S. Cæciliæ de Nortfolck. Presbyterorum S. R. E. Cardinalium.

Philibertus de Foucher, Eques SS. Mauritii, & Lazari Lemovicen. Diœc. Thadæus Amonius, Presbyter e Castro Bononien. Imolen. Diœc. Joseph Capicius, Laicus Romanus. Francisci S. Mariæ in Via lata Maidalchini.

Carolus Albanus Urbinas. Joannes Cecius, Clericus Abbatiæ Sublacen. nullius Diœc. Dionysius Blasius, Laicus de Stimiliano Sabinen. Diœcesis. Caroli S. Mariæ in Cosmedin. Barberini.

Stephanus Ricciardus, Canonicus S. Adriani, Presbyter Firmanus. Matthæus Passanus, Laicus Tiburtinus. Decii S. Eustachii Azzolini.

Michael Angelus Peregrinus, Clericus Romanus. Joseph Sorace, Clericus S. Christinæ Oppiden. Diœc. Pauli S. Nicolai in Carcere Tulliano Sabelli.

Abbas Franciscus Ridolfi, Presbyter Florentinus. Bernardinus Guerrinus, Laicus Perusi-

nus. Sigismundi S. Georgii ad Velum aureum Chisii.

Thomas Marchionnius, Presbyter Florentinus. Petrus Ven-Steembeck Bruxellensis Diœcesis Mechlinien. Nicolai SS. Cosmæ, & Damiani Acciajoli.

Fr. Tigrinus Trigrinius, Eques Hierosolymitanus Lucensis. Christophorus Alexandrinus, Laicus Viterbien. Bonaccursii S. Mariæ de Scala Bonaccursii.

Fr. Thomas Bertotius, Eques Hierosolymitanus Fanen. Antonius Ansovinus, Laicus e Nursia Spoletanæ Diœcesis. Felicis S. Angeli in Foro Piscium Rospigliosii.

Dominicus de Benedictis, Clericus de Trebia Spoletanæ Diœcesis. Jacobus Famianus de Caprarola Hortanæ Diœcesis. Hieronymi S. Cæsarei Casanate.

Abbas Petrus Palutius, Presbyter Brixiensis. Dominicus Quartarolus, Laicus Venetus. Petri S. Mariæ in Dominica Basadonna.

Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum.

Confessarius. Fr. Bonaventura de Recineto, Procurator Generalis Ordinis Capuccinorum, Confessarius.

Adjutores. Abbas Dominicus Cappellus de Accumulo, Presbyter Asculanus, Canonicus sæcularis Collegiatæ Ecclesiæ S. Anastasiæ de Urbe, cum prædicto Reverendissimo D. Phœbeo Archiepiscopo Tarsensi.

Fr. Magister Carolus Bonettus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Subsacrista.

Canonicus Joannes Catharinus Constantius, Clericus Aquilanus, cum dicto Rmo D. Episcopo Prorphyriensi Sacrista.

Abbas Vincentius Checchius, Presbyter Ripanus, cum dicto Secretario Sacri Collegii.

Custos Fontis. Abbas Ludovicus Piccinus, Clericus Æsinus, Custos Fontis, & Aquarum Conclavis.

Medici. Joannes Baptista Ferrarius, Laicus Diœcesis Montis Alti. Hieronymus Brasaulus, Laicus Ferrarien. Physici.

Chirurgi. Joannes Baptista Pierius e Scofranio Pientinæ Diœcesis, Chirurgus.

Aromatarii. Jo. Petrus Paulutius Pisauren. Aromatarius. Petrus Corsus de Spetia Sarzanen. Diœcesis. Ludovicus Stamigna de Hispello Spoletanæ Diœcesis, ejus Auxiliatores.

Barbitonsores. Petrus Branca Squillacensis. Antonius Rosellus Firmanus, Barbitonsores. Franciscus Campus Pisauren. Matthæus Zannolius Faventinus, eorum Auxiliatores.

Fabri. Stephanus Baldus Faber Lignarius. Antonius Rinaldus Faber Cœmentarius.

Dominicus Totius Ariminen., famulus Magistri Cæremoniarum.

Scopatores. Joseph Coletta, Paschalis Honorantes, Joseph Trovarellus, Didacus Santillus, Antonius Crovellonus, Antonius Comus, Joannes Franciscus Zonus, Michael Angelus Zonus, Joannes Maria Re, Joseph Morandus, Bartholomæus Onginus, Franciscus Coppa, Dominicus Gionsius, Carolus Antonius Guinettus, Ambrosius Rosatus, Paulus Antonius Brunus, Antonius Piscius, Antonius Paulettus, Gaspar Baldus, Felix Caroli, Petrus Statius, Joannes Baptista Christophorus, Franciscus Catenaccius, Joannes Antonius Catenaccius, Antonius Felicettus, Joannes Nott. Scopatores Conclavis.

XI. Approbantur Instituta, Constitutiones, & Monasteria Monialium sub denominatione Adorationis perpetuæ Sanctissimi Sacramenti, quæ jam in Regnis Galliæ sunt erecta, & in posterum erigentur, eademque subjiciuntur immediatæ Sanctæ Sedis Apostolicæ Protectioni.

Consimile Institutum Clericorum Regularium Minorum anno 1588. approbavit Sixtus V. in ej us Const. 81. Sacræ Religionis. Tom. 2. fol. 687.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 10. Dec. 1676. An. 1.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ Regimini meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque Clementiæ abundantiam præpositi, illique pro Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod Dominus noster Jesus Christus in ultima Cœna quando Pascha cum Discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem tanquam passionis suæ memoriale perenne, ut inde arctius charitatis suæ immensitas fidelium cordibus infigeretur, instituit, jugi adoratione in aliqualem blasphemiarum, aut aliarum impietatum, quas nefarii homines contra idem Sacramentum committere non expavescunt, reparationem pia ejusdem Sanctissimi Sacramenti amantium Animarum adinventione instituta dicuntur, non possumus, præsertim cum pia Catholicarum Reginarum vota exposcunt, favorem benevolum non impertiri, eaque, ut firma semper, & illibata perseverent, & quoad fieri poterit majora in dies suscipiant incrementa, Apostolici muniminis præsidio non constabilire, ac Monasteria, in quibus Moniales perpetuæ Sanctissimi Sacramenti adorationi hujusmodi voto speciali se addicunt, jam erecta, atque deinceps Benedicente Domino erigentur, eorumque superiores, & personas quascumque opportunis favoribus, & gratiis non prosequi, prout ad Altissimi laudem & gloriam, & Animarum salutem, ac specialem multorum Christifidelium consolationem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio Mariæ Teresiæ Reginæ Christianissimæ.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Teresiæ Franciæ Reginæ Christianissimæ petitio continebat, quod alias claræ memoriæ Anna Austriaca Charissimi similiter in Christo filii nostri Ludovici XIV. Francorum, & Navarræ Regis Christianissimi mater in animo afflicto, & contrito revolvens tempora Bellorum quæ per tot annos Regnum Galliæ, & alias vicinas Christianorum Principum Regiones infestarant, innumera sacrilegia, impietates, prophanationes, & blasphemias ab effrænata militum licentia, & ab impiis hominibus, sceleratisque hæreticis erga Sanctissimum, & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum commissa, & perpetrata fuisse, & ex perverso jam facto habitu, etiam in dies perpetrari.

Peculiaris devotio Galliæ erga SS. Eucharistiæ Sacramentum.

§. 2. Et considerans, quod Galliæ Populi peculiari semper affectu, & devotione illud Sacramentum venerati fuerant, adeoque aliis Catholicis Nationibus exemplo perviverant, illud in processionibus publicis Populi Catholici adorationi offerendi, & exhibendi voto speciali se adeo adstrinxit aliqualem tot malorum, & impietatum reparationem quantum ipsa Deo auxiliante posset procurando, unde assumptis secum in consilium, & operam nonnullis nobilibus matronis simili devotione erga tantum Sacramentum accensis unum perpetuæ adorationis Sanctissimi Sacramenti nuncupandum Monasterium Sanctimonialium Reformatum Ordinis Sancti Benedicti sub illius primitiva regula de stricta observantia in suburbiis S. Germani a Pratis nuncupati prope Parisios fundavit.

Origo Monasterii Adorationis perpetuæ SS. Sacramenti.

§. 3. Quæ quidem Moniales præter tria substantialia Religionis vota aliud quartum votum coram Sanctissimo Sacramento diu noctuque alternis tamen vicibus perstistendi, & orandi emittent eo animo, ut continuis hujusmodi orationibus sese tanquam victimas in expiationem

Institutum hujus Monasterii refertur.

Deo offerentes, ſacrilegia, impietates, & alia peccata, quæ ab impiis, & hæreticis patrantur zelanter reparent, & inſuper qualibet Feria Quinta non impedita Officium divinum ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti, illud ſuper Altari venerationi fidelium exponendo, decantent.

Hoc Inſtitutum laudatur.

§. 4. Hanc autem fundationem, piumque hujuſmodi Inſtitutum præfatus Ludovicus Rex ſuis patentibus literis laudavit, & commendavit, ac ſimilis memoriæ Margarita Alotharingia Duciſſa Donataria Aurilianen. ſingulari ſtudio ac eximiæ ſuæ pietatis exemplo promovit, ſubindeque dilectus filius noſter Flavius Tituli Sanctæ Mariæ de Populo Chiſius nuncupatus, necnon bon. mem. Ludovicus Tituli Beatæ Mariæ in Porticu de Vandoſme, etiam nuncupatus S. R. E. Cardinales tunc apud dictum Ludovicum Regem, & univerſum illius Regnum Sedis Apoſtolicæ De Latere Legatis, eorum Brevibus, ſeu patentibus literis confirmarunt, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjecerunt, ſupplendo omnes, tam juris, quam facti defectus.

A Legatis de Latere Sedis Apoſt. confirmatur.

Cauſæ approbationis, & Confirmationis hujus Inſtituti.

§. 5. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a tempore fundationis hujuſmodi dicta devotio Benedicente Domino ita creverit in animis fidelium, ut etiam multi de erigendis ſimilis inſtituti Monaſteriis cogitaverint, numerus que Monialium primo dicti Monaſterii, quod in loco ſalubri & amœno extructum, & multa ædificiorum copia, & venuſtate perfectum reperitur; adeo evectus fuerit, ut ex illis permultæ ad alias fundationes, quæ in dies offeruntur faciendas habiles, & capaces extrahi, & tranſmitti poſſint: & ſi hoc Sanctum Inſtitutum pro illius firmiori ſubſiſtentia, etiam per nos approbaretur, & confirmaretur, aliaque infraſcripta concederentur, & approbarentur; ex hoc profecto non ſolum Divini Cultus incremento, ſed etiam ipſius Ordinis S. Benedicti reintegrationi, & propagationi, ac ſpirituali multorum Chriſtifidelium conſolationi peropportune conſuleretur, & illud eadem Maria Tereſia Regina zeli, & pietatis aliarumque virtutum defunctæ Reginæ ejuſdem Ludovici Regis matris æmulatrix totis animi viribus expoſcat.

Preces d. Reginæ necnon Prioriſſæ, & Monialium d. Monaſterii.

§. 6. Nobis, propterea pro parte dictæ Mariæ Tereſiæ Reginæ, ac dilectarum etiam in Chriſto filiarum Prioriſſæ, & omnium Monialium dicti Monaſterii fuit ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 7. Nos quibus nihil magis curæ eſt, quam ut hoc Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perpetuo adoretur, & qua par eſt veneratione jugiter colatur Mariæ Tereſiæ Reginæ, ac Prioriſſæ, & Monialium præfatarum piis votis, hac in parte favorabiliter annuentes, eandem Mariam Tereſiam, ac Prioriſſam, & Moniales præfatas, & illarum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati:

Dictum Inſtitutum auctoritate Apoſtolica confirmatur.

§. 8. Ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum Inſtitutum præfatum ſub denominatione adorationis perpetuæ Sanctiſſ. Sacramenti Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus; necnon primodictum, & alia tria unum videlicet in Civitate Tulen., & aliud in Oppido de Ramteruillen. Tulen. Diœceſis, necnon reliquum in Oppido Naucei dictæ Tulen. ſeu nullius Diœceſis jam erecta, & quæcumque alia, quæ in poſterum Benedicente Domino forſan erigentur Monaſteria, illorumque pro tempore exiſtentes Prioriſſas, & cujuſvis nominis Superioriſſas Moniales Conventus Superiores, Viſitatores, Officiales, Miniſtros, Servientes, & alias perſonas quaſcumque, necnon proprietates, & bona univerſa mobilia, & immobilia præſentia, & futura cujuſcumque qualitatis, quantitatis, generis, ſpeciei, ac naturæ exiſtentia, & ubicumque conſiſtentia, & alia quæcumque ad illa quomodolibet ſpectantia, ſeu ab illis quomodocumque, & qualitercumque dependentia ab omni, & quacumque Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum quorumvis Ordinariorum, ſeu eorum cujuſlibet Officialium & Vicariorum, in ſpiritualibus Generalium, necnon Rectorum, & Generalium quorumvis Ordinum, juriſdictione, viſitatione, correctione, reformatione, ſubjectione, obedientia, ſuperioritate, & auctoritate, ſalva tamen ſemper eorum Ordinariorum juriſdictione in caſibus, in quibus juxta Concilii Tridentini Decreta illam in Monaſteria quantumvis exempta, & præſertim circa clauſuram Regularem exercere poſſunt, in ſpiritualibus, & temporalibus penitus, & omnino etiam perpetuo eximimus, & liberamus, & ſub Beati Petri, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis protectione, & inviolabili conſervatione ſuſcipimus.

Monaſteria jam erecta & erigenda, eorumque perſonæ & bona eximuntur ab Ordinariorum Juriſdictione.

Excipiuntur caſus expreſſi in Concil. Tridentino.

Eadem Monaſteria recipiuntur ſub Protectione S. Sedis.

§. 9. Ac correctioni, & obedientiæ, ſuperioritati, & omnimodæ juriſdictioni in eiſdem ſpiritualibus, curæque, & gubernio, regimini, & adminiſtrationi in temporalibus trium perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum, quæ quidem conjunctim, vel ſaltem duæ illarum illa Monaſteria gubernare, regere, & adminiſtrare poſſint, & debeant ſubmittimus, & ſubjicimus, cum hoc, quod perſonæ illæ ad nominationem dictarum Monialium a congregatione pro tempore exiſtentium ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium hujuſmodi præpoſitorum eligi, & deputari debebunt.

In ſpiritualibus, & temporalibus ſubjiciuntur Juriſdictioni trium in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum.

Qui ad nominationem Monialium debent deputari a Congregatione Epiſc. & Regul.

§. 10. Præterea eiſdem Deputatis, ut ſupra tum eligendis, & ſtabiliendis, ut ipſi conjunctim ſi commode fieri poterit, vel ſaltem duo eorum unum Presbyterum ſæcularem, vel regularem doctrina, vitæque, ac morum probitate præſtantem in Monaſteriorum hujuſmodi Viſitatorem generalem, & pro hac vice dilectum filium Henricum de Hanezon. Abbatem regularem Monaſterii S. Michaelis de Sancto Michaele ejuſdem Ordinis Virdunen. Diœceſis, modo velit, & poſſit in Officio viſitationis cum omnibus facultatibus ſolitis, & ſimili Officio annexis, & de jure competentibus ad triennium dumtaxat; ita tamen ut per ſe ipſum, & non per alium ſingula Monaſteria ſaltem ſemel in triennio viſitare, necnon in fine triennii ſuæ viſitationis rationem dictis Superioribus reddere debeat; necnon toties quoties expediens videbitur peracto triennio ad aliud triennium poſſet reeligi, & inſtituere valeat, ſeu valeant.

Eiſque tribuitur facultas eligendi Viſitatorem;

§. 11. Inſuper ut iidem deputati omnes, & ſingulas Conſtitutiones, & ſtatuta, & præſertim illa quæ a dilecta ſimili in Chriſto filia Mechtilda a Sanctiſſimo Sacramento Moniali primodicti Monaſteri ſuper obſervantia tam primitivæ regulæ S. Benedicti, quam inſtituti adorationis perpetuæ Sanctiſſimi Sacramenti condita fuerunt, dummodo illa Sacris Canonibus non ſint contraria approbandi, ſimiliter non contraria condendi, ſeu antiqua quoties expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, & in meliora reformandi, necnon quoſcumque actus & contractus licitos tamen, & honeſtos hactenus per Moniales Monaſteriorum hujuſmodi quomodolibet initos, ac quoſcumque habitus dicti Ordinis quibuſvis Monialibus, conceſſiones, & profeſſio-

Approbandi Statuta hujus Inſtituti,

Actus, & contractus.

fessiones inde legitime secutas approbandi, & confirmandi.

Monasterii Superiorissa, seu Priorissa eligenda ad triennium.

§. 12. Præterea tam quod Superiorissa, seu Priorissa primi Monasterii præfati, quam omnium aliorum Monasteriorum jam erectorum, & in futurum forsan erigendorum Priorissa triennalis eligi debeant, quæ tamen ad alia triennia successive toties reeligi poterunt, quoties pro bono Monasteriorum gubernio ita expedire, & necessarium esse videbitur, denuo omnibus, & singulis eorumdem Monasteriorum Priorissis, seu Superiorissis, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis immunitatibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, Indultis, Indulgentiis, & favoribus spiritualibus, & temporalibus S. Benedicti primitivi Ordinis, & Congregationis Montis Cassinen. Monachis, & Monialibus, & præsertim Congregationi Monialium Reformatarum ejusdem Ordinis S. Benedicti Montis Calvariæ nuncupatarum, principaliter, & particulariter, vel generaliter, aut accessorie, vel per viam concessionis, & extensionis, aut alias quomodolibet concessis, in iis tamen, quæ hujus institutis, statutis, & consuetudinibus non adversantur, & dummodo illa sint in usu, & non sint revocata, aut sub ulla revocatione comprehensa, nec Sacris Canonibus, & Conciliis contraria sint, uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant pariter, ac pariformiter, perinde, ac si illa Monialibus hujus Instituti, ac illius Conventibus, personis, & bonis particulariter, specifice, & expresse, ac nominatim concessa fuissent concedimus, & indulgemus.

Concedunturomnia Privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ Congregationis Cassinen.

§. 13. Necnon omnibus, & singulis Monialibus præfatis, ac quibusvis aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quaslibet Monasteriorum erectorum Ecclesias diebus festis solemnitatis Corporis Christi, necnon Patroni cujuslibet Ecclesiæ devote visitaverint, ibique pro Romani Pontificis salute, fidei Catholicæ propagatione, & Principum Christianorum concordia, necnon hæresum extirpatione pias ad Deum preces effuderint; ac cujuslibet ex iisdem Monialibus die qua ipsa habitum illius Ordinis suscipiet, & professionem solemnem emittet si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum illa die sumpserit, & ut supra oraverit, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

Indulgentia plenaria omnibus Visitantibus certis diebus Ecclesias dd. Monasteriorum.

§. 14. Iis vero Christifidelibus, qui in die octava solemnitatis ejusdem Corporis Christi, & Dominica infra illius octavam, necnon Feria Quinta cujuslibet hebdomadæ adorationi Sanctissimi Sacramenti in dictis Ecclesiis interfuerint centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino relaxamus.

Item Indulgentia Monialibus die qua habitum suscipient, & professionem emittent.

§. 15. Et demum earumdem Monialium saluti paterne consulere volentes, illarum visitatori pro tempore existenti, ut easdem a quibusvis casibus etiam Sedi Apostolicæ præfatæ reservatis absolvere libere, & licite possit, & valeat licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate præfata similiter concedimus, & impertimur, dummodo præfata Monasteria erecta, & in posterum forsan erigenda in Congregationem nunquam aggregentur, aut uniantur, nec alterum alteri subjiciatur, & de Monasteriis, in quæ Moniales præfatas introduci contigerit per Sedem præfatam Apostolicam disponi non consueverit, & pro earum Abbatissæ electione aliqua confirmatio Apostolica non requiratur.

Conceditur facultas Visitatori pro tempore ut Moniales absolvere possit a quibusvis casibus etiam S. Sedi reservatis.

§. 16. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet etiam formali, ac substantiali, & inexcogitato individuamque expressionem requirente, & undecumque resultante defectu notari, impugnari, limitari, infringi, modificari, retractari, ad viam seu terminos juris reduci, in controversiam vocari, aliudve quodlibet juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, seu intentari, vel impetrato quempiam in judicio, vel extra uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium dispositionum, ordinationum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus factis, & pro tempore faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt in pristinum, & validissimum statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, censeri, firmasque, validas, & efficaces existere & fore, & ab illis ad quos spectat, & quandocunque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere; ac irritum quoque decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, exemptionis, liberationis, indulti, elargitionis, relaxationis, concessionis, & facultatis impertitionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, quarto idus Decembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Conceduntur Privilegia, Exemptiones, & Indulta ab Innocentio XI. Dapiferis, qui in Conclavi suæ Assumptionis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus inservierunt. XII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 4. Jan. 1677. An. 1.

Exordium.

MOtu proprio &c. Nos volentes (*Omittitur tenor, quia habetur in alia simili Clem. X.* Motu proprio &c.).

FIAT B.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum pridie Non. Januarii Anno Primo.

Nomina Eminentissimorum DD. Cardinalium, & Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur.

BEnedictus Odescalcus nunc Innocentius XI. Comensis.

Petrus Joannes Bernardus de S. Paulo Vencien., Diac. Noster, dum Cardinalatus honore fungebamur.

EPISCOPI V.

Franciscus Episcopus Ostien. S. Collegii Decanus Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius & Summista, Florentinus.

Uldericus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinal. Carpineus, Urbinas.

Julius Episcopus Sabinensis S. R. E. Card. Gabriellius, Romanus.

Cæsar Episcopus Prænestinus S. E. R. Card. Fachenettus, Episcopus Spoletanus, Bononiensis.

Hieronymus Epiſc. Albanen. S. R. E. Card. Grimaldus, Archiepiſcopus Aquenſis, Genuenſis.

Epiſcoporum ſupradictorum quinque Dapiferi.

Abbas Carolus Francionus J. U. D. Neapolitanus, atque Romanus.
Aldericus Pazzaglia, Romanus.
Thomas Antalaus, Urbinaten.
Petrus Franciſcus Gianinus, Presbyter, ac Prior S. Bernardi, Forolivienſis.
Carolus Riſchius, Præneſtinus.

PRESBYTERI L.

Carolus Tituli S. Laurentii in Lucina, Prior Presbyterorum S. R. E. Card. Roſettus, Epiſcopus Faventinus, Ferrarienſis.
Michael Borduſſius, Mutinenſis. Dapif.

Nicolaus Tituli S. Mariæ Tranſtyberim S.R.E. Presbyter Card. Ludoviſius, Major Pœnitentiarius, Bononienſis.
Joannes Baptiſta Giauna, Presbyter, ac Prior Sancti Petri Vintimilien. Dap.

Alderanus Tit. S Praxedis S. R. E. Presbyter Card. Cybo, Januenſis.
Stephanus Ceccoperius de Maſſa Lunen. Sarzanen. Diœceſis. Dap.

Laurentius Tit. SS. Quirici, & Julitæ Sanctæ S. R. E. Presbyter Card. Raggius, Genuenſis.
Julius Clemens Matthæjus Romanus. Dap.

Joannes Franciſcus Paulus Gondus Tituli S. Mariæ ſuper Minervam, S. R. E. Presbyter Card. de Retz nuncupatus, Gallus.
Abbas Cæſar Nicolaus Marſilius Romanus. Dap.

Aloyſius Tit. S. Alexii S. R. E. Presbyter Card. Homodeus, Mediolanen.
Canonicus Stephanus Torrettus de Calderola Camerinen. Diœc., atque Romanus. Dap.

Petrus Tituli S. Marci S. R. E. Presbyter Card. Othobonus, Venetus.
Joannes Franciſcus Mazzinus, Clericus Romanus. Dap.

Franciſcus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Card. Albitius, Cæſenaten.
Marcellus Scarlattus Romanus. Dap.

Carolus Tit. S. Chryſogoni S. R. E. Presbyter Card. Pius, Ferrarien.
Abbas Euander de Advocatis, Nobilis Tiburtinus. Dap.

Flavius Tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presbyter Card. Chiſius, Archipresbyter Baſilicæ Lateranen. S. R. E. Bibliothecarius, & Signaturæ Juſtitiæ Præfectus, Senenſis.
Philippus Raſponus, Ferrarienſis. Dap.

Hieronymus Tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbyter Card. Bonviſius, Epiſcopus Lucæ, Lucenſis.
Joannes Maſſerottus, Lucenſis. Dap.

Antonius Tit. S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyter Card. Bichius, Epiſcopus Auximanus, Senenſis.
Fr. Paulus de Paſſioneis, Eques Hieroſolymitanus, Foroſempronienſis. Dap.

Jacobus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Card. Franſonus, Epiſcopus Camerinenſis, Genuenſis.
Comes Raymundus Ranuccius de Marſciano, Urbevetanus. Dap.

Petrus Tit. S. Calliſti S. R. E. Presbyter Cardinal. Vidonus, Cremonenſis.
Carolus Agapetus Appollonius J. U. D. Clericus Præneſtinus. Dap.

Gregorius Tit. S. Thomæ in Parione S. R. E. Presbyter Card. Barbadicus, Epiſcopus Patavinus, Venetus.
Joannes Carolus Laſſius J. U. D. Fulginaten. Dap.

Paſchalis Tit. S. Balbinæ S. R. E. Presbyter Card. de Aragonia, Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpanus.
Flaminius Marionus, Clericus Bononien. Dap.

Hieronymus Tit. SS. Marcellini, & Petri S. R. E. Presbyter Card. Boncompagnus, Archiepiſcopus Bononiæ, Bononienſis.
Abbas Laurentius Dominichellus e Foſſis Papirianis Sarzanen. Diœc. Dap.

Alphonſus Tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Card. Litta, Archiepiſcopus Mediolani, Mediolanenſis.
Thomas Burali, Eques S. Stephani, Aretinus. Dap.

Nerius Tit. SS. Nerei, & Achillei S. R. E. Card. Corſinus, Epiſcopus Aretinus, Florentinus.
Theodorus Franciſchinus, Clericus Senogallienſis. Dap.

Cœlius Tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presbyter Card. Piccolomineus, Archiepiſcopus Senarum, Senenſis.
Simeon Morettinus, Neapolitanus. Dap.

Carolus Tit. S. Suſannæ S. R. E. Presbyter Card. Caraffa, Neapolitanus.
Joannes Benedictus de Paſſioneis, Nobilis Foroſempronien. Dap.

Palutius Alterius Tit. SS. Duodecim Apoſtolorum S. R. E. Presbyter Card. Alterius, ejuſdem S. R. E. Camerarius, Romanus.
Paulus Bertonus, Presbyter de Polo Tiburtinæ Diœceſ. Dap.

Joannes Nicolaus Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Presbyter Card. de Comitibus, Epiſcopus Anconitanus, Romanus.
Alexander Ninius, Senenſis. Dap.

Jacobus Tit. S. Mariæ de Pace S. R. E. Presbyter Card. Ninius, Senenſis.
Dionyſius Brutus, Juſtinopolitanus. Dap.

Julius Tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Card. Spinula, Epiſcopus Sutrinus, Januenſis.
Silvius Vincenti, Senenſis. Dap.

Innicus Tit. S. Clementis S. R. E. Presbyter Card. Caracciolus, Archiepiſcopus Neapolis, Neapolitanus.
Abbas Joſeph Patritius Guarinus, Privernas Terracinen. Diœc. Dap.

Joannes Tit. SS. Viti, & Modesti S. R. E. Presbyter Card. Delphinus, Patriarcha Aquilejensis, Venetus.
Abbas Curtius Trenta Lucensis. Dap.

Jacobus Tit. SS. Joannis, & Pauli S. R. E. Presbyter Card. Rospigliosius, Archipresbyter Basilicæ S. Mariæ Majoris, Signaturæ Sanctissimi, sive Gratiæ Præfectus, Pistorien.
Fr. Christophorus Vertona, Eques Hierosolymitanus, Bergomensis. Dap.

Emmanuel Theodosius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna, S. R. E. Presbyter Card. Bullionius, Gallus.
Joannes Antonius de Vrreax, Hispalensis. Dap.

Ludovicus Tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbyter Card. de Portocarrero, Hispanus.
Michael Marchesius, Clericus Forolivien., Dap.

Carolus Tit. S. Adriani S. R. E. Presbyter Card. Cerrus, Episcopus Ferrarien., Romanus.
Joseph Maria Martellus, Prior Perusinus. Dap.

Laurentius Tit. S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Presbyter Card. Pallavicinus, Genuensis.
Abbas Cæsar Mazzamius Bononien. Dap.

Camillus Tit. S. Anastasiæ S. R. E. Presbyter Card. Maximus, Romanus.
Fabius Veneruccius, Urbinaten. Dap.

Gaspar de Carpineo Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Card. Gaspar nuncupatus, SSmi D. N. Vicarius Generalis, Romanus.
Gilbertus Chanellieres, Gallus Francopolis Bellicensis. Dap.

Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Presbyter Card. Destreus, Episcopus Laudunensis, Gallus.
Joannes Baptista Novellius, Romanus. Dap.

B. Bernardus Gustavus Ordinis S. Benedicti Tit. S. Susannæ S. R. E. Presbyter Card. de Baden, Germanus.
Petrus Caignart S. Quirini in Viromandio Diæc. Dap.

Petrus Tit. S. Honuphrii S. R. E. Presbyter Card. Bonsius, Archiepiscopus Narbonensis, Florentinus.
Ludovicus Hotriz de Leon, Presbyter Hispalen., Consultor S. Officii, Cantor, & Canonicus Cathedralis Pacen. Dap.

Joannes Everardus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula, Presbyter Card. Nidardus, Hispanus.
Abbas Antonius Sanctarellus, de Saxo Ferrato. Dap.

Fr. Vincentius Maria Ursinus Ordinis Sancti Dominici Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinal. S. Sixti nuncupatus, Archiepiscopus Sipontinus, Neapolitanus.
Antonius Leporus Sacerdos de Gorinia Diæcesi Aquilejæ. Dap.

Franciscus Tit. S. Matthæi in Merula Sanctæ R. E. Presbyter Card. Nerlius Archiepiscopus Florentiæ, Florentinus.
Brunus Anibaldensis de Molaria, Eques S. Stephani, Romanus. Dap.

Hieronymus Tituli S. Pudentianæ S. R. E. Presbyter Card. Gastaldus, Januensis.
Fr. Marcus Antonius Galleonus Eques Hierosolymitan. Nicien sis. Dap.

Alexander Tit. S. Priscæ S. R. E. Presbyter Card. Crescentius, Episcopus Recineti, & Laureti, Romanus.
Carolus Andreas Sinibaldus, Eques S. Jacobi de Spatha, Faventinus. Dap.

Galeatius Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Card. Maresciottus, Romanus.
Abbas Julius Pegna, Romanus. Dap.

Bernardinus Tituli S. Stephani in Monte Cœlio S. R. E. Presbyter Card. Roccius Episcopus Urbevetanus, Romanus.
Joannes Baptista de la Porta, Lucensis. Dap.

Marius Tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Presbyter Card. Albericius, Episcopus Tiburtinus, Neapolitanus,
Joseph Puteobonellus, Clericus Romanus, Dap.

Fabritius Tit. S. Calixti S. R. E. Presbyter Card. Spada, Romanus.
Abbas Paulus Æmilius Mondelli J. U. D. Tranensis. Dap.

Fr. Philippus Thomas Huvard de Nortfolck Ordinis Prædicatorum Tit. Sanctæ Cæciliæ S. R. E. Presbyter Card. Huvardus, Anglus.
Robertus Harpur Clericus Anglus, Leodien., Dap.

DIACONI XI.

Franciscus Sanctæ Mariæ in Via lata Primus Diaconus S. R. E. Card. Maidalchinus, Viterbien.
Paulus Maffeus, Clericus, Volterranus, Eques Sancti Stephani. Dap.

Federicus S. Agathæ S. R. E. Diaconus Card. de Hassia, Episcopus Uladislajen. Germanus.
Robertus Andertonus Anglicanus Loncastren. Diæc. Dap.

Carolus Barberinus S. R. E. Diaconus Card. Carolus nuncupatus, Archipresbyter Basilicæ S. Petri, Romanus.
Archangelus Spagna, Presbyter Viterbien. atque Romanus. Dap.

Decius S. Eustachii S. R. E. Diaconus Cardinal. Azzolinus, Firmanus.
Canonicus Joannes Antonius de Philippis Velitern en., atque Romanus. Dap.

Paulus S. Nicolai in Carcere Tulliano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin. Sabellus Perettus, Romanus.
Fr. Philippus Altovitus, Eques Hierosolymitanus, Florentinus. Dap.

Sigismundus Chisius S. Georgii, S. R. E. Diac. Card. Sigismundus nuncupatus, Senensis.
Sperandeus Riccionus de Podio ..... Clericus Sabinen. Dap.

Nicolaus Sanctorum Cosmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Card. Accajolus, Florentinus.
Abbas Aloysius Bonaccursius, Maceraten., Dap.

Bonaccursius Sanctæ Mariæ de Scala S. R. E. Diaconus Card. Bonaccursius, Maceraten.
Felix Alfarolus, Pistorien., Dap.

Felix Rospigliosius S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Card. Felix nuncupatus, Pistorien.
Julianus Borgnia, Clericus Civitatis Castellanæ, Dap.

Hieronymus S. Mariæ in Porticu S. R. E. Diaconus Card. Casanate, Neapolitanus.
Bernardinus Galantus Clericus conjungatus Toletanus, Dap.

Petrus S. Mariæ in Domnica S. R. E. Card. Basadona, Venetus.

XIII. Confirmatur Breve Gregorii XV. jam ab Urbano VIII., Clemente IX., & X. confirmatum, quo concessa fuerunt Hospitali B. Mariæ Theutonicorum privilegia Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Dat. 8. Jan. 1677. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. MIlitantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio præsidentes, privilegia, gratias, & Indulta Militiis, & Hospitalibus quibuscumque ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Reipublicæ decus, & præsidium, fideique Catholicæ defensionem pio salubrique consilio erectis, & institutis, ac personis in eis Christo militantibus, & famulantibus per Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam prudenti liberalitate concessa, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici roboris præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter communimus.

Summa Brevis Gregorii XV. Ordini Theutonicorum dati. §. 1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius XV. prædecessor noster omnia, & singula privilegia, Indulta, facultates, & gratias tam per se, sedemque Apostolicam, quam per rec. me. Leonem X., Clemen. VII., Paulum III., Pium IV. Pium V., Gregorium XIII., Gregorium XIV. Clementem VIII., & Paulum V. Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros dilectis filiis magno Magistro, & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, illiusque Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus Militibus, Subditis, Vasallis, Colonis, & Presbyteris curam animarum exercentibus concessa, & respective confirmata, Hospitali Domus Beatæ Mariæ Theutonicorum, ejusque Magistro, Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus Militibus, Subditis, Vasallis, Colonis, ac Presbyteris curam animarum exercentibus concessit, decernens Hospitale B. Mariæ Theutonicorum, illiusque Magistrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, Commendatarios, Fratres Milites, Subditos, Vasallos, Colonos, ac Presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis, & Indultis quatenus in hujusmodi concessione non comprehenderentur quovis prætextu, & ex quacumque causa uti, frui, & gaudere posse, nec debere, quinimo illa omnia cessare, ac irrita, & nulla, nulliusque roboris, & momenti esse & fore, prout in dictis Gregorii prædecessoris in forma Brevis desuper sub die 23. Decembris 1622. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur, Et subinde piæ mem. Urbanus VIII., Clemens IX., & Clemens X. Romani Pontifices etiam prædecessores nostri per suas pariter in forma Brevis die 19. Januarii 1624., & die 9. Junii 1668., ac die 30. Augusti 1670. respective expeditas literas, quarum tenores præsentibus itidem haberi volumus pro expressis, jam dictas Gregorii prædecessoris literas sub certis modo, & forma tunc expressis confirmarunt, & approbarunt.

Illud fuit confirmatum Brevibus Urbani VIII., Clementis IX., & X.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Magni Magistri, & Fratrum Militum dicti Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum, Nobis nuper expositum fuit prædictæ quidem Gregorii XV., ac Urbani VIII., Clementis IX., & Clementis X. prædecessorum literæ in viridi sint observantia; quia tamen firmiora sunt ea, quæ frequentiori Sedis Apostolicæ præsidio roborantur, iidem Magnus Magister, & Fratres Milites literas hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsorum Magni Magistri, & Fratrum Militum votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine porrectis inclinati, præfatas Gregorii XV., ac Urb. VIII., Clementis IX., & Clementis X. prædecessorum literas, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illasque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Preces M. Magistri, & Fratrum d. Ordinis.

Prædictorum Pontificum Brevia confirmantur.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod Locorum Ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari ullatenus posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse: Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, ac definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Moguntin., & Pragen. Archiepiscopis, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Magistri, & Militum ac fratrum dicti Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præsentium literarum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdi-

ctumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis.

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ dicti Gregorius, ac Urbanus, Clemens IX., ac Clemens X. prædecessores in suis literis prædictis respective voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Eorumdem autem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, volumus, quod Pii V. 22. Septembris anno Sexto, ac Gregorii XIII. sub Annulo Piscatoris 25. Novembris anno Nono, necnon Gregorii XV. prædecessorum prædictorum sub Datum Nonis Februarii anno Secundo Pontificatuum suorum expeditis literis in suo robore, & efficacia permanentibus, præsentes literæ non comprehendant, neque Ecclesias, neque personas, in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus Decreta Concilii Tridentini, ac in prædicta Gregorii XV. Constitutione contenta omnino servari debeant. Ac quod præsentium literarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in judicio, & extra illud ubique locorum plena, & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Excipiuntur literæ S. Pii V. Gregor. XIII. & XV.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris VIII. Januarii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XIV. Declaratur ad Fratres Minores Reformatos non pertinere legatum Arelatense Fratribus Minoribus de Observantia adscriptum.

Dat. 22. Febr. 1677. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Gaspardus de Varadier de S. Andiel Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ Arelaten., quod alias nempe anno 1587. tunc in humanis agens Franciscus de Veradier ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, cujus dictus Gaspardus (ut asserit) hæres existit, in suo Testamento, seu alias ultima voluntate quamdam pecuniæ summam Hospitali Arelatensi legavit cum onere præstandi quotannis sexaginta libras monetæ Galliarum Religiosis ex infrascriptis Ordinibus de triennio in triennium ordine successivo ad Sacræ Theologiæ studia mittendis, nempe primo loco uni ex Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, deinde Ordinis Minorum, ejusdem Sancti Francisci Conventualium respective nuncupatorum, post vero Ordinum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & Eremitarum Sancti Augustini, ac tandem Prædicatorum, ad hoc ut ejusmodi pauperes Religiosi necessaria pro victu haberent, & inde facilius in studiis hujusmodi proficere possent: quæ quidem omnia Religiose semper observata fuerunt usque ad annum 1605. Quo anno Fratres Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, expulsis e Civitate Arelaten. Fratribus Minoribus de Observantia, renunciaverunt inter manus Capituli, & Canonicorum, seu aliarum personarum sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris nuncupat. dictæ Civitatis Arelaten. omnia Capitalia, redditus annuos, ac fundationes debit. dictis Fratribus de Observantia, cum onere satisfaciendi omnibus obligationibus, quibus satisfacere tenebantur ipsi Fratres Minores de Observantia, nec interea ullus dictorum Fratrum Recollectorum ad dicta studia cum eleemosyna sexaginta librarum hujusmodi mitti petiit, nisi ab aliquot annis. Unde cum a pluribus dubitaretur, an ipsi Fratres Recollecti, seu reformati possent habere aliquod Jus ad dictam eleemosynam, seu redditum annuum, & licite studere extra sua professoria in quibus nihil datur ab ipsis fratribus; dictus Gaspardus, ad quem (ut pariter asserit) jus nominandi singulis trienniis aliquem capacem, qui dicta eleemosyna seu redditu annuo utatur, spectat, ea omnia quæ a dicto Testatore ordinata sunt, observare desiderans, recursum habuit ad Ministrum Generalem dicti Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, qui die 29. Augusti 1675. respondit attenta voluntate testatoris expresse legantis pro Religioso Arelatensi, & Fratribus Minoribus de Observantia cum solutione stipendii per modum eleemosynæ, ad studium mittendo, se censere & actionem, vel solutionem talis legati non competere Recollectis (quamvis alias possent licito modo esse capaces legatorum) sed competere Fratribus de Observantia Provinciæ Arelaten., & maxime quando inter ipsos repeiri potest Religiosus naturalis dictæ Civitatis Arelaten. cum requisitis conditionibus sufficientis observantiæ, & approbationis. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nulli amplius sint in d. Civitate Arelaten. Fratres Minores ordinis S. Francisci de Observantia nuncupati, dictusque Gaspardus propterea plurimum cupiat declarari an possit licite denegare Fratribus Recollectis præfatam annuam eleemosynam sexaginta librarum, dando illam aliis Regularibus, quibus illius præstatio de jure competit, saltem per triennium intra spatium quindecim annorum:

Ex judicio Ministri Generalis Fr. Minorum de Observantia legatum debetur duntaxat Fratribus suis Arelatensis Provinciæ.

Preces Gaspardi de Veradier Hæredis.

§. 1. Nos ipsum Gaspardum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, supradictos Recollectos non esse comprehensos in legato præmisso auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus.

Declaratur a Pontif. Fratres Reformatos in legato non comprehendi.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCLXXVII. Pontificatus nostri anno primo.

XV.

Committitur Episcopo Alexandrino Causa inter Principem Messerani Sedis Apostolicæ Feudatarium, & Communitates d. Loci Messerani, Crevacore &c.

Ven. Fratr. Episcopo Alexandrin. Provinciæ Mediolanen.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ven. Frater Salutem, & Apost. Benedictionem.

Dat. 12. Apr. 1677. An. 1.

CUm sicut accepimus inter dilectum filium nobilem virum Franciscum Ludovicum Ferrerium Fliscum Principem Messerani nuncupatum, & Sedis Apostolicæ Feudatarium ex una, necnon dilectos Filios ejusdem Franciscí Ludovici Subditos, seu Vasallos præsertim Terrarum Messerani, & Crevacore Incolas ex altera partibus nonnullæ controversiæ, seu quæstiones sint exortæ.

Controversiæ ortæ sunt inter d. Principem, & suos Subditos.

§. 1. Nos diligentem illis informationem capi, processumque desuper confici volentes; Fraternitati tuæ, de cujus prudentia, fide, integritate, rerum agendarum peritia, & dexteritate plurimum in Domino confidimus per præsentes committimus, & mandamus, ut de, & super controversiis, seu quæstionibus hujusmodi diligentem cognitionem capias, ac Processum, seu Processus fabrices, & conficias, exactamque Facti instructionem, & informationem sumas, aliaque desuper necessaria, & quomodolibet opportuna facias, geras, mandes, & exequaris usque ad Sententiam exclusive, dantes tibi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem substituendi vice tua ad præmissa peragenda aliquam Personam idoneam Ecclesiasticam, vel Sæcularem, attento quod, (ut pariter accepimus) eædem controversiæ, seu quæstiones super negotio vere temporali, & profano vertuntur.

Mandatur Episcopo Alexandrino, ut in Causa procedat usq; ad sententiam exclusive.

§. 2. Cæterum volumus, ut Informationes, & Processus, quas, & quos vigore præsentium ceperis, & confeceris, seu Persona a te substituenda ceperit, & confecerit, in forma authentica sub tuo sigillo clausas, & clausos ad Nos tuto transmittas, ut quod in præmissis statuendum fuerit, matura deliberatione adhibita decernamus.

Item, ut acta inauthentica forma transmittat.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit supradictarum Terrarum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCLXXVII. Pontificatus Nostri anno Primo.

Prætermittitur Bulla in Cœna Domini, quam Pontifex die 15. Aprilis hoc anno publicavit cum eam pluries repetitam habeas in præcedentibus Tomis hujus Bullarii, & quoad materias in ea contentas satis est videre Scholia ad Constitut. 63. Pauli V. tom. 3., & Constitut. 16. Alexand. VII. tom. 6.

XVI.

Confirmatur Decretum Ministri Generalis, & Commissarii Indiarum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciscí de Observantia Compromissariorum, quo stabilita fuit alternativa Electionum in Provinciis Indiarum Occidentalium.

Similem alternativam inter Fratres Indos, & Fratres Hispanos, in Indiis tamen ad habitum admissos, Ordinis Eremitarum S. Augustini executioni mandari jussit Urbanus VIII. Constit. 90. Alias a fel. record., *& 91.* Alias fel. record. *Bullar. Roman. tom. 5. pag. 156.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 26. Junii 1677. An. 1.

ILlius qui charitas est, & Deus pacis, vices licet immeriti, gerentes in terris, illa quæ pro stabilienda inter Religiosos viros Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ regula mancipatos animarum concordia, felicique eorum gubernio provide constituta esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio; cum id a Nobis petitur libenter corroboramus.

Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum in Indiis Occidentalibus consistentium Ordinis Minorum Sancti Franciscí de Observantia nuncupatorum, quod alias postquam in Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1664. celebrato, auditis partibus contendentibus, declarata fuerat certa alternativa in electione Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum in dictis Provinciis in posterum observanda, partes recursum habuerunt, una ad fel. rec. Alexandrum PP. VII. Prædecessorem nostrum pro confirmatione dictæ alternativæ, altera vero hanc impugnando ad Congregationem S. R. E. Cardinalium tunc existentium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, unde una eademque die 20. Junii dicti anni emanarunt a dicto quidem Alexandro Prædecessore literæ in simili forma Brevis pro dicta Alternativa, a præfata vero Cardinalium Congregatione, Decretum de nihil super ea innovando.

Species facti breviter hic descripti, sed fusius in sequenti Decreto.

Cumque in Capitulo, etiam Generali ejusdem Ordinis anno 1670. auditis similiter partibus, iterum statutum fuisset Alternativam hujusmodi debere observari, nec tamen observatum, altera ex partibus obedire renuente; novissime in proxime præterito Capitulo Generali Ordinis hujusmodi causa iterum proposita, ejus resolutio a Generali Diffinitorio compromittente dilectis filiis Ministro Generali dicti Ordinis, & Commissario Indiarum in Curia Madritensi residenti ejusdem Ordinis fuit commissa, & præfata Cardinalium Congregatio die 12. Junii 1676. commisit eisdem, ut etiam auctoritate ipsius Congregationis, litibus finem imponerent, & prout secundum Deum judicavissent expedire providerent.

§. 2. Unde ipse Minister Generalis, & Commissarius Indiarum vigore compromissi, & auctoritate Congregationis hujusmodi die 26. Aprilis proxime præteriti Decretum tulerunt, cujus de Hispanico idiomate in latinum versi tenor est qui sequitur videlicet: Nos Fr. Joseph Ximenes Samaniego totius Ordinis S. P. N. Franciscí Minister Generalis, & Fr. Joannes Luengo Indiarum Commissarius Generalis Compromissarii Capituli Generalis Romæ celebrati sub festo Pentecostes anni præteriti 1676. vigore Decreti sequentis: Pro Causis Provincias Indiarum Occidentalium concernentibus, quæ in hoc Capitulo fuerunt propositæ Diffinitorium Generale compromittit in Rmum P. Nostrum Ministrum Generalem, & Rmum Patrem Commissarium

Decretum Compromissariorum.

sarium Generalem Indiarum in Curia Regis Catholici consistentem, ut habitis earum notitiis, quæ in Capitulo desiderabantur, provideant & disponant, prout in Domino magis expedire judicaverint. Pro cujus Compromissi adimplemento in hoc Conventu S. Francisci Madriti convenimus, ad decidendum, & determinandum dictas Causas, & id decernendum quod Religionis bono magis expedire judicaremus. Cumque Causarum in dicto Capitulo Generali propositarum una sit stabiliendi, vel revocandi alternativam officiorum in Provinciis duodecim Apostolorum Liman., & S. Antonii delas Charcas, inter Religiosos ex Hispania oriundos, & Indiarum nativos; comperimus in forma sequenti processum fuisse.

Compromissum præcipue spectabat causam firmandi vel revocandi alternativam in Provinciis Indiarum Occidentalium.

§. 3. Quod in Capitulo Generali Romæ de anno 1664. ad instantiam, & exhibitionem Patrum Custodis Limani, Custodis delas Charcas, Prominístri, & Custodis de Quinto, Prominístri, & Custodis Sanctæ Fidei, & Prominístri de Chile Provinciarum Peruan. die 5. Junii in Diffinitorio Generali emanavit Decretum sequens -- Supposita Provinciarum petitione, conceditur alternativa, sicut in nova Hispania uti solet, & quod pro parte Patris Prominístri Limani habitus fuit recursus ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, ut dicti Decreti executio impediretur, & citatis partem facientibus supradictis die 29. Junii ejusdem anni, & die 20. immediate sequenti hujusmodi recursus in dicta Congregatione admissus fuit, mandatumque -- Supersederi in executione præfati Decreti omnino -- quodque sub eadem data 20. Junii ad instantiam dictorum Prominístrorum, & Custodum obtentum fuit Breve ab Alexandro Papa VII., quo dictum Alternativæ Decretum confirmari, & executioni demandari injunxit. Et quod Rmus Pater Frater Andreas Guadalupe Commissarius Generalis Indiarum visis dictis Brevi, & Decreto per suas patentes jussit executioni quoque demandari, authenticatoque toto negotio per Regium Indiarum Consilium actum fuit desuper in Diffinitorio Provinciæ Limanæ prædictæ 30. Septembris 1666., & majori votorum suffragio resolutum fuit, quod desuper fieret supplicatio, præfixo ad id per Commissarium Generalem Provinciæ biennii termino, ut exhiberentur inconvenientia allegata; subindeque in Capitulo generali Vallisoletano anno 1670., iterum stabilita fuit dicta Alternativa generaliter pro Provinciis Indiarum Occidentalium Reverendissimo Indiarum Commissario Generali dato in mandatis, ut illam ad executionem deduci procuraret in illis Provinciis, quibus effectum sortita non fuerat.

Quid in hac Causa hinc inde antea gestum fuerit.

Quid decretum fuerit in Congregat. Episc. & Regul.

Quid in Brevi Alex. VII.

Quid in Definitorio Provinciæ Limanæ.

Quid in Capitulo Generali Vallisoletano.

Cumque in dictis Provinciis Limana, & de Charcas sequuta non fuisset executio pro eo, quod allegabant non adfuisse proponendorum supplicationis, & motivorum opportunitatem in Congregatione generali Toletana anni 1671. jussum fuit Diffinitoria dictarum Provinciarum suas proximo Capitulo Generali informationes exhibere, suspensa interim dictorum Statutorum executione, ad cujus jussionis normam in proximo Capitulo Generali Romano 1676. exhibitæ fuerunt informationes dictorum Diffinitoriorum ex una, & altera partibus cum Instrumentis facultativis Religiosorum in Hispania progenitorum, aliæ itidem allegationes, & Informationes, & quia opus erat quibusdam notitiis hac in Curia procurandis Diffinitorium generale fecit in nos Compromissum, prout in supra scripto Decreto. Tandemque, ne resolutioni obstaret Sacræ Congregationis Regularium inhibitio anno 1664. ad eamdem recursum fuit facta relatione Commissionis nobis super hac Causa a Capitulo generali proximo Delegatæ, institumque fuit revocari dictum inhibitivum Decretum, nobisque committi Causam. Unde ab eadem Congregatione emanavit sequens Decretum --- Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, veris existentibus narratis, & prævia suprascripti Decreti ab ipsa Sac. Congregatione de anno 1664. emanati revocatione, censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore committit Patri Ministro Generali Ordinis, & Patri Commissario Generali Indiarum, ut conjunctim procedentes ad præscriptum Decreti Capituli Generalis circa Jus prædictæ alternativæ id statuant, atque decernant, quod pro eorum arbitrio, & prudentia, quieti, & beneficio præfatæ Provinciæ Limanæ in D. magis expedire censebunt. Non obstantibus quibuscumque, Romæ 12. Junii 1676.

Tandem in altero Capitulo Generali Romano constituti fuerunt Compromissarii Magister Generalis, & Commissarius Indiarum.

Eisdem a Congregat. Episc., & Reg. commissum fuit, ut causa finiretur.

§. 4. Quibus omnibus per nos inspectis ex Instrumentis authenticis nobis exhibitis, visisque partium hinc inde informantibus, ponderatisque utrinque allegatis, aliisque omnibus pro firmiori resolutione considerandis auctoritate nobis concessa non solum ex compromisso prædicto Diffinitorii Capituli Generalis, verum etiam ex relato Sacræ Congregationis Regularium Decreto ordinamus, & mandamus stabiliri, & observari in dicta Provincia duodecim Apostolorum Limana Alternativam officiorum inter illius Religiosos in Indiis procreatos, & in Hispaniis progenitos, & de facto illam stabilimus forma sequenti.

A Compromissariis firmata est alternativa in Provincia Limana.

§. 5. Quod Provincialis uno triennio eligatur, & sit ex una parte, adeout si obierit, aut alia de causa durante triennio vacaverit Minister Provincialis, Vicarius usque ad celebrationem Capituli sit, & eligatur ex eadem parte, alioque triennio eligatur, & sit ex alia, servata eadem forma. Custos vero si adfuerit eligatur, & sit ex illa parte, ex qua non est Provincialis in dicta forma, & ex quatuor Diffinitoribus duo semper ex una, & duo reliqui ex altera partibus sint, & eligantur. Quo vero ad Guardianos, & alia officia de voto, eligantur indifferenter ex utraque parte secundum qualitatem, merita, & idoneitatem personarum, itaut Guardianus Domus Principalis semper alternetur ex utraque parte de Triennio in Triennium, & omni tempore (præter Provincialem, aut Custodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adsint ex minori parte saltem decem cum Guardianatibus, & Officiis de voto ad hoc ut ex illis majori libertate possint eligi duo Diffinitores. Quo ad lecturas autem, & alia officia tam honoris, quam oneris eligantur indifferenter servata justitia distributiva, & habito respectu majorum meritorum, & majoris idoneitatis juxta Constitutiones generales Ordinis, super quo conscientias Electorum oneramus.

Modus servandus in d. Alternativa Officiorum.

§. 6. Quoad Provinciam Sancti Antonii delas Charcas vigore ejusdem compromissi ordinamus, statuimus, & mandamus observari eamdem Alternativam inter Religiosos natos in Indiis, & natos in Hispaniis eadem forma, qua statuimus, & ordinavimus pro d. Limana Provincia, præterquam quod attento pauciori numero Officiorum de voto ordinamus, quod decem Officia de voto, quæ pro Provincia Limana mandavimus eligi saltem ex parte minori in Provincia delas Charcas sint sex ad hoc, ut cum libertate eligantur duo Diffinitores ex gremio Capituli, & observetur quantum fas erit justitia distributiva.

Eadem alternativa statuta est in Provincia S. Antonii delas Charcas.

§. 7. Insuper cum altera ex Causis in dicto Capitulo Generali Romano proximo propositis, & pro qua Diffinitorium generale compromissum fuit in nos, fuerit, quod cum in Provincia Sancti Josephi de Tuetan tria Religiosorum genera reperiantur, quorum alii, qui post susceptum in Hispania habitum emissarii Cachupines, alii, qui in Hispania progeniti in ipsa Provincia Indiarum habitum susceperunt Provinciæ filii; alii, qui in Indiis ex Parentibus, seu Descendentibus proge-

In Provincia S. Josephi de Tuetan stabilita est alternativa inter Filios Provinciæ, ac Cachupines ex una partes, & Criollos ex altera.

niti

niti Criollos nuncupantur. Cumque in dicta Provincia adsit alternativa stabilita, & executioni demandata, unam illius partem constituunt nuncupati Criollos, & filii Provinciæ, quamvis soli Criollos filiis Provinciæ, & Cachupines vocatis simul junctis numero majores existant. Unde cum ista dispositio sit minus conformis justitiæ distributivæ, institum fuit pro parte Provinciæ, ut filii Provinciæ aggregarentur illis Cachupines vocatis adhoc, ut taliter distribuerentur Officia Provinciæ in partes æquales, aut quasi æquales, quo per nos inspecto, captisque convenientibus Informationibus vigore dicti Compromissi, ordinamus, statuimus, & mandamus, quatenus dicti filii Provinciæ se aggregent Cachupinis, & ex hujusmodi aggregatione una pars constituatur, solis Criollis alteram facientibus, inter quas observetur alternativa modo quo in dicta Provincia stabilita est, juxta Constitutiones generales Ordinis pro Indiis Occidentalibus.

§. 8. Quas resolutiones, & Decreta per nos statuta, & ordinata mandamus in virtute S. Obedientiæ ab eis, ad quos pertinet executioni respective demandari in dictis Provinciis sub pœna nullitatis contrafaciendorum, revocantes ad hunc effectum præcise quamcumque aliam Ordinis Constitutionem, quatenus opus sit, ac mandantes, quod principium detur dictæ Alternativæ in dictis Provinciis de Lima, & Charcas eligendo Provincialem illius partis, ex qua actualiter (quando præsentes intimabuntur) non fuerit Provincialis actualis, qui pro tempore rexerit. Ita decernimus, ordinamus, statuimus, & mandamus in supradicto Conventu Sancti Francisci Madriti 26. Mensis Aprilis 1677.

Joseph Ximenes Samaniego Minister Generalis.

Fr. Joannes Luengo Commissarius Generalis Indiarum.

Preces fratrum in Provinciis Occidentalib.

§. 9. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat omnia in decreto hujusmodi contenta sint justa, & rationi consentanea, nec aliter melius, quam per eorum observantiam paci, ac quieti dictarum Provinciarum consuli posse credatur: nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 10. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii Prioris Generalis dicti Ordinis eisdem Cardinalibus facta, præinsertum Decretum a dictis Ministro Generali, & Commissario Indiarum Compromissariis, auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium factum, illiusque tenorem, & dispositionem circa electionum Alternativam auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac Apostolicæ auctoritatis præsidio munimus, itaut in omnibus plenarium sortiatur effectum, & aliis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur.

Confirmatur a Pontifice Decretum de alternativa.

Clausulæ.

§. 11. Irritum enim, & inane, quidquid secus attentatum fuerit, declaramus, & eos, qui Decreti firmitatem, sub quovis prætextu infringere præsumpserint, pœnis privationis vocis activæ, & passivæ, privationis officiorum, aliisque arbitrio nostro imponendis subjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 12. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis præfatarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XVII. Permittitur Prioribus Localibus Congreg. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, ut consentiente Eremi Capitulo per se valeant sibi subditis Eremitis dare licentiam pernoctandi extra Eremos intra spatium quinquaginta milliarium.

Vide Constit. 4. Clem. X., quæ incip. Ut in Congregatione. *Tom. VI. in Append. fol. 8.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 15. Julii 1677. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Maria a Neapoli Major Congregationis Eremitarum Camaldulen. Montis Coronæ quod cum fel. record. Clemens Papa X. prædecessor noster per quasdam suas, in simili forma Brevis literas, inter alia præceperit, & mandaverit, ut postquam a Capitulo generali, vel Majore, & Visitatoribus dictæ Congregationis familiarum, in singulis Eremis ipsius Congregationis assignatio facta, & illi qui toto anni decursu, cum debitis Priorum localium licentiis, propter urgentem aliquam necessitatem, Eremis per quinquaginta milliarium spatium, Juxta præscriptum Constitutionum ejusdem Congregationis, a rec. me. Clemente Papa Nono prædecessore pariter nostro specifice confirmatum egredi possunt, deputati fuissent, nec ullis Prioribus localibus, nec ullis Deputatis ad negotia sine licentia Majoris, & Visitatorum prædictorum, semel in anno obtinenda intra spatium quinquaginta milliarium hujusmodi, neque ullis dictorum Priorum subditis, sine speciali eorumdem Majoris, & Visitatorum licentia, toties quoties impetranda, Eremis egredi, ac extra illos pernoctare, de cætero ullo modo liceret,

Prioribus autem localibus, ex aliqua urgenti necessitate extra Eremos existentibus eorum Vicarii, sive Superiores in Eremis remanentes nullam haberent facultatem concedendi aliis, quam Oblatis non professis licentiam egrediendi, & pernoctandi extra Eremos, & alias prout in dictis literis plenius continetur; enatum est dubium, an penes Priores locales dum præsentes sunt remanserit facultas intra minus spatium, quam quinquaginta milliarium hujusmodi concedendi Eremitis sibi subditis licentiam pernoctandi extra Eremos prout ejusmodi facultas eis per Constitutiones prædictas concessa reperitur. Quia vero dd. Priores locales quoad hanc partem in prædictis literis nominati non sunt, nec facultas prædicta eis quoad minus spatium, quam quinquaginta milliarium expressi sublata est, videntur ipsi Priores remanere cum jure eis per dictas Constitutiones concesso dandi eorum subditis professis licentiam pernoctandi extra Eremos intra minus spatium, quam quinquaginta milliarium hujusmodi, occurrentibus multis negotiis, quæ Oblatis committi nequeunt, nec dilationem patiuntur cum exquiri, & expectari non possit licentia Majoris, & Visitatorum, prædictorum tum propter longinquam eorum in Eremo Montis Coronæ residentiam, tum etiam quia majore anni parte per longinquas Provincias etiam extra Italiam Eremos dictæ Congregationis visitandi gratia iter agunt. Quare prædictus Josephus Maria Major nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Quæritur, an Prioribus Localibus d. Congregat. etiamnum competat facultas sibi a Constitutionibus concessa.

Videtur competere ob nonnullas rationes.

§. 1. Nos igitur ipsius Josephi Mariæ Majoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolven., & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut Priores locales prædicti cum consensu tamen Capituli, suarum respective Eremorum; Eremitis Professis sibi subditis, propter occurren. necessitates licentiam pernoctandi extra easdem Eremos, intra quinquaginta milliaria in eorum Hospitiis, & locis per Constitutiones prædictas præscriptas, absque alio consensu Majoris & Visitatorum prædictorum concedere libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Majoris ejusdem Congregationis.

Conceditur dicta facultas dummodo adsit consensus Capituli Eremi.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, & validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Julii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Erigitur Confraternitas Almæ Domus Lauretanæ nationis Picenorum de Urbe in Archiconfraternitatem, eique conceditur facultas ad se aggregandi alias ejusdem Instituti Confraternitates, nec non his impartiendi suas Indulgentias. XVIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Julii 1677. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis Christifidelium Nationis Picenorum in Alma Urbe nostra commorantium sub denominatione Almæ Domus Lauretanæ canonice erectæ, quod dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 14. Aprilis 1633. expeditas literas eandem Confraternitatem sub denominatione præfata auctoritate Apostolica perpetuo erexit, & instituit, ac illi sic erectæ, ejusque Confratribus, & Consororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes sub certis modo, & forma tunc expressis itidem perpetuo concessit, & alias prout in eisdem literis uberius continetur.

Species facti.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Confraternitatem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Confraternitatis.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Hujusmodi supplicationibus inclinati, Confraternitatem prædictam in Archiconfraternitatem cum omnibus, & singulis prærogativis, juribus, honoribus, & præeminentiis solitis, & consuetis auctoritate præfata tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio perpetuo pariter erigimus, & instituimus; Ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectæ Officialibus, & Confratribus præsentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti extra Urbem prædictam ubicumque locorum existentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis rec. me. Clementis PP. VIII. prædecessoris pariter nostri desuper editæ aggregare, illisque omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati sic in Archiconfraternitatem a nobis erectæ a memorato Urbano prædecessore concessas communicare libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

Erigitur Confraternitas Picenorum in Archiconfraternitatem.

Ei permittitur, ut valeat alias ejusdem Instituti Confraternitates aggregare, eumque illis suas Indulgentias communicare.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus,

Clausulæ.

& per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, supradictæ Confraternitatis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Julii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XIX. Reducuntur ad antiquam formam Immunitates, seu Franchitiæ Gabellarum in Dohana Urbis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 14. Aug. 1677. An. 1.

Exordium.

ROmanus Pontifex omnium Christifidelium Pater, & Pastor a Domino constitutus, sicuti Pastoralem vigilantiam, spiritualiumque providentiam Catholicæ Ecclesiæ quantum divina bonitas largitur, assidue repræsentare studet, ita & temporalium circumspectione suorum, & Apostolicæ Sedis, etiam quoad temporalia Subditorum indemnitati consulere, eaque de causa abusus in grave Cameræ Apostolicæ, publicæque utilitatis detrimentum introductos resecare satagit, prout æquitatis, & justitiæ ratio suadet, reique publicæ salus exposcere comperitur.

Causa Constitutionis.

§. 1. Ad nostram siquidem notitiam pervenit, quod Gabellæ, & Dohanæ Almæ Urbis nostræ, & membrorum illis annexorum, propter excessivas immunitates, seu franchitias Ministrorum Cameralium, & aliorum exemptorum, in maxima perturbatione versantur. Et quia, nisi ejusmodi incommodis occurratur, inde grave, atque irreparabile damnum, non solum d. Cameræ, sed etiam toti Urbi prædictæ; ac temporali S. R. E. ditioni, quinimo, & exteris Montistis, & aliis Creditoribus, quibus redditus Dohanarum, & Gabellarum hujusmodi obligati sunt, nasceretur. Ideo nos antiquos Gabellarum hujusmodi appaltus, & quomodo tunc temporis immunitates, seu franchitiæ prædictæ procederent, diligenter exquiri mandavimus: repertum autem fuit sæculo proxime præterito, & præsertim in appaltibus, qui sub fel. rec. Paulo III. anno 1535., Paulo IV. anno 1555., & Pio IV. anno 1564., Gregorio XIII. annis 1577., & 1583., Sixto V. anno 1585. & Clemente VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, anno 1593. resp. ective facti fuerunt, nulla in antecessum superstite in contrarium memoria, ac etiam per quædam capitula super reformatione Dohanarum hujusmodi edita, & per recol. me. Julium PP. III. prædecessorem pariter nostrum Motu proprio confirmata, dispositum fuisse, ut ejusdem S. R. E. Cardinales, ac Thesaurarius generalis, Clerici Præsidentes, & Ministri Cameræ prædictæ, omnesque alii exempti ratione mercium, & rerum quæ pro eorum proprio usu advenirent, & non aliter a Dohanis, & Gabellis hujusmodi exempti esse deberent, ejusmodi autem res cum eorum mandatis, propria eorum manu subscriptis, relaxarentur, prout solitum esse ibi narratur, utque eædem res sic absque solutione Gabellarum relaxatæ, vendi nequirent, nisi facta ejusmodi venditionis notificatione Dohaneriis, sive Dohanarum redemptoribus, ut illis Dohana refunderetur, alioquin fraus commissa censeretur. Verum ab aliquo citeriori tempore, nempe circa finem Pontificatus Clementis prædecessoris prædicti, sive per incuriam, sive per inconsultam facilitatem illorum Ministrorum Cameralium, quibus ex officii debito capitula appaltus formare, ac indemnitati Cameræ prædictæ consulere incumbebat, ampliari cœptas fuisse immunitates, seu franchitias ad res, quas dicti exempti in tabernis mercatoriis, apothecis, & repositoriis, sive ut vulgariter dicitur -- *Nelli Fondachi, Botteghe, e Magazzeni*-- emerent.

Mos antiquus utendi Franchitiis Gabellarum in Dohana Urbis.

Abusus postea introductus.

§. 2. Cum autem experientia compertum sit, detrimenta, quæ per excessivas immunitates, seu franchitias hujusmodi Cameræ prædictæ inferuntur, ex inconsulta, nec ullo titulo suffulta ampliatione hujusmodi, quæ etiam Legum, & Constitutionum Apostolicarum dispositioni adversatur, oriri; hinc est, quod nos incommodis prædictis occurrere, ac dictæ Cameræ, & privatorum interesse habentium, prout summa justitiæ, æquitatisque ratio postulat, indemnitati providere cupientes, ac omnium, & singulorum appaltuum, Dohanarum, & Gabellarum hujusmodi hactenus factorum, etiam auctoritate Apostolica confirmatorum, instrumentorumque publicorum desuper celebratorum, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum a dictis Dohanis, & Gabellis S. R. E. Cardinalibus, ac Thesaurario Generali, Clericis præsidentibus, aliisque Ministris Cameralibus prædictis, ac aliis exemptis quandocumque, & quomodocumque factarum, Literarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, Cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis prædecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum, Literarum, & scripturarum tam publicarum, quam privatarum desuper quomodolibet emanatarum, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatarum, & innovatarum tenores, etiam veriores, & datas, causas, & occasiones, aliaque omnia, & singula, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime, & accuratissime specificatis habentes: Motu proprio, non ad cujusquam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus firmius, & validius facere possumus, usum illum antiquiorem, qui circa immunitates, seu franchitias prædictorum Cardinalium, & Thesaurarii generalis, Clericorum præsidentium, aliorumque Ministrorum Cameralium, ac aliorum exemptorum sub Pontificatibus memoratorum, Pauli III., Julii III., Pauli IV., Pii IV., Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII. prædecessorum, ut præfertur, servabatur, tenore præsentium innovamus, & reducimus, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere statuimus, decernimus, & ordinamus. Inconsultam verò, nec ullo titulo suffultam ampliationem, & innovationem prædictam, quam quidem sub Constitutionibus exemptionum, & franchitiarum revocatoriis similis memoriæ Pauli V., Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VIII., Clementis IX., & Clementis X. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter nostrorum, ac etiam nostra comprehensam esse

Firmatur mos antiquus Franchitiarum.

Revocantur omnes immunitates, quoad abusum recenter introductum.

præ-

prætendi posset, itidem perpetuo cassamus, irritamus, tollimus, perimimus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus. Adeo ut inposterum omnes præfati, & quicumque alii immunes, & exempti, etiam quavis nota speciali digni sint, ac esse debeant immunes, & exempti pro illis tantum mercibus, bonis, & rebus, quæ ab extra pro solo eorum usu, ut supra, & infra, per eos introducentur.

Injungitur Ministris Camerali-bus, ut antiquam formam ser-vent in Capitulis Dohanarum.

§. 3. Ac propterea dilectis filiis modernis, & quandocumque futuris nostro, & S. R. E. prædictæ Camerario, Vicecamerario, Thesaurario Generali, Præsidentibus Clericis, Commissario Generali, cæterisque dictæ Cameræ Officialibus, & Ministris, ad quos ea res spectat, & pro tempore spectabit, harum serie in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis pœnis districte præcipimus, injungimus, & mandamus, ut deinceps tam in primo, quam successive quandocumque faciendis appaltibus Dohanarum, & Gabellarum Urbis prædictæ, illisque annexorum circa immunitates, exemptiones, & franchitias ejusdem S. R. E. Cardinalium, tam Cameralium, sive eorum, qui in Camera prædicta sederunt, seu pro tempore sederint, quam non Cameralium, ac Vicecamerarii, Thesaurarii Generalis, Clericorum Præsidentium, Commissarii Generalis, cæterorumque Officialium, & Ministrorum dictæ Cameræ, & aliorum quorumvis exemptorum, immunium, & privilegiatorum, etiam specifica, & individua mentione dignorum, ac etiam Personæ nostræ, & Romani Pontificis pro tempore existentis, necnon Palatii Apostolici, pacta, seu capitula eo modo forment, & formari curent, quo antiquitus, ut præfertur, formabantur: ita scilicet, ut prædictis exemptis, & immunibus illæ dumtaxat merces, & res, in quibus immunitates frui consueverunt, sine Gabellarum, & Dohanarum hujusmodi solutione, quas proprii usus gratia, & non aliter advehi curaverint. Ac etiam hæc cum mandatis per ipsos principales, non autem per eorum ministros subscriptis, & eorum sigillo munitis relaxari, nec hujusmodi mandata aliter subscribi, seu aliter expedita admitti debeant: quinimo etiamsi mandata ipsa sub hac forma expedita fuerint, admittantur tamen solummodo pro illis mercibus, & rebus, quæ in ea sint quantitate, ut verisimile sit eas usui proprio mandantis exempti, non autem ejus consanguineorum, vel affinium, aut aliorum, etiam in ejus domo habitantium, servituras esse. Res autem sic introductæ, & sine Gabellarum solutione admissæ nequeant vendi, aut donari, vel alio quocumque modo concedi, etiam consanguineis, vel affinibus, licet exempto, seu privilegiato in ejus domo cohabitantibus, multoque minus mercatoribus, tabernariis, sive apothecariis, cauponibus, stabulariis, scrutariis, propolis, aliisve quibuslibet personis, præterquam propriis famulis veris, & actualibus, vel consanguineis, aut affinibus, qui ex obligatione ipsorum exemptorum, seu privilegiatorum impensis sustententur, itaut si quocumque modo distrahantur, & de eo sufficienter constiterit juxta alia mandata, quæ hodie dilecto filio Magistro Joanni Ginetto Cameræ prædictæ Thesaurario Generali dedimus, eo ipso fraus commissa censeatur, & res ipsæ in commissum cadant. Porro formam circa mandatorum hujusmodi subscriptionem, illorumque admissionem per præsentes præscriptam ex nunc perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & adamussim servari, nec mandata ipsa aliter admitti volumus: quod si mandata quidem ipsa secundum formam prædictam concepta fuerint, incidere vero possit dubium, utrum sint excessiva, & inverisimilia, ejus rei cognitio, & decisio non ad Thesaurarium, vel Commissarium Generales prædictos, aut Dohanerios, seu Dohanarum, & Gabellarum hujusmodi Conductores spectet, sed illius declaratio, & determinatio privative ad quoscumque alios ad Congregationem Cameralem a nobis erectam, & deputatam tantisper pertinere debet, donec, & quousque taxa immunitatum, sive franchitiarum hujusmodi pro unoquoque exempto, sive immuni nostro, seu Romanorum Pontificum Successorum nostrorum jussu facta fuerit, quam subinde perpetuo servari volumus. Ut autem ab eadem Congregatione cognosci, & judicari possit, an res, quæ introducentur sint proportionatæ proprio usui introducentis, vel excessivæ, aut in fraudem introductæ, mandamus, & decernimus, ut Dohanerii, eorumque Ministri revidere possint, imo debeant, vidulos, involucra, capsas, & arculas, aliaque, quibus res hujusmodi inclusæ fuerint, eodem modo, quo fieri solet circa res illorum, qui nullo immunitatis, vel exemptionis privilegio suffulti sunt: si vero res fuerint ejusmodi qualitatis, ut id sine detrimento, vel incommodo fieri nequeat, eo casu immunes, seu exempti bona fide quantitatem, & qualitatem rerum in capsis, & aliis prædictis contentarum declarare, & specificare debeant.

Concedi-tur Dohane-riis facultas recognoscen-di involucra, capsas &c.

Si vero ex recognitione merces pa-tiantur detri-mentum, stan-dum fidei ex-emptorum.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod Camerarius, aliique Cardinales, Vicecamerarius, Thesaurarius Generalis, Præsidentes Clerici, Commissarius Generalis, cæterique dictæ Cameræ Officiales, & Ministri, aliive quicumque exempti, & privilegiati, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, specificatæ, vel ullatenus justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; neque ipsas præsentes Literas sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, & Ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus quandocumque, & quomodocumque, etiam per viam legis, & Constitutionis generalis, seu Statuti perpetui faciendis, unquam comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub data posteriore concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, &

Clausulæ.

Præscribi-tur modus observandus in mandatis ab Exemptis faciendis pro usu proprio tantum.

Prohibetur exemptis venditio, & donatio re-rum introduc-tarum.

Cognitio, an merces excedant usum exemp-torum, committitur Congr. Ca-merali.

adim-

adimpleri; ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri.

§. 5. Atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium; & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, ipſorumque Cardinalium Collegium, ac Vicecamerarium, Theſaurarium, Præſidentes Clericos, Commiſſarium, cæteroſque dictæ Cameræ Officiales, & Miniſtros, & quoſcumque, quavis poteſtate, præeminentia, & auctoritate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, & prædicti Pii IV. prædeceſſoris de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, itaut præſentes literas ibidem præſentari, & regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cameræ prædictæ, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtylis, & uſibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, Chirographis, Cedulis motuum propriorum, inſtrumentis Appaltuum, aliisque ſcripturis, & literis Apoſtolicis prædictis, & aliis quibuſvis, etiam quantumcumque qualificatis, & ſpeciali mentione dignis perſonis, ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac mentis atteſtativis, reſtitutoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam contractus jurati cum dicta Camera initi, & Camerali obligatione vallati vim habentibus, aliove quovis robore, & cautela munitis, ac alias de neceſſitate exprimendis, ſeu alias quovis modo, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adhoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, & occaſiones, ac cauſas præſentibus pro plene, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo expreſſis, & inſertis, ac ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe ac pleniſſime, & ampliſſime derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 7. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus pariter illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, quæ ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent.

§. 8. Utque earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Aug. MDCLXXVII. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diſmembratur Oppidum S. Ludovici de Maragnano a Diœceſi Braſilienſi, & Civitas eſſe decernitur, ejuſque Eccleſia D. Victoriæ dicata Cathedralis conſtituitur. XX.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Dat. 29. Sept. 1677. An. I.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SUper univerſas Orbis Eccleſias, Deo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam ſine meritis conſtituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos noſtræ Mentis more pervigilis Paſtoris inſpecturi quid Provinciarum, & locorum quorumlibet ſtatui, & decori, quidve incolarum animarum ſaluti congruat, diſponi debeat, divinoque fulti præſidio dignum quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales Sedes plantare, ut per hujuſmodi novas plantationes Popularis augeatur devotio, divinus floreat cultus, Eccleſiaſtica adminiſtrentur Sacramenta, ac animarum ipſarum ſalus ſubſequatur, Locaque ipſa dignioribus titulis illuſtrentur, & Populi eorum Præſulum aſſiſtentia, regimine, & doctrina ſuffulti, cum Apoſtolicæ auctoritatis amplitudine, & Orthodoxæ fidei augmento proficiant ſemper in Domino, & quod in temporalibus ſunt adepti, non careant in ſpiritualibus, præſertim cum id piorum, ac nobilium Principum devotio expoſcit.

Cauſa hujus Diſmembrationis.

§. 1. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Petrus Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, pio præponderans affectu, quod Populi illius partis Baſiliæ, quæ nuncupatur Provincia de Maragnano, attenta longiſſima diſtantia a Civitate Bahiæ omnium Sanctorum reſidentia Epiſcopi Baſilien., cujus eſt Diœceſis, & ad illam difficillimo acceſſu multa incommoda præcipue circa confectionem Olei Sancti, adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis, & exercitium officii Paſtoralis paſſi jam ſunt, & in dies patiuntur, & opera, ac miniſterio variorum Religioſorum, & aliorum doctrina inſignium, & vitæ approbatorum virorum, quos idem Petrus Princeps Progenitorum ſuorum veſtigia ſecutus nullis parcens laboribus, & expenſis ad verbum Dei inibi, illarumque partium Incolas, & habitatores ad fidem Catholicam, extra quam nulla eſt ſalus perducendos ſtudioſiſſime tranſmitti curaverit, Divina cooperante gratia infinitæ propemodum gentes Divini, humanique Juris eatenus expertes, diſcuſſis inde Sathanæ tenebris ad agnitionem veri luminis, & Sanctum Baptiſmatis lavacrum, Sanctæque Matris Eccleſiæ gremium acceſſerunt, & in dies magis accedunt, eiſque rationibus Religio Chriſtiana in illis partibus ſic longe, lateque propagata ſit, ut Epiſcopus Braſilien. pro tempore exiſtens ad illam, ejuſque fines citra grave periculum tranſmeare, ac ſingulorum vultus, ut Epiſcopum decet, inſpicere, aliaſque partes boni Paſtoris in Univerſum exercere nequeat:

Oppidum S. Ludovici deſcribitur.

§. 2. Attendens quod in dicta Provincia Maragnani ultra alia notabilia loca, reperiatur unum Oppidum Civitas nuncupatum Sancti Ludovici a bis mille Chriſtifidelibus inhabitatum, & Regum Portugalliæ dominio ſubjectum, aeris ſalubritate, ac Populi frequentia, & commercio, pluribuſque virorum Monaſteriis inſigne, cujus Incolæ generis nobilitate, literarumque, & armorum gradibus decorantur, & in dicti Oppidi Sancti Ludovici una Eccleſia Matrix, & principalis

cipalis alteris mihi existentibus major, sub invocatione Nostræ Dominæ Victoriæ, in qua per Vicarium, & nonnullos Presbyteros propriis redditibus ex ærario Regio viventes, Missa, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur jampridem erecta, & fundata existit; propterea quæ dictum Oppidum Sancti Ludovici a Diœcesi Brasilien. dismembrati, & in Civitatem, dictaque Ecclesia in Cathedralem erigi, & in ea Catholicum Antistitem, & Pastorem proprium instituí, qui illos, adhuc debiles in ipsa fide, confirmare, & majora Ecclesiastica Seminaria plantare, Dominicisque ovibus septa ædificare, cæteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere possit, & debeat omnino expediret, cum præsertim in compluribus Oppidis, & locis ejusdem Provinciæ de Maragnano multæ, & diversæ Ecclesiæ, ac Virorum Monasteria, aliaque Sacra loca fundata, & erecta reperiantur, devotionis suæ zelo ductus, Populisque in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset:

Preces Petri Principis, & Gubernatoris Regnor. Portugalliæ, & Algarbior.

§. 3. Nos matura super his cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habita deliberatione, dicto Petro Principe, & Gubernatore per ejus literas Nobis ad hoc humiliter supplicante, Oppidum prædictum Sancti Ludovici Episcopali, & Civili titulo dignum judicantes, piisque dicti Petri Principis votis libenter annuentes, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, & assensu, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Oppidum Sancti Ludovici prædictum cum dicta Provincia Maragnani, ac omnibus suis Castris, Oppidis, Villis, Territoriis, & Districtibus Ecclesiasticis, & personis tam Sæcularibus, quam Ecclesiasticis ab ordinaria Jurisdictione Episcopi Brasilien. perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia quoad legem Diœcesanam ab Episcopi Brasilien. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus; ac Oppidum Sancti Ludovici prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem, quæ Sancti Ludovici denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Nostræ Dominæ Victoriæ dicatam in Cathedralem Ecclesiam, sub invocatione ejusdem nostræ Dominæ Victoriæ pro uno Episcopo Sancti Ludovici nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam, seu illius structuras perficiat, & ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, nec non in ea, & dicta Civitate, ac ejusdem Ecclesiæ Diœcesi tot Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quot inibi Divino cultui, & dictæ Ecclesiæ servitio, ac Ecclesiastici cleri decori sibi videbuntur convenire, de prædicti Petri Principis, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, & prævia eorum congrua dotatione ab ipsis Petro Principe, & Regibus Portugalliæ pro tempore existentibus facienda, quam primum fieri poterit, erigat, & instituat.

Oppidum S. Ludovici cum Provincia Maragnani a Diœcesi Brasilienſi dismembratur, & ab illius Episcopi jurisdictione eximitur.

Oppidum in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedralem eriguntur.

Instituitur Episcopatus cum omnibus juribus, & privilegiis aliorum Episcoporum.

§. 4. Necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ ordinis, quæque Jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & dominiis constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus facere possunt, & debent, facere libere, & licitè possint, & debeant, ac in eadem sic erecta Ecclesia Episcopalem dignitatem cum Sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ hujusmodi de Jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, necnon Episcopali, & Capitulari Mensis, aliisque Cathedralibus insigniis ad Omnipotentis Dei laudem, & Gloriosissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiusque triumphantis Ecclesiæ Gloriæ, & fidei Catholicæ exaltationem de similibus consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Diœcesis termini describuntur.

§. 5. Ac eidem sic erectæ Ecclesiæ, Oppidum S. Ludovici prædictum in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus dictæ Provinciæ de Maragnano a capite Horte per oram Maritimam, & Terram intus usque ad arcem de Scata exclusive pro Diœces., necnon Ecclesias prædicto pro Clero, & Sæculares personas in Civitate, & Diœcesi hujusmodi pro tempore degentes pro Populo de consilio, potestate, & auctoritate similibus etiam perpetuo concedimus, & assignamus.

Subjicitur Metropolitanæ jurisdictioni Archiepiscopi Ulyssiponen.

§. 6. Civitatemque, Diœcesim, Clerum, & Populum Episcopo Sancti Ludovici quoad Episcopalem ordinariam, quo vero ad Metropolitanam jurisdictionem, & Superioritatem eo quod a præscripta Ecclesia Sancti Ludovici longe facilius atque expeditius iter sit Ulyssiponem, quàm Bahiam omnium Sanctorum habita ratione præcipue commodioris commercii, unde sequitur major opportunitas regimini Animarum Archiepiscopo Ulyssiponen. de dictorum fratrum Consilio, & potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo subjicimus, necnon Mensæ Episcopali Sancti Ludovici hujusmodi pro ejus Dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipsum Petrum Principem assignandorum, quam quidem summam idem Petrus Princeps de suis propriis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum redditibus, & specialiter de iis, quæ ex ipsa Regione Brasilien. percipiuntur, gratiose, & irrevocabiliter donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Redditus seu Dos Episcopatus.

Jus patronatus & præsentandi intra annum ad Episcopatum Regibus Portugalliæ conceditur.

§. 7. Et insuper Petro Principi, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regi prædictis, Juspatronatus, & præsentandi infra annum personam idoneam ad dictam Ecclesiam Sancti Ludovici videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici hujusmodi in ejusdem Ecclesiæ Sancti Ludovici Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum; ad majorem vero post Pontificalem, & principales, & alias dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon beneficia erigenda, & per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi congrue dotanda, tam ab eorum primæva erectione postquam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis, & quorumcumque Personis, etiam apud Sedem eamdem, vacare contigerit, Episcopo Sancti Ludovici pro tempore existenti præscripto simili per eum ad præsentationem prædicti Principis Petri, & pro tempore existentium, Portugalliæ, & Algarbiorum Regum factam intra terminum a Jure præfixum in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ex Beneficiis instituendis, eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, & concedimus, ac Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi Petro Principi, & pro tempore existenti Regi prædicto, ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis, & pro tempore existentis Regis prædicti ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutis nullius roboris efficaciæ, & momenti fore.

Item ad alias dignitates, & beneficia.

Etiamsi vacent apud S. Sedem.

Declaratur jus patr. competere ex dotatione, & fundatione, nec ei esse derogandum.

§. 8. Sic-

Clausulæ.

§. 8. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo Jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; Quibus omnibus, & singulis, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, decoris, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, approbationis, reservationis, concessionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se novent incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, Tertio Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

XXI. Permittitur Cardinali Protectori, & Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum potestas dividendi binas Bononiæ, & Marchiæ Provincias in quatuor; ab eisque segregandi nonnulla, vel ad eas aggregandi quædam contiguarum Provinciarum Cœnobia.

Eamdem potestatem fecit Clemens X. Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum in Lusitania. Constit. Pastoralis Officii quo, *Tom. XI. Bull. Rom.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 17. Nov. 1677. An. 2.

Exordium.

Injuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum suave Christi Jugum sub arctioris vitæ instituto laudabiliter portantium curam gerentes, felici prosperoque illorum regimini, & gubernio quantum nobis ex alto conceditur providere jugiter studeamus.

Causa divisionis.

§. 1. Exposuit siquidem Nobis nuper dilectus filius noster Nicolaus S. R. E. Diaconus Cardinalis Acciajolus nuncupatus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod cum Provinciæ Bononien., & Marchiæ dicti Ordinis propter multitudinem Conventuum, & amplitudinem circuitus utriusque illarum, aliasque difficultates, quæ in dies insurgunt, vix possint a suis respective Ministris Provincialibus bis quotannis totæ, sicut Constitutiones Ordinis præfati præscribunt, & spiritualis Religiosorum utilitas exigeret, visitari; ipse Nicolaus Cardinalis Protector de statu Provinciarum hujusmodi, ex Superiorum, aliorumque Fratrum qualificatorum ejusdem Ordinis relationibus edoctus, recto earumdem Provinciarum Gubernio, regularisque observantiæ in eis conservationi plurimum conducibile fore existimat, si utraque illarum in duas dividatur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ejusmodi Provinciarum divisiones absque speciali nostro, & hujus sanctæ Sedis Indulto fieri nequeant. Nobis propterea dictus Nicolaus Cardinalis, & Procurator humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Divisio Provinciarum fieri nequit absque speciali Indulto S. Sedis.

Preces Card. Protectoris.

§. 2. Nos igitur ipsius Nicolai Cardinalis, & Protectoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Nicolao Cardinali, & Protectori, ac dilecto filio Ministro Generali dicti Ordinis, ut ipsi per se ipsos, vel per aliquos fratres expresse professos Ordinis prædicti, quos ad id censuerint delegandos, utramque ex Provinciis Bononien., & Marchiæ prædictis in duas dividere, ac quoscumque fratres cujuslibet ex Provinciis hujusmodi respective ad concursum passivum ad Diffinitoratum in Capitulo dicti Ordinis proxime celebrando, prout secundum Deum expedire eis videbitur pro hac vice tantum habilitare, necnon sive in actu divisionis hujusmodi, sive postea secundum temporis exigentiam, auctoritate nostra Apostolica segregare ab eisdem Provinciis, & aggregare aliis contiguis, ac etiam segregare a Provinciis contiguis Ordinis hujusmodi, & aggregare illis Provinciis, quæ per divisionem hujusmodi noviter formabuntur, illos Conventus, quos ita respective segregari pro majori bono ejusdem Ordinis expedire judicaverint, ac aliam quamcumque provisionem, & dispositionem, circa divisionem, formationem, & gubernium earumdem Provinciarum, quam quælibet emergens causa requirere posset, secundum datam sibi a Domino prudentiam, & pro eorum arbitrio facere libere, licite, & valide possint, & valeant, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam auctoritate Apostolica præfata tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Permittitur Card. Protectori, & Ministro Generali Cappuccinorum, ut utramque Provinciam Bononiæ, & Marchiæ in duas partiri valeant.

Item impertiri vocem passivam quibuslibet Fratribus dictarum Provinciarum.

Necnon ab illis Provinciis segregare, vel ad eas aggregare Cœnobia.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembr. MDCLXXVII. Pontificatus nostris Anno Secundo.

XXII. Reducuntur Magistri, aliive Graduati Ordinis Prædicatorum ad numerum in suis Capitulis Generalibus definitum, & Magistris Generalibus interdicitur, ne in posterum supernumerarios eligant, ab eisque speciales Gratiæ contra

Constitutionum, & Capitulorum generalium dispositiones concessæ revocantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 20 Nov. 1677. An. 2.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus collocati, muneris nostri partes esse intelligimus, ut ea, quæ Religiosorum virorum ordinibus in Ecclesia Dei pie, sancteque institutis detrimentum adferre, regularemque in eis disciplinam perturbare noscuntur, ad æquitatis, & Justitiæ terminos reducere satagamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & religionis felicem progressum, ac incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa Reductionis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) Magistri, aliique Graduati Ordinis Fratrum Prædicatorum, propter assiduum Ministerium, quod eis exhibetur, necnon expensas, quas Communitatibus occasione Capitulorum Provincialium afferunt, ac exemptionem a Choro, aliasque prærogativas, quibus fruuntur, Provinciis ipsius Ordinis valde onerosi existant, & licet certus ejusmodi Magistrorum & Graduatorum pro unaquaque Provincia numerus per Capitula generalia dicti Ordinis, ad petitionem ipsarum Provinciarum, quæ propriarum virium conscia ita ordinari desideraverant, stabilitus reperiatur, cum expressa prohibitione, ne eædem Provinciæ alios petere valeant, neve hujusmodi numerus unquam excedatur, nisi in casu quo Magister Generalis Ordinis prædicti pro tempore existens ex aliqua urgente causa aliter disponeret: nihilominus Magistrorum, aliorumque Graduatorum hujusmodi multitudo in dicto Ordine absque ulla urgenti causa per nimiam præteritorum Magistrorum Generalium ipsius Ordinis facilitatem, atque indulgentiam adeo excreverit, ut Provinciis prædictis intolerabilis existat, & quod pejus est, inter eos nonnulli reperiantur ad magisterium, aliosque gradus promoti, qui officia per Constitutiones Ordinis præfati ad id præscripta non exercuerunt, sed cum quibus perinde ac si officia hujusmodi exercuissent dispensatum fuit.

Numerus Magistrorum, aliorumque Graduatorum fuit in Capitulis Generalibus unicuique Provinciæ præscriptus.

Magistro Generali facta fuit potestas eligendi supranumerarios.

Hinc nimium auctus Graduatorum numerus.

§. 2. Hinc est, quod Nos ejusdem Ordinis, illiusque Provinciarum levamento, & commodis, prosperoque, & felici regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere, regularisque disciplinæ vigorem tueri, & ficubi collapsus sit, restituere cupientes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Magistros, aliosque Graduatos dicti Ordinis ad numerum per Capitula generalia pro unaquaque Provincia respective stabilitum, ut præfertur, itaut in eo numero in singulis Provinciis hujusmodi respective connumerati remaneant; antiquiores tamen, qui functiones, & munera per Constitutiones, & Capitula generalia hujusmodi præscripta realiter, & cum effectu exercuisse reperiuntur, sine ullo tamen præjudicio illorum, qui a Sede Apostolica immediate promoti sunt, quos suis prærogativis supra numerum hujusmodi gaudere volumus, tenore præsentium reducimus.

Reducuntur Magistri, aliique Graduati ad numerum in unaquaque Provincia à Capitulis Generalibus stabilitum.

Excipiuntur supernumerarii a S. Sede promoti.

Alii vero examini subjiciendi, & merentes reperti statim titulo, ac postea data occasione etiam prærogativis Graduatorum fruantur.

§. 3. Porro circa supranumerarios a præfatis Magistris Generalibus promotos, harum serie mandamus dilecto filio moderno Magistro Generali dicti Ordinis, ut adhibito maturo Religiosorum gravium consilio, illorum qualitates, & sufficientiam examinet, & quatenus eos habiles, ac omnia officia per dictas Constitutiones præscripta exercuisse repererit, illos titulo tantum gaudere faciat, quousque secuta vacatione juxta ordinem antiquitatis gradus suscepti ad fruitionem integrarum prærogativarum subintrent: Si vero eos inhabiles, aut munera, seu officia a memoratis Constitutionibus requisita non exercuisse compererit, illos Magisterio, aliove gradu quem obtinent omnino privatos declaret, donec, & quousque studiosis laboribus meritum hujusmodi gradum respective sibi comparasse reperiantur.

Prohibetur, ne Magistri Generales in posterum supernumerarios instituant, nec exemptionem eis concedant, quibus Constit. Ord. non suffragantur.

§. 4. Præterea ad evitandum in futurum Provinciarum, & Communitatum hujusmodi gravamen, præfato moderno, & futuris dicti Ordinis Magistris Generalibus in virtute sanctæ Obedientiæ prohibemus, & interdicimus, ne de cætero Magisterii, aliosve gradus supra numerum sicut præmittitur præscriptum conferre, nec ullam cujusvis generis exemptionem concedere audeant quovis modo, seu præsumant illis Fratribus, qui realiter, & cum effectu laudabiliter non exercuerint illa officia, & non supportaverint illa onera, quæ juxta Constitutionis Ordinis præfati ad obtinendos gradus, & exemptiones hujusmodi respective necessario præcedere debent.

Quamplurimæ tribuuntur speciales gratiæ a Magistris General. contra Capitula Generalia, & Constit. Ordinis.

§. 5. Cæterum quia (sicut pariter accepimus) plurimi in Ordine prædicto reperiuntur Fratres, qui vigore gratiarum specialium a Magistris Generalibus supradictis concessarum, exemptionibus a choro, ac prærogativis loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus contra formam Constitutionum, & Capitulorum Generalium præfatorum fruuntur, in gravissimum dictarum Communitatum, nonnullorumque Fratrum privatorum præjudicium:

Revocantur hujusmodi speciales Gratiæ, & omnino standum decernitur dispositionibus Constit. & Capitulorum Generalium.

§. 6. Nos opportunum his quoque abusibus remedium adhibere, & ne in futurum suboriantur, providere volentes, omnes, & singulas gratias speciales hujusmodi motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones Constitutionum, & Capitulorum generalium hujusmodi inviolabiliter observari præcipimus.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, aliive quilibet in præmissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, nec causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, seu ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his

a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Novemb. MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXIII. Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis tam erectis, quam erigendis Congregationis Clericorum Regularium Barnabitarum in Festis conversionis, & Commemorationis S. Pauli Apostoli.

Dat. 2. Dec. 1677. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apost. Benedictionem.

Exordium. Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ credidit divina dignatio, libenter erogamus, sicut ad fovendam, incitandamque Fidelium erga Sanctos in Cœlis cum Christo regnantes devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Preces Procuratoris Gen. §. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Pauli Antonii Sandriani Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Clericorum Regularium Congregationis prædictæ hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in Conversionis, & Commemorationis ejusdem S. Pauli Apostoli festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Decembris MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Confirmatur Statutum Hominum Artis exonerantium ligna ad Ripam parvam Tyberis, quo adsignatur Hospitali S. Rocchi unus julius pro unaquaque Navi lignis onerata. XXIV.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 4. Dec. 1677. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Statuti Hominum Artis exonerantium ligna. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas, & Homines Artis eorum, qui ligna exonerant ad Ripettam de Urbe, quod singuli Homines d. Artis juxta Statuta Universitatis prædictæ auctoritate Apostolica confirmata, quatuor Julios monetæ Hospitali S. Rocchi de eadem Urbe quotannis solvant adhoc ut dum morbo laborant in d. Hospitale curationis causa recipiantur; dictum vero Hospitale, propter multitudinem ægrotorum, quos in dies recipit, gravia subeat dispendia, quæ vix potest supportare: Ipsi exponentes num. 40., & amplius, insimul congregati præmissis consideratis, unanimi consensu statuerunt, ut præter, & ultra quatuor Julios monetæ hujusmodi, quos annuatim pro eorum quolibet, ut præfertur solvunt, moderni, & pro tempore existentes Homines Universitatis prædictæ unum alium Julium ejusdem monetæ, pro qualibet Navi lignis onerata, quam ad Ripam Tyberis exonerabunt, Hospitali prædicto solvere teneantur, ad hoc, ut exinde necessitati ejusdem Hospitalis peramplius provideatur.

Statutum, quo tenentur exonerantes Naves lignorum solvere Hospitali S. Rocchi pro earum unaquaque julium unum ultra alios quatuor annuos.

Preces Hominum Artis d. pro Statuti confirmatione. §. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Statutum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc oblatis inclinati, Statutum præfatum, quod Homines d. Universitatis deinceps unum Julium pro qualibet Navi lignis onerata, quam ad Ripam prædictam exonerabunt, memorato Hospitali solvere teneantur, a præfatis Exponentibus factum, ut præfertur, dummodo tamen novum onus hujusmodi in damnum eorumdem Hominum dumtaxat

Confirmatur prædictum Statutum.

cedat,

cedat, dictusque Julius ex sola eorum mercede desumatur, quæ proinde nullo modo alterari possit, nec id in damnum, seu præjudium DD. Navium, vel lignorum hujusmodi, aliorum quorumlibet ullatenus redundet, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, vel ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Universitatis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Decembris MDCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXV.

Conceduntur Religiosis Insularum Philippinarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui in Romana, vel Hispaniæ Curia Procuratoris Officio per triennium functi sunt, omnia suorum Exprovincialium privilegia.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 17. Dec. 1677. An. 2.

Causa Concessionis.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Insularum Philippinarum nuncupatarum in Mari Oceano Ordinis Eremitarum Sancti Augustini nobis expositum fuit, quod cum ipsi ad procuranda in Romana, & Regia Hispaniæ Curiis urgentia dictæ Provinciæ negotia aliquem Religiosum mittere debeant, nec reperiatur ullus Religiosus, qui id oneris in se susçipere velit, tum propter adeo longum, ærumnosumque iter, quod sine gravibus incommodis, vitæque periculo peragi nequit, tum etiam quia ejusmodi Procuratores postquam triennio, & amplius in suo munere exercendo laboraverunt nulla prærogativa fruuntur, iidem exponentes plurimum cupiunt a nobis indulgeri, ut illi qui per triennium continuum Procuratoris hujusmodi munus in dictis Curiis exercuerint, privilegiis Exprovincialium fruantur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, non solum tota Provincia prædicta, sed etiam nuperus Prior Generalis dicti Ordinis Indulti hujusmodi concessioni consensum præstiterint: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Consensus Prioris Generalis, & totius Provinciæ, Religiosorumque preces.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attento consensu memorati Prioris Generalis, ut in posterum illi Religiosi dictæ Provinciæ, qui Procuratoris ipsius Provinciæ munus in Curiis supradictis saltem per triennium exercuerint, omnibus privilegiis, prærogativis, & exemptionibus, quibus illi, qui Prioris Provincialis ejusdem Provinciæ munere functi sunt, potiuntur, & gaudent, pari modo potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio privilegiorum Exprovincialium facta d. Religiosis, qui Procuratoris munus per triennium obierunt in Curia Romana vel Hispanica.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Dec. MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno secundo.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcopor., & Regul., quo permissum fuit, ut Superiores Ordinis Prædicatorum Portugalliæ Provinciæ possent removere ex Conventibus Religiosos Conventualitatum Indultis munitos.

XXVI.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 5. Jan. 1678. An. 2.

Causa Decreti.

ALias pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, ac Diffinitoris, & Electoris Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Prædicatorum tunc in Romana Curia præsentium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ quod cum pro bona directione dictæ Provinciæ oporteret ut unusquisque Conventus eum haberet numerum Religiosorum, qui in illo sustentari possunt, ipsique Religiosi essent magis opportuni pro necessitate Religionis in qua dicti Con-

In assignatione Religiosorum d. Provinciæ habenda erat ratio redditum cujusque conventus, & conditionis locorum.

ventus

ventus consistunt, ad hoc ut illas possent adimplere obligationes, quibus operam dare debent, ita ut Civitates, aliaque loca præcipua Concionatoribus, & Confessariis doctis, & exemplaribus pro eorum necessitate instructa essent, ne defectu Religiosi Ministerii laborarent, neve suboriretur scandalum, quod facile nascitur inter fideles dum vident Religiosos majoris sufficientiæ, virtutis, & doctrinæ residere in Regionibus, ubi eorum opera non est necessaria, & e converso alios iis occupationibus adhibitos, quibus non merentur adhiberi, tum propter modicam eorum ætatem, atque capacitatem; tum quia malo exemplo fuerunt in locis eorum residentiæ; & proinde necesse esset, ut Prælati quibus regimen incumbit, multis incommodis remedium adhiberent, providendi unicuique Conventui de his Religiosis, quibus unamquamque Civitatem, & locum indigere cognoverint, ac tollendo scandala, quæ aliqui Religiosi præbere possunt, illis ab uno ad alium Conventum translatis: nihilominus Prælati præfati non poterant executioni mandare eorum bona, & pia desideria, tametsi id omnino necessarium esse pro directione, & profectu spirituali dictorum Religiosorum, & non sine gravi querimonia, atque dolore videbant sibi non licere conventibus, & locis de Religiosis opportunis providere, scandalisque ansam præcidere, cum ipsis res in Ordinem reducere, & unumquemque suo loco constituere satagentibus, multi ex dictis Religiosis præsentarent ipsis Prælatis assignationes Conventualitatum perpetuarum, quarum aliquæ a Sede Apostolica concessæ, aliæ a Magistro Generali dicti Ordinis, secuta ejusdem Sedis confirmatione, & aliæ ab antecessore Priore Provinciali Provinciæ præfatæ concessæ, ac a dicta Sede, illiusque Nuntio in Regno Portugalliæ residente confirmatæ reperiantur. Et licet intentio concedentium assignationes hujusmodi admodum sancta, & recta fuisset, propter Causas allegatas, hæ tamen ut plurimum fictitiæ, ac coloratæ, & valde leves erant; quia vero ante concessionem hujusmodi assignationum non fuerat requisita informatio Prælati actualis, qui merita, & demerita suorum Subditorum melius novit, & a cujus obedientia Subditi ipsi hac ratione se subtrahere student, inde consequebatur, ut non posset Prælatus etiamsi id vellet Provinciam suam perfecte gubernare.

Id servare non licebat Prælatis propter Conventualitates perpetuas.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod tunc temporis in Conventu S. Dominici Civitatis Ulyssiponen., quæ est primaria dicti Regni, in qua proinde degere debent meliores Concionatores, & Confessarii ad hoc ut Apostolico zelo divinæ majestatis offensas, quæ in Curiis, & populis numerosis, qualis est populus Ulyssiponen. committi solent, impedire satagant, & unde amoveri debent aliqui Religiosi, qui opportuniorem in magnis Civitatibus occasionem arripiunt, & licentiosius vivunt, commorabantur Religiosi usque ad numerum vigintiquinque cum assignationibus Conventualitatum perpetuarum hujusmodi, earumque clypeo abutebantur ad vivendi licentiam, qui si eas non haberent, timore mutationis tanquam fræno ab inordinatis eorum moribus coercerentur, & licet aliqui eorum scandalose non viverent, ita tamen levis, & modicæ considerationis fuerat Causa per eos pro obtinendis dictis assignationibus allegata, ut iniquum videretur, privatam commoditatem, a qua boni verique Religiosi segregati esse debent, præferri, ac præjudicare bono communi Religionis, & aliorum fidelium, quorum saluti incumbere deberent: quia vero ejusmodi assignationes ordinarias solebant obtinere pro dicta Civitate Ulyssiponen., id dicto Conventui intolerabile gravamen, ultra dicta inconvenientia, adferebat, cum cæteroqui idem Conventus non esset instructus Religiosis sibi necessariis, & præfatus numerus viginti quinque constaret fere ex omnibus Religiosis inutilibus ipsi Conventui, ac parum idoneis ad procurandam in ampla illa Civitate salutem animarum. Quinimo reperiebantur in eadem Provincia alii Religiosi, qui eodem modo officia perpetua obtinuerant, ex eaque perpetuitate eadem inconvenientia sequebantur.

Prædicta œconomia maxime servanda erat in Civitate Ulyssiponen.

Obstabant prædictæ Conventualitates perpetuæ.

§. 2. Ideoque pro parte dictorum exponentium memoratæ Cardinalium Congregationi, etiam nomine Provinciæ prædictæ supplicato, ut ejusmodi Conventualitatibus, & officiis perpetuis tam in dicto Conventu S. Dominici Ulyssiponen., quam in reliqua Provincia hujusmodi eatenus concessis derogaret, vel ordinaret, ut Procurator Provincialis cum consilio gravissimorum Fratrum posset mutare Religiosos Conventualitatibus, & officiis perpetuis hujusmodi suffultos, si eos scandalum præbere, aut illos in d. Ulyssiponen. aliove quolibet Provinciæ præfatæ Conventu perpetuo non degere, Dei servitio, & bono Religionis convenire reperiisset. Emanavit a præfata Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam SSmus D. N. supplicem hunc libellum benigne remisit attenta relatione Patris Procuratoris Generalis Ordinis, censuit, facultatem concedi posse, prout præsentis Decreti tenore concedit Superioribus prædictæ Provinciæ, ut habita æquitatis ratione casibus præsertim necessitatis prædictos Religiosos ab uno ad alterum Conventum, prout magis eis expedire videbitur transferre, & mutare possint, non obstantibus prænarratis Conventualitatum Indultis, illis expresse derogando. Romæ 1. Octobris 1677. Cardinalis Carpineus.

Preces Superiorum, totiusque Provinciæ Cong Epis., & Reg. oblatæ.

Decretum Congr., quo concessa fuit Superiorib. Provinciæ facultas removendi ex Conventibus Religiosos etiam Conventualitatibus munitos.

§. 3. Cum autem sicut exponentes præfati, & præsertim dictus Prior Provincialis nomine Provinciæ hujusmodi nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Preces Superiorum Provinciæ Pontifici oblatæ.

Confirmatur d. Decretum Congr. Epiſc. & Reg.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, ejusque Conventuum, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in

contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Januarii 1678. Pontificatus nostri Anno secundo.

XXVII. Declaratur, in Brevi, quo electus fuit Prior Provincialis Ord. Carmelitarum in Sicilia sub nomine Patrum Provinciæ, aliorumque de ejus gremio, venire dumtaxat Patres Diffinitorii.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futurum rei memoriam.

Dat. 6. Jan. 1678. An. 2.

Summa Brevis.

CUM nos nuper supplicationibus dilecti filii Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, dilectum etiam filium Clementem Impellizzeri Fratrem expresse professum dicti Ordinis in Sacra Theologia Magistrum, in Priorem Provincialem Provinciæ Sancti Alberti in Sicilia ejusdem Ordinis ad tempus, quo ejusmodi Provincialatus officium juxta regularia Ordinis præfati Instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consuevit, statim atque dilectus filius Modernus Prior Provincialis Provinciæ hujusmodi tempus suum absolverit, inchoandum auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis constituerimus, & deputaverimus; Ac Diffinitorio actuali ejusdem Provinciæ se una cum majori parte Patrum Provinciæ, & aliorum de gremio Provinciæ hujusmodi existentium Dominica tertia post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime venturum congregandi, ac duos Socios Prioris Provincialis, qui ad proximum futurum Capitulum generale Ordinis præfati venire debebunt, necnon novos Diffinitores pro gubernio ejusdem Provinciæ, servatis, alias servandis, eligendi facultatem impertiti fuerimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 19. Novembris proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Pater Magister Impellizzeri constitutus fuit Prior Provincialis Siciliæ.

Eidem conceditur facultas congregandi se cum Patribus Provinciæ aliisque de ejus gremio.

§. 1. Et sicut pro parte memorati Vicarii Generalis nobis subinde expositum fuit, ipse Vicarius Generalis vereatur, ne ex eo quod per literas prædictas Diffinitorio actuali dictæ Provinciæ se una cum majori parte Patrum Provinciæ, & aliorum de gremio Provinciæ hujusmodi existentium, sicut præmittitur congregandi facultas tribuitur, prætendi forsan possit quod id de omnibus Fratribus dictæ Provinciæ, qui integro Capitulo Provinciali interesse consueverunt intelligendum sit, quo casu difficultates congregandi Capitulum Provinciale hujusmodi, propter quas eædem literæ concessæ fuerunt, non evitarentur. Nobis propterea idem Vicarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut ad tollendas litium, quæ super hoc oriri possent, occasiones, opportune in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quæritur, an dd. Patrũ nomine veniant Fratres omnes integri Capituli Provincialis.

Preces Vicarii Generalis dicti Ordinis.

§. 2. Nos igitur ipsum Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, verba illa supradictarum nostrarum literarum, quibusdam Diffinitorio actuali se una cum majori parte Patrum Provinciæ, & aliorum de gremio Provinciæ hujusmodi existentium congregandi, aliaque supra expressa faciendi facultas tribuitur de illis dumtaxat Patribus Provinciæ, & aliis qui de solo gremio Diffinitorii ipsius Provinciæ existunt, non autem de toto corpore Capituli ejusdem Provinciæ intelligi debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus.

¡Respõdetur, iis verbis designari duntaxat Diffinitorii Patres.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præfatis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Januar. 1678. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXVIII. Indicitur Capitularibus S. Joannis in Laterano de Urbe sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ silentium eorum, quæ suis Capitulis aguntur.

Plura de iis, quæ agenda sunt, & tractanda in Capitulis pro recta administratione bonorum ad Basilicas, & Collegiatas Ecclesias Sæculares Urbis pertinentium statuit Alexand. VII. constit. 34. quæ incip. Pro commissa. *Tom. VI. fol. 52.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 6. Jan. 1678. An. 2.

Causa Cõstitutionis.

CUM sicut accepimus sæpius contigerit quod per dilectos filios Archipresbyterum, seu ejus Vicarium, & Canonicos Ecclesiæ S. Joannis in Laterano de Urbe capitulariter, ut moris est, congregatos capitularia tractata, gesta, statuta, & ordinata per nonnullos ex ibidem interessentibus publicata, & relevata fuerint, ac publicentur, & revelentur in dies, & ex publicatione, & revelatione hujusmodi non modicum dictæ Ecclesiæ, & Capitularibus præfatis illatum sit præjudicium, & afferatur.

Præcipitur sub excommunicatione latæ sententiæ S. Sedi reservatæ, ne Capitulares peracta in Capitulis revelent.

§. 1. Nos in præmissis opportune providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Archipresbytero, seu ejus Vicario, & Canonicis Ecclesiæ hujusmodi, aliisque quibuscumque Personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, & si Pontificali, vel alia quavis præfulgeant dignitate, qui Capitulo ipsius Ecclesiæ interfuerint, ne de cætero perpetuis futuris temporibus in ipso Capitulo pro tempore tractata, gesta, statuta, & ordinata quibusvis personis tacite, vel expresse per se, vel per alium, seu alios absque ipsius Capituli licentia publicare, vel revelare audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ Sententiæ a qua nisi per nos, vel Successores nostros præterquam in mortis articulo

constituti

constituti absolvi non possint ipso facto incurrenda pœna districtius inhibemus, ac præcipimus, & mandamus.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & d. Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarum præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Januarii 1678. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXIX. Confirmatur Decretum Prioris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, quo ipse moderatus fuit alternativam inter Fratres in Hispania natos, & alios Criollos dictos Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus.

De hac Alternativa Officiorum vide quæ notavimus in hujus Pontificis const. 17. *quæ incip.* Illius qui.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 26. Jan. 1678. An. 2.

Series facti paucis hic expositi, sed pluribus in sequenti Decreto.

PRO parte Charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Nobilis vir Gaspar de Haro, & Guzman Marchio de Carpio ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, quod cum alias venerabilis Frater Nicolaus Oliva Episcopus Cortonen. qui tunc temporis Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini munere fungebatur, Alternativam, & æqualitatem, quoad Provincialatus, cæteraque omnia Officia Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis inter ejusdem Provinciæ Fratres in Hispania natos, & illarum partium indigenas, quos Criollos vulgariter vocant, servari debere statuisset, idque etiam a fel. rec. Clemente Papa X. prædecessore Nostro confirmatum fuisset: verum propter Fratrum Hispanorum in dicta Provincia paucitatem ejusmodi alternativa, & æqualitas quoad omnia Provinciæ præfatæ officia sine gravibus incommodis servari nequiret; idem Nicolaus Episcopus subinde tunc adhuc Prior Generalis Ordinis præfati, vigore facultatis sibi super hoc a Nobis concessæ eandem Alternativam, & æqualitatem, ita moderatus est, ut illa ad Provincialatus, ac Diffinitorium, & Visitatorum Provinciæ Quitensis prædictæ officia dumtaxat restricta, & coarctata existat, cum diversis declarationibus, & ordinationibus, prout plenius continetur in illius Literis patentibus desuper emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Prioris Generalis pro moderatione alternativæ.

§. 1. Magister Frater Nicolaus Oliva Senensis totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis Provinciæ nostræ Quitensis, quam in visceribus gerimus charitatis, religiosæ quieti, ac tranquillitati consulere volentes, alias sub die 19. Junii 1675. Decretum condidimus, quo aliud Reverendissimi Prioris Magistri Hieronymi de Ghettis prædecessoris nostri Decretum die 9. Julii 1625. emanatum, eo quod, aut nunquam in præfata Provincia receptum, aut temporis decursu violatum, oblivionique datum intellexi-

Primum alternativa instituta fuerat a Priore Generali de Ghettis.

mus, nostra auctoritate confirmavimus, & approbavimus, & innovavimus, iterumque decrevi-

Dein confirmata & innovata fuit a Priore Generali Oliva.

mus, ut non obstante quolibet abusu, aut præfati Decreti inobservantia in futuris inposterum Capitularibus electionibus in eadem Provincia Quitensi servaretur Alternativa, & vicissitudo, itaut in uno quadriennio eligeretur in Provincialem Pater aliquis Hispanus, in altero vero quadriennio eligeretur Pater alterius familiæ, quam Criollorum vulgo vocant; Ac insuper cæteris quoque Officiis, scilicet Diffinitorum, Visitatorum, Prioratuum &c. æqualitas servaretur inter ipsas duas familias, idque sub eisdem Censuris, pœnis, & Actorum nullitate in prædicto Reverendissimi de Ghettis Decreto taxatis præcipimus. Ut vero recensitum hoc nostrum Decretum firmius consisteret, ejusque observantia veluti ad eradicanda omnia in Provincia Quitensi discordiarum germina per necessaria perpetuis futuris temporibus inviolata remaneret petente Eminentissimo, ac Reverendissimo S. R. E. Cardinali Nidhardo Catholici Hispaniarum Regis apud Sanctam Sedem Oratore, fel. rec. Clemens Papa X. auctoritate Apostolica benigne illud cum omnibus, & singulis in eo contentis approbavit, & confirmavit, ac desuper literas in forma Brevis sub die 7. Augusti 1675. expediri mandavit. Verum cum Carolus II. Hispaniarum Rex Catholicus per regias suas literas nobis significare dignatus fuerit, ut præfatæ Alternativæ moderationem stabiliremus eam ad Officia Provincialatus, Diffinitorum, & Visitatorum restringendo; Nos itaque regiis nutibus ut par est obtemperare cupientes opportunam ad dictam moderationem, & restrictionem facultatem à Sanctissimo D.N. Innocentio Papa XI. feliciter regnante humiliter postulavimus, quam Nobis concedere dignata est Sanctitas sua per literas in forma Brevis tenoris sequentis, videlicet a tergo.

Item ejus innovatio confirmata a Clemente X.

A Carolo II. proposita fuit alternativæ moderatio.

Necessaria facultas petita fuit ab Innoc. XI.

§. 2. Dilecto filio Nicolao Olivæ Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. Intus vero Innocentius Papa XI. Dilecte fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exponi Nobis nuper fecisti, quod Tu alias, videlicet ante biennium, vel circiter ad instantiam Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici statuisti, ut in Provincia Quitensi tui Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Indiis Occidentalibus observaretur Alternativa inter Fratres in Hispania natos, & illarum partium indigenas, quos *Criollos* vulgariter vocant, tam quoad Provincialatum, quam quoad æqualitatem in omnibus generaliter aliis Officiis Gubernii dictæ Provinciæ, hæcque omnia à fel. record. Clemente Papa X. prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 7. Augusti 1675. expeditas literas approbata, & confirmata fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædictus Carolus Rex ex Informationibus, quæ ad ipsum ex partibus prædictis subinde pervenerunt, cognoverit, propter modicum numerum Fratrum Hispanorum, qui in Indiis reperiuntur, vix posse Alternativam, & æqualitatem in omnibus Officiis hujusmodi, quæ ad omnia exercenda Fratres idonei illic non adsint, observari, eaque de causa Tibi nuper significaverit, ut ejusdem Alternativæ moderationem, illiusque ad officia Provincialatus, & Diffinitorum restrictionem ab hac Sancta Sede concedi procuratores, itaut de cætero ad Priorum & reliqua officia non extenderetur: Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut Tibi de opportuna in præmissis facultate, per quam Religiosis memorati Caroli Regis votis ad conservandam in illis remotis partibus religiosam Disciplinam, atque observantiam laudabiliter tendentibus obsecundare valeas, providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Te speciali favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & in-

Breve pro hac facultate.

Causa moderationis.

terdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de voto Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, qui dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis prædicti audiverunt, consilio; Tibi Alternativam a Te statutam ut præfertur, auctoritate nostra Apostolica moderandi, & restringendi itaut deinceps Provincialatus, & Definitorum Provinciæ prædictæ Officia dumtaxat comprehendat quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; non obstantibus prædictis Clementis prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Julii 1677. Pontificatus nostri Anno Primo -- I. C. Slusius.

Concessa fuit facultas restringendi alternativam ad solos Provinciales, & Definitores.

§. 3. Hac igitur Apostolica auctoritate muniti, ea qua par est in Catholici Regis literas reverentia, partibus insuper videlicet R. P. M. Fr. Francisco Montano Provinciæ Quitensis Procuratore, & R. P. M. Augustino Montesdoca ejusdem Provinciæ Alumno semel atque iterum auditis, quinimo eorumdem petitionibus Nobis factis in supplici libello propria eorum syngrapha subscripto inclinati, prædictum nostrum Decretum de Alternativa tenore præsentium, & auctoritate, ut supra, necnon de consilio RR. Adm. PP., qui nobis assistunt, moderamur, & restringimus, itaut cæteris ejusdem Clausulis, quæ ad Priorum, & cætera Officia præfatum Decretum extendunt revocatis, & annullatis, easque revocatas, & annullatas esse censentes Alternativam, & æqualitates ad Provincialis, Definitorum, & Visitatorum Officia dumtaxat restringimus, & coarctamus, prout restrictum, & coarctatum esse volumus, & declaramus, non obstantibus quibuscumque.

Juxta quam facultatem Prior Generalis moderatus est illam.

§. 4. Ut autem dissentiones, & lites circa prædicti Decreti observantiam, intelligentiam, & executionem imposterum penitus tollantur; per has nostras Decretales literas, & de consilio eorumdem RR. Adm. PP., qui Nobis assistunt, declaramus primo, quod Provincialis in immediate futuro Capitulo Provinciali eligatur ex alia partialitate, ac sit Provincialis electus pro currenti quadriennio; Itaut si hic sit Hispanus in Capitulo futuro eligatur Criollus, & e contra si modernus sit Criollus eligatur Hispanus in sequenti Capitulo. Secundo quod si contingat P. Provincialem nondum sui Gubernii tempore expleto ex hac vita decedere, aut aliquo quocumque impedimento ita detineri, ut Provincialatus Officium nequeat personaliter exercere, tunc Provinciæ Rector, qui ad præscriptum Reverendissimi Valvasorii prædecessoris nostri usque ad celebrationem Capituli Provincialis proxime futuri eligi debet, ex eadem eligatur partialitate, ex qua erat Provincialis defunctus, irritam, ac nullam nunc pro tunc declarantes electionem, quæ fieri secus contigerit. Tertio declaramus quod à prædicta Alternativa pro parte eorum, qui in Hispania nati sunt, exclusi intelligantur omnes, & singuli nati in Insulis Canariensibus, necnon omnes, & singuli Lusitani alterius dominii a Rege Catholico; qui Canarienses, ac Lusitani, si in Provincia Quitensi Professionem emiserint, vel legitime profiliati fuerint, seu in futurum profiliari contigerit, potiantur, & gaudeant voce passiva, cæterisque Privilegiis, & prærogativis eodem modo, & sine ulla prorsus differentia, quo ejusdem Provinciæ filii ex natis in Indiis vulgo Criolli potiuntur, & gaudent.

Modus servandus in hac nova alternativa.

§. 5. Ut vero cuncta in integrum executioni mandentur R. P. Provinciali Provinciæ Quitensis pro eo tempore existenti quo præsentes nostræ literæ eo pervenerint, committimus, & stricte præcipimus in meritum salutaris obedientiæ sub rebellionis nostræ, & privationis vocis activæ, & passivæ per decennium, ac in subsidium sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis licet inviti ferimus, aliisque nostro, & successorum nostrorum arbitrio ipso facto incurrendis pœnis, quatenus nulla obstante, neque admissa supplicatione, appellatione, protestatione, seu reclamatione statim, ac literæ ad manus suas pervenerint, nisi forte antecedenter ad earum exhibitionem prædicta Alternativa recepta, & admissa fuerit, ipsemet quantum ad se attinet eamdem recipiat, & admittat, compellatque Diffinitorium etiam privatum ad eam recipiendam, & admittendam, & cum effectu faciat, ut immediate futuro Capitulo Provinciali omnino, & in integrum executioni mandetur. Quod si id præstare neglexerit, seu renuerit, vel legitime impeditus nequiverit, in ejus locum Ven. Papa Præsentatos, Fr. Ferdinandum Colorado, & Hyacinthum Moretto ejusdem Provinciæ subrogamus, quibus respective, & insolidum tum in spiritualibus, tum in temporalibus auctoritatem, & Jurisdictionem opportunam. & necessariam ad prædictum effectum tenore præsentium concedimus, & impartimur. Præcipimus autem omnibus, & singulis Diffinitoribus, Visitatoribus, cunctisque ejusdem Provinciæ Patribus, ac Fratribus, & sub pœnis P. Provinciali ut supra in casu renitentiæ, & negligentiæ taxatis, ut præsentibus nostris literis omnino obediant, & nec per se, nec per alios directe, vel indirecte impedimento esse audeant, quominus in omnibus, & per omnia suum sortiantur effectum. Datum Romæ in Conventu nostro S. Augustini die 18. Octobris 1677. -- Fr. Nicolaus Oliva Prior Generalis Indiarum -- Nostri muneris affixo sigillo -- Mag. F. Camillus Cavalius Thinensis Secretarius Ordinis -- Registrat. lib. V.

* Commissa fuit executio, & observantia hujus decreti Provinciali Quitensi subscertis pœnis.

Ei renuenti vel impedito alii subrogati fuere.

Præceptum fuit fratribus omnibus Provinciæ, ut decreto parerent.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur. Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Caroli II. Regis Hispaniarum Pontifici oblatæ.

§. 7. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, moderationem Alternativæ, & æqualitatis hujusmodi a præfato Nicolao Episcopo tunc Priore Generali factam, ut præfertur, expeditasque desuper illius patentes literas præinsertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur decretum Prioris Generalis de moderatione alternativæ.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super

Clausulæ.

his

his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus necnon præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Jan. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXX. Conceduntur Indulgentiæ singulis utriusque sexus tam Ordinis, quam Confraternitatis Habitus Servorum Beatæ Mariæ Virginis orationi mentali vacantibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 30. Jan. 1678. An. 2.

Exordium.

AD ea per quæ animarum Christi fidelium salus procuratur libenter intendimus, & eorumdem Christi fidelium devotionem, ut in spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cœlestium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, ac Tertiariis Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, necnon aliis utriusque sexus Christi fidelibus Confratribus, & Consororibus Confraternitatis habitus Sororum ejusdem B. Mariæ Virginis doloroſæ Dei Matris nuncupat. tam hactenus in Ecclesiis ejusdem Ordinis, seu alibi canonice institutæ, quam in posterum ubilibet instituendæ, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Conceditur vacantibus Orationi mentali per quadrantem horæ pro qualibet vice Indulgentia centum dierum.

§. 2. Iis vero, qui devotionis hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi SSmum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverunt applicare possint.

Per dimidiū horæ Indulgentia septem annorum. Singulis diebus continuis per dimidium, vel quadrantem horæ Indulgentia Plenaria semel in Mense, etiam per modum suffragii.

§. 3. Insuper, quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulæ, & Constitutionum quolibet die tenentur prædictas omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus, in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Hæ omnes Indulgentiæ extenduntur ad Fratres, & Moniales Ordinis, qui ex Regula, & Constitut. tenentur ad d. Orationē mentalem.

§. 4. Volumus autem, quod si pro impetratione &c. nullæ sint. Quodque præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica &c. ostensæ.

Conceduntur ad septennium.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXX. Januarii MDCLXXVIII. Anno Secundo.

XXXI. Confirmatur Decretum Capituli S. Petri de Urbe, quo adscripta fuere beneficia Abbatiæ S. Rufilli Foropompilien. Clericis idoneis ipsius Diœcesis.

Pius IV. anno 1564. 12. Kalend. Julii univit mensæ Capitulari d. Basilicæ Vaticanæ eandem Abbatiam cum exemptione a solutione quindennii.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 25. Febr. 1678. An. 2.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, quod cum quorumdam perpetuorum cum cura, & sine cura Beneficiorum Ecclesiasticorum intra limites Jurisdictionis Monasterii Abbatiæ nuncupati S. Rufilli Terræ Foripompilii nullius Diœcesis Provinciæ Ravennaten. eidem Basilicæ Apostolica auctoritate perpetuo, ut asseritur, uniti consistentium, dum pro tempore vacant, collatio, cessantibus tamen reservationibus, & affectionibus Apostolicis, canonice spectet ad Capitulum, & Canonicos ipsius Basilicæ pro tempore existentes, qui illa turnatim per hebdomadas conferre consueverunt: ipsi Exponentes die 22. Novembris proxime præteriti Capitulariter Congregati, ut subditorum dicti Monasterii commodis consulerent, eosque ad clericalium virtutum, atque ministeriorum studia propositis præmiis incitarent, decreverunt, ut Beneficia hujusmodi imposterum per hebdomadarios Clericis Monasterio prædicto, sive illius Jurisdictioni subditis quando reperirentur idonei, exclusis exteris, conferrentur, & alias prout plenius continetur in eorum Decreto Capitulari desuper emanato, tenoris, qui sequitur, videlicet. Fidem facio per præsentes Ego Notarius publicus, & ad curam Archivii Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe deputatus infrascriptus qualiter in libro Decretorum Capitularium ejusdem sacrosanctæ Basilicæ fol. 90. inter cætera legitur, ut infra videlicet -- Die 22. Novembris 1677. fuit Capitulum, & interfuerunt RR. DD. Josephus Maria Suaresius Episcopus olim Vasionen. Vicarius, Nestor Rita Archiepiscopus Sebasten., Franciscus Maria Scottus, Thomas Vanninus, Joannes Vincentius Arata, Alexander Casalius, Ludovicus Lensius, Bonamens de Augustinis, Marius Columna, Michael Angelus Zacharia, Leonardus Marsilius, Julius Riccius, & Marcus Antonius Mariscottus omnes Canonici supradictæ Sacrosanctæ Basilicæ capitulariter congregati decreverunt, quod quæcumque beneficia curata, & non curata vacantia in Abbatia S. Rufilli Foro Pompilien. conferantur imposterum per DD. Hebdomadarios illis de eadem Diœcesi, quando reperiantur idonei, exclusis exteris, unde iidem de Diœcesi gaudeant in Clericatu profeciſse, & inde servitium Ecclesiæ, & decus Abbatiæ augeantur. In quorum &c. Dat. hac die 13. Januar. 1678. Ita est Josephus Balduinus Presb. Rom. pub. Apostolica auctoritate Notarius, & ad curam Archivii Secretariæ Basilicæ S. Petri deputatus.

Species facti.

Collatio beneficiorum Abbatiæ S. Rufilli spectat ad Capitulum S. Petri de Urbe.

Causa Decreti Capitularis.

Decretum, quo statutum fuit, ut beneficia d. abbatiæ conferrentur per Hebdomadarios Clericis ejus Subditis, si essent idonei.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dilectus filius noster Carolus Barberinus S. R. E. Cardinalis Carolus nuncupatus dictæ Basilicæ Archipresbyter non solum Decreto hujusmodi consenserit, sed etiam dictis Exponentibus significaverit gratum sibi fore si etiam ipsius nomine confirmatio ejusdem Decreti a Nobis, & hac Sancta Sede obtineretur: Nobis propterea

Preces Archipresbyteri, & Capituli.

ipsi

ipsi Exponentes etiam ejusdem Caroli Cardinalis, & Archipresbyteri nomine, humiliter supplicari fecerunt, ut pro Decreti hujusmodi in Divini Servitii incrementum vergentis perpetua firmitate, & ne unquam ab ullis Capitularium tam præsentium, quam futurorum illius observantia, sub prætextu quod illi non ligentur, seu quod illi non consenserint, aut ex alio quocumque titulo, & capite, etiam validitatem, & justitiam ipsius Decreti concernente, in controversiam vocari possit, opportune sibi in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur Carolum Cardinalem, & Archipresbyterum, ac Exponentes præfatos specialis favore gratiæ prosequi volentes, ipsorumque exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum Capitulare præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, ipsumque Decretum a præfatis modernis, & pro tempore existentibus Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis Basilicæ prædictæ, eorumque singulis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari debere.

Confirmatur prædictum decretum.

Clausulæ.

§. 3. Præsentes vero literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Basilicæ, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXII. Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis S. Antonii Viennen. in festis SS. Antonii Abbatis, S. Augustini, & S. Monicæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 25. Febr. 1678. An. 2.

Exordium.

Cœlestium munerum Thesauros, quorum Dispensatores Nos esse voluit Altissimus, cum ad Christianæ pietatis incrementum, & animarum Christi fidelium salutem profuturos speramus, libenter elargimur.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Ordin. S. Antonii de S. Antonio Viennen. sub regula S. Augustini nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis hujusmodi hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in Sancti Antonii Abbatis, ac S. Augustini, & S. Monicæ festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis Annis devote visitaverint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Preces Abbatis Generalis.

Concessio d. Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIII. Transfertur Indulgentia Plenaria Perpetua in alium diem pro Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Etruria.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 4. Mart. 1678. An. 2.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod alias fel. rec. Clemens Papa Decimus prædecessor noster, supplicationibus Venerabilis Fratris Josephi Eusanii Episcopi Porphyrienſis Sacrarii Nostri Apostolici, tunc sui Præfecti, nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus; Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui missæ solemni in quacumque Ecclesia, tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti quotannis die vigesima Octobris, qua officium de Nomine Beatæ Mariæ Virginis, cum lectionibus, & officio in Toletana Diœcesi die decimaseptima Septembris recitari solitis ab omnibus tam Fratribus, quam Monialibus ejusdem Ordinis in universo Orbe existentibus recitari consuevit, celebrandæ interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sub certis modo, & forma tunc expressis, in perpetuum concessit, & alias, prout ipsius Clementis prædecessoris literis in simili forma Brevis die sexta Augusti 1672. desuper expeditis, quorum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Species facti.

Concessa fuit a Clemen. X. Indulgentia plenaria omnibus adstantibus Missæ solemni in Ecclesiis tam fratrum, quam Monialium Ordinis Eremit. S. Augustini die 20. Oct.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in omnibus Ecclesiis tam Fratrum,

Causa translationis.

quam

quam Monialium, ac etiam sæcularium Clericorum in tota Etruria existentibus, Officium prædictum de Nomine Beatæ Mariæ Virginis, Dominica prima post Octavam Festivitatis Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, ex concessione, seu Indulto Apostolico, recitari soleat, ac propterea dictus Dominicus Vicarius Generalis Indulgentiam prædictam, quoad Ecclesias Fratrum, & Monialium Ordinis prædicti in Etruria consistentes, ad dictam Dominicam transferri plurimum desideret:

Preces Vicarii Generalis.

§. 2. Nos supplicationibus ejusdem Dominici Vicarii Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Indulgentiam plenariam prædictam, a die 20. Octobris, ad primam Dominicam post octavam festivitatis Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, itaut Christi fideles, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, dictæ Missæ solemni Dominica prædicta, in quacumque Ecclesia tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti in Etruria existen. celebrandæ, interfuerint, & ut supra oraverint, eamdem indulgentiam consequantur quam consequerentur, si Missæ hujusmodi dicta die 20. Octobris interessent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, servata tamen in reliquis prædictarum Clementis prædecessoris literarum forma, & dispositione, perpetuo transferimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transfertur Indulgentia ad primam Dominicam post octavam Nativitatis B. M. V. in Ecclesiis d. Ordinis in Etruria.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Martii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIV. Supprimitur Collegium Secretariorum Apostolicorum a Callixto III. aliisque Romanis Pontificibus institutum.

Dat. 1. Aprilis 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Proœmium.

ROmanus Pontifex ex debito Pastoralis officii illi divinitus injuncti, non solum ad ea, quæ Universi Christiani Gregis animarum salutem respiciunt; verum etiam, quæ ad Sedis, & Cameræ Apostolicæ, cui diversa onera incumbunt necessitatibus jugiter imminentibus, indemnitatem pariter, & sublevamen pertinere noscuntur, vigilantiæ suæ aciem dirigens, ea, quæ certis suadentibus causis per suos prædecessores in erectione officiorum Romanæ Curiæ fuerunt ordinata, & instituta, interdum ex aliis non minus rationabilibus causis immutare, & quandoque ad pristinum statum reducere, aut etiam in totum supprimere consuevit, prout rebus diligenter, & mature discussis, & examinatis, ac rerum necessitas, & temporum vicissitudo requirunt, sicque conspicit in Domino salubriter expedire.

Ortus & progressus Collegii.

§. 1. Dudum siquidem consueverant ab antiquo tempore Romani Pontifices prædecessores nostri, ut promptos haberent viros industriosos quorum opera in magnis, & arduis Apostolicæ Sedis negotiis uti possent, ac etiam pro celeriori eorumdem negotiorum expeditione quamplures eligere, ac deputare Secretarios, quos fel. rec. Callixtus III., & Pius II. prædecessores nostri ex certis causis ad numerum sex reduxerunt; postmodum fel. rec. Innocentius VIII. similiter prædecessor noster, ut decori, & universitati ejusdem Sedis & Curiæ, ac faciliori, celeriori, diligentiori, & magis accuratæ expeditioni Brevium, aliarumque literarum Apostolicarum opportune consuleretur, ac etiam ut aliquibus tunc nimium urgentibus Cameræ Apostolicæ indigentiis occurreretur, decem, & octo alios elegit, seu assumpsit, ac deputavit, adeout insimul cum præfatis sex jam extantibus Collegium viginti quatuor Secretariorum constituerent, eidem Collegio, & Secretariis diversos annuos redditus, & emolumenta inter singulos Secretarios pro tempore existentes æquis portionibus dividenda, & distribuenda, assignando, & applicando, eosque etiam creando veros Palatii Apostolici Prælatos, ac familiares, & continuos Commensales, aliasque plures eis concedendo prærogativas, & præeminentias latius contentas in ejus Constitutione sub datum Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarnationis 1487. pridie Kal. Januarii Pontificatus Anno Quarto.

Ejus privilegia.

§. 2. Et quoniam intuitu dictorum emolumentorum eidem Collegio applicatorum ab illo pro subventione dictarum urgentium necessitatum Cameræ, & Sedis Apostolicæ, fuerat persoluta summa sexaginta duorum millium, & quatuor centum florenorum, seu ducatorum auri de Camera, idcirco idem Innocentius prædecessor statuit, & decrevit, quod in eventum, in quem præfati Officii revocatio, aut alteratio sequeretur, restitui deberet integra dicta summa sexaginta duorum millium, & quatuor centum ducatorum de Camera, in quibus nullo modo imputari possent emolumenta interim percepta sibi reservata facultate alium deputandi in Secretarium domesticum, ut pariter latius in eadem Constitutione continetur; quia vero nonnulli cupiebant variis modis ad antecedens Officium Secretariatus ascendere, præter ejusdem Pontificis desiderium, ac voluntatem, quæ fuit, ut ad illud non admitterentur, nisi personæ qualificatæ tam ætate, quam doctrina, quemadmodum ipsum Officium requirit; idcirco idem Innocentius per alias ejus literas in forma Brevis sub datum Romæ apud S. Petrum prima Februarii 1488. anno pariter 4. statuit, quod nullus ad idem Officium assumatur, nisi prius ab eodem Collegio, prævio examine approbatus, & acceptatus fuerit, cui quidem Collegio alii Romani Pontifices successores, & similiter prædecessores nostri præfata privilegia, & prærogativas confirmarunt. Exortisque deinde aliquibus controversiis pro illarum compositione, & terminatione fel. rec. Pius V. itidem noster prædecessor per ejus motum proprium sub datum Romæ apud Sanctum Petrum pridie nonas Maii anno sexto quamplura ejusdem Collegii favore statuit, & decrevit præsertim, ut hæc Officia nullo unquam tempore per Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui possent, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integre, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit. Demum vero aliis exortis controversiis inter idem Collegium, & præfatum Secretarium domesticum fel. rec. Sixtus V. prævia narrativa quod in dicto Collegio virtutibus, experientia, ac usu rerum, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, ad dictum Officium pertinentium insignes viri connumerabantur, præfatum Secretarii domestici Officium suppressit, & extinxit, illudque Collegio univit, & incorporavit cum ejus emolumentis, quorum intuitu ab eodem Collegio soluta fuerunt nostræ Cameræ Apostolicæ scut. viginti quinque mille auri in auro, plura desuper statuendo, atque plures etiam prærogativas hujusmodi Secretariis concedendo, & præsertim, quod essent Prælati utriusque Signaturæ Referendarii, atque locum in Pontificia Cappella haberent, ut latius continetur in ejusdem Sixti literis in forma Brevis sub Datum Romæ apud S. Petrum 1. Aprilis 1586. ejus Pontificatus anno Primo.

Item onera.

§. 3. Collegium vero præfatum pro congerendo summam scut. viginti quinque millium auri, seu illius valorem ad effectum illam solven-

di Ca-

di Cameræ prædictæ ex causa d. applicationis, & assignationis emolumentorum dicti Secretarii domestici, vigore licentiæ, & facultatis per eumdem Sixtum concessæ, & de qua in ipsius literis in forma Brevis expeditis sub die 17. Februarii dicti anni 1586., erexit unum montem super proprietate, & grossa, seu massa ejusdem Collegii cum obligatione, ac promissione illum infra sexennium extinguendi; & amplius cum idem Collegium ab eodem Sixto etiam obtinuerit similem suppressionem alterius Secretarii domestici Brevium, quæ Principibus scribuntur, & concessionem, ac assignationem illius emolumentorum ad ejusdem Collegii favorem, & commodum, persolutis Cameræ nostræ scutis duodecim millibus auri de licentia, & facultate ejusdem Sixti erexit, seu auxit montem in summa dictorum scutorum duodecim millium auri, sexennio prædicto, ut infra quod dictus Pontifex primum montem extingui voluerat, ad aliud sexennium prorogato, itaut mons primo erectus, & respective auctus fuerit in ducentis septuaginta octo locis, ad rationem scutorum centum monetæ pro quolibet loco, & in aliis centum viginti locis ad rationem scutorum centum auri in auro pro quolibet locorum; ac postmodum vigore alterius facultatis, & licentiæ concessæ per fel. rec. Clementem IX. pariter nostrum prædeceſſ., ad effectum extinguendi præfatum montem, erexit, ac constituit alterum novum montem locorum quadringentorum quinquaginta octo ad rationem pretii centum, & fructus annui scutorum quatuor monetæ Romanæ pro quolibet loco, adjecta tamen simili lege, præfatum novum montem infra duodecim annos, ab illius erectione computandos, extinguendi, prout latius in literis in forma Brevis dicti Clementis prædecessoris sub datum Romæ die 4. Januarii 1669., & respective Instrumento d. erectionis die 16. Maii dicti anni per Petrum Gentilem Catalanum, tunc dictæ nostræ Cameræ Notarium rogato, continetur.

Causæ ejus extinctionis.

§. 4. Cum autem inter quamplura ad utrumque spirituale, ac temporale regimen pertinentia, quorum notitiam, exactamque informationem initio nostri Pontificatus, ut par erat, habere curavimus, illa per Nos fuerit habita super hujusmodi Collegio Secretariorum, atque desuper deputata Congregatione particulari nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, cum interventu Ven. Fratris nostri Alderani S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati ab eadem Nobis relatum fuerit per Collegium præfatum nullatenus adimpleri eos fines, & effectus, pro quibus, ut præmissum est, erectum, & institutum, ac confirmatum fuit, dum negotiorum ei, ut supra demandatorum administratio, cura, & expeditio incumbunt, & respective exercentur, ac adimplentur per duos ejusdem Romanæ Curiæ Prælatos extra dictum Collegium per Romanum Pontificem pro tempore existentem deputari solitos, quorum unus *Secretarius Brevium*, *alter Secretarius Brevium ad Principes* nuncupat. adeout præfatum Collegium prorsus inutile, & superfluum evaserit, ac remaneat; e converso autem inter illud, ejusque Secretarios ex una ac dictam Cameram ex altera partibus, plures tam antiquo, quam moderno tempore controversiæ fuerint exortæ, itidemque hujusmodi Officia valde notabile eidem Cameræ præjudicium, & detrimentum afferre, & causare dignoscantur, proindeque omnino expediens, & opportunum sit, dictum Collegium, ejusque Officia supprimere, & extinguere, restituto possessoribus eorumdem Officiorum illo pretio, quod restituendum esse justitiæ ratio exigit, atque requirit; propterea que eidem Congregationi, aliisque Prælatis per Nos additis, ac deputatis injunximus, ac demandavimus, ut discutere, & examinare, Nobisque postmodum referre deberent quidnam juxta prædictæ justitiæ limites, & rationem, ut unicuique quod suum est, & debetur, tribuatur, restituendum sit; cumque insimul cum dicto Venerabili Fratre nostro Alderano, pluries congregati partibus interesse habentibus etiam auditis, non fuerint unanimes, & concordes in eorum suffragiis, & votis, itaut totalis conclusio, & resolutio valde differri possit in magnum, ac evidens præjudicium, ac detrimentum dictæ nostræ Cameræ, ac jam cessantibus rationibus, & causis, ut supra existentiæ, & perseverantiæ ejusdem Collegii, sicque nullo modo justum, & rationabile sit, ut incerti, ac illiquidi pretii restitutio ipsius jam conclusæ, & determinatæ suppressionis, & extinctionis substantiam, ac effectum impediat, decrevimus exinde ad easdem suppressionem, & extinctionem devenire, demandata pro nunc restitutione prompte, ac statim facienda illarum pecuniarum, quas constiterit Nostræ Cameræ præfatæ, ex causa singulorum Officiorum hujusmodi persolutas vere, & realiter fuisse, ad ejusque manus, sive ejus officialium perveniſſe; cognitionem vero, ac terminationem, an, & quid etiam ultra prædictas pecunias legitime, & ad ejusdem justitiæ limites, & rationem restituendum, seu persolvendum sit nostro Thesaurario Generali de voto nostræ Rotæ, ut ita ob peculiarem hujusmodi Tribunalis stylum, & onus edendi, & promulgandi Decisiones omnibus causæ, ac rationes justitiæ, & resolutionum pateant, omni appellatione remota, & alias prout infra committere, & mandare &c.

§. 5. Nos igitur præmissa attendentes ex causis prædictis, & aliis animum nostrum moventibus cum opportuno remedio, ut supra, providere volentes, ac literas Apostolicas erectionis Collegii Scretariorum hujusmodi, aliarumque quarumvis concessionum, gratiarum, & prærogativarum illis a prædictis, & quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris desuper quomodolibet emanatarum, etiamsi specialem, & individuam mentionem requirerent totos, & integros tenores præsentibus pro expressis, & insertis haben. Motu simili, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine Collegium præfatum, ac omnia, & singula dilectorum filiorum Secretariorum hujusmodi Officia per quoslibet quantumvis expressa, & speciali nota dignos possessa, etiam illa tria, quæ in perpetuum concessa, atque assignata fuerunt; unum videlicet per Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, & aliud per S. Spiritus in Saxia Hospitalia, sive illorum pro tempore existentes Officiales, & Administratores, atque reliquum Officia hujusmodi per Capitulum, & Canonicos sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Eustachii de Urbe dilectos filios respective possessa, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo supprimimus, extinguimus, & abolemus, una cum illorum Collegii Juribus, prærogativis, & privilegiis, adeout simile Collegium Secretariorum hujusmodi omnino cesset, & amplius in rerum natura non existat. Omnia vero eorumdem Officiorum Secretariorum, & Collegii hujusmodi per præsentes suppressorum emolumenta, jura, obventiones, & alios quoscumque proventus, quæ, & quos volumus, & intendimus semper salva, & illæsa, & salvos, & illæsos remanere ad commodum Sedis Apostolicæ, adeout ab iis, qui hactenus illa, & illos solverunt, adhuc debeantur, & solvantur, nihilque penitus censeatur ac sit quoad illa, & illos innovatum perinde, ac si præsens motus proprius minime emanasset, & non alias &c. ab hodie pleno jure nil penitus excepto Cameræ nostræ prædictæ appropriamus, applicamus, & incorporamus, ac

Collegium supprimitur, & penitus extinguitur.

Omnia illius emolumenta adscribuntur Rev. Cameræ Apost.

pro

pro appropriatis, applicatis, & incorporatis haberi volumus.

Præcipitur, ut reddatur Officialibus pecunia Rever. Cam., vel Datariæ soluta, & si quid aliud eis, vel aliis debeatur.

§. 6. Et insuper per præsentes statuimus, & mandamus omnes illas pecunias prompte, ac statim restitui, seu persolvi per dictam nostram Cameram, quas dicto Thesaurario nostro legitime constiterit vere, & realiter, & cum effectu per ipsorum Officiorum nunc suppressorum titulares, seu possessores, sive eorum auctores, aut illos, quibus facultas disponendi de prædictis Officiis, seu eorum aliquo in toto vel parte Apostolica auctoritate prædicta concessa fuerit, eidem Cameræ, sive Datariæ Apostolicæ, illarumque Ministris, & Officialibus tam in causam, & sub nomine pretii, quam pro expeditione fuisse solutas, adeo ut ne quidem in nihilo respectu earundem pecuniarum Cameræ, seu Datariæ hujusmodi solutarum de proprio damnificati remaneant, & donec receperint, ad eorum creditum, & liberam dispositionem penes Nostrum Montem Pietatis de Urbe describi debere decernimus. Volumus quoque, & mandamus, ut dictus modernus noster, & pro tempore existens, Thesaurarius Generalis de voto nostræ Rotæ ut supra, omnibus illius Auditoribus suffragium præstantibus, ac ferentibus super præfatis articulis, scilicet, an, & quid etiam ultra dictas pecunias respectu omnium possessorum eorumdem Officiorum, & interesse habentium restituendum, & persolvendum sit, aliisque incidentibus, emergentibus, annexis, connexis, & dependentibus, totoque negotio, citato, & audito dictæ nostræ Cameræ Commissario Generali audiat, cognoscat, & justitiam faciat, & administret, omni appellatione, restitutione in integrum, recursu, & reclamatione penitus remotis, atque sublatis. Et quia etiam dubitari continget, an per hujusmodi suppressionem, ac abolitionem Collegii præfati onus prædictæ extinctionis dicti novi Montis per idem Collegium ut supra, ultimo loco erecti, & solutionis illius fructuum usque ad actualem, & effectivam ejusdem Montis extinctionem remaneat & sit penes ipsos Secretarios ejusdem Collegii; ideo pro potiori cautela tam dictæ nostræ Cameræ, quam ipsius Collegii, ejusque Secretariorum per præsentes suppressorum declaramus, & decernimus, per suppressionem, & abolitionem hujusmodi neutri partium, nostræque Cameræ ullum præjudicium, neque minimum inferri, nec illatum fore, juraque utriusque, etiam quoad repetitionem soluti integra, & in totum reservata esse, prout reservamus, illaque experiri posse, ac dicto Thesaurario nostro Generali, qui etiam in hujusmodi articulo de voto dictæ nostræ Rotæ procedat, audiat, & cognoscat, ac justitiam faciat, appellatione remota, & in omnibus, & per omnia, ut supra, quoad alios articulos decrevimus, & mandavimus. Interim vero, ne Montistæ dicti Montis solutione, & consecutione debita fructuum locorum Montium ad singulos spectan., & pertinen., suis loco, & tempore privati remaneant, volumus, & decernimus pro nunc, & per modum provisionis, & sine præjudicio jurium ut supra, per dictum nostrum Thesaurarium illos persolvi fieri de emolumentis, & proventibus ejusdem Collegii dictæ nostræ Cameræ, ut supra, applicatis, & appropriatis. Cæterum, quia, ut præmisimus, inter possessores dictorum Officiorum adsunt præfata loca pia, nempe Capitulum Ecclesiæ Sancti Eustachii, & Hospitale S. Spiritus in Saxia, quæ eadem Officia in perpetuum ex causa onerosa, & correspectiva Apostolica auctoritate obtinent, ideo præcipimus, & mandamus eidem nostro Thesaurario, quod præfato Sancti Eustachii Capitulo, ejusque Canonicis persolvi faciat ad effectum reinvestiendi illud pretium, quod in casum suppressionis, vel extinctionis conventum fuit restitui, & persolvi debere, idemque pretium, & in eadem summa persolvi pariter, ac restitui dicto Hospitali S. Spiritus, salvis utriusque juribus coram eodem nostro Thesaurario de eodem voto Rotæ cognoscendis, & decidendis, quoad illud plus, seu aliam majorem summam, quod, seu quam persolvi, & restitui debere pro eorum parte prætendatur. Quo vero ad prædictum aliud Hospitale S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, quod ex gratia Sedis Apostolicæ aliud simile Officium, ut supra obtinet, per modum provisionis, & donec per eumdem Thesaurarium de eodem voto, ut supra, decidatur, & terminetur an, & quod restituendum, seu persolvendum sit, & nostra liberalitate, & munificentia, ac pauperum infirmorum subventione, ex eadem massa, seu grossa dictorum emolumentorum, & proventuum singulis mensibus summam per Nos in speciali ordine, & mandato declarandam præstari, ac persolvi jubemus, volumus.

Clausulæ.

§. 7. Præsentes quoque etiam ex eo, quod singuli nominati prædicti præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis, etiam quantumvis magno, & inexcogitato, & substantiali defectu, etiam ex quo super præmissis solemnitates, & alia quævis servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis prædictorum, specialiter, ac individue exprimenda foret, aut, quod de voluntate nostra hujusmodi, vel aliis superius expressis, seu illatis nihil ullibi apparente, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, Gratiæ, seu Justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, aut concesso quempiam uti, seu se juvari in judicio, & extra posse; neque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non alias in præmissis per quoscumque Judices, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus præfatorum fel. record. Callixti III., Pii II., Innoc. VIII., Pii V., Sixti iidem V., Gregorii XV., ac Clementis IX., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Indultis, privilegiis supradicto Collegio, illiusque singula-

ribus personis quomodolibet concessis, necnon piæ mem. Pii Papæ IV., etiam prædecessoris nostri gratias, Cameram prædictam concernentes in eadem Camera omnino registrari debere disponen., ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Consistorialibus desuper in genere, vel in specie editis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & quibuscumque, etiam quantumvis efficacissimis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium prædictorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac superius innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu, & potestatis plenitudine similibus derogamus, ac derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Et quod singulorum officiorum prædictorum concessionum, & titulorum tenores, etiam veriores, ac earum dat. habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, & de perpetuis, suppressione, abolitione, extinctione, restitutione, applicatione, incorporatione, concessione, voluntate, & singulis Decretis, derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut supra in literis, & cum clausula ad perpetuam rei memoriam latissime extenden., & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam denominat., qualitat., nuncupat., innovat., aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis. Volumus autem, quod sola Motus proprii nostri hujusmodi Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra illud quacumque clausula contraria, & cæteris quibuscumque, ut supra non obstantibus, seu si videbitur per Breve nostrum, seu Officium de Curia expediri possint.

Restitutio soluti pretii nonnullis facienda non est.

§. 10. Per præsentes vero non intendimus sub præmissa pretii restitutione Officiorum hujusmodi, possessoribus libere facienda, comprehendi illum, seu illos, qui ratione gravis ætatis juxta nostræ Datariæ stylum, & observantiam ad Officii resignationem admittendi minime essent, cui, vel quibus remaneant salva eorum jura, pariter a præfato Thesaurario de voto Rotæ examinanda, & decidenda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Aprilis 1678. Anno Secundo.

XXXV. Confirmantur Confraternitates omnes sub titulo Nominis Dei in Ecclesiis Fratrum Ordinis Prædicatorum duntaxat existentes, etsi de earum Canonica erectione non constet.

Dat. 18. April. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Huic Confraternitati concessæ fuerunt nonnullæ Indulgentiæ a Pio IV.

CUM dudum fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster Confraternitati sub vocabulo Nominis Jesu institutæ, & ubivis terrarum, & locorum, tunc & pro tempore diffusæ utriusque sexus Confratribus in illa, tunc, & pro tempore descriptis ubilibet constitutis, sive sub ejusdem Confraternitatis regula prius edita, sive sub alia simili comprehenderentur, certa tunc expressa pietatis opera peragentibus nonnullas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, nec non alias gratias, facultates, & privilegia concesserit: Et subinde accepto per rec. mem. Pium Papam Quintum Prædecessorem nostrum, quod licet Societas Nominis Dei, sive juramentorum, originem, & ortum habuisset ab Ordine Fratrum Prædicatorum, & quod ab ejusdem Ordinis professoribus fuisset instituta, & aucta, necnon interventu Fratrum dicti Ordinis, multæ Indulgentiæ, aliaque privilegia, & favores dictæ Societati ab Apostolica Sede fuissent concessa; tamen multi Clerici, & Parochi in suis Ecclesiis dictam Societatem erigere studebant, itaut aliquando essent plures in eadem Civitate Societates, seu Confraternitates dictæ invocationis Nominis Dei, & juramentorum, in diminutionem observantiæ, & devotionis, quæ ex frequentia convenientium oriri solebat, & non sine aliqua confusione, quæ ob prædictam causam in die Circumcisionis Domini, quando festum prædictæ Societatis, seu Confraternitatis celebrari debebat, accidere consueverat; Idem Pius Quintus prædecessor noster motu proprio non ad alicujus sibi super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia sua, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod in Civitate, Oppidis, & Locis totius orbis Christiani, in quibus essent Ecclesiæ Ordinis Prædicatorum, ibi tantum, vel hujusmodi Civitatibus, Oppidis, & Locis, & in dictis Ecclesiis Ordinis Prædicatorum dumtaxat dicta Societas, seu Confraternitas erigi posset, nec deinceps nova Societas, seu Confraternitas hujusmodi institueretur in Civitatibus, Oppidis, aut Locis, in quibus non esset dicti Ordinis domus, aut in finitimis Ecclesiis, absque licentia Prioris Provincialis, seu Conventualis dicti Ordinis, in cujus districtu sita esset Ecclesia, in qua dicta Confraternitas, seu Societas erat, vel foret erigenda; quod si secus factum fuisset Confratres taliter admissi dictæ Confraternitatis, seu Societatis Indulgentias non consequerentur, nec favoribus, aut privilegiis gauderent, quæ Confratribus legitime scriptis per Sedem prædictam concedebantur perpetuo statuerit, & ordinaverit, ac etiam districtius inhibuerit, sicque voluerit, & præceperit, & alias prout in eorundem Pii Quarti, & Pii V. Prædecessorum literis desuper expeditis uberius dicitur contineri. Ac postmodum piæ mem. Gregorius Papa Decimus tertius prædecessor pariter noster prædictas Pii Quarti, & Pii Quinti prædecessorum literas confirmaverit, & approbaverit, aliasque indulgentias Confratribus dictæ Confraternitatis elargitus fuerit, prout in diversis ipsius Gregorii prædecessoris literis desuper emanatis etiam dicitur plenius contineri: Sed successive similis rec. Paulus Papa Quintus etiam prædecessor noster, qui certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cetero frueretur duxerat præscribendas, revocatis, & annullatis, ac nullius roboris & momenti in posterum fore declaratis omnibus, & singulis indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus Confraternitati Sanctissimi Nominis Dei, in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum canonice institutæ, & illius Confratribus, & Consororibus eatenus per quoscumque Romanos Pontifices ejus prædecessores concessit, omnibus utriusque sexus Christifidelibus hanc Confraternitatem de cetero ingressuris, ac tam ipsis de tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, qui

Statutum fuit a Pio V. ut in solis Ecclesiis Fratrum Prædicatorum, in aliis vero cum eorum permissione dicta Confraternitas erigi posset.

Literæ Pii IV. & V. confirmata fuerunt a Greg. XIII. & indulgentiæ auctæ.

Quibus omnibus revocatis a Paulo V. aliique ab eodem concessæ fuerunt.

certa

certa tunc præscripta pietatis opera peragerent, certas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes in perpetuum concesserit. Nec non Magistro Generali dicti Ordinis Prædicatorum, & illo absente ejus Vicario in Urbe commoranti, ut Confraternitates extra Urbem prædictam ubique locorum erigere, & instituere, illisque omnes Indulgentias, & gratias spirituales, in ipsius Pauli prædecessoris literis desuper emanatis expressas servata forma tradita in Constitutione similis mem. Clementis Papæ Octavi prædecessoris pariter nostri super Confraternitatum aggregationibus, & institutionibus edita communicare libere, & licite valeret, auctoritate Apostolica facultatem concesserit, & impertitus fuerit; ac insuper ipse Paulus prædecessor, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in aliqua ex Confraternitatibus in Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum canonice institutis dumtaxat tunc descriptis, & pro tempore describendis vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui processioni secunda Dominica cujuslibet mensis per dictas Confraternitates celebrari solitæ devote interfuissent, & pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, ac Christianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargitus fuerit; & subinde illis non solum in secunda hujusmodi, sed in una ex aliis mensis Dominica, juxta locorum consuetudinem processionem prædictam celebrantibus, illisque interessentibus, plenariam indulgentiam, & remissionem hujusmodi, ut præfertur, in secunda Dominica concessam suffragari voluerit, ipsisque denuo, quatenus opus esset misericorditer in Domino, servata in reliquis prioris concessionis forma concesserit, & alias prout in terminis ipsius Pauli prædecessoris literis die trigesima prima Octobris 1606. ac die vigesima octava Septembris 1612., & die prima Aprilis 1613. respective in simili forma Brevis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

De canonica ab initio erectione nonnullarum Confraternitatum sub invocatione Nominis Dei non constat.

§. 1. Verum sicut pro parte dilecti filii Magistri Generalis dicti Ordinis nobis nuper expositum fuit, multæ in Ecclesiis ejusdem Ordinis Confraternitates sub titulo, seu invocatione Nominis Dei, sive ante, sive per emanatam prædictam Clementis prædecessoris Constitutionem institutæ, seu introductæ reperiantur, quarum quidem Confratres, & Consorores solitas ejusmodi Confraternitatum functiones, multaque pietatis, & Christianæ charitatis opera exercere consueverunt, sed de illarum canonica ab initio erectione, & institutione non constat, & licet in Capitulo Generali Ordinis prædicti, quod anno 1600. Neapoli celebratum fuit, declaratum fuerit, quod in omnibus Ecclesiis ejusdem Ordinis, in quibus Fratres ipsius Ordinis officia, vel missas ordinarie celebrabant, erectæ intelligerentur, & institutæ Societates Sanctissimi Nominis Dei, non tamen appareat tunc temporis eidem Capitulo, vel antea Superioribus, vel Fratribus dicti Ordinis ejusmodi Confraternitates erigendi facultatem a Sede Apostolica concessam fuisse: nec dictæ Confraternitates ante editam Clementis prædecessoris Constitutionem prædictam institutæ, seu introductæ novas erectiones, & institutiones intra tempus ab eadem Constitutione præscriptum, & juxta illius formam obtinuerint; Quinimmo ut in illis quidem quæ post emanatam Constitutionem hujusmodi erectæ, & institutæ forsan fuerunt, ejusdem Constitutionis formam in earum erectionibus, & institutionibus, prout memoratus Paulus prædecessor ordinaverat, servatam fuisse appareat: Nobis propterea dictus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Magistri Generalis.

§. 2. Nos igitur ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; omnes, & singulas Confraternitates sub titulo, seu invocatione Nominis Dei in Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis dumtaxat ubicumque locorum de præsenti existentes, tametsi de earum canonica ab initio erectione, & institutione minime appareat, nec ipsæ Confraternitates novas erectiones, & institutiones juxta formam supradictæ Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse reperiantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & validamus, easque in statu valido esse, & fore decernimus, & declamus, in omnibus, & per omnia, perinde ac si illas omnes, & singulas ab ipso initio canonice erectas & institutas fuisse, novasque erectiones, & institutiones suo tempore, juxta formam memoratæ Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse constaret, & quatenus opus sit, illas omnes, & singulas, servata tamen ceteroqui prædictarum Pauli prædecessoris literarum, ac constitutionum, seu decretorum hujus Sanctæ Sedis præsertim circa distantiam locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum forma, & dispositione, de novo erigimus, & instituimus. Ac ipsarum Confraternitatum sic a nobis confirmatarum, & validatarum, & de novo respective erectarum Confratribus, & Consororibus, ut omnibus, & singulis indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus a prædicto Paulo prædecessore per ternas suas literas supradictas concessis, non autem ullis aliis, servata tamen pariter earundem Pauli prædecessoris literarum forma, & dispositione, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus. Porro eidem Magistro Generali harum serie injungimus, ut tam præsentium, quam ternarum Pauli prædecessoris literarum prædictarum transumpta, seu exempla authentica ad singulas domos regulares dicti Ordinis in quarum Ecclesiis Confraternitates hujusmodi existunt, quantocitius fieri poterit transmitti illaque Confratribus, & Consororibus ipsarum Confraternitatum notificari curet, ad hoc ut unusquisque illorum sciat, quibus indulgentiis, & gratiis spiritualibus ex hujus Sanctæ Sedis benignitate frui de cetero valeat. Ceterum in erectione, & institutione similium Confraternitatum, nec non indulgentiarum, & gratiarum communicatione illis per Magistrum Generalem Ordinis prædicti, & illo absente per ejus Vicarium in Urbe prædicta commorantem de cetero, juxta facultatem a prædicto Paulo prædecessore, sicut præmittitur concessam faciendis, formam in supradictam Clementis prædecessoris Constitutione præscriptam adamussim servari volumus, alioquin erectiones, & institutiones, ac indulgentiarum, & gratiarum spiritualium communicationes hujusmodi nullius omnino sint roboris, & momenti.

Prædictæ omnes Confraternitates in Ecclesiis Prædicat. erectæ confirmantur; dummodo servatæ fuerint literæ Pauli V. & decreta S. Sedis.

Mandatur, ut in novis erectionibus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad instar, nec non prædicta Clementis prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. April. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXVI. Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo statutum fuit, ut Commissarius Terræ Sanctæ Ord. Minorum S. Francisci Neapoli degens, si fuerit de Observantia in Conventu S. Mariæ Novæ; minime vero, in Altero SS. Trinitatis Reformatorum commoretur.

Dat. 25. Maji 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. NUper pro parte dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ Terræ Laboris fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Nobis expositio, quod cum dilectus etiam filius modernus Commissarius Terræ Sanctæ, qui est frater de Observantia dicti Ordinis in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. fratrum de Observantia dicti Ordinis, habitaret, ejusmodi autem fratrum de Observantia commoratio in Conventibus Fratrum Reformatorum maximis incommodis causam præberet, cum gravissimo regularis disciplinæ, ac instituti reformationis detrimento; ipse Minister Provincialis plurimum cupiebat a Nobis ordinari, ut præfatus Commissarius, una cum omnibus aliis Fratribus de Observantia, quos tanquam socios suos secum in supradicto Conventu Fratrum Reformatorum habet, inde migraret ad aliquem ex tribus Conventibus Fratrum de Observantia dictæ Civitatis Neapolitan., in quo futuri Commissarii, si essent Fratres de Observantia pariter habitare deberent, quando vero essent ex Fratribus Reformatis, vel Discalceatis Provinciæ S. Petri de Alcantara, in supradicto Conventu Fratrum Reformatorum commorarentur. Nos instantiam Nobis a dicto Ministro Provinciali super præmissis factam remisimus ad venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Ostien. S. R. E. Cardinalem Barberinum nuncupatum Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem, qui desuper opportune provideret; unde idem Franciscus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit, tenoris, qui sequitur, videlicet -- *Attentis expositis, auctoritate Nobis a SSmo D. N. attributa, illique inhærendo &c. Commissarium Terræ Sanctæ in Civitate Neapolis degentem, si fuerit de Observantia, assignamus de familia in Conventu S. Mariæ Novæ Fratrum similiter de Observantia; si autem fuerit ex Reformatione, vel ex Fratribus Discalceatis Hispaniæ, in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Reformatorum ejusdem Civitatis Neapolis Provinciæ Terræ Laboris; præcipientes per Sacram Obedientiam, & sub privatione actuum legitimorum, nec non sub aliis pœnis Nobis arbitrariis F. Joanni Andreæ de Lacumarvino ad præsens Commissario Terræ Sanctæ in Regno Neapolitano, quatenus una cum suis Sociis, aliisque Fratribus Ordinis de Observantia in prædicto Conventu Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Reformatorum degen., ut continuo de eodem Conventu discedant, & ad supradictum Conventum Sanctæ Mariæ Novæ Ordinis Minorum Observantiæ ejusdem Civitatis se transferant, ibique in posterum commorentur. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die* 10. *Maji* 1678. -- F. Cardinalis Barberinus Protector. -- *I. B. Archiepiscopus Januen. Secretarius.*

Decretum Card. Protectoris auctoritate à SSmo recepta editum.

§. 1. Cum autem sicut Minister Provincialis prædictus Nobis subinde denuo exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Ministrum Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Ministri Provincialis Ordinis S. Francisci Reformat.

Confirmatur prædictum Decretum.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXV. Maji MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXVII. Committitur Episcopo Malacinano erectio Cœnobii Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum in Civitate Malacæ secundum Constitutiones Apostolicas facienda.

Dat. 3. Sept. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Vener. Frater Salutem, & Apost. Benedictionem.

Causæ erigendi nova Cœnobia.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus de Villadiego, & Peralta Frater expresse professus, & in Romana Curia Procurator Provinciæ Sancti Petri de Alcantara in Hispania Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci strictioris observantiæ sive Discalceatorum nuncupatorum, quod cum Fratres dictæ Provinciæ Deo in spiritu Evangelico servire, Regulam dicti Ordinis accurate servare, populos bono exemplo ædificare, omnemque operam pro spirituali Christi fidelium consolatione, atque utilitate impendere assidue satagant, ideo multi ex dictis populis novos Conventus instituti dictorum Fratrum Discalceatorum erigere cupiunt, dictaque Provincia ejusmodi Conventibus magnopere indiget, quippe quæ licet per tria Regna, Granatense scilicet, Murciæ, & Giennense dilatata sit, tredecim tamen dumtaxat Conventus habet, quorum aliqui cum ab aliis Conventibus longe distent, incommoda redditur Ministro Provinciali illorum visitatio, & Fratribus dum ab uno ad alium Conventum transferentur, non minus incommodum est tantum itineris pedibus juxta eorum Institutum peragere, quinimo nonnunquam extra proprios Conventus pernoctare coguntur, paremque incommoditatem sustinent illi Fratres, qui ad aliquas Terras distantes ab illis, ubi eorum Conventus positi sunt. Quibus omnibus incommodis remedium adhiberetur, si Provincia prædicta plures haberet Conventus; Verum licet magna sit illorum indigentia, & quorumdam populorum pietas novos Conventus hujusmodi dictæ Provinciæ offerat, ipsa tamen Provincia illos fundare nequit propter quasdam fel. record. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri literas in simili forma Brevis die 11. Julii 1601. ad instantiam Fratrum Minorum Provinciæ Carthaginen. Ordinis ejusdem Sancti Francisci de observantia nuncupatorum expeditas, quibus cavetur, ut Fratres Minores Discalceati Conventus eorum instituti inter spatium quatuor leucarum a Conventibus ipsius Provinciæ Carthaginen. fundare nequeant; quæ literæ a rec. mem. Alexandro Papa VII. prædecessore pariter nostro per suas pariter in forma Brevis die vigesima Octobris 1661. seu alio veriori tempore emanatas literas confirmatæ, & ad Provinciam Granaten. Fratrum Minorum itidem de Observantia dicti Ordinis contra Provincias Fratrum Discalceatorum ampliatæ fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, literæ præfatæ ad instantiam dictorum Fratrum de Observantia, non auditis Fratribus Discalceatis, emanaverint, idque facile factu fuerit, quia Procurator Generalis dicti Ordinis, qui in Romana Curia residet, semper est ex Fratribus de Observantia; nulla vero adsit ratio solido nixa fundamento, propter quam in magna Regnorum supradictorum parte impediri debeat propagatio Instituti dictorum Fratrum Discalceatorum, qui Regulam prædictam stricte servantes Dei gloriam, & Religionis decorem promovere semper studuerunt, populorumque ædificationi operam dederunt, & proinde dictus Ferdinandus Procurator plurimum cupiat præfatæ Provinciæ Sancti Petri de Alcantara indulgeri, ut non obstantibus literis supradictis, tres novos Conventus, unum scilicet in ista Civitate Malacitan. Regni Granaten., alterum in Oppido Civitate nuncupato de Baeza Regni Giennensis, & reliquum in Villa de Auxad ejusdem Regni Granaten. ad Montes Alpuxarras nuncupati, servatis tamen de jure servandis quoad reliqua, & accedente consensu illorum, quorum consensus accedere debet, erigere valeat; attento quod nullum exinde injustum præjudicium aliis Regularibus proventurum est, cum supradictæ duæ Civitates sint populo frequentissimæ, ac amplæ, & opulentæ, dictaque Villa paris sit conditionis, locorum vero Ordinarii, & alii, quorum consensus ad novorum hujusmodi conventuum erectionem requiri solet, non sint permissuri, ut illi erigantur, nisi prius bene examinata illorum necessitate, atque utilitate, cognoverint, illos nec regularibus præjudicium, nec populis gravamen afferre posse. Nobis præterea prædictus Ferdinandus Procurator humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Ferdinandum Procuratorem spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & accedente consensu interesse habentium, petitam Conventus erectionem in Civitate Malacitana tantum auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia concedas. Ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Constitutiones Apostolicas circa hujusmodi novorum Conventuum erectiones præscripta sunt, religiose serventur; ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Procuratoris Provinciæ.

Committitur Episcopo Malacitano, ut veris expositis, & servatis Constitutionibus Apostolicis, Malacæ tantum Cœnobium constituat.

Obstant nonnullæ Pontificum literæ.

§. 1. Non obstantibus literis prædictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cur eæ non sint attendendæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Septembris MDCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXVIII. Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua bis in anno, ac septem annorum, & totidem quadragenarum in reliquis mensibus, etiam per modum suffragii applicanda, iis qui interfuerint orationi semel in mense pro moribun-

dis in Ecclesiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis fieri solitæ.

Dat. 26. Sept. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad Catholicæ Religionis, & Christianæ pietatis incrementum, & animarum salutem profecturos speramus, libenter elargimur.

Preces Præpositi Generalis.

§. 1. Itaque supplicationibus dilecti filii Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœniten. & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui orationi semel in mense pro decedentibus, in qualibet Ecclesia Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, fieri solitæ devote interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon felici Agonizantium transitu, pias ad Deum preces effuderint, plenariam bis in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem per quemcumque Christi fidelem lucrifaciendam misericorditer in Domino concedimus. In cæteris vero anni mensibus ejusdem Christifidelibus præmissa peragentibus septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, quas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicari posse indulgemus.

Prædictæ Indulgentiæ conceduntur.

Clausulæ.

§. 2. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIX.

Confirmatur decretum Congregationis Indulgentiarum, quo Confraternitates SS. Sacramenti fiunt participes Indulgentiarum Archiconfraternitatis ejusdem nomini in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe institutæ, & alia insuper Indulgentia conceditur comitantibus idem Sacramentum ad Infirmos pro Viatico delatum.

Dat. 1. Oct. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti nobis cœlitus pastoralis Officii debitum exigit, ut ad augendam fidelium religionem, promovendamque animarum salutem pia charitate jugiter intenti, ea, quæ ab hac Sancta Sede ad incitandam, fovendamque eorumdem fidelium erga SSmum, Augustissimumque Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum pietatem, atque devotionem salubriter emanasse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio roboremus, ejusdemque SSmi Sacramenti cultum, & venerationem prudenti cælestium munerum dispensatione, quantum nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Decretum Congregationis, in quo etiam referuntur aliquæ mutationes harum Indulgentiarum.

§. 1. Dudum siquidem de mandato fel. rec. Clementis Papæ X. prædecessoris nostri emanavit e Congregatione tum existentium S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Licet sa. mem. Paulus Papa III. per binas suas Constitutiones concesserit, ut Sanctissimi Corporis Christi Confraternitates omnes, & singulæ, ubivis locorum institutæ, ac instituendæ, iisdem Privilegiis, concessionibus, Indulgentiis, gratiis, & Indultis, quæ Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe erectæ largitus fuerat, ac in posterum largiretur, uti, potiri, & gaudere possent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt; præsertim vero per similis memoriæ Clementis VIII. Constitutionem de Aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ, tam supradictæ Sanctæ Mariæ de Minerva, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea concessæ, aut abrogatæ, aut saltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium revocari posse videatur, an hujusmodi Pauli III. concessiones pristinum suum robur adhuc retineant; Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis Præfectorum optans summopere Sacratiss. Sacramenti veneration em, & cultum in dies magis augeri, & ob eam causam hujusmodi Societatem in omnibus Ecclesiis Parochialibus erigi, atque ad id Christifideles præcipuis gratiis excitari, speciali ordine habito vivæ vocis oraculo a Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa X., fel. recordationis Pauli V. vestigiis inhærente, decrevit, ac declarat, juxta easdem Pauli III. Constitutiones, Confraternitates, & singula Sanctissimi Corporis Christi, ubique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova, aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione fore, & esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & Indultorum ab eodem Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerva per Breve Datum Romæ apud S. Petrum die 3. Novembris 1606. nominatim, & expresse concessorum, ac in posterum, a Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus, & singulis uti, potiri, gaudere posse, ac debere statim atque Confraternitatum earumdem erectio Apostolica, vel Ordinaria auctoritate facta fuerit, servata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Constitutione. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis de Indulgentiis adinstar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Aprilis 1676. -- C. Cardinalis Maximus -- Loco ✠ Sigilli -- Michael Angelus Riccius Secret.

Confirmatur relatum decretum.

§. 2. Quare nos perpetuæ ejusdem Decreti firmitati consulere cupientes, Decretum ipsum præinsertum, cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Insuper conceditur Indulgentia comitantibus SS. Sacramentum ad Infirmos delatum.

§. 3. Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam in alma Urbe nostra, quam alibi ubicumque locorum degentibus, qui præfatum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad Infirmos pro Viatico defertur, devote comitati fuerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione,

ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quacumque vice id egerint, si cum lumine, septem annos, & totidem quadragenas; si vero sine lumine illud, ut præfertur, comitati fuerint, quinque annos, & quinque quadragenas respective de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino relaxamus. Præsentem autem Indulgentiarum concessionem, seu pœnitentiarum relaxationem non cumulative cum aliis similibus, quæ præmissa peragentibus antehac; & præsertim a recol. mem. Clemente PP. VIII. prædecessore pariter nostro concessæ reperiantur, sed privative ad illas unicuique fidelium præfatorum suffragari posse, & debere declaramus.

Et ea privative unicuique suffragatur.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, & validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis, adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 1. Octob. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XL.
Dat. 10. Oct. 1678. An. 2.

Tassa Innocenziana per il Foro Ecclesiastico, ovvero Dichiarazioni per li emolumenti, che trarre si possono dalle cause, e materie Ecclesiastiche, o spirituali.

Nell' Italia fù di nuovo comandata l'osservanza di questa Tassa da Benedetto XIII. nel Concilio Romano al tit. de For. compet. cap. unico.

Cagioni di questa Tassa, o dichiarazioni.

Essendosi avuto ricorso alla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI. per molti Vescovi, Arcivescovi, e Prelati zelanti, acciò per sicurezza della loro coscienza, e per togliere ogni occasione di dubbio, che potesse nascere dalle diverse Consuetudini delle Diocesi, ed anche acciò non siano ingannati da' loro Vicarii, Cancellieri, ed altri Ministri, e famigliari, si stabilisca una Tassa generale, ed uniforme per il Foro Episcopale, ovvero Ecclesiastico, nè mancando i ricorsi de' Cleri, e de' Popoli, ha perciò la Santità Sua deputata una Congregazione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medesime Congregazioni, e di due Monsignori loro Secretarii, e delli Monsignori Datario, e Auditore della Santità sua, e da questa si è risoluto, non potersi nelle cause contenziose civili, criminali, e miste venire alla sudetta Tassa generale, senza la precedente notizia delle Tasse particolari di ciascheduna Diocesi, o Provincia, potendo giuridicamente quella esser varia secondo la diversa consuetudine regolata dalla diversità de' Paesi, e de' luoghi. Bensì doversi con qualche maggior chiarezza per togliere tutti i dubbii, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in piu tempi, e diverse occasioni si son fatte dalle Sacre Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi nelle materie Ecclesiastiche, ovvero meramente spirituali, acciò in tal modo sappia ciascuno quel che sia illecito, e si tolga ogni scusa, o pretesto d'ignoranza, o di consuetudine, dovendo in si fatte materie l'osservanza essere da per tutto uniforme per la generalità de' Canoni, e Concilj, e particolarmente del Tridentino, in modo che deve dirsi reproba, ed illecita ogni contraria consuetudine, ò Tassa diversa in qualunque modo per l'addietro fatta o conforme dalla medesima Congregazione si è stabilito, in modo che le seguenti dichiarazioni debbono osservarsi da per tutto senza eccettuazione alcuna, sotto le pene contenute ne' Sacri Canoni, e Concilj e d'altre ad arbitrio del Sommo Pontefice che sarà pro tempore, e nascendo qualche dubbio in contrario, se ne debba consultare la sudetta Sacra Congregazione del Concilio, e non altrimente.

Si comanda la di loro generale osservanza sotto molte pene.

Dichiarazioni per gli Ordini.

§. 1. Nella materia degli Ordini Sagri, e Minori, e prima Tonsura, così per la collazione, come per la facoltà, che ad altro si dia di conferirli, ed anche per il loro esercizio, e per la facoltà di esercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, si stabilisce la regola generale da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, e che nè il Vescovo, o altro Prelato, nè il suo Vicario generale, o Foraneo, Cancelliero, ed altr' Officiale qualsivoglia, nè Parenti, e Familiari, o servitori possano esigere, e ricevere emolumento, e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore, o pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, ovvero di tovaglia, forbici, pettine, ed altro, nè sotto titolo di regalo, o di mancie, anche se spontaneamente si offerisse, e desse, eccetto che l'Ordinante possa ricevere l'oblazione della candela, secondo dispone il Pontificale, a libero arbitrio dell' Ordinato circa la qualità, e peso; ed il Cancelliero, secondo la dispozione del Sacro Concilio di Trento per le lettere testimoniali della collazione dell' Ordine già dato, ovvero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un altro Vescovo, possa ricevere solamente la decima parte d'un scudo di moneta Romana, cioè un giulio, ovvero l'equivalente nella moneta del Paese, e non più, da persone, le quali abbino l'uso del denaro, non gia da quei Religiosi, i quali non ne hanno l'uso, come sono i Capuccini, e i Minori Osservanti, eccetto che nella Collazione del Subdiaconato per gli atti, che si debbono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del Patrimonio, ovvero del Beneficio, a titolo del quale si deve promovere, possa esigere quell'emolumento che sia proporzionato alla mera fatiga personale per la scrittura, e carta, senzache il Vescovo, o Vicario, o altr' Officiale nè direttamente, nè indirettamente ne possa participare in modo alcuno, purchè detto emolumento, non possa, nè debba eccedere un scudo d'oro, ma se la fatiga richiede minor mercede, si debba esigere solamente quel meno. Ma rispetto agli altri Ordini, e alla prima Tonsura, non possa esigere cosa alcuna, sotto pretesto di registratura de Brevi, e Dispense, e di altre Scritture, o di presentata, e di qualunque altra giustificazione, e solennità, o remozione d'impedimento.

Con dichiarazione, che se le sudette lettere testimoniali, ovvero dimissoriali contengono piu

ordini, tuttavia non si possa esigere altra mercede, che la sudetta di un giulio, sicchè non si possa multiplicare a ragione di ciascun, ordine. Non sia però tenuto il Cancelliero a far una sola scrittura per piu ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi, e diverse ordinazioni, ma volendo possa farle separate, non già rispetto a quegli ordini, che si conferiscono in un'istesso giorno, come segue ne' Minori, ne' quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per l'ordinazione da farsi per un altro Vescovo a piu ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture, nè possa esigere cosa alcuna per il rogito della Collazione degli ordini, ovvero al luogo dell'ordinazione; con altro pretesto anche di mancia, e di regalo.

Per li Benefizj, che si conferiscono da' Vescovi, o altri inferiori Collettori.

§. 2. Nella materia de Benefizi Ecclesiastici, quando si tratta di quelli, come di libera collazione, ovvero come devoluti si conferiscono dal Vescovo, o altro ordinario Collatore, parimente si stabilisce la regola generale, che nè il Vescovo, o altro Collatore, nè il suo Vicario, o altro qualsivoglia Officiale, nè il Cancelliero, o Parenti, Familiari, Servitori possano esigere, e ricevere emolumento alcuno, ed altra cosa sotto qualsivoglia colore, e pretesto anche di mancia, o regalo, e volontario donativo; così se siano Curati, o residenziali, come semplici, o non residenziali, ed anche se siano Cappellanie manuali, ma solamente il Cancelliero per le lettere della Collazione, compresa carta, sigillo, corde, ed ogn'altra cosa, possa esigere la mercede proporzionata alla scrittura, e materia, purchè non ecceda la somma di giuli dieci di moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del Paese, senza che si possa pretendere altra mercede, sotto qualsivoglia pretesto, e particolarmente par l'approvazione, per elezione nel concorso alle Chiese Parochiali. E per il possesso il Vescovo, o Vicario, o altr'Officiale non possa esigere cosa alcuna, e il Cancelliero, se sarà dentro la Città, possa per il rogito, ed ogn'altro atto esigere giulj tre, se ne' Borghi, ovvero Suburbj giulj quattro, & se in altro luogo, i medesimi giulj quattro il giorno, e le spese di vitto, e viatico; Bensì, che se nel luogo del Benefizio vi sarà il Cancelliero del Vicario foraneo, o altro Notaro, si dovrà il possesso comettere al Vicario foraneo, e suo Cancelliero, senza la necessità del viaggio del Cancelliero Episcopale.

Per li Benefizj di provvisione Apost.

Quanto a' Benefizj di provvisione Apostolica, perchè siano riservati, ovvero affetti avanti la loro provisione così ne' benefizj Curati, ne' quali per l'ordinario si danno le lettere testimoniali alla Dataria dell'approvazione, e della preelezzione nel concorso, secondo la forma del Concilio di Trento, come anche negli altri benefizj non curati, e particolarmente ne' residenziali, per i quali si sogliono dare le attestazioni alla Dataria sopra la vita, costumi, e idoneità de' concorrenti per le dette lettere, non si possa esigere, o ricevere mercede, ed emolumento alcuno in denaro, o in altre cose sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo, ma si devono dare affatto *gratis*.

Per l'esecuzione delle lettere Apost.

E doppo la provvisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche quando siano nella forma graziosa, non possano il Vescovo, o altro Prelato ordinario del luogo, o suo Vicario, e Cancelliero, ed altr'Officiale: pretendere di doverne essere per necessità Esecutori, ma sia in arbitrio de' Provvisti l'elegersi l'Esecutore, ed il Notaro per il possesso, ma se il Provvisto elegesse l'ordinario Officiale, e il suo Cancelliero, o veramente se le lettere fossero nella forma, che si dice *dignum*, indrizzate all'Ordinario, ovvero al suo Vicario, il quale perciò ne fusse necessariamente l'Esecutore, così nell' uno, come nell'altro caso, non essendovi altro contradittore, in modo che l'Esecutore sia mero, parimente il Vescovo, o altro Prelato, e il suo Vicario, o altr'Officiale, e suoi famigliari, e servitori, e attinenti non possano, ne debbano esigere, e ricevere emolumento alcuno, in quell'istesso modo, che disopra si è detto ne' Beneficj d'ordinaria collazione; ma il Cancelliero possa per la copia, o registro delle lettere Apostoliche, ed altri atti, ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la scrittura, purchè non ecceda in tutto uno scudo d'oro; Et essendovi contradittore, sicche convenga di far processo giudiziale, la mercede del Cancelliero per la sua fatiga si possa stendere a due scudi d'oro, e non più, senza che il Vescovo, o altro Officiale possa esigere, e recivere emolumento alcuno, mentre nelle cause Ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i Sagri Canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudizio si debba interporre *gratis*. E per il possesso si osservi quell' istesso, che si è detto di sopra, ne' Benefizi conferiti dall' ordinario collatore.

Per li Benefizj di Patronato.

Nelli Benefizj di Patronato nascendo dubbio sopra l'esistenza del Patronato, con il Procuratore Fiscale, ovvero col provvisto, che ne pretenda la libertà, si debba in tutto, e per tutto obsservare quell'istesso, che di sopra si è detto ne' benefizj di libera collazione col contradittore; ma se non controvertendosi l'esistenza, sia la controversia tra' Compatroni, ovvero presentati da essi sopra la pertinenza, in tal caso si reputi come causa civile profana, e per consequenza si osservi la solita Tassa di ciascuna Curia, fino a tanto che si faccia l'altra Tassa delle cause profane, Civili, Criminali, e Miste.

Per le Cappellanie Manuali, e fundazioni de' Benefizj, e Confraternità.

§. 3. Generalmente così nelle Cappellanie manuali, come nelle nuove fondationi, ed erezioni de Benefizj, Cappellanie, Confraternità, Congregazioni, ovvero fondazioni, benedizioni, e Consegrazioni, e respettivamente visite, ed approvazioni di Chiese, e di Oratorii, così con l'autorità Apostolica, come con l'ordinaria, il Vescovo, o altro Prelato, e suo Vicario, e qualunque Officiale, non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, ma solamente il Cancelliero possa esigere quella mercede che sia porporzionata alla sua fatiga per la scrittura, purchè non possa eccedere in tutto uno scudo d'oro, ma sia meno, se minore sarà la fatiga.

Per le Cause Matrimoniali, esecutioni di Dispense, e Licenze.

§. 4. Nelle Cause, e materia, che riguardano il matrimonio, e gli sponsali, così per l'esecuzione delle Dispense Apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico impedimento, ed anche per la Dispenza alle publicazioni, o per la licenza di potersi contrarre in Casa, o in altro luogo, o tempo insolito, e proibito, o che si possa contrarre in presenza d'altri che del Paroco, ed ogni altro atto che occorresse fare, il Vescovo, ed il suo Vicario, ed ogni altro Officiale, o Ministro, o Familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di mancia, e di volontario donativo, esigere, e ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, nè in altre cose, ma solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, cioè nell'esecuzione delle dispense giulj tre, e per i testimonj sopra lo stato libero, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purche in tutto non si ecceda un scudo di moneta Romana, cioè dieci giulj, o vero il loro equivalente nella moneta del Paese: Non comprendendosi le cause contenziose, tra i conjugi sopra la validità del matrimonio, o vero sopra la separazione del Toro, stimandosi questa causa giudiziale profana, nella quale si osservarà la Tassa di ciascun Tribunale finchè si provveda.

Per li Monasterj di Mo-

§. 5. Generalmente in tutto quello che riguarda i Monasterj delle Monache, ed i conservatori

nache, e Conservatorj.

servatorj di quelle Donne, le quali a guisa di Monasterj, e Monache respettivamente vivono ritirate, il Vescovo, o altro Prelato, il Vicario così Generale, come particolare, e qualunque altro Officiale, o Deputato, ed il Cancelliero, & anche i parenti, ed i familiari del Vescovo, o Prelato, e de' suoi Officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, & in altre cose, eccetto che quelli comestibili, che siano proporzionati all'uso, e consumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito Monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la Professione, per l'ammissione dell'Educande, ed altre Donne Secolari, per le renunzie, che si fanno dalle Novizie, per l'elezione dell'Abadessa, o altra Superiora, per le licenze de' Medici, Chirurghi, e Operarj, per le licenze di parlare alle Monache, ed altre che sono nel Monasterio, per la deputazione de' Confessori, Cappellani, Procuratori, Esattori, ed altri Ministri, e generalmente per ogn'altro atto, che riguarda al governo, ma solamente il Cancelliero per il rogito delle renunzie, e per gli atti che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj cinque moneta Romana, o vero l'equivalente nella moneta del Paese.

Per l'Amministrazione de' Sagramenti.

§. 6. Parimente per una regola generale da non soggiacere à limitazione alcuna, il Vescovo, o altro Prelato, suo Vicario generale, o particolare, Cancelliero, e qualunque altro Officiale, Ministro, e familiare, anche sotto nome di mancia, o volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de' Sacramenti, del Battesimo, della Cresima, della Penitenza, dell'Eucharistia, e dell'Estrema Unzione, anche per l'esame, ed approvazione, o licenza d'amministrarli: Anzi s'incarica à Vescovi, e Prelati, e loro Vicarj, & Officiali, che non lo permettano a' Curati, ed a' Confessori, ed altri Ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, o altro Vase, nel quale sia riposto il Vase dell'Oglio Santo per l'Estrema Unzione, o del Crisma nel Battesimo, o vero tovaglie, fazzolletti, ed altre cose, dichiarandosi tutto cio illecito. Come anche a non chiedere, nè esigere cosa alcuna per la benedizione delle Donne infantate, quando doppo il parto secondo il Rito Ecclesiastico per la prima volta che entrano in Chiesa.

Per li Testaméti di quelli, che mojono ab intestato.

§. 7. In quelle Diocesi, nelle quali regna l'antica consuetudine, che il Vescovo, o altro Prelato, ed Officiale faccia il Testamento per l'Anima di quelli, i quali muojono ab intestato di quella somma moderata, nella quale secondo i Decreti della Sagra Congregazione, può esercitare tal facoltà, non possano esso, e suoi Officiali, Ministri, Parenti, e familiari participare in modo alcuno, sotto qualsivoglia colore, o pretesto, anche di povertà, ma in tutto si debba effettivamente applicare ad usi, ed opere pie, ne per l'adempimento di tal disposizione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la Sepoltura, e l'Esequie, o funerale al defonto, dovendosi esercitare giuridicamente l'azioni sopra i beni ereditarj, e si debba osservare la lettera Circolare della Sacra Congregazione de' Vescovi sotto li 19. Agosto 1678.

Per le Sepolture, Esequie, Funerali, e trasportazione de' Cadaveri.

Come anche in modo alcuno si possono impedire, o ritardare la Sepoltura, e l'Esequie, o funerali a' Defonti così Cittadini, come forastieri per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Vescovo, dal Capitolo, o dal Curato, e qualunque altro per la consuetudine del Paese si pretendano, ma parimente rimangano illese le azioni giuridiche ne' beni, sopra i quali si dovranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, o vero che si diano molestie personali a' figli, moglie, e parenti; Ed ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i Cadaveri, o vero di sepelirli più in un luogo, che nell'altro.

§. 8. Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, e indiretto, per consequenza se ne proibisce al Vescovo, o Prelato, suo Vicario, e Cancelliero, ed ogni altro Ministro, e familiare, ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto, anche di mancia, o donativo nell'infrascritte cose, cioè.

Per varie licenze, ed attestazioni.

Per la licenza, o patente di predicare, così nella Quadragesima, nell' Avvento, come in tutti gli altri tempi, e in qualsivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle Feste, anche per applicarsi ad usi pii, sichè si dia onninamente gratis, e quanto alle contravenzioni d'aver lavorato, le pene tutte si applichino effettivamente ad opere, ò luoghi pii senza participazione alcuna benchè minima, eccetto che all' Esecutori, e Ministri inferiori, volgarmente *Sbirri*, per la cattura si dia la mercede proporzionata alla diligenza e fatiga, purchè non ecceda tre giulj in tutto.

Per la revisione de' conti de' luoghi pii.

Per la recognizione, ed approvazione, e pubblicazione delle Reliquie, dell'Induigenze, e Altari Privilegiati.

Per la licenza di questuare.

Per l'attestazione della povertà, o altro requisito, eccetto che il Cancelliero possa esigere in tutto, e per tutto un giulio di moneta Romana, o l'equivalente.

Per la licenza d'esser assente dalla residenza, generalmente per le dimissorie, che si sogliono concedere a quelli, li quali partono di Casa per andar in altro Paese.

Per li monitoriali, per le rivelazioni di scomuniche, così quando si diano da essa Curia, ed Ordinario, come quando si pubblicano le lettere Apostoliche, eccetto che il Cancelliero possa per la mercede della Scrittura esigere un giulio solamente.

Per la dichiarazione dell'incorso nelle censure, per la percussione de' Cherici, ed altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto che il Cancelliero per la fatiga della scrittura possa esigere giulj due, eccetto che nell' esecuzione de' Brevi della Penitenziaria, nel qual caso per quel che appartiene all'assoluzione ne anche il Cancelliero possa esigere cosa alcuna.

Per la facoltà d'esercitar i Pontificali.

Per l'esecuzione de' Brevi Apostolici, o vero licenza della Sacra Congregazione nell' alienazione de' beni di Chiesa, luoghi Pii, o vero imposizione de' censi, solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj diece di moneta Romana, o suo equivalente, come anche per tutto quello che appartiene alla difesa dell'Immunità Ecclesiastica, così personale, come reale, e locale, e particolarmente di quest'ultima non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, ed esigere mercede, o vero emolumento, ma il tutto si debba fare gratis.

Per le Pene, e Composizioni.

§. 9. Le pene, le multe, e le composizioni si applichino per intiero ad uso de' luoghi Pii, senza che il Vescovo, o Vicario, e suoi Officiali direttamente, nè indirettamente, ne abbiano participazione alcuna.

Per il sussidio Caritativo.

§. 10. Il sussidio Caritativo in quelle Diocesi nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente si esigga solamente per una volta nel primo in-

gresso

gresso del Vescovo secondo la Tassa solita antica d'anni quaranta indietro, si che non s'attenda il solito più moderno da detto tempo in giù, ne si possa più esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

Per la Visita della Diocesi, e Chiese.

§. 11. Quanto alla visita, si osservino inviolabilmente il Decreto del Sac. Concilio di Trento, e le dichiarazioni della Sagra Congregazione; e particolarmente da quelli, i quali concorrono alle spese de' Cibarj, nè mediatamente, nè immediatamente si possino ricevere regali, e donativi, anche di cose comestibili; Ed ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gli atti della visita, decreti, e presentate di scritture, ovvero per la revisione de' Decreti delle Visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli i quali sono visitati si ricevono le spese del vitto.

Approbantur a Pontifice præd. Declarationes, & mandatur, ut eæ publicentur.

Die prima Octobris 1678. facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit, earumque observantiam, & publicationem injunxit Sacræ Congregationi Concilii.

Jo. Baptista de Luca præfati Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Papæ XI. Auditor, & Secretarius Memorialium.

Decretum S. Congreg. Concilii.

Die 8. Octobris 1678. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ censuit præmissam taxam, seu declarationes Typis dandas esse, & per literas Circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas; ut eas in Cancellaria in loco omnibus patente retineri faciant, easdemque adamussim observent, & faciant observari.

F. Card. Columna Præf.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbien. Secret.

XLI.
Dat. 3. Octob. 1678. An. 2.

Dismembrantur ex Archiepiscopatu Bituricensi sex Ecclesiæ, ex quibus novus constituitur Archiepiscopatus Albiensis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

TRiumphans Pastor æternus, gloriosa dictante sanctorum directione Patrum, ut suum salvaret populum, decretis in monte colloquiis, in eruditione Sanctuarii, inter alia ministeria permisit, quod ignis in Altare Sacerdotis confoveretur, & ut sine intermissione combureretur, ligna eis subjicere, ut illius non cessaret ministerium studiosum. Altare quippe Dei, cor fidelis habetur cujuslibet, in quo ipsius ignis ardor indesinenter expetitur, quo velut flamma ardentis charitatis incendatur. Sancta vero, & immaculata, quam pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, ejus Unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis fundari, consecrari, & æternaliter stabilire censuit, Ecclesia, ignis seu sacri flaminis splendore induta, quos regeneravit in Christo, ipsius charitatis nexu, & compage fideles stringit universos, & Ecclesias suas alias tanquam adolescentulas, ignis ejusdem confovet ardoribus, & fibris exornat charitatis. Nos itaque illius summi directione Pastoris, qui Ecclesiarum, & fidelium omnium nostræ commisit insufficientiæ curam, Nosque licet immeritos, in ipsius montis vertice ad summum Sacerdotii pontificium conscendere voluit, hujusmodi instructi documentis, easdem Ecclesias, earumque Pastores in partem solicitudinis consilii cœlestis dispositione vocatos, in charitatis visceribus ardentius complectentes, nostros continuo revolvimus cogitatus, ut ea in operam nostri ministerii dona congeramus, per quæ ad Ecclesiarum, & illis præsidentium Prælatorum dispendiis, & necessitatibus occurratur, ac litium anfractibus, innumeris incommodis, aliisque infortuniis provideatur accommode, ipsæque Ecclesiæ invicem charitatis nexu conjunctæ votivæ prosperitatis incrementa suscipiant.

Causæ dismembrationis.

§. 1. Sane providi vigilisque Pastoris more, considerantes Ecclesiam Bituricensem Archiepiscopo de præsenti viduatam, quæ una ex antiquissimis Regni Franciæ Metropolitanis Ecclesiis existit, undecim Sedes complecti Episcopales, sibi suffraganeas, easque maxime insignes; nimirum Claramontensem, Sancti Flori, Mimatensem, Anicien sem, Ruthenensem, Vabrensem, Caturcensem, Albiensem, Ruthenensem, Castrensem, Caturcensem, Vabrensem, & Mimatensem, seu earum plerasque ab ipsa Bituricensi sua Metropolitana distare plus centum leucis, earumque partem multo majorem sitam esse in locis montanis, & propemodum, hiberno saltem tempore, inaccessibilibus, tantamque distantiam, & itinerum difficultatem multis incommodis locum præbere, ac communicationem membrorum in capite impedire, nec posse easdem Ecclesias suffraganeas, illarumque diœcesanos, quandocumque opus est, sui Metropolitani Bituricensis opem implorare, & consequi, & hinc multos Beneficiatos, & Ecclesiasticos arripere occasionem vagandi, suas Ecclesias deserendi, & ab eis diu emanendi. Præterea, tametsi Jurisdictio Ecclesiastica cum civili nunquam sit confundenda, distantiam tamen dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bituricensis a suis suffraganeis, jurisdictionum, & subordinationum seriem, atque ordinem ab Ecclesia universali præscriptum intervertere, cum nimiæ hujusmodi distantiæ difficilisque ad Metropolitanarum recursus obtentu, multa inordinate fiant, & casibus, in quibus solus Metropolitanus adeundus esset, Ordinarii viciniores falcem in messem alienam immittendo, providere, Beneficia conferre, Sacramenta administrare, Ecclesias curandas committere, censuras relaxare, seu iis innodatos absolvere, aliosque ejuscemodi actus jurisdictionis, in alienos subditos contra sacrorum Canonum dispositionem exercere præsumant; inde autem lites enasci immortales, multa animarum pericula suboriri, rerum sacrarum profanationes, offensiones, & deplorandas morum corruptiones provenire, Ecclesiasticam disciplinam multipliciter perverti, ac perturbari: quinimo Archiepiscopis Bituricensibus suos suffraganeos ad Concilia provincialia vocantibus illos non comparere, nec interesse, nimiam scilicet, & dispendiosam causantes locorum distantiam, & itinerum asperitatem, ac pericula, sed mittere procuratores, qui quantumvis scientia, & pietate, & probitate egregii, non eum tamen afferunt Ecclesiis fructum, quem a suorum Episcoporum præsentia merito sperare possent.

Preces Regis Christianissimi.

§. 2. De his vero similibusque edoctum charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum, & Navarræ Regem christianissimum, pro eximia sua in Deum pietate, ac in res Ecclesiasticas studio, remedium tot detrimentis, & offensionibus in dies succrescentibus a Sede Apostolica enixis precibus flagitavisse, & flagitare, nec aliud remedium præsentius, meliusque videri, quam, si tam late patens Provincia Ecclesiæ Bituricensis divideretur, separatis, seu dismembratis ab ea ex supradi-

Modus dividendi Provinciam Bituricensem.

ctis suffraganeis Ecclesiis, & ex illis una, videlicet Albiensis, in Metropolitanam cui reliquæ, nempe Mimatensis, Ruthensis, Castrensis, Caturcensis & Vabrensis in suffraganeas assignarentur, erecta, cum præsertim Ecclesia ipsa Albiensis sita sit in Civitate, quæ est caput Provinciæ Albiensium, & juxta eorumdem Sacrorum Canonum præscriptum, Sedes Archiepiscopales in Civitatibus præcipuis sint collocandæ, ipsaque Ecclesia Albiensis aditu sit percommoda, quippe in meditullio ceterarum jam dictarum Ecclesiarum constituta, accessu admodum optimo instructa, & proinde Ecclesia Bituricensis detrimentum, quod ex distractione, seu dismembratione sex Ecclesiarum suffraganearum hujusmodi acciperet, facilius reparare valeat.

Ecclesiæ suffraganeæ designantur.

§. 3. Nos itaque ad Ecclesias prædictas, illarumque Præsules, & universos Cleros, & Populos earumdem, quos non immerito affectu prosequimur in visceribus charitatis, paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac sperantes, quod qui bonorum largitor est omnium, & prout vult sua dispensat bona gratiarum, dirigente Domino, erectio hujusmodi in prædicta Provincia ad Ecclesiarum prædictarum, illarumque Præsulum, & incolarum universorum in d. Provincia consistentium, ædificationem de virtute in virtutem, tranquillumque, & prosperum sub timore Domini confovendum statum, mutua charitatis vicissitudine fructus dietim afferet ampliores, ipsique Præsules, & incolæ tanto Apostolicam Sedem, in qua cœlestis Clavigeri Apostolorum Principis successores existimus, puris jugiter corde, & animo venerari, & pro illius votivis successoribus opem, & operam accuratioribus studiis impendere debeant efficaces, quanto Sedem ipsam de eorum statu prospero, & tranquillo solertius cogitare cognoverunt; Matura super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita ad enixas ejusdem Ludovici Regis preces, de eorum fratrum consilio, & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas sex Ecclesias, earumque Civitates, ac Diœceses, videlicet Albiensem, Castrensem, Mimatensem, Ruthenensem, Caturcensem, & Vabrensem, illarumque Cleros, & Populos a Provincia Bituricensi, ac superioritate, & potestate pro tempore existentis Archiepiscopi Bituricensis, cui Metropolitico Jure subsunt, perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illasque omnes, & singulas pro tempore existentes Archiepiscopi, & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Bituricensis superioritate, jurisdictione, potestate, visitatione, & correctione, ac jure Metropolitico hujusmodi prorsus eximimus, & liberamus; necnon dictam Ecclesiam Albiensem tunc per obitum bon. mem. Gasparis olim Episcopi Albiensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitutam, Metropolitanam, & Sedem Episcopalem Albiensem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Provinciæ Sedem pro uno Archiepiscopo Albiensi nuncupando, cum Pallii, & Crucis delatione, ac omnibus, & singulis aliis insigniis, honoribus, privilegiis, & prærogativis Ecclesiæ, & Sedis Metropolitanæ, & Archiepiscopalis, (jure nominandi Personam idoneam ad ipsam Ecclesiam Albiensem, sic in Metropolitanam erigendam, vigore Concordatorum Galliæ dicto Ludovico Regi, ejusque successoribus Francorum Regibus pro tempore existentibus salvo, & illæso remanente) ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriosissimæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, totiusque triumphantis Ecclesiæ gloriam, & fidei Catholicæ exaltationem, de consilio, & potestatis plenitudine similibus perpetuo erigimus, & instituimus, ac Ecclesias Castrensem, Mimatensem, Ruthenensem, Caturcensem, & Vabrensem prædictas illarumque Civitates, & Diœceses, cum omnibus, & singulis illarum terminis, Territoriis, Castris, Villis, & Locis, necnon Clero, Populo, & personis, ac Ecclesiis, Monasteriis, & locis Piis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, in eisdem Civitatibus, & Diœcesibus consistentibus Archiepiscopo Albiensi, & earum Metropolitano itidem perpetuo subjicimus, & supponimus, ac subjacere volumus.

Separantur sex Ecclesiæ a Provincia Bituricensi, & ab hujus Archiepiscopi jurisdictione eximuntur.

Ex iis Ecclesia Albiensis in Metropolitanam erigitur.

Servatur Regi, ejusque successoribus jus nominandi Archiepiscopum.

§. 4. Et attento, quod fructus mensæ Archiepiscopalis Albiensis, multo pinguiores sunt fructibus Ecclesiæ Bituricensis, ut Archiepiscopo Bituricensi pro tempore existenti, cujus mensa Archiepiscopalis, sicut accepimus, redditibus ad sustinendam Archiepiscopi Dignitatem satis instructa non est, detrimentum, quod ex dismembratione sex suffraganearum Ecclesiarum hujusmodi passurus est, congruenti, quantum fieri potest, ratione reparetur, supplicationibus prædicti Ludovici Regis nobis super hoc porrectis inclinati, ac de expresso Venerabilis Fratris nostri Hyacinthi nuper Episcopi Mimatensis, ad dictam Ecclesiam Albiensem ab eodem Ludovico Rege nominati consensu, annuam summam quindecim millium librarum Turonensium ex Decimis ad Mensam olim Episcopalem nunc Archiepiscopalem ejusdem Ecclesiæ Albiensis legitime spectantibus, & per Commissarium, seu Commissarios a nobis ad id deputandum, seu deputandos assignandis, juxta existimationem Peritorum ab eodem Commissario, seu Commissariis eligendorum percipiendum, ab eadem Mensa Archiepiscopali Bituricensi, Apostolica auctoritate itidem perpetuo separamus, & dismembramus; illamque sic separatam, & dismembratam, & nunc prout ex tunc, postquam assignatio hujusmodi per Commissarium, seu Commissarios prædictos juxta mandatum Apostolicum facta fuerit, Mensæ Archiepiscopali Bituricensi, & Archiepiscopo Bituricensi pro tempore existenti ad tuendum Archiepiscopalis Dignitatis decus, & alios omni meliori modo, & forma, perpetuo dicta auctoritate, unimus, annectimus, & incorporamus, ac concedimus, & assignamus, volentes, & pari auctoritate decernentes, ut Capitulum Ecclesiæ Albiensis in Archiepiscopalem, ut præfertur, erectæ, adveniente quomodolibet, & quandocumque Sedis Archiepiscopalis Albiensis vacatione primo anno cujuscumque vacationis hujusmodi sive per obitum, sive alias, omnibus, & singulis superioritatis, jurisdictionis, & figilli, ac reddituum utilium, juribus, quæ ratione Dignitatis Archiepiscopalis recens acquirentur dicto Archiepiscopo Albiensi, fruatur, & gaudeat in futurum, quemadmodum etiam in pari casu vacationis Sedis Archiepiscopalis Bituricensis, Capitulum Ecclesiæ Bituricensis pendente primo anno cujuscumque vacationis per obitum, vel alias etiamsi ipsa Sedes intra ipsum annum repleatur, dictis annuis quindecim millibus librarum Mensæ Archiepiscopalis Bituricensis, ut præfertur, unitis fruatur, & gaudeat cum eorum oneribus, eodem prorsus modo, quo ipse Archiepiscopus Bituricensis illis gavisus fuerit, itaut ipsi Capitulo Bituricensi damnum ex separatione, & dismembratione supradictarum sex Ecclesiarum acceptum reparciatur.

Consulitur damno illato Mensæ Archiepiscopali Bituricensi summa librarum quindecim millium ex decimis Mensæ Ecclesiæ Albiensis.

Primo anno cujuslibet vacationis Sedis Albiensis omnia jura, & reditus Archiepiscopi Capitulo conceduntur.

Item pendente primo anno vacationis Sedis Bituricensis adscribitur Capitulo prædicta summa quindecim millium librarum.

§. 5. Decernentes quoque præsentes, ac præmissa omnia, & singula, cum omnibus & singulis inde cæteroqui legitime secutis, tametsi supradictæ Ecclesiæ Bituricensis, & Albiensis suis Pastoribus respective viduatæ sint, & defensionibus careant, nec desuper quorumcumque interesse habentium, seu habere prætendentium consensus accesserit, nihilominus semper, & perpe-

Clausulæ.

perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illos, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 6. Sicque, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, & dismembrationibus perpetuis committendis ad partes vocatis, quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuæ, nisi in casibus a Jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque Præsulibus, superioribus, & Capitulis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem illiusque Legatos etiam motu, scientia, & plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, & iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata inserti essent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§. 8. Præterea etiam volumus, quod taxa fructuum, reddituum, & proventuum Mensæ olim Episcopalis nunc Archiepiscopalis Albiensis, in Libris Cameræ descripta, propter separationem, & dismembrationem annuarum quindecim millium librarum hujusmodi, diminui, seu alterari nullo modo possit, sed in ea quantitate in qua hactenus fuit perpetuo remanere debeat, & e contra Ecclesiæ Bituricensis taxa propter novum hoc reddituum augmentum amplianda non sit; cum antea inopiæ Mensæ Archiepiscopalis congrueret.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, institutionis, subjectionis, suppositionis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, Decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, quinto nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Præcipitur septem Presbyteris Societatis Jesu Missionariis apud Sinas, ut accedant ad Urbem, & Missionariis omnibus formula quædam juramenti, quod præstare debeant, præscribitur. XLII.

De his Missionariis vide Constit. Decet Romanum 50., Illius qui 51., Injuncti nobis 52., Quoniam ea 60., & Christianæ Religionis 63. *Clem. X. in hoc Volum.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Oct. 1678. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitutionis.

CUM hæc Sancta Sedes Apostolica paucis abhinc annis ad Synas, Tunchinum, & Cochinchinam, Cambojam, Sianum, aliaque vicina Regna, & Provincias Indiarum nonnullos miserit Episcopos Vicarios Apostolicos, ut fides Catholica ibidem benedicente Domino propagaretur, & ex Christianis indigenis, seu Incolis illarum partium instituerentur Clerici, & Sacerdotes, atque ita crescente fidelium numero disciplinæ Ecclesiæ usus, & veritas introduceretur, ipsi vero Episcopi Vicarii Apostolici omnibus operariis, qui illic in vinea Domini laborarent præessent. Verum istorum Operariorum aliqui proprii officii immemores, se dictis Vicariis Apostolicis, eorumque Provicariis, & Ministris, ac illorum auctoritati acerrime opponendo dissensiones, rixas, divisiones, & fere nova Schismata suscitaverint in magnum Christianæ Religionis detrimentum, atque perniciem, nec pluribus Constitutionibus Apostolicis, & Decretis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad occurrendum hujusmodi malis opportune promanatis debitam obedientiam præstare voluerint.

§. 1. Hinc est, quod nos ex commissi nobis cœlitus Pastoralis officii debito efficaciora tanto malo remedia adhibere volentes, de nonnullorum ex memoratis Cardinalibus super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui dilectos filios Presbyteros Regulares Societatis Jesu, & præcipue Præpositum Generalem, & Secretarium ejusdem Societatis, tam viva voce, quam in scriptis super præmissis informantes pluries audierunt, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut illico ad hanc Almam Urbem nostram accedant dilecti etiam filii Josephus Tessavier, Emmanuel Ferrere, Dominicus Fucitus, Philippus Marinus, Thomas Valgarveira, Josephus Candonus, & Bartholomæus a Costa Presbyteri Regulares dictæ Societatis Jesu, nec a die intimationis præsentis Mandati ipsi, eorumque ullus audeat ullo modo exercere quodcumque Munus Missionarii sive ex facultatibus dictæ Sedis Apostolicæ, sive ex privilegiis prædictæ Societatis Jesu, sive ex facultatibus ab alio quocumque, aut omnibus, aut singulis ipsorum quovis titulo concessis, nec Confessiones audire, concionari, aut quæcumque Sacramenta quomodolibet administrare, etiam tanquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Indiarum, neque tanquam simplices dictæ Societatis Jesu Sacerdotes, & Religiosi, nec alio quocumque titulo, causa, seu facultate, de quibus expressa specialis, & specialissima esset facienda mentio, sub pœnis infra exprimendis.

Mandatur, ut septem Presbyteri Societatis Jesu ad Urbem accedant, nec interim munus aliquod exerceant sub certis pœnis.

§. 2. Hoc autem præceptum, & Mandatum nostrum prædicto Præposito Generali Societatis

Intimetur mandatum,

& unica intimatio utcumque facta sufficiat.

Jesu quantocitius per dilectum filium Magistrum Urbanum Cerrum in utraque Signatura nostra Referendarium, ac prædictæ Congregationis Cardinalium Secretarium intimari volumus, ac eidem Præposito Generali harum serie injungimus ut scribet supradictis Josepho, Emmanueli, Dominico, Philippo, Thomæ, alteri Josepho, & Bartholomæo, ac Superioribus dictæ Societatis in illis partibus degentibus ad hoc ut præceptum, & Mandatum nostrum hujusmodi omni postposita mora, & cum debita obedientia exequantur, cum declaratione, quod unica intimatio præcepti præscripti, etiam rejecta, & quovis prætextu, aut colore non acceptata, sive etiam sub quavis conditione, modificatione, vel formalitate acceptata obliget absolute, & in totum omnes ad parendum, & ad incursum pœnarum; Nos enim præceptum hujusmodi haberi volumus pro legitime intimato omnibus Presbyteris Regularibus supranominatis, & unicuique eorum eo ipso quod Præposito Provinciali, aut alteri ejus vicesgerenti, sive Rectoribus Collegiorum, aut Superioribus quocumque nomine appellentur, intimatum fuerit. Et quatenus intimationem hujusmodi modo præscripto personaliter fieri commode non posse dicti Vicarii Apostolici, aut eorum Provicarii, vel Ministri, ut supra deputati arbitrentur, fiat illa per affixionem ad valvas Ecclesiarum, seu Domorum Clericorum, seu Presbyterorum Regularium dictæ Societatis Jesu. Si autem juramenta per quoscumque Missionarios tam Sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam dictæ Societatis Jesu Regulares in manibus memoratorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, vel aliorum ab eis respective deputandorum sicut præmittitur præstanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla per eosdem Vicarios Apostolicos ad prædictam Congregationem Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositam transmittantur, si autem & in hoc sit aliqua difficultas, fiat affixio ad Valvas Ecclesiarum, seu Domorum prædictorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, & semper unica intimatio ejusdem præcepti quocumque modo facta, sive per præfatum Præpositum Generalem, sive per Vicarios Apostolicos, sive per eorum deputatos sufficiat, & obliget omnes ad observantiam ipsius præcepti, & ad pœnas infrascriptas irremissibiliter incurrendas.

Juramenta transmittantur ad Congr. de Propaganda Fide etiam a Superioribus Regularibus qui debent a suis subditis ea exigere, & ipsi itidem facere.

§. 3. Ac ut ejusmodi dissentionibus, dissidiis, & scissuris ansa in futurum præcidatur, eadem auctoritate harum serie perpetuo statuimus, & ordinamus, ut omnes, & singuli Ecclesiastici, tam Sæculares, quam cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam prædictæ Societatis Jesu Regulares in prædicta Regna, & Provincias ab eorum Superioribus missi, & mittendi, sive a prædicta Congregatione Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, vel ipsamet Sede Apostolica deputati, & deputandi, sive etiam cujusvis tituli magis privilegiati, ac speciali, & specialissima mentione digni, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint sub infrascriptis pœnis Juramentum juxta formulam in calce præsentium literarum annotandam in manibus Superiorum suæ Religionis, & iterum in manibus Vicarii Apostolici, in cujus jurisdictione quocumque titulo commorabuntur, sive ejus Provicarii, aut alterius ab eo deputati præstare omnino debeant, & teneantur; Itaut ante præstationem juramenti hujusmodi, & subscriptionem sub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstiterit propria manu faciendam, nullis omnino facultatibus uti valeant, sed quo ad eos præter, & ultra pœnas prædictas, omnes, & singulæ facultates hujusmodi, sive a Sancta Sede Apostolica, sive ex privilegiis dictæ Societatis Jesu, sive alio quocumque titulo, ut supra etiam particulari nomine concessæ, cessent omnino, ac nullius roboris, atque abolitæ sint, & esse censeantur, etiamsi per Apostolicas in simili forma Brevis literas concessæ fuerint, nisi in eis præsenti Constitutioni in specie, & nominatim derogatum reperiatur. Hujus autem Juramenti præstationis, & subscriptionis executionem quoad Clericos, sive Presbyteros Regulares dictæ Societatis specialiter committimus, & demandamus dilectis pariter filiis Visitatori, & Præpositis Provincialibus Provinciarum Japoniæ, & Sinarum ejusdem Societatis nunc, & pro tempore existentibus, qui primo Juramentum hujusmodi præstare, & illius formulæ subscribere tenebuntur sub eisdem pœnis, quas incurrent tam dicti Visitator, & Præpositi Provinciales si negligent obedire, & formulam prædictam inferioribus intimare, eorumque Juramentum, & subscriptionem exigere, & cum effectu habere, quam Religiosi quicumque ut supra, qui jurare, & formulæ prædictæ subscribere detrectabunt.

Omnes Missionarii tenentur præstare juramentum in manibus suorum superiorum, & Vicariorum Apostolicorum sub certis pœnis.

§. 4. Omnia vero Juramenta hujusmodi per quoscumque ut supra quantocitius fieri poterit transmittantur. Quinimo Superiores quoque Regulares nempe Visitatores, & Provinciales Japoniæ, & Sinarum tam dictæ Societatis Jesu, quam aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum pro tempore existentes sub eisdem pœnis teneantur non solum Juramentum prædictum præstare in manibus pariter Vicariorum Apostolicorum, vel Provicariorum, illiusque formulæ subscribere, sed etiam illius præstationem, & subscriptionem a suis respective Subditis exigere, ac authentica ea super re confecta documenta quamprimum transmittere ad suos respective Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt.

Præcipitur Superiori Generali Societatis Jesu, ut alios deputet Missionarios, qui admittendi erunt secundum præscripta, & mittendi cum nonnullis ordinationibus sub pœna excommunicationis majoris.

§. 5. Præterea mandamus supradicto Præposito Generali Societatis Jesu, ut loco Missionariorum, qui ad Urbem, ut præfertur, vocantur alios deputet, & coram dilecto Filio nostro ejusdem S. R. E. Cardinale prædictæ Congregationis Cardinalium Præfecto præsentari faciat, in cujus manibus cum assistentia Venerabilis Fratris Francisci Episcopi Heliopolitani unius ex prædictis Vicariis Apostolicis, ac memorati Secretarii ejusdem Congregationis Cardinalium tam ipsi sic deputandi, quam alii Missionarii dictæ Societatis posthac ad illas partes destinandi pariter cum assistentia ejusdem Francisci Episcopi, si tunc temporis adhuc in hac Alma Urbe fuerit, præstare, & subscribere tenebuntur Juramentum prædictum, ac etiam jurare obedientiam, & subordinationem eidem Francisco Episcopo, aliisque Vicariis Apostolicis, in quorum Jurisdictione, respective morabuntur, quoad omnia negotia, & directionem Missionum: Et fiat postea in calce de omnibus narratio, & attestatio subscripta ab eodem Cardinale Præfecto, cui subscribant etiam dicti Franciscus Episcopus tanquam præsens, & Præpositus Generalis tanquam particeps, testando sibi omnia prædicta constare, suisque paritionem injungendo, atque hujusmodi Juramenta ita subscripta consignentur eidem Francisco Episcopo postquam tamen in actis dictæ Congregationis Cardinalium registrata fuerint. Porro iisdem Missionariis mittendis præcipimus pariter, & mandamus, ut cum Indias attigerint præscriptos sibi Ordines præsentemque Constitutionem omnibus suæ Societatis Religiosis patefaciant, & per plures vias si fieri possit iter ad Indias arripiant, quorum duo dictum Franciscum Episcopum usque ad Indias sub ejus obedientia comitentur, ubi de ipsius Francisci

Episcopi licentia ad loca sibi præscripta proficiscantur.

§. 5. Contrafacientes autem præsenti Constitutioni in toto, vel in parte, aut aliter quomodocumque illi non obedientes, incurrant in omnibus casibus in ea expressis, eorumve quolibet, in pœnam excommunicationis majoris ipso facto absque ulla etiam declaratoria Sententia Sedi Apostolicæ reservatæ, itaut nemo ab illa absolvere possit nisi in mortis articulo constitutos, & in generali concessione facultas ab illa absolvendi concessa non intelligatur, etiam vigore literarum concessionis Jubilæi Universalis, & insuper incurrant in alias quoque pœnas, etiam corporales, & afflictivas arbitrio prædictæ Congregationis Cardinalium imponendas.

Injungitur superioribus omnibus Generalibus pro tempore existentibus, ut præsentem Constitutionem executioni mandari curent, ne incurrant indignationem Apost., aliasque pœnas.

§. 6. Demum tam supradicto Præposito Generali Societatis Jesu, quam aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Superioribus Generalibus nunc, & pro tempore existentibus præcipimus similiter, & mandamus, ut omnia in præsenti Constitutione contenta executioni omnino demandari faciant, jubeantque ad se transmitti Juramenta præstita, & subscripta, prout in formula infra annotata, atque dictæ Congregationi Cardinalium consignent, ac omnium executionem, & implementum injungant, etiam omnibus Missionariis Societatis, ac Ordinum, Congregationum, & Institutorum suorum respective in futurum ad Indias mittendis, & ab iisdem Juramentum observantiæ, præfatæque formulæ subscriptionem exigant. Si autem ipsi præmissa exequi omiserint, ac de executione quotiescumque occasio se obtulerit mutationis Missionariorum, qui transmittentur, ac notificationis, & Juramenti prædicti publica documenta non tradiderint, indignationis nostræ, aliasque pœnas nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendas se noverint incursuros. Hoc autem præceptum nostrum, etiam absque ulla annotatione in solitis libris, & actis Societatis, aliorumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi respective omnes, & singulos in Generalatibus Successores perinde afficere volumus, ac si illorum unicuique personaliter intimatum fuisset, ipsosque Præpositos, & Superiores Generales Successores si præsenti Constitutioni contravenerint eisdem pœnis subjacere.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni eisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quantumvis justa, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon cujusvis ordinis, Congregationis, & Instituti etiam Societatis Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis præfatis, aliisque quibusvis personis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis, & locis quibuslibet, etiam specifica, & individua mentione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Formula autem Juramenti sicut præmittitur præstandi est, quæ sequitur videlicet: Cum Summus Pontifex supremam, & independentem pro spirituali animarum regimine in universo Terrarum Orbe habeat auctoritatem, nec ad mittendos operarios, qui Religionem Christianam Fidemque Catholicam apud Infideles, & nominatim in Sinarum, Tunchini, Chochinchinæ, Camboiæ, Siami, aliisque vicinis Regnis, & provinciis prædicent, annuncient, roborent, & promoveant, illius fidelis, vel infidelis, cujusvis status, gradus, conditionis, ac dignitatis, etiam Regiæ existat, licentia, vel consensu indigeat, Ego N. fideliter incumbam officio meo in missione juxta Sanctæ Sedis Apostolicæ mandata, & facultatem ab ea præscriptam. Quod si Ordinarii Indiarum, vel Principes, aut Reges Catholici, vel alii de administratione missionum in illis partibus, suaque jura, & privilegia violari conquesti fuerint, meumque consilium, & auxilium desuper requisiverint, ei rei me nullo modo ingeram, sed muneri mihi incumbenti tantum operam dabo. Prædicationem verbi Dei, Sacramentorum administrationem, aliudve Ecclesiasticum munus quodcumque in locis Vicariorum Apostolicorum curæ commissis nunquam exercebo, quibuscumque privilegiis propriis, vel

meæ

meæ Religionis, vel aliis quibuſvis munitus exiſtam, niſi prius ab ipſis Vicariis Apoſtolicis fuerim approbatus, & ab iiſdem licentiam in ſcriptis acceperim. In examine Bullarum, Conſtitutionum, ſeu aliarum quarumcumque Literarum Apoſtolicarum, vel Sacræ Congregationis de Propaganda fide, aut quorumcumque Decretorum ejuſdem Sacræ Congregationis nunquam me intromittam, vel impediam, ſub quovis prætextu, aut etiam legitima ſubreptionis, vel obreptionis cauſa, vel alia quacumque, ſed eaſdem literas, & Decreta quæcumque ſemper cum debita reverentia recipiam, iiſque ut par eſt obediendo Sanctæ Sedi Apoſtolicæ poſtmodum exponam ſi quæ contra earumdem literarum, vel decretorum uſum opportuna videbuntur, nunquam tamen retardata executione. Ordinationes dictæ Sedis, & ſignanter Conſtitutiones Summorum Pontificum Alexandri VII. Clementis IX., & Clementis X. omni qua decet reverentia recipio, & amplector, ac nominatim Literas Apoſtolicas in forma Brevis expeditas quarum initium: *Decet Romanum Pontificem &c.* Dat. die 23. Decembris 1673., quibus confirmantur Brevia, & Conſtitutiones, ac etiam Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide ad favorem Vicariorum Apoſtolicorum apud Sinas deputatorum emanata alias incipientes *Illius qui charitas eſt &c.* expeditas eadem die 23. Decembris 1673. quibus declaratur Ordinarios Indiarum non poſſe exercere actus Juriſdictionales in dictos Vicarios Apoſtolicos, eorumque Provicarios, & operarios in Provinciis ſibi aſſignatis, ſed eiſdem Vicariis in dictis Provinciis juriſdictionem privative quoad omnes competere, ac alias quarum initium: *Chriſtianæ Religionis, & Catholicæ fidei &c.* emanatas die 8. Junii 1674. quibus etiam ſevere prohibetur omnibus Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus ne quiſquam emendicet, procuret, vel acceptet ab Ordinariis Indiarum literas quaſcumque pro exercenda Juriſdictione in locis iiſdem Vicariis commiſſis. Et demum non ſolum præfatis omnibus Conſtitutionibus, & in eis contentis Decretis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ſed etiam aliis quibuſcumque, quæ in futurum ad favorem, etiam Vicariorum Apoſtolicorum emanabunt Conſtitutionibus, & Decretis fideliter, & integre parebo. Præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo; ſi autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim me toties quoties devenerit pœnis tam per prædictas Conſtitutiones, quam per noviſſimam SSmi D. Noſtri Innocentii divina providentia Papæ XI. Conſtitutionem qua præſentis juramenti formula præſcripta eſt reſpective impoſitis ſponte, & libere ſubjicio ita tactis Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Locus ſubſcriptionis. Ego N. Manu propria.

§. 10. Cæterum volumus, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Octobris 1678. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

XLIII. Dat. 15. Oct. 1678. An. 3.

Decreta S. Rituum Congregationis de iis, quæ in cauſis Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum ſervanda ſunt, approbantur.

Cauſæ horum Decretorum.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius XI. provide conſiderans, quod in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus, aut gravius ſit, quam homines declarari pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, & perpendens, quod licet fel. rec. Urbanus VIII. de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis nonnulla ſuper hoc ediderit Decreta, ſubindeque Sacra Rituum Congregatio alias Ordinationes fecerit ſecundum caſuum contingentias à Summis Pontificibus approbatas; nihilominus experientia docuit, quod adhuc nonnulla deſiderantur pro meliori Cauſarum hujuſmodi directione; idcirco juſſit materiam diligenter diſcuti, primum in Congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus prout factum fuit, & ſub diebus 9. Julii, & 6. Auguſti 1678. emanarunt Reſolutiones ſequentes, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit publicandæ.

Decreta Congreg. Rituum.

§. 1.

De actis auctoritate ordinaria faciendis.

Primo. Animadvertens eadem Sac. Congregatio, quod neceſſarium ſit, ut Proceſſus auctoritate Ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, cenſuit mandari Ordinariis Locorum, ut ultra Teſtes inductos a Poſtulatoribus teneantur ipſi quoque inquirere, ac examinare alios Teſtes bene inſtructos ſuper vita, & moribus Servi Dei, etſi aliquid repererint in contrarium: quod ipſis videatur relevans ſuperſedeant in ulteriori inquiſitione, donec Sac. Congregatio ab eis certiorata per Literas, mandet quid agendum ſit.

Item de aliis auctoritate Apoſtolica.

Secundo. Hujuſmodi diligentias ſervari vult etiam in Proceſſibus auctoritate Apoſtolica faciendis a Judicibus Delegatis, quibus per Literas particulares Sacræ Congregationis enixe commendari debeat: & idem faciat Promotor Fidei in Literis ſcribendis Subpromotoribus.

De Actorum cuſtodia, & ſecreto ſervando ſub excommunicationis pœna.

Tertio. Et pro majori cautela præſcribi debeat in Literis remiſſorialibus, quod non ſolum Interrogatoria retineantur ſemper clauſa, & ſigillata cum ſigillis eorumdem Judicum, non aperienda, niſi in actu examinis, & claudenda in fine, ſed ulterius depoſitiones ipſæ, antequam Proceſſus ſit abſolutus, in fine cujuſlibet ſeſſionis claudi, & ſignari debeant cum ſigillis Judicum, nec poſſint aperiri, niſi in præſentia ipſorum in principio cujuslibet examinis, & ſeſſionis, ac hujuſmodi diligentiæ fieri debeant etiam in Proceſſibus fabricandis in Curia. Iidemque Judices, prout etiam Subpromotores, & Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac Teſtes, & in Curia etiam Protonotarius, debeat ante inchoationem Proceſſuum præſtare Juramentum de ſervando ſervatum religioſe ſub pœna excommunicationis ipſo facto in caſum contraventionis incurrendæ juxta formulam ejuſdem Juramenti imprimendam in fine Decretorum, & pro omnimoda obſervantia tranſmittendam Judicibus Delegatis in ipſis Literis remiſſorialibus, & Subpromotoribus in Literis Promotoris.

De Interprete actorum extero ſermone deſcriptorum, horumque verſionum Examinatore.

Quarto. Conſiderans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum conſtitui debent in fideli interpretatione Proceſſuum extero idiomate confectorum, & quod licet ex laudabili obſervantia interpres ſemper fuerit electus ab Eminentiſſimo Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore; nihilominus ſuper hoc Decreta generalia nihil diſponunt. Idcirco decrevit, quod in poſterum in qualibet cauſa Interpres eligatur ab eminentiſſ. Cardinali Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore, & pro majori cautela, poſtquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo Viro probo, & perito, qui ſecrete ad hoc Officium aſſumatur ab eodem Eminentiſſimo Ponente, & ſi reperiatur aliquis error ſubſtantialis, Interpres ſevere puniatur arbitrio Sacræ Congre-

gationis, per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interpreti, quam Revisori juramentum le fideliter sibi munus commissum adimplendo, quibus etiam eadem Sacra Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, itaut facies sit linearum 24., & linea syllabarum 26.

De hisce omnibus diligenter servandis in Archivio S. Congregationis.

Quinto. Advertens etiam quam necessaria sit diligens custodia Processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum, qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivio Sacræ Congregationis in Vaticano in loco clauso, & separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri, nisi de ordine Eminentissimi Cardinalis Ponentis vel ad instantiam R.P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, & deinde reportandi, cujus Archivii duæ sint claves, una penes Pronotarium Apostolicum, qui pro tempore intervenerit Sacræ Congregationi, & altera penes Secretarium, & clavis loci, in quo custodiuntur dicti Processus, stet penes eundem Protonotarium; alterius vero, in quo retinentur aliæ scripturæ Sacræ Congregationis penes Secretarium.

De quatuor inventariis actorum omnium faciendis.

Sexto. Idemque Protonotarius etiam habeat facultatem revidendi Inventarium dd. Processuum, & quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eundem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem Archivio, & in fine anni iidem Protonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, & conferre cum Processibus, ad effectum recognoscendi, an aliquid deficiat, & curandi, ut reportentur, & Secretarius referat in prima sequenti Congregatione.

De tempore quo committenda sit causa S. Congregationi.

Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum pagina 28., quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam Reges, Principes, & aliæ Personæ authenticæ, & honestæ instanter supplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non statim, sed expectare, quod diu pulsetur, nam si perdurabunt miracula, & supplicantium instantiæ, tum Summus Pontifex, si ei videbitur, committit Causam Sacræ Congregationi: Ideo si ista Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem Sacra Congregatio Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die præsentationis Processus auctoritate Ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigorosa discussione ejusdem Processus cum Scriptura, & Summario, & insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis literis Episcoporum circa percrebescentiam famæ sanctitatis, & miraculorum ac devotionis Populi exixe pro Beatificatione, & Canonizatione instantis. Nisi tamen in aliqua causa ex peculiaribus circumstantiis Sacra Congregatio existimaverit anticipari posse tempus in discussione Processuum, auctoritate ordinaria confectorum, & Sanctissimus hoc approbaverit.

De Causis ante Decreta Urbani VIII. introductis.

Octavo. In causis Servorum Dei ante Decreta fel. record. Urbani VIII. introductis, non signentur Commissiones reassumptionis, nisi prius per Sacram Congregationem examinatis Processibus, tam auctoritate ordinaria confectis, quam auctoritate Apostolica, quatenus adsint.

De extrajudicialibus testificationibus a nemine exquirendis.

Nono. Cum in Decreto approbato à fel. record. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impresso in libello pagina 57. Sacra Congregatio cognoscens, quod in hac re, utpote gravissima, rite, sancteque procedendum est, prohibuerit omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio ipsius Sacræ Congregationis infligendis, illud confirmando jussit, quod hujusmodi extrajudiciales attestationes non solum exquiri, aut obtineri non valeant, sed rursus quod hactenus obtentæ, sive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in Processibus, tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis.

De oneribus, & stipendio Subpromotoris fidei.

Decimo. Subpromotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi, & examinandi Processus (ex quibus pendet Beatificationum & Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujusmodi munus diligentissime, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quæ solent a Procuratoribus fieri antequam Typis mandentur, conferat cum Processibus, subsecuta attestatione, quod fuerint per ipsum revisa, & in quolibet folio se subscribat, eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat postquam fuerint impressa cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio, & Sigillum Secretarii, nec ante prædictas subscriptiones possint tam Summaria, quam Informationes publicari sub gravissimis pœnis, tam quoad Postulatores, quam etiam quoad Impressorem, arbitrio Sacræ Congregationis, seu Eminentissimi Cardinalis Præfecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipse D. Promotor ex diligenti, & accurata revisione Processuum, quam facere solet, necessarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium objectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod Sacra Congregatio plurimum expedire cognoscit, ad hoc, ut veritas magis elucescat. Et pro quolibet Processu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet Dubio, persolvatur ei stipendium decem ducatorum auri præscriptum in Decretis generalibus pag. 62., cum declaratione tamen quod respectu Processuum auctoritate Apostolica in specie, qui pluries ad diversum effectum examinari debent, dictum stipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe prima vice quando disputatur validitas, secunda vice quando disputatur de virtutibus, seu de Martyrio, & causa Martyrii, & tertia vice quando disputatur de Miraculis, quamvis disputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, seu eadem dubia in diversas inspectiones pro faciliori resolutione dividantur.

De Procuratoribus dumtaxat eligendis ex Collegio S. Paul. Ap.

Undecimo. Et quia materiæ gravitas, & dignitas exposcit, ut pertractetur, & dirigatur a Viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ, censuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quam Summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores Collegii Sacri Palatii Apostolici, tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas, quam quatuor, adhoc, ut eis facilius operam dare possint, sub pœna inhabilitatis amplius scribendi in casum contraventionis, & liceat Partibus in quocumque statu causæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Eminentissimi Ponentis mutare Procuratorem dummodo alias in ejus locum subrogandus sit de eodem Collegio, & non habeat in totum plures causas, quam quatuor.

De Advocatis seligendis ex iis Collegii Cõsistorialis

Duodecimo. Advocati vero ad scribendum in Jure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex Collegiis Sacræ Consistorialis

Aulæ,

Aulæ, vel ex duodecim approbatis a S.Congreg.

De mercede Procuratorum, Advocatorum, & Notarii.

De scripturis Medicorum, vel Chirurgorum.

Aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis a Sacra Congregatione, ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit.

Decimo tertio. Pro Mercede autem prædictorum, ac etiam Notarii, Sacra Congregatio jussit servari Taxas ab ea diligenter revisas, quæ, ut omnibus innotescant Typis mandari debeant, & in fine Decretorum inseri.

Decimo quarto. Cum etiam observatum fuerit sæpe Postulatores dare Scripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, & ex alia parte non fuerit solitum responderi per Peritos ejusdem professionis. Ideo videtur necessarium, ad hoc, ut respondeatur secundum Artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex Officio, secreto, & prævio juramento alium Medicum, vel Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate, ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturæ.

§. 2.

Prædicta Decreta confirmantur a Pontifice.

Die 15. *Octobris* 1678. *facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo præfatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, & approbavit, atque servari mandavit, & publicari.*

Joannes Baptista de Luca Auditor, & Secretarius Memorialium.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congregationis Secretarius.

§. 3.

Formula Juramenti Judicum ante inchoationem Processuum.

Ego infrascriptus tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis juro, & promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus in Causa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam Decretorum Sacræ Congregationis Rituum, & præcipue novissimorum, quæ confirmata fuerunt à Sanctissimo D. N. Innocentio XI. Necnon juro, & promitto religiose servare secretum, tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, & super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis aliis Judicibus, & Subpromotore, ac Notario pro eodem Processu deputatis, & in Curia excepto etiam Protonotario, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ Sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim: Et ita promitto, & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præstabitur a Subpromotore, & Notario, & in Curia etiam a Protonotario, mutatis mutandis.

§. 4.

Formula Juramenti Testium.

Ego infrascriptus tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis, juro dicere veritatem, tam super interrogatoriis, quam super articulis, super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones, & depositiones à me factas, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ Sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim: Et ita promitto, & juro; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

§. 5.

Tassa per gli Avvocati, e Procuratori, che patrocinano le Cause di Beatificazione, e Canonizzazione nella Sac. Congregazione de' Riti, rinovata, e stabilita dalla medesima Sac. Congregazione.

Mercede per lo spoglio di Processo.

Primo. Per lo Spoglio universale, che si fa *pro una vice tantum* si osservi la Tassa del 1658. al §. 3., ove si dice, che non si possi dare più di sc. 4. per ogni centinaro di fogli di esso Processo ridotto, cioè, che il foglio sia due facciate, e ciascheduna facciata sia di linee 24., e la linea di sillabe 16.

Per le Scritture ne' dubbj principali.

Secundo. Per le Scritture ne i due soliti dubbj principali, cioè *super virtutibus, & miraculis*, si possino dare scudi venti per ciascheduna, e non più.

Per le Risposte, ed altre Scritture.

Terzo. Per le Risposte ne i medesimi dubbj si possono dare sc. 10., e per tutte l'altre scritture, che risguardano fatica considerabile in tutti gl' altri dubbj, si possono dare sc. 15. per ciascheduna Scrittura, e non più.

Per le Scritture d'Introduzione delle Cause nuove, e di reassunzione di quelle introdotte avanti li Decreti del 1642., ad affetto di segnarsi nell'une, e nell'altre la Commissione, si possino dare sc. 15., e non più.

Per le Copie originali.

Quinto. Per le Copie originali di tutte le Scritture, si paghino bajocchi 15. il foglio ridotti come sopra.

Per il Sommario.

Sesto. Per il Sommario, che si farà sopra ciascun dubbio, si diano cinque bajocchi per carta dell'istesso Sommario, che sara fatto, ridotte le carte, come sopra.

Per li Memoriali.

Settimo. Per li memoriali di qualsivoglia forte, o grandi, o piccoli, che sieno non si diano più di giulj 12. per ciascheduno, eccettuate le scritture di reassunzione, o introduzione delle Cause, quali sogliono andare sotto nome di Memoriali per li quali si osservi ciò, che s'è disposto di sopra al num. 4.

Per la Copia originale de' Sommarj, e Memoriali.

Ottavo. Per la prima copia originale, tanto delli sopraddetti Sommarii, quanto de i Memoriali, si dia solo bajocchi sei, la carta ridotta, come sopra.

Per l'Informazione a voce.

Nono. Per l'Informazione in voce, quando s'informa tutta la Congregazione con l'intervento de' Consultori, non si diano più di sc. 30. tra il Procuratore, e gl' Avvocati, quando s'informa la sola Congregazione ordinaria, si dia la metà.

Per l'Avvocato.

Decimo. L' Emolumento degli Avvocati sia di sc. 10. per la Scrittura, e per l'Informazione in voce sia il medesimo, che si dà a' Procuratori.

Per la Minuta di qualsivoglia Commissione.

Undecimo. Per la minuta di qualsivoglia Commissione, non si paghi più di giulj 15., e per le due copie da darsi al Sig. Cardinal Ponente, al Segretario, si paghi a ragione di bajocchi sei, il foglio ridotto, come sopra.

Per il Procuratore.

Duodecimo. Per l'accesso del Procuratore al Sign. Cardinal Ponente, ed al Promotore, e per la minuta, o copia originale del fatto concordato, non si paghi più di giulj 12.

Per l' Informazione a voce a N. S., e suo Uditore.

Decimoterzo. Per l'Informazione in voce di Nostro Signore, e dell' Auditore di Sua Santità, si diano al Procuratore scudi tre moneta, ed altrettanti all' Avvocato, se informerà anch' esso.

Per le Citazioni, ed Intimazioni.

Decimoquarto. Per le Citazioni, e Intimazioni non si paghi cos'alcuna, e per l'esecuzione di esse, si paghi a ragione della Tassa de' Cursori.

Per le Copie dell' Oppositioni del Promotore.

Decimoquinto. Le copie dell' Oppositioni del Promotore, eccetto la prima originale, si faccino fare dalle Parti, le quali fatte, che sa-

ranno, dovranno portarle al Promotore, che le darà alle medesimo Parti per distribuirle alli Signori Cardinali, Protonotario, e Segretario, e Consultori.

Per la fatica, o Scrittura qui non espressa.

Decimosesto. Per qualsivoglia fatica, o Scrittura non espresse di sopra s' intenda l'arbitrio de' Sig. Cardinali Profetto della Sagra Congregazione, e Ponente della Causa, nè possino i Curiali arbitrare da se medesimi.

Si ordina il Registro, e pubblicazione di questa Tassa.

Decimosettimo. E li sudetti Ordini, si debbano registrare ne' Registri della Sacra Congregazione, e si debbano fare stampare, e pubblicare, e puntualmente osservare sotto pena di perpetua privazione del patrocinio, e sollecitazione delle cause vertenti nella detta Congregazione, e sotto altre pene ad arbitrio della medesima Sagra Congregazione.

§. 6.

Si conferma la riferita Tassa dal Sommo Pontefice.

A dì 15. Ottobre 1678. Avendo Io infrascritto fatto relazione della presente Tassa a Nostro Signore Innocenzo XI. la Santità Sua l' ha lodata, ed approvata, ed ha commandato, che si osservi, e si pubblichi.

Gio: Battista de Luca Auditore, e Segretario de' Memoriali.

Luogo ✠ del Sigillo.

Bernardino Casali Segretario della Sagra Congregazione de' Riti.

§. 7.

Ordini, e Tassa da osservarsi dal Notaro della Sagra Congregazione de' Riti, rinuovati, e stabiliti dalla medesimo Sagra Congregazione.

Di che debbiano farsi li Registri.

Primo. S' ordina, che il Notaro non faccia Registri, se non degl' atti giudiziarj, e non dell' Esame de' Testimonj, o altro, e quelli siano senza estenzione di termini, o repetizioni de' titoli eccetto che nel primo atto, quali Registri debbano onninamente farsi in tutte le Cause.

Mercede per li Registri.

Secondo. Che per ogni centinajo de' fogli di Registro ben fatto, e secondo la Riforma della felic. mem. di Paolo V. sotto il titolo de' Registri non pigli più di quattro Scudi, ne per la Collazionatura, ne per rubricatura, ne per qualsivoglia altro pretesto.

L'Istanze de' Prencipi, ed altri come debbano registrarsi.

Terzo. L'istanze de' Prencipi, Religioni, Università, ed altri nelle Cause di Beatificazioni, o Canonizzazioni, dal Segretario si consegnino al Notaro, il quale le registri negl'atti, non altrimente per extensum, ma indicando solamente il nome del Prencipe, o altri, che fa l'istanza, e la Data della lettera, cioè -- *pro introductione causæ instant talis Rex suis Literis datis die tali &c., & talis Rex &c.*, e in altra separata, o susseguente carta doppo gl' atti fatti per l'introduzzione della Causa scriva -- *Pro Causæ prosequutione ad effectum obtinendi Literas remissoriales in genere instant N. Rex &c.*, e gl' originali si conservino nell' Archivio, nè si dia l'estratto *de verbo ad verbum*, ma ogni volta, che sarà richiesto il Notaro ne dovrà dare un Ristretto da cavarsi dal detto Registro, o Manuale, come sopra, e per esser copie, si paghi a ragione di copia, come si darà al sequente numero 4. E per la fede di esse si diano due giulj per ciascuna copia, delle quali una si darà all' Eminentissimo Signor Cardinal Ponente, e l'altra a Monsignor Segretario, e l'altra a Monsig. Promotore della Fede.

Per le Copie, e Fedi delle d. Istanze.

Per la Copia degl' atti fatti in Curia, e fuori di essa.

Quarto. Per la Copia degl' atti fatti in Curia, o fuori di essa in forma di buon originale, non si paghi più di bajocchi sette, e mezzo per foglio da tutte due le bande. e la facciata sia di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici, ed essendo scritta in forma di Registro, si paghi a ragione di Registro, come sopra.

Per la Copia pubblica di qualsivoglia processo.

Quinto. Per la copia pubblica di qualsivoglia Processo, tanto fatto *auctoritate ordinaria* quanto *Apostolica*, si paghino al Notaro bajocchi sette e mezzo per foglio solamente, senza alcun altro emolumento, o mercede per detta copia, o Scrittura, ed il foglio sia di facciate, linee, e sillabe, come al detto num. 4.

Come debbono essere li Registri, Copie, e Scritture.

Sesto. Tutti li Registri, Copie, e Scritture, si debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e secondo la Riforma, ed Ordini sopradetti, altrimente il Notaro sia tenuto farle copiare di nuovo senz'altra spesa.

Li processi in partibus non si registrino, e quando debbiano rubricarsi.

Settimo. Che li Processi, che vengono *de Partibus*, tanto fatti *auctoritate Ordinaria*, quanto *auctoritate Apostolica*, non si registrino per conto alcuno, secondo la detta Riforma, ancorchè non passassero 20. fogli, ma solo si possano rubricare, se non saranno rubricati, e non intieramente, nel qual caso, si possa solo rubricare quella, che manca, e non altro.

Per la rubricazione di qualsivoglia cosa.

Ottavo. Per la rubricazione di qualsivoglia cosa, che n'abbia bisogno ridotto il Processo a carte buone, conforme alla detta Riforma oltre detti bajocchi sette e mezzo per foglio per la Scrittura, si paghino giulj dieci per cento, e tale rubricazione debba in sostanza contenere tutto quello, che contiene il corpo della Scrittura, e venendo Processo, o altra Scrittura rubricata *de partibus*, non essendo intieramente rubricata, si paghi solamente quello, che manca, come si è detto.

Per l'ascoltazione, e collazione de' proceßi, e loro fedi.

Nono. Per l'ascoltazione, e collazione de' Processi ogni volta, che sia continuata a ragione di sei hore il giorno, non si paghi al Notaro più di uno scudo il giorno, oltre gl'emolumenti sudetti, e gl' Ajutanti sieno deputati dalle Parti, dalle quali, se gli paghi quel tanto, che sarà convenuto, e per la fede dell' ascoltazione di tutto il Processo, si paghino giulj cinque per la prima copia solamente, e quando le Parti volessero altre copie autentiche di detti Processi, oltre la prima, non possa il Notaro pretendere più di bajocchi cinque per foglio ridotto, come sopra, compresovi la rubricatura; ma oltre detti bajocchi cinque per foglio se gli debba la mercede della collazionatura, e ascoltatura, come sopra, e per la fede di detta ascoltazione bajocchi venticinque per ciascuna di dette copie duplicate.

Per le Compulsorie.

Decimo. Per le Compulsorie, si paghino giulj 12., conforme prescrive la Riforma sudetta di Paolo V. al Tribunale dell' A. C.

Per le Remissorie.

Undecimo. Per le Remissorie in genere, anche *super non cultu, super casu excepto*, o altre in osservanza, ed esecuzione de' Decreti della Santissima Inquisizione non si paghi più di sc. 6., per quelle in specie, di sc. 10. in tutto compresavi la Scrittura, e ogn'altra cosa spettante alle medesime spedizioni. Ne per la Scrittura dell'Interrogatorj, che si mandano chiusi, prenda il Notaro mercede alcuna: ma per gl'articoli l'eccessività della Scrittura sopra a quindici foglj, se gli paghi a ragione di bajocchi sette e mezzo il foglio, come al num. 5., ed occorrendo di dette Lettere darne duplicati, non debba il Notaro per essi esigere, che la metà della mercede stabilita per la prima spedizione, ed essendovi eccessività di Scrittura dell'Articoli, come sopra, debba la detta eccessività pagarsi a ragione di bajocchi 5, il foglio.

Per l'Interrogatorj.

Per l'Articoli.

Per li Duplicati di lettere Compulsorie, e Remissorie.

Per la Compulsa di qualsivoglia Scrittura, e fede di essa.

Duodecimo. Per compulsa di qualsivoglia Scrittura fuori di Offizio, per l'accesso, e sessione di tre ore, non possa pigliar più di otto giulj: per la fede in fine del Processo compulsato cinque giulj, e per la Scrittura a ragione di bajocchi sette e mezzo per foglio, come al numero 4. dentro l'Offizio per ciascuna sessione di tre ore

giulj

giulj cinque per la fede, e Scrittura, come sopra.

Per la Compulsa de' libri stampati.

Decimoterzo. Dovendosi compulsare Libri stampati, dandosi dalle Parti un sunto, sia tenuto il Notaro inserirlo in fine del Processo, senza farne copia o registro di sorte veruna.

Per l'Esame de' Testimonj.

Decimoquarto. Per ogni esame nell'Offizio, se finisce in una sessione, si paghino giulj tre; se ci vogliono più sessioni, sinche si finisce l'esame di detto Testimonio, non possa il Notaro pretendere più di giulj due per sessione, e fuori dell'Offizio il doppio.

Per le Surrogazioni de' Giudici, o nuovi termini.

Decimoquinto. Per le surrogazioni de' Giudici, o nuovi termini nelle Cause de' Beatificazioni, e Canonizzazioni, non se li paghi più di quindici giulj in tutto, per ciascuna spedizione di Lettere remissoriali, e compulsoriali, proroghe di termini, e surrogazione di Giudice da farsi solamente per comandamento dell'Eminentissimi Signori Cardinali Prefetto della Sagra Congregazione, o Ponente nelle Cause controverse, non si paghi più di quello, che prescrive la Riforma sudetta al Tribunale dell' A. C.

Per le Citazioni.

Decimosesto. Per qualsivoglia citazione semplice da spedirsi solamente, come sopra, e da eseguirsi fuori di Roma, non si paghi più di giulj tre; e per quelle, che si spediscono con l'Inibizioni in virtù delle Commissioni, giulj dieci.

Per il Duplicato di Scritture.

Decimosettimo. Per duplicato di qualsivoglia Scrittura pubblica, o privata con sottoscrizione, sigillo &c. o senza non si debba pagar più di cinque bajocchi per foglio.

Per le altre fatiche, e scritture qui non espresse.

Decimottavo. Occorrendo dar altra Scrittura, o far altre fatiche non espresse nella presente Tassa, l'emolumento si stabilisca dall'Eminentissimo Signor Cardinal Prefetto, nè possa il Notaro prendere alcun altro emolumento, ancorchè concorra la medesima, o maggior ragione delle mercedi espresse.

Qual sia la forma de' processi.

Decimonono. Che nelli Processi delle Beatificazioni, e Canonizzazioni s'osservi puntualmente per le Commissioni, Remissorie, Compulsorie, Articoli, Interrogatorii, e altro la forma prescritta nelli Decreti, e norma di fare detti Processi pubblicati d'ordine della san. mem. d'Urbano VIII. l'anno 1642., ed ora confermati da Nostro Signore coll'aggiunte, che si sono fatte.

Che si faccia il Libro receptorum.

Vigesimo. Che il Notaro debba ritenere il Libro *Receptorum*, e fedelmente in esso notare quanto gli entra in mano de' suoi emolumenti, sotto pena della privazione dell'Offizio.

Com' anche due Manuali.

Vigesimoprimo. Che si faccino due manuali, cioe uno degli atti delle Cause di Beatificazioni, e Canonizzazioni, e l'altro degl'atti delle cause controverse, nelli quali, si registrino tutte le comparse, proteste, citazioni, e intimazioni con le sue Intitolazioni, quali restino sempre nell' Offizio, nè per questi si paghi cosa alcuna, e possano sempre da tutti gl'interessati esser veduti, e letti *gratis*, e il Notaro sia sempre obbligato mostrarli.

Li Processi originali, e Scritture, prodotte non si possono estrarre.

Vigesimosecondo. Non possa il Notaro estrarre fuori d'Offizio gli Processi originali, o qualsivoglia altra Scrittura prodotta, ma debba darne copia pubblica, o semplice secondo che le parti chiederanno.

Per la restituzione di scritture prodotte dimissa Copia.

Vigesimoterzo. Per la restituzione di qualsivoglia Scrittura prodotta, *dimissa copia*, si diano tre giulj, e debba il Notaro far buoni due fogli, e dalli due in sù se li paghi a ragione di sette bajocchi, e mezzo, come sopra al num. 4., ma se si restituiscono in una volta più scritture prodotte in un sol'atto, si debbano solamente tre giulj, e di più l'eccessività della copia, come sopra.

Si mostrino gratis li Processi, e Scritture.

Vigesimoquarto. Che volendo le Parti veder Processi, o qualsivoglia altra Scrittura originale dentro l'Offizio sia il Notaro tenuto lasciarli vedere senza mercede alcuna.

La Segretaria della S. Congreg. nulla fa pagare.

Vigesimoquinto. Sappino le Parti, che nella Segretaria della Sagra Congregazione tutto si spedisce gratis, nè perciò debbano al Notaro per sigillo, Scrittura, sottoscrizione, o qualunque altra cosa, che si faccia in Segretaria emolumento, o mercede alcuna.

Il Viatico per leggere le Citazioni non si paga.

Vigesimosesto. Che non possa pretendere il Notaro per il Viatico cosa alcuna nell' andare a leggere citazioni.

Che il Notaro debba giurare l' osservanza di detta Tassa.

Vigesimosettimo. Che il Notaro debba dare il giuramento in S. Congregazione d'osservare la presente Tassa, ed Ordini nella forma seguente,

Formola di d. Giuramento.

Ego N. Notarius a S. Congregatione specialiter deputatus in Causis ejusdem S. Congregationis tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis juro, & promitto fideliter exercere Officium mihi concessum, & ad unguem observare supradictam taxam sub pœna perjurii, privationis Officii ipso facto incurren., & restitutionis contra, & altra dictam Taxam habitorum, & acceptorum, aliisque pœnis arbitrio ipsius Sac. Congregationis.

Si ordina la pubblicazione e l'osservanza di questa Tassa.

Vigesimottavo. Che si faccino stampare li presenti Ordini, e Tassa, e il Notaro debba tenerli publicamente affissi nel Officio; affinchè a ciascuno possano apparire, e il tutto sia obbligato ad osservare tanto nelle Cause di Beatificazioni, e Canonizzazioni, quanto respettivamente nelle de' Sagri Riti, sotto le pene contenute nel detto giuramento, dandosi facoltà di ricorrere ad ogn'uno, che si sentisse gravato, e vedesse non osservarsi quanto è espresso di sopra, perchè vi si prenderà la debita provvisione. Dato in Roma li 6. Agosto 1678.

§. 8.

Si conferma dal Pontefice la presente Tassa.

A 15. Ottobre 1678. avendo Io infrascritto fatto relazione della suddetta Tassa a Nostro Signore Innocenzo XI. con la sua intiera lettura, la Santità Sua l'ha lodata, e approvata, ed ha commandato, che si osservi, e si pubblichi.

Gio: Battista de Luca Auditore, e Segretario de' Memoriali.

Loco ✠ del Sigillo.

Bernardino Casali Segretario della Sagra Congregazione de' Riti.

XLIV.

Declarantur irrita, & nulla acta omnia Consilii Regii Castellæ contra Nuncium Apostolicum Hispaniarum, qui præfuerat Capitulo Provinciali Clericorum Regularium Minorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 28. Nov. 1678. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

CUM (sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus) nuper videlicet Mense Septembris proxime præterito occasione celebrationis Capituli Provincialis Provinciæ Castellæ Congregationis Clericorum Regularium Minorum, quod in Oppido Matriti Toletan. Diœcesis celebrabatur, & cui Venerabilis Frater Savus Archiepiscopus Cœsarien. apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum noster, & Apostolicæ Sedis Nuncius a nonnullis vocalibus ipsius Capituli Provincialis enixe rogatus, præsidere cœperat, pro parte Præpositi Provincialis, & aliorum vocalium ejusdem Capituli Provincialis, qui eidem Savo Archiepiscopo, & Nuncio controversiam super præsidentia Capituli hujusmodi movebant, eique hac in re diversimode reluctabantur, & varias protestationes, ac etiam ad Nos, & hanc Sanctam Sedem appellationes de-

Plurimi Vocales litem moverunt de præfectura Nuncii, & cofugerunt ad Tribunal Sæculare, a quo plura præcepta sunt.

ſuper interpoſuerant, recurſus ad Concilium Regium Caſtellæ, ſeu alia Tribunalia, vel Judices laicos habiti fuerint, & (quod pejus eſt) ab eodem Conſilio regio Caſtellæ ſeu aliis Tribunalibus, vel Judicibus laicis hujuſmodi ſuper dictis recurſibus, ſeu illorum occaſione diverſa præcepta, ordinationes, Decreta, & mandata, etiam pœnalia, ſeu alii actus, etiam contra ipſam perſonam præfati Savi Archiepiſcopi, & Nuncii, ſub prætextu aſſertæ violentiæ, deteſtabili, & hactenus inaudito auſu emanaverint, in graviſſimum libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, ac Juriſdictionis Apoſtolicæ, qua dictus Savus Archiepiſcopus, & Nuncius noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis nomine in illis partibus fungitur, præjudicium, & detrimentum, & alias prout in ſcripturis deſuper confectis, quas non approbandi, ſed penitus, & omnino reprobandi animo, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, uberius dicitur contineri.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos ex debito paſtoralis officii, quod humilitati noſtræ, meritis licet, & viribus longe impari, commiſit Divina dignatio, libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam, ac Juriſdictionem Apoſtolicam prædictas a temerariis, & perniciosis hujuſmodi conatibus illæſas, ſartaſque, & tectas tueri, & conſervare cupientes, ac omnium, quæ in præmiſſis, ſeu eorum occaſione quovis modo acta, & geſta ſunt, ſeriem, cauſas, & circumſtantias, etiam aggravantes, necnon conſilii, ſeu aliorum Tribunalium, & Judicum laicorum præfatorum qualites, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus itidem pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exacte ſpecificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula præcepta, ordinationes, Decreta, & Mandata tam pœnalia, quam non pœnalia, alioſque actus quoslibet a Conſilio Regio Caſtellæ, ſeu aliis Tribunalibus, & Judicibus laicis quibuſvis in præmiſſis, ſeu eorum occaſione præſertim contra perſonam memorati Savi Archiepiſcopi, & Nuncii, ſeu ejus Miniſtros, & Tribunal, & alias in præjudicium libertatis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ, ac Juriſdictionis Apoſtolicæ quovis modo emanata, relaxata, acta, geſta, & ordinata, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, temerarie attentata, & de facto præſumpta, nulliuſque omnino roboris, & momenti eſſe, & perpetuo fore tenore præſentium declaramus: & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula quatenus de facto proceſſerunt, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie itidem perpetuo revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper haberi debere decernimus, & perpetuo declaramus.

Fa omnia nulla, & irrita declarantur.

Etiamſi fuerint executioni mandata.

§. 2. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, ſeu ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

Clauſulæ.

§. 3. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, ſtylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, aliiſve quibuſlibet Judicibus, Conſiliis, Tribunalibus, & perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſima mentione dignis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam imperiali, regali, aliave qualibet mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu alias quomodolibet in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter conceſſis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adhoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Novem. MDCLXXVIII. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confir-

XLV.

Confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatibus in Ecclesiis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum sub eodem titulo erectis concessarum, jam ante a S. Congregatione recognitum, & approbatum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 23. Dec. 1678. An. 3.

Exordium.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Linas Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod alias Summarium Indulgentiarum Confraternitatibus sub titulo ejusdem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Ecclesiis dicti Ordinis canonice erectis & erigendis a Sede Apostolica concessarum confectum, ac a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum recognitum, & approbatum fuit tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Indulgentiæ concessæ Confraternitatibus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Ecclesiis Ordinis ejusdem B. Mariæ erectis, & erigendis.

CAPUT I.

Conceditur Indulgentia plenaria die ingressus ad Confraternitatem.

Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœniten., & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Confraternitatibus dicti Ordinis ingredientur, die primo eorum ingressus, Indulgentiam Plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

II.

Item in articulo mortis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo si vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti quatenus id commode facere potuerint, vel saltem contriti nomen Jesus ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

III.

Item Dominica proximiori Kalen. Augusti.

Eisdem Confratribus, & Consororibus vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, vel Oratorium earumdem Confraternitatum Dominica proximiori Kalendis Augusti a primis Vesperis, usque ad occasum solis Dominicæ hujusmodi singulis annis devote visitaverint, plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

IV.

Item die Processionis Scapularii.

Eisdem Confratribus, & Consororibus similiter vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui processioni Scapularii semel quolibet mense facien. devote interfuerint, & pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione, Principum Christianorum unione, concordia, & pace, hæresum extirpatione, infidelium conversione, ac Romani Pontificis salute pias ad Deum preces fuderint, plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

V.

Item in prima Processione Missionis ineundæ.

Eisdem Confratribus, & Consororibus vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui primæ Processioni tempore publicationis Missionis Religiosorum dicti Ordinis ad Redemptionem Captivorum fieri solitæ devote interfuerint, & ut supra, oraverint, plenariam omnium peccatorum remissionem.

VI.

Item in secunda Processione commissionis refectis, qui secundæ Processioni in gratiarum actionem post Captivorum Redemptionem fieri solitæ devote interfuerint, & ut supra oraverint, plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

VII.

Item proficiscentibus ad Redemptionem Captivorum.

Confratribus, & Consororibus supradictis vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui ad partes infidelium Captivos redimendi gratia se transtulerint, atque, ut supra, oraverint, plenariam, & omnium peccatorum remiss.

VIII.

Item redeuntibus e Redemptione.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui de dictis partibus Infidelium post Captivorum Redemptionem reversi fuerint vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, ut supra, oraverint, plenariam omnium peccatorum remissionem.

IX.

Item Captivis Redemptis.

Ipsismet Captivis redemptis, qui intra mensem a die eorum Redemptionis inchoan. vere pœniten. & confessi, ac Sacra Communione refecti, ut supra, oraverint, plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

X.

Indulgentia 7. annorum, & totid. Quadragenarum semel in mense SS. Eucharistiam sumentibus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœniten., & confessi semel in quolibet mense SSmum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac habitum dictæ Confraternitatis detulerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XI.

Item in Festis D.N.J.C.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœniten., & confessi in Domini Nostri Jesu Christi Festis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac habitum d. Confraternitatis detulerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XII.

Item in Festis B. M. Virginis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœniten., & confessi in Beatæ Mariæ Virginis Festivitatibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac habitum supradictum detulerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XIII.

Item in Festis SS. Ordinis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœniten., & confessi in Sanctorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Festis diebus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac supradictum habitum detulerint, septem annos & totidem quadragenas.

XIV.

Item orantibus per annum pro Captivis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui singulis diebus per integrum annum ter orationem Dominicam, ac toties salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum ad Captivis Christianis patientiam, & fortitudinem impetrandam, ne nomen Domini Nostri Jesu Christi negent, sed constantes in fide persistant, & quanto citius liberentur, recitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

XV.

Item orantibus ad gloriam, & honorem B. M. Virginis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui confessi, vel saltem firmum propositum confitendi habuerint, ac habitum supradictum detulerint, ac singulis diebus septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad gloriam, & honorem Beatæ Mariæ Virginis Dei Matris recitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

XVI.

Item comitantibus Sacramentum ad Infirmos.

Eisdem Confratribus, & Consororibus vere pœniten., & confessis, vel firmum propositum confitendi habentibus, qui supradictum habitum detulerint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum cum ad Infirmos defertur, comitati fuerint, aut si impediti comitari non potuerint, Campanæ ad id signo dato, flexis ge-

nuis

nuis septies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam pro dicto Infirmo recitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

XVII.

Item recipientibus hospitio pauperes Captivos Redemptos.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui confessi vel saltem firmum propositum confitendi habentes supradictum habitum detulerint, & pauperes Captivos Redemptos hospitio susceperint, septem annos, & totidem quadragenas.

XVIII.

Item Comitantibus Captivos Redemptos.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui confessi, vel firmum propositum confitendi habentes similiter supradictum habitum deferentes supradictos Captivos Redemptos ad Ecclesias d. Ordinis, vel ad Oratoria Confraternitatum locorum habitationis dictorum Captivorum, comitati fuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XIX.

Indulgentia 3. annorum, & totidem Quadragenarum jejunantibus in Vigiliis B. M. V.

Item D. N. J. Christi.

Item Sanctorum Ordinis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui in Vigiliis Festivitatum B. M. Virginis Dei Matris jejunaverint, tres annos, & tres quadragenas.

XX.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui in Vigiliis Festorum Domini Nostri Jesu Christi jejunaverint, tres annos, & tres quadragenas.

XXI.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui in Vigiliis Sanctorum Ordinis B. M. de Mercede jejunaverint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXII.

Item sextis feriis, & Sabbatis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui singulis sextis feriis, Sabbatis cujuslibet hebdomadæ ad gloriam, & honorem Dei, ac B. Mariæ Virginis jejunaverint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXIII.

Item iis, qui sepeliendis mortuis interfuerint.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui sepeliendis mortuis officiose interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXIV.

Item adstantibus Missis, & Divinis Officiis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui Missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesiis, seu Cappellis d. Ordinis, vel ejusdem Confraternitatis more Confratrum celebran. devote interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXV.

Nec non Congregationibus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui Congregationibus publicis, vel privatis, pro quo cumque opere pio faciendo devote interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXVI.

Item recipientibus Peregrinos, vel Fratres.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui pauperes Peregrinos, vel Fratres dicti Ordinis hospitio susceperint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXVII.

Item pacificatoribus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui pacem inter inimicos proprios, vel alienos composuerint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXVIII.

Item hortantibus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui devium aliquem ad viam salutis reduxerint tres annos, & totidem quadragenas.

XXIX.

Item erudientibus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt docuerint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXX.

Item orantibus pro Defunctis.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui quinquies Orationem Dominicam, ac toties salutationem Angelicam pro animabus Confratrum Defunctorum recitaverint, tres annos, & totidem quadragenas.

XXXI.

Item ferentibus opem Virginibus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus, qui pauperes Virgines de proprio in matrimonio collocaverint, & non de aliquo legato pio ad id relicto, vel relinquendo, tres annos, & totidem quadragenas.

XXXII.

Prædictæ omnes Indulgentiæ applicari possunt per modum suffragii seqq. diebus.

Eisdem Confratribus, & Consororibus Sanctitas Sua supradictas Indulgentias, & peccatorum remissiones, per modum suffragii pro animabus Defunctorum applicare posse indulsit.

Die Festo S. Antonii Abbatis 17. Januarii, quo die a Sancta Sede fuit facta confirmatio dicti Ordinis.

Prima die Quadragesimæ, id est feria quarta Cinerum.

Die Festo S. Petri Nolasco Fundatoris dicti Ordinis.

Die Festo S. Laurentii Martyris 10. Augusti, quo fundatus fuit dictus Ordo ex revelatione B. M. Virginis anno 1218.

Die Festo S. Catharinæ Virginis, & Martyris 25. Novembris.

Qui interfunt *Benedictioni* participes fiunt bonorum omnium Ordinis.

Orationum, jejuniorum, Missarum, aliorumque bonorum operum, quæ in d. Ordine fiunt communicatione participes erunt soli Confratres, & Consorores dictæ Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & Confessi, ac Sacra Communione refecti genuflexi, functioni, quam vocant -- *Benedictionem, & generalem Absolutionem* (licet a culpa non fiat propria absolutio, ut Clemens VIII. declaravit) in Ecclesiis d. Ordinis faciendæ, non in aliis, præsentes reperiantur; & quia dictus Ordo Populum cum scripturis manuscriptis, vel impressis invitare non solet Confratres, & Consorores, eo debito tempore conveniant cum debita præparatione, ut tanti boni participes fiant. *Clemen. VIII. Constit. 79., & 85. sup. in Tomo III.*

Eorum privilegium confirmatum fuit.

Quæ concessio confirmata fuit a san. mem. Clemen. X., prout constat per Breve sub Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 27. Maji MDCLXXIII. Pontificatus ejusdem Anno quarto, quod incipit -- *Ex injuncta Nobis* &c. ut sup. Tom. VI. in Append. const. 37. pag. 47.

Indulgentiæ concessæ a SSmo D. N. Clemente PP. X. omnibus Christifidelibus.

Indulgentia plenaria visitantibus unam ex Ecclesiis Ordinis in sequentibus festis.

Clemens Papa X. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitent., & confessis, ac Sacra Communione refectis; qui aliquam ex Ecclesiis supradicti Ordinis a primis Vesperis usque ad occasum solis infrascriptorum Festorum devote visitaverint, & ibi pro S. Fidei Catholicæ exaltatione, hæresum extirpatione, ac inter Principes Christianos concordia, pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam plenariam perpetuam in diebus Festis sequentibus concessit, scilicet:

Die Festo S. Petri Nolasco d. Ordinis fundatoris die 11. Januarii, Indulgentiam Plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

Die Festo S. Josephi B. M. Virginis Sponsi 19. Martii, Plenariam &c.

Die Festo Apparitionis S. Michaelis Archangeli 8. Maji, quo die reformatus fuit dictus Ordo anno 1603. Plenariam &c.

Die Festo B. M. de Mercede Dominica proximiori Kalendis Octobris celebrari solitæ in memoriam apparitionis B. M. Virginis SS. Petro Nolasco, & Raymundo de Pegnafort, & Regi Aragoniæ Jacobo primo istius nominis, eis insinuando fundationem d. Ordinis sub sua invocatione ad Redemptionem Captivorum Christianorum. Plenariam &c.

Die Festo S. Raymundi Nonnati d. Ordinis professoris, & S. R. E. Cardinalis Diaconi 31. Augusti: Plenariam &c. prout latius ex Brevi sub Datum Romæ die 20. Decembris anno quarto.

Hoc Summarium Indulgentiarum, Procuratore Ordinis instante, fuit a S. Congregatione recognitum, & approbatum Romæ die 22. Novembris 1678.

A. Cardinalis Homodeus.

Locus ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secretarius.

Approbatio Sac. Congreg. relati Summarii.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Josephus Procurator Generalis Summarium hujusmodi, pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, præinsertum Summarium Indulgentiarum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatur idem Summarium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem prædictas Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus Literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decemb. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLVI.

Erigitur precibus Regis Hispaniarum, Custodia Navarræ, & Cantabriæ Ordinis Fratrum Capuccinorum in novam Provinciam.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 10. Jan. 1679. An. 3.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, commissum salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, religiosorum nostrorum Virorum Altissimi obsequiis sub arctioris disciplinæ instituto mancipatorum, ubereseque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei adspirante Divini favoris auxilio proferre assidue studentium statui, & felici directioni consulere peculiari solicitudine studemus, sicut pia orthodoxorum Regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, & Nos omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Religionis, piorumque operum incrementum, & felicem progressum expedire in Domino arbitramur.

Causæ hujus erectionis.

§. 1. Cum itaque sicut nomine Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nobis nuper exponi fecit dilectus filius nobilis vir Gaspar de Haro, & Guzman Marchio de Carpio ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, Custodia Navarræ, & Cantabriæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum octo Conventibus, ex quibus duo literarum Studiis, & unus Novitiatui respective destinati sunt, ac ducentis, & viginti duobus, vel circiter Fratribus constet: dictus vero Carolus Rex eamdem Custodiam in novam dicti Ordinis Provinciam ad instar aliarum ipsius Ordinis Provinciarum in Hispaniarum Regnis consistentium, quæ cum pari, vel minori Conventuum numero antehac erectæ fuerunt, a Nobis erigi plurimum desideret: Ad hanc autem erectionem non solum Capituli generalis dicti Ordinis novissime celebrati approbatio, sed etiam dilectorum filiorum modernorum Superiorum ejusdem Ordinis consensus concurrant: Nobis propterea dictus Gaspar Marchio ejusdem Caroli Regis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Regis Hispaniarum.

Concessio erectionis dictæ novæ Provinciæ.

§. 2. Nos igitur piis ipsius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati memoratam Custodiam Navarræ, & Cantabriæ in novam Ordinis prædicti Provinciam, quæ ab uno Ministro Provinciali, ac Diffinitoribus, aliisque Officialibus juxta Constitutiones ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica approbatas eligendis, & assumendis regi, & gubernari debeat, itaut ipsa nova Provincia, illiusque Minister Provincialis, Diffinitores, cæterique Officiales, & Fratres pro tempore existentes omnibus, & singulis Privilegiis, juribus, præeminentiis, prærogativis, honoribus, gratiis, & Indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ in Hispaniarum Regnis prædictis consistentes tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Custodiæ, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,

& singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLVII. Conceduntur octo Provinciis Germaniæ Ordinis Capuccinorum vota omnia in Capitulis Generalibus, necnon facultas erigendi nova Cœnobia sine prævia S. Sedis licentia.

Dictis Provinciis conceditur jus suffragiorum in Capitulis Generalibus, & facultas erigendi nova Cœnobia ex solo consensu Ordinariorum.

Dat. 10. Jan. 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Pastorale fastigium, meritis licet imparibus Divina dispositione evecti, Religiosorum Virorum vota sua Deo sub laudabili austerioris vitæ disciplina cum Populi Christiani ædificatione reddere jugiter satagentium statui, decori, & commodis libenter providemus, ac in id ipsum tendentes sublimium Principum preces propensa paternæ charitatis benignitate exaudimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis.

Species facti. §. 1. Nuper siquidem pro parte Charissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi Nobis expositum fuit, quod alias in vim quarumdam fel. re. Clementis IX., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum in simili forma Brevis literarum quatuor Provinciæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, unaquæque scilicet illarum in duas divisæ, atque ita ex illis octo Provinciæ, quæ Helvetiæ, Austriæ anterioris, Colonienſis, Rhenana, Tirolensis, Bavariæ, Bohemiæ, & Austriæ respective nuncupantur, constitutæ fuerant; ea tamen lege, ut per ejusmodi divisionem suffragia in Capitulis generalibus Ordinis præfati augeri non possent, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales una cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire deberent, itaut tria tantum vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis pro singulis Provinciis ex una in duas divisis hujusmodi constituerent; utque in præfatis Provinciis divisis novi Conventus erigi in posterum nullatenus possent sine expressa Sedis Apostolicæ licentia per literas in forma Brevis expediendas, quæ huic prohibitioni derogaret. Et subinde dictus Clemens X. Prædecessor per quasdam suas pariter in forma Brevis die 15. Novembris 1675. expeditas literas benigne indulsit, ut pro Capitulo Generali dicti Ordinis tunc proxime celebrando tantum in singulis præfatis Germaniæ Provinciis eligi possent duo Custodes, qui votum haberent in eodem Capitulo Generali, quid vero in futurum servandum esset, mandavit, ut in eodem Capitulo Generali tunc proxime celebrando hujusmodi negotium examinaretur, & alias prout in præfatis eorumdem Prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces Leopoldi Regis Romanorum. §. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut Provinciarum prædictarum incremento, ac religiosæ quieti, & honorificentiæ peramplius consulatur, dictus Leopoldus Rex duas conditiones supradictas in divisionibus hujusmodi appositas tolli, & abrogari plurimum desideret: Nobis propterea ejusdem Leopoldi Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur piis ipsius Leopoldi Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictis Provinciis Helvetiæ, & Austriæ anterioris, Colonienſi, & Rhenanæ, Tirolenſi, & Bavariæ, ac Bohemiæ, & Austriæ, & illarum singulis, ut omnia vota, sive suffragia, quæ aliis Ordinis præfati Provinciis competunt in Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis de cætero celebrandis pariformiter habeant, & novos Conventus, sublata prohibitione prædicta, absque alia hujus Sanctæ Sedis licentia de ordinariorum locorum consensu, servatisque alias servandis erigere, aliisque omnibus, & singulis Juribus, privilegiis, prærogativis, præeminentiis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteræ Ordinis hujusmodi Provinciæ tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, potiri, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus.

Clausulæ. §. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus literis supradictis aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscator. die X. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum, cujus vigore in Oppido de Nului Ampurien. Diœcesis Fratres Minores Observantes præcedebant in Processionibus Capuccinos.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 16. Jan. 1679. An. 3.

Decretum Congregationis SS. Rituum.

NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum emanavit Decretum tenoris qui sequitur videlicet. Facta relatione per Eminentissimum D. Cardinalem Sabellum Ponentem Causæ Ampurien. præcedentiæ in Sacra Rituum Congregatione de controversia super præcedentia in processionibus verten. inter Fratres Minores Observantes, ex una, & Capuccinos ex altera parte habentes ambos Conventum in Oppido de Nului in Sardinia Ampurien. Diœcesis, & eadem Sacra Congregatio auditis hinc inde partibus in voce, & in scriptis pluries informantibus, & præcipue pro parte Minorum Observantium declaravit, præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Observantibus, ex quo Observantes sunt priores in ordine qualitatis, & approbationis Apostolicæ, & Capuccini licet priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, sunt tamen filiales ex eadem Religione Observantium, & longe posteriores in approbatione Apostolica, quo casu non intrat Bulla Gregoriana de Anterioritate Conventus in eodem loco. Et ita decrevit, & servari mandavit. Die 26. Novembris 1678. -- V. Cardinalis Carpineus -- Loco ✠ Sigilli. -- Bernardinus Casalius S. Rit. Congregationis Secret.

Preces Procuratoris Generalis Fr. Min. Observan.

§. 1. Cum autem sicut dilectus Filius Josephus de Copons, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Josephum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatur prædictum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLIX. Conceditur Fratribus Capuccinis, ut Provinciam Comitatus Burgundiæ unire queant Lugdunensi, & hujus nonnulla Cœnobia Custodiæ Campaniæ, hancque in novam Provinciam erigere.

Dilectis Filiis Ministro Generali, & Ludovico de Jully Diffinitori Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Febr. 1679. An. 3.

Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Preces Regis Christianissimi.

CUM sicut pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, ipse Ludovicus Rex Provinciam Comitatus Burgundiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum Provinciæ Lugdunensi ejusdem Ordinis uniri, & quia hæc Provincia per unionem hujusmodi adeo ampla evaderet, ut difficile foret eam ab uno Ministro Provinciali visitari, aliquos Conventus ab illa dismembrari, eosque cum Custodia Campaniæ dicti Ordinis conjungi, ac novam exinde ejusdem Ordinis Provinciam formari plurimum desideret.

§. 1. Nos piis ipsius Ludovici Regis votis in præmissis quantum cum D. possumus favorabiliter annuere, ac felici prosperoque dictarum Provinciarum, & Custodiæ statui, regimini, & gubernio optime consultum esse cupientes, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de vera fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis Zelo plurimum habentes in D. fiduciam vobis tam conjunctim, quam unicuique vestrum separatim, & in solidum supradictam Comitatus Burgundiæ Provinciam memoratæ Provinciæ Lugdunensi auctoritate nostra Apostolica perpetuo uniendi, annectendi & incorporandi, ab ipsa autem Provincia Lugdunensi, ne propter ejus amplitudinem nimis difficilis reddatur uni tantum Ministro Provinciali illius Visitatio, eos Conventus quos secundum datam vobis a D. prudentiam separandos esse judicaveritis, seu alter vestrum judicaverit dicta auctoritate itidem perpetuo separandi, & dismembrandi, ipsosque Conventus, sic separatos, & dismembratos cum præfata Custodia Campaniæ conjungendi, ac novam exinde dicti Ordinis Provinciam formandi, ac cum omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, privilegiis, gratiis, & Indultis solitis, & consuetis auctoritate præfata etiam perpetuo erigendi, & instituendi, aliaque omnia, & singula, quæ circa dispositionem Provinciarum hujusmodi necessaria, & opportuna fore censueritis, seu alter vestrum censuerit faciendi, mandandi, decernendi, & exequendi, ac executioni mandari curandi plenam, & amplam, ac quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Permittitur Ministro, & Diffinitori Generali potestas conjungendi Provincias prædictas duas, & constituendi novam aliam Campaniæ quorundam Cœnobiorum additione.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum, ac Custodiæ, & Conventuum præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis ha-

bentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Februarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

L. Permittitur, ut in posterum nullus Canonicus Regularis Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Regno Portugalliæ votum habeat in Capitulis Generalibus ante expletum decennium ab emissa Professione.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 1. Martii 1679. An. 3.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Alexander ab Ascensione Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Joannis Evangelistæ in Regno Portugalliæ, quod cum in dicta Congregatione vigore antiqui usus, aut peculiaris Decreti Capituli generalis, non autem vigore Constitutionum Apostolicarum, aut Constitutionum ipsius Congregationis, votum in generalibus Capitulis haberet quicumque Sacerdos habitum gestavisset per sex annos; id vero cederet in damnum Congregationis, dum isti inexperti, & sæpe passionibus ducti non respiciebant ad bonum Congregationis: Capitulum generale ejusdem Congregationis anno 1677. celebratum decrevit, quod ingressuri in posterum d. Congregationem non haberent votum nisi postquam in ipsa Congregatione permansissent per annos vigintiquinque.

Preces Procuratoris Generalis pro confirmatione Decreti Capituli Generalis de voto non concedendo iis qui non permansissent in Congreg. 25. annos.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Alexander Procurator Generalis, ut Decretum hujusmodi inviolabiliter servetur, licet in tribus Capitulis generalibus confirmatum non fuerit, plurimum cupiat illud Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri: Nos ipsius Alexandri Procuratoris generalis votis hac in re quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris Marcelli Archiepiscopi Chalcedonen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis nostri, & Apostolicæ Sedis Nuntii eisdem Cardinalibus super præmissis facta, ut in posterum ad d. Congregationem admittendi votum non habeant nisi expleto decennio post emissam Professionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Denegatur votum dumtaxat ante expletum decennium ab emissa Professione.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis S. Joannis Evangelistæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Declarantur scandalosæ, & in praxi pernicioſæ plurimæ propositiones in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

L l. Dat. 4. Mart. 1679. An. 3.

Post Alexandrum VII. quamplures aliæ propositiones examini subjectæ sunt.

SAnctissimus Dominus Noster Innocentius PP. XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a felic. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel Libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde EE. & RR. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis eorumdem EE. Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem SS. D. N. re postea mature considerata, statuit, & declaravit pro nunc *sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi pernicioſas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet.* Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

Damnatæ vero insequentes.

Primo. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id veter lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Circa probabilitatem.

Secundo. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Tertio. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Quarto. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

Dilectionem Dei.

Quinto. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Sexto. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Septi-

Septimo. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

Finem agendi. Octavo. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Nono. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

Charitatem proximi. Decimo. Non tenemur proximum diligere actu interno formali.

Undecimo. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Duodecimo. Vix in Sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

Decimo tertio. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Decimo quarto. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

Decimo quinto. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpatrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

Fidem. Decimo sexto. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

Decimo septimo. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Decimo octavo. Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Decimo nono. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Vigesimo. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

Vigesimo primo. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Vigesimo secundo. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii non autem explicita Remuneratoris.

Vigesimo tertio. Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

Juramentum, & mendacium. Vigesimo quarto. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

Vigesimo quinto. Cum causa licitum est jurare sive animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Vigesimo sexto. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non feciſse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Vigesimo septimo. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

Vigesimo octavo. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habitu respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Vigesimo nono. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Homicidio. Trigesimo. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Trigesimo primo. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Trigesimo secundo. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

Trigesimo tertio. Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

Trigesimo quarto. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Trigesimo quinto. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Furtum. Trigesimo sexto. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Trigesimo septimo. Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Trigesimo octavo. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Trigesimo nono. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Contractum. Quadragesimo. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

Quadragesimo primo. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Quadragesimo secundo. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

Detractionem. Quadragesimo tertio. Quid ni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

Quadragesimo quarto. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Simoniam. Quadragesimo quinto. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit so-

lum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

Quadragesimo sexto. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

Electionem. Quadragesimo septimo. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

Appetitus. Quadragesimo octavo. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesimo nono. Mollities jure naturæ prohibita non est; Unde si Deus eam non interdixisset sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Quinquagesimo. Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Quinquagesimo primo. Famulus, qui subnixis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne Domo expellatur.

Quædam præcepta. Quinquagesimo secundo. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.

Quinquagesimo tertio. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

Quinquagesimo quarto. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Quinquagesimo quinto. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Sacramentum Pœnitentiæ. Quinquagesimo sexto. Frequens confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Quinquagesimo septimo. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Quinquagesimo octavo. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Quinquagesimo nono. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

Sexagesimo. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

Sexagesimo primo. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Sexagesimo secundo. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Sexagesimo tertio. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Sexagesimo quarto. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

Sexagesimo quinto. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Prohibetur, ne quis relatas propositiones utcunque defendat.

Item ne iis in praxi utatur.

In alias vero propositiones adhuc a S. Sede non proscriptas, ab omni convicio, & censura abstineat.

Franciscus Riccardus S. R., & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Fides publicationis. *Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda; die vero 4. Mensis Martii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papæ XI. anno Tertio supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

LII. Permittitur, ut Festum B. M. V. de Monte Carmelo cum Officio, & Missa propria Fratrum Carmelitarum celebretur ab omnibus in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugalliæ subjectis.

Die 24. Septembris 1726. Benedictus XIII. hoc Festum cum Officio ab ipso approbato extendit ad Urbem, & Orbem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 24. Mar. 1679. An. 3.

Exordium. Apostolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ bonitatis altitudo humilitati nostræ, meritis

meritis licet, & viribus longe impari committere dignata est, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes piis Christifidelium, & præsertim personarum in sublimitate positarum, magnoque virtutum fulgore conspicuarum votis ad augendam in Terris augustissimæ, Sanctissimæque Deiparæ Virginis Mariæ cultum, & veneration em laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paterna benignitate libenter præbemus, sicut ad augendam Christiani Populi devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Preces Reginæ Portugalliæ.

§. 1. Cum itaque sicut nomine Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Mariæ Franciscæ Elisabethæ Portugalliæ, & Algarbiorum Reginæ illustris Nobis per Venerabilem Fratrem Ludovicum Archiepiscopum Bracharen. dilectissimi in Christo Filii nostri Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, ipsa Maria Francisca Elisabetha Regina pro peculiari sua erga Beatissimam Virginem præfatam devotione festum ejusdem Sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo quotannis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum eodem officio ac Missa propria, quibus Fratres Ordinis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo ex Indulto Sedis Apostolicæ prædictæ utuntur, in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugalliæ subjectis celebrari posse summopere desideret: Nos ipsius Mariæ Franciscæ Elisabethæ Reginæ votis hac in re quantum cum Domino possumus paternæ charitatis studio annuere cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut festum gloriosissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in omnibus Ecclesiis præfatorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, ac Provinciarum, & Ditionum quarumcumque Coronæ Portugalliæ subjectorum annis singulis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum officio, & Missa propria, quibus Fratres prædicti sicut præmittitur, utuntur, celebrari libere, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Prædictum Festum cum Officio, & Missa propria die 16. Julii vel alia intra octavam celebrandum extenditur ad omnes Ecclesias in locis Coronæ Portugalliæ sitas.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatur Decretum, quo specialis Congregatio segregavit quatuor Cœnobia a Provincia Bavariæ Fratrum Eremitarum Sancti Augustini. LIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 14. Apr. 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Decreti.

NUper ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis in Provinciam Bavariæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini irrepserant, Congregatio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus super negotiis dictæ Provinciæ a Nobis specialiter deputata, in vim facultatis sibi a Nobis attributæ, Conventus Salisburgensem, Dissembergensem, Ratembergensem, & de Schefel ab eadem Provincia Bavariæ segregavit, & dismembravit, eosque segregatos, & dismembratos esse voluit, & declaravit, uni, vel pluribus dicti Ordinis Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis per eamdem Congregationem opportuno tempore aggregandos, & incorporandos, relictis ipsi Provinciæ Bavariæ omnibus Conventibus, quæ in Bavaria existunt, quive in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonen. dicti Ordinis, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituerent, ac integrarent, & alias prout uberius continetur in literis dilecti filii Nostri Palutii ejusdem S. R. Eccl. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris deputati emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet --

Literæ Emi Protectoris, in quibus refertur Congregationis Decretum.

§. 1. Palutius Tit. Sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis S. R. Eccl. Camerarius, ac totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini apud Sanctam Sedem Protector. Cum in Sacra Congregatione deputata per Sanctissimum D. N. Innocentium XI. feliciter regnantem pro negotiis Provinciæ Bavariæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini sub die 17. Martii 1679. in Domo Emi Domini Vidoni cum interventu EE. DD. Fachenetti, Franzoni, Carafæ, nostri de Alteriis, Columnæ, & ejusdem Vidoni, ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis irrepserunt, resolutum fuerit consulendum esse Sanctissimum, ut ex nimium justis, & rationabilibus motivis, & causis in eadem Congregatione mature perpensis, & examinatis dignaretur dismembrare a dicta Provincia Conventus Civitatis Salisburgensis, loci Dissembergh ejusdem Diœcesis Salisburgen., ac etiam Conventus de Rattembergh, & de Schefel in Tyrolensi Ditione, eosque aggregare uni, vel pluribus Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis; ita ut ipsa Bavarica Provincia constituatur in posterum ex solis Conventibus in ipsa Bavaria existentibus, aliisque in ea, ut speratur erigendis, necnon ex Conventu Ratisbonensi, qui in ea remaneat. Cumque relatione sibi facta, Sanctitas Sua hanc Congregationis resolutionem laudaverit, & approbaverit, eique opportunam ad id facultatem benigne fuerit elargita: Propterea eadem Sacra Congregatio, Pontificia auctoritate, præfatos Conventus Salisburgensem, Dissembergensem, Rattembergensem, & de Schefel a præfata Provincia Bavariæ segregat, & dismembrat, eosque segregatos, ac dismembratos esse vult, & declarat uni, vel pluribus Provinciis, ut supra opportuno tempore

Sejuncta fuerint a Provincia Bavariæ quatuor cœnobia postea a Congregatione adjungenda aliis Provinciis, in quibus Fratres

Bavarici servare poterant suos gradus, & prærogativas.

pore per eamdem Sacram Congregationem aggregandos, & incorporandos, relictis omnibus Conventibus, qui in Bavaria extant, quique in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonensi, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituant, ac integrent: Ita tamen, ut Religiosi omnes prædictorum Conventuum Salisburgensis, Dissembergensis, & Rattembergensis, & de Schefel quamvis ratione originis Bavari sint, in eodem statu, & respective gradibus, in quibus reperiuntur, gaudeat omnibus prærogativis in Provincia, aut Provinciis, cui, vel quibus aggregabuntur, proinde ac si ab initio in iis professionem emisissent, absque ulla prorsus differentia. Eadem vero Sacra Congregatio nobis tamquam præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectori benigne commisit, ut hanc dismembrationem, ac segregationem Conventuum a se factam notificaremus, prout per præsentes notificamus, simulque vigore facultatis a Sanctissimo D. N. super hoc negotio specialiter Nobis factæ, præcipimus omnibus, & singulis PP., ac FF. præfatæ Provinciæ Bavariæ cujuscumque status, gradus, & conditionis existentibus in meritum salutaris obedientiæ, sub privationis utriusque vocis, graduum, & Officiorum, & in subsidium sub excommunicationis latæ sententiæ, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, aliisque nobis reservatis, & ipso facto incurrendis pœnis, ne sub quovis prætextu, aut quæsito colore, per se, vel per alios, directe, vel indirecte impedimento sint, quo minus præfata Conventuum dismembratio, ac segregatio executioni mandetur. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 25. Martii 1679. I. Cardinalis de Alteriis Protector.

Præcepta fuit d. segregationis executio sub certis pœnis.

Preces Superiorum, & fratrum d. Provinciæ Bavaricæ.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum dictæ Provinciæ Bavariæ nobis subinde expositum fuit, ipsi præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, segregationem, & dismembrationem supradictorum quatuor Conventuum a præfata Provincia Bavariæ, aliaque præmissa, tam a memorata Cardinalium Congregatione, quam a præfato Palutio Cardinale, & Protectore respective facta, & ordinata, ut præfertur, expeditasque desuper ejusdem Palutii Cardinalis, & Protectoris Literas præinsertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Congregationis Decretum, & Protectoris literæ confirmantur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatur regia electio S. Josephi in Patronum, & Protectorem omnium Regnorum ac Dominiorum Regis Catholici, & in ejus Festo Indulgentia plenaria conceditur. LIV.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 19. Apr. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EXimia pietas in Deum, ac erga Beatos Cœli incolas cum Christo regnantes, devotionis, aliarumque regiarum virtutum decora, cum præclaris in Ecclesiam Dei meritis, singularique in Nos, & Apostolicam Sedem fide conjuncta, quibus Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum multipliciter insignivit Altissimus, paternam nostram in eum charitatem adducunt, ut pia illius vota ad augendam in terris Sanctorum veneration laudabiliter tendentia libentissime exaudiamus, cœlestiumque gratiarum dispensationi nostræ divinitus creditarum muneribus decoremus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Sanctorum honorem, Christianique populi præsidium, atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Preces Regis Hispaniarum pro confirmatione factæ ab ipso electionis S. Josephi in Patronum, & Protectorem suorum Regnorum.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis Vir Gaspar de Haro y Guisman, Marchio de Carpio pro dicto Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator Nobis nuper exponi fecit, idem Carolus Rex pro peculiari sua erga gloriosum Patriarcham Sanctum Josephum, Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Sponsum devotione, universa Regna, & Dominia sua illius patrocinio, atque protectioni commiserit, ipsumque Sanctum Josephum in Patronum, & Protectorem eorundem Regnorum, & Dominiorum elegerit, cupiatque propterea opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri.

§. 2. Nos pium, & religiosum dicti Caroli Regis animum plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nomine Nobis per præfatum Gasparem Marchionem super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, electionem memorati Sancti Josephi in Patronum, & Protectorem Regnorum, & Dominiorum præfatorum factam, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; & de prædicto Sancto Josepho in Patronum, & Protectorem sic electo prærogativas omnes ejusmodi Patronis, & Protectoribus Regnorum, & Dominiorum com-

Confirmatur prædicta electio, & Sancto conceduntur prærogativæ omnes Patroni, & Protectores.

petentes

petentes decernimus, juxta tamen Rubricas Breviarii, & Missalis Romani; & ad formam Constitutionis fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri super observatione Festorum die decima tertia Septembris 1642. emanata.

Item visitantibus Ecclesias d. Patroni in ejus festo conceditur Indulgentia Plen.

§. 3. Præterea ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui die Festo Sancti Josephi prædicti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi qualscumque Ecclesias in Regnis, & Dominiis dicti Regis, Deo in honorem ejusdem S. Josephi hactenus dedicatas, & in futurum quandocumque dedicandas, earumque quamlibet quotannis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus quibuscumque Decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus generalibus, vel specialibus, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. April. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LV.

Confirmatur Decretum Definitorum Congregationis Camaldulensium de alternativa quatuor præcipuorum Officiorum in quatuor eorum Provinciis servanda.

Similis alternativa in Provincia Quitensi Eremitarum S. Augustini confirmata fuit ab eodem Pontifice in Constit. 29. *quæ incip.* Pro parte charissimi. *in hoc Volum. pag.* 223.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 22. Apr. 1679. An. 3.

CUM (sicut accepimus) in Dieta Congregationis Monachorum Camaldulensium Ordinis S. Benedicti die 23. Aprilis 1676. factum fuit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Ut servetur æquitas, & Justitia distributiva in electione Generalis, Procuratoris generalis, & Visitatorum unanimi consensu, & per vota secreta statuerunt, & decreverunt RR. PP. Definitores, ut in posterum in futuris Capitulis generalibus supradicta quatuor Officia alternatim distribuantur per quatuor Provincias Romandiolæ, Venetæ, Etruriæ, & Marchiæ, adeo quod unicuique Provinciæ unum ex prædictis quatuor Officiis conferatur tali ordine, & dispositione, ut postquam una ex prædictis Provinciis Generalatum obtinuerit, non possit iterum obtinere, nisi postquam per alias tres Provincias Generalatus fuerit distributus, & sic dispositum intelligatur de aliis tribus officiis. Nos Decretum hujusmodi rationi consentaneum, illiusque observantiam multum utilitatis dictæ Congregationi allaturam esse reputantes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum Dietæ de alternativa electionum Generalis, Procuratoris Generalis, Visitatorum, & Definitorum in Provinciis Romandiolæ, Venetæ, Etruriæ, & Marchiæ.

Confirmatur relatum Decretum.

§. 1. Præterea considerantes, quod Provinciæ Etruriæ, & Marchiæ dictæ Congregationis Camaldulen. jam a multis annis Generalatu ejusdem Congregationis honoratæ non fuerunt, in proxime futuro ipsius Congregationis Capitulo generali unum Monachum expresse professum Provinciæ Etruriæ, vel Marchiæ hujusmodi qualitatibus ad id per Constitutiones dictæ Congregationis requisitis prædictum in Abbatem Generalem ejusdem Congregationis, servatis alias servandis, eligi, quoad reliqua vero tria Procuratoris, scilicet Generalis, & duorum Visitatorum Congregationis præfatæ munera dispositionem Decreti præinserti observari debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Cui additur, ut alternativa Generalatus incipiat a Provincia Etruriæ, & Marchiæ.

§. 2. Decernentes pariter eadem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis repective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Camaldulen., ejusque Provinciarum, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVI.

Extenditur Festum Patrocinii B. M. Virginis ab Alexandro VII. institutum in Regnis Hispaniarum ad omnia Dominia Regis Catholici.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 26. Maii 1679. An. 3.

EXimia, & Orthodoxæ fidei cultore, & assertore Rege digna Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici

Exordium.

erga Augustissimam, atque Gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio promeretur, ut piis illius votis ad augendam, & propagandam in Terris Cœli Reginæ super Choros Angelorum exaltatæ venerationem laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paterna benignitate libentissime præbeamus.

Precibus Philippi IV. festum Patrocinii cum determinato Officio, & Missa cœptum fuit celebrari etiam a Regularibus in omnibus Hispaniarum Regnis.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexandro Papa Septimo pro parte claræ memor. Philippi Quarti dum vixit earundem Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod ipse Philippus Rex ad augendas Beatissimæ Virginis Mariæ præfatæ gratias pro plurimis beneficiis, quæ ab illa accepisse pro affectu profitebatur, unum festum particulare patrocinii Beatissimæ Mariæ Virginis nuncupandum in omnibus Hispaniarum Regnis aliqua die Dominica Mensis Novembris annis singulis celebrari summopere desiderabat; Idem Alexander prædecessor, supplicationibus præfati Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Clero, etiam Regulari præfatorum Regnorum Hispaniæ, ut aliqua die Dominica Mensis Novembris per Ordinarium loci designanda annis singulis festum Patrocinii ejusdem Beatæ Mariæ Virginis cum Officio duplici, quod recitatur die quinta Augusti in festo Dedicationis Sanctæ Mariæ de Nives, exceptis lectionibus secundi Nocturni, quæ sumerentur ex sermone Sancti Joannis Chrysostomi, *Dei filius &c.* quæ habetur die duodecima Septembris, quinta infra Octavam Nativitatis ipsius Beatæ Mariæ Virginis, necnon cum Missa, quæ celebratur dicta die cum Gloria, & Credo, celebrare libere, & licite possent, & valerent, auctoritate Apostolica concessit, & indulsit: Præterea omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Missæ Solemni in die prædicta interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die vigesima octava Julii 1657. expeditis quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, plenius continentur,

Item concessa Indulgentia Plenaria adstantibus solemni Missæ Festi in aliqua Dominica Novembris celebrandi.

§. 2. Cum autem sicut pro parte præfati Caroli Regis Nobis per dilectum filium Nobilem virum Gasparem de Haro y Guzman, Marchionem de Carpio ipsius Caroli Regis apud Nos & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, idem Carolus Rex paternæ pietatis exemplo, enixe cupiat concessam a memorato Alexandro prædecessore gratiam ad omnia, & singula ejus Dominia extendi, & ampliari: Nos pium ejus desiderium hac in re plurimum in Domino commendantes, illique quantum Nobis ex alto conceditur paterno affectu obsecundare cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis per præfatum Gasparem Marchionem super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut Patrocinii Beatissimæ Virginis Mariæ festum hujusmodi cum Officio, & Missa, juxta formam, & tenorem præfatarum Alexandri prædecessoris literarum in posterum annis singulis aliis Dominiis eidem Carolo Regi subjectis celebrari libere pariter, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus similiter, & indulgemus. Ac etiam plenariam indulgentiam ab eodem Alexandro prædecessore concessam, ut præfertur ad omnia, & singula alia Dominia prædicta, servata tamen in reliquis supradictarum Alexandri prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus.

Preces Caroli II. Regis Hispaniarum.

Extenditur festum prædictum una cum Indulgentia ad omnia dominia eidem Regi subjecta.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Alexandri prædecessoris literis concessa sunt, non obstantibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 4. Volumus autem, earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Declaratur, Inquisitores Portugalliæ incurrisse in suspensionem Officiorum ob denegatam obedientiam præcepto Pontificis. LVII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Maji 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

CUm nos per nostras in simili forma Brevis die 24. Decembris proxime præteriti expeditas literas Venerabili Fratri Verissimo Archiepiscopo olim Bracharen tunc temporis munere Inquisitoris Generalis adversus hæreticam pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ex concessione, seu delegatione Apostolica fungenti in virtute Sanctæ obedientiæ districte præceperimus, & mandaverimus, ut intra terminum decem dierum, a die quo eædem literæ ei per Venerabilem Fratrem Marcellum Archiepiscopum Chalcedonen. nostrum, & Apostolicæ Sedis in Regnis præfatis Nuncium præsentatæ fuissent, computandum quatuor vel quinque Processus Originales in Tribunali Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem hujusmodi in eisdem Regnis auctoritate Apostolica instituto contra Reos de Judaismo inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, qui etiam tanquam negativi in pœnam ordinariam condemnati fuerant jam finitos, & terminatos in manibus ejusdem Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii realiter, & cum effectu consignasse, & tradidisse omnino deberet, alioquin elapso dicto termino, nec sequuta effectiva consignatione Processuum hujusmodi eo ipso tam ipsum Verissimum Archiepiscopum ab Officio Generalis Inquisitoris hujusmodi sibi a nobis per alias nostras pariter in forma Brevis emanatas literas demandato, omnique, & quacumque auctoritate sibi per easdem literas quomodolibet attributa, quam omnes, & singulos alios Inquisitores in eisdem Regnis a dicto Verissimo Archiepiscopo ejusque prædecessoribus Inquisitoribus generalibus respective electos, seu deputatos, vel confirmatos a suis pariter muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium in præfatis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis quovis modo spectantibus, donec, & quousque aliter a nobis, & Sede Apostolica præfata dispositum, vel ordinatum fuisset penitus, omnino suspenderimus, ac ipso facto suspensos fore, irritumque, & inane, si quid subinde desuper tam a præfato Verissimo Archiepiscopo, quam ab aliis Inquisitoribus prædictis, vel eorum aliquo quomodolibet, & quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigisset, & tam ipsum Verissimum Archiepiscopum, quam cæteros omnes, & singulos Inquisitores præfatos, si præceptum nostrum hujusmodi transgredi, aut alias quomodolibet primo-

Mandatum fuit Inquisitori Generali, ut acta quædam traderet Nuncio Apostolico.

Sub pœna suspensionis officiorum, quam alii Inquisitores statim incurrissent.

Item sub pœnis Canonicis S. Sedi reservatis.

dictis

dictis literis contravenire ausi fuissent, ipso facto in pœnas canonicas, ipsum quidem Verissimum Archiepiscopum tunc Inquisitorem Generalem in pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, cæteros vero Inquisitores prædictos in excommunicationem majorem respective absque alia declaratione incursuros esse decreverimus, & declaraverimus; Absolutionem autem ab iisdem pœnis Nobis, & huic Sanctæ Sedi specialiter reservaverimus, & alias prout in primodictis literis nostris, quorum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Verum (sicut accepimus) idem Verissimus Archiepiscopus olim Inquisitor Generalis mandato, & præcepto nostris sibi per easdem literas minime paruerit, & proinde tam ipse, quam cæteri olim Inquisitores prædicti suspensionem a suis respective muneribus præfatis, omnique potestate, & auctoritate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium quovis modo spectantibus incurrisse reperiantur: Hinc est, quod Nos præmissa ad omnium, quorum interest, & in futurum intererit, notitiam, nequis illorum ignorantia forsan decipiatur, deduci volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, cæterosque præfatos ob non præstitam mandato, & præcepto nostris hujusmodi circa consignationem Processuum supradictorum in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii, ut præfertur, faciendam, in termino supra expresso debitam paritionem, eo ipso suspensionem prædictam incurrisse; ac proinde statim elapso termino hujusmodi eos omnes, & singulos nullam omnino in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium quomodolibet pertinentibus jurisdictionem habuisse, nec de præsenti habere: & propterea omnia, & singula per eosdem gesta post incursum dictæ suspensionis, & si quæ forsan per eos inposterum agentur in Materiis Sancti Officii hujusmodi ob defectum Jurisdictionis penitus, & omnino nulla, & invalida fuisse, & esse, ac fore tenore præsentium declaramus.

Ob inobedientiam Inquisitores omnes declarantur suspensi ab Officio, & eorum acta nulla.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, aliive quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, moderari, limitari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in literis supradictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus literis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVIII.

Permittitur Superiori Generali Presbyterorum Missionis facultas condonandi ex Assistentium consensu novæ probationis tempus, reddendique jus electionum, & prærogativas redeuntibus ad Congregationem.

Constitutiones hujus Congregationis confirmatæ fuerunt à Clem. X. Const. 2., quæ inc. Ex injuncto nobis, *pag. 6. & Const. 5. quæ inc.* Alias fel. rec. *pag. 10. in hoc Vol. qua statutum fuit a Summo Pontifice, & Superiore Generali dumtaxat commutari, aut dißolvi poße vota in eadem Congregatione emißa.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 5. Junii 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Presbyteri Congregationis Missionis, quod, cum alias, videlicet die 18. Januarii 1673. in Conventu Generali dictæ Congregationis, qui tunc habebatur, propositum fuisset dubium: An eos, qui post emissa vota egressi ex eadem Congregatione, cum dispensatione postea regrediuntur, oporteat denuo biennium in Seminario, antequam ad vota admitterentur, nullo excepto, exigere. Præterea: Utrum anni ad deputationes, atque electiones requisiti a votis posterioribus tantum in fine biennii post regressum emissis computandi essent, nulla habita ratione prioris temporis in Congregatione ante egressum transacti: remissa fuit ad diem sequentem dubiorum hujusmodi resolutio, eoque die repetita desuper tractatione placuit Conventui, ut ad tollendam omnem dubietatem a Sede Apostolica pro Superiore Generali dictæ Congregationis peteretur facultas, primo dispensandi ex toto, vel ex parte in præfato biennio cum illis, ad quorum probationem hoc tempus necessarium non esse judicaret; deinde restituendi omnino, vel partim in jus deputationum, atque electionum, tam activarum, quam passivarum, aliasque prærogativas, illos, qui per antiquorum votorum dissolutionem eo exciderant; ita tamen ut Superior Generalis neque dispensaret, neque restitueret, nisi de consensu suorum Assistentium ad plura medietate suffragia cum sua ipsius prærogativa. Quare exponentes prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superioris Generalis, & Presbyterorum.

§. 1. Nos

§. 1. Nos igitur ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfato moderno, & pro tempore exiſtenti Superiori Generali dictæ Congregationis, ut de conſenſu ſuorum Aſſiſtentium ad plura medietate ſuffragia cum ſua ipſius prærogativa illis, qui poſt emiſſa vota prædicta ex eadem Congregatione egreſſi fuerint, ut præfertur, & ſubinde ad illam redierint, biennium Seminarii, ſive novæ probationis hujuſmodi in totum, vel pro parte, prout ſecundum datam ſibi a Domino prudentiam expedire judicaverit, auctoritate noſtra Apoſtolica remittere, ſeu deſuper cum illis opportune diſpenſare, ac etiam illos ad jus deputationum, atque electionum tam activarum, quam paſſivarum, aliaſque prærogativas, quibus ante eorum egreſſum fruebantur, omnino, vel partim dicta auctoritate reſtituere, & reintegrare libere, licite, & valide poſſit, & valeat, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.

Conceditur d. Superiori, ut queat remittere partem, vel totum Seminarii biennium, ſicut & jura, & privilegia reſtituere Presbyteris revertentibus.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 5. Junii 1679. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

LIX.

Confirmatur Decretum Cardinalis Protectoris, quo vetatur ſub Excommunicationis pœna, ne Fratres laici Tertii Ordinis S. Franciſci in provincia Siciliæ præcedant Clericos etiam profeſſione poſteriores.

De præcedentia inter Fratres Laicos profeſſos, & Clericos Novitios Capuccinorum, vide quid ſtatutum fuit ab Urb. VIII. Conſtitut. quæ inc. Nuper pro parte.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 9. Junii 1679. An. 3.

NUper pro parte dilecti filii Bonaventuræ Roſſi Procuratoris, & Commiſſarii Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Franciſci Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, expoſito, quod cum in Provincia Siciliæ dicti Ordinis inoleverit abuſus antiquus, ut Fratres Laici quo ad præcedentiam cum Fratribus Clericis etiam Diaconis juxta antiquitatem profeſſionis concurrerent, non ſine manifeſta indecentia, & depreſſione conditionis Eccleſiaſticæ, & Sacrorum Ordinum, ipſe Bonaventura plurimum cupiebat ordinari, ut Fratres laici dictæ Provinciæ in poſterum profeſſuri locum Clericis etiam poſterioribus cedere deberent, alioquin ad profeſſionem non admitterentur, quemadmodum apud Fratres Minores Capuccinos nuncupatos, aliorumque Ordinum Religioſos, ac etiam in aliis Provinciis Tertii Ordinis prædicti obſervare dicebatur, eadem Congregatio Cardinalium per ſuum Decretum die 23. Martii proxime præteriti emanatum, attenta relatione venerabilis fratris noſtri Franciſci Epiſcopi Oſtien. ejuſdem S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati, præfati Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, ſupplicem Libellum ſuper præmiſſis porrectum remiſit eidem Franciſco Epiſcopo Cardinali, & Protectori, ut præfatum abuſum in prædicta Provincia etiam ſub pœnis ipſi beneviſis omnino tollerent, Ipſe vero Epiſcopus, & Cardinalis Protector auctoritate ſibi per præfatam Congregationem attributa, Decretum edidit tenoris, qui ſequitur, videlicet. Attentis expoſitis, auctoritate Nobis a Sacra Congregatione attributa, illique inhærendo &c. de cætero Fratres Laici, ſeu Converſi, qui in poſterum ad habitum, ſeu Profeſſionem in prænarrata Provincia Siciliæ Tertii Ordinis S. Franciſci admittendi erunt quovis ſub prætextu, quæſito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris ſuæ ad habitum Regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emiſſæ profeſſionis, ſeu cujuſvis conſuetudinis, Fratres Clericos ejuſdem Ordinis in quibuſvis functionibus tam publicis, quam privatis, necnon in locis, & actibus quibuſcumque præcedere, & ne quicumque Superiores ejuſdem Ordinis id deinceps quoquo modo permittere audeant, vel præſumant ſub excommunicationis pœna ipſo facto pro contrafacientibus incurrenda, tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, & prohibemus, in contrarium prænotata conſuetudine, & aliis quibuſcumque non obſtan. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apoſtolicæ hac die 19. Aprilis 1679. A Cardinalis Barberinus Protector – Loco Sigilli.

Species facti.

Decretum Protectores auctoritate Congregationis editum, ne in poſterum Converſi ob quamlibet cauſam, & quocunque in loco Clericos præcedere audeant.

§. 1. Cum autem ſicut præfatus Bonaventura Nobis ſubinde exponi fecit ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſum Bonaventuram Procuratorem, & Commiſſarium generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum a memorato Franciſco Epiſcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis in eo con-

Preces Procuratoris, & Commiſſarii Generalis.

Confirmatur relatum Decretum.

tentis

tentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatæ Provinciæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LX. Confirmantur Confraternitates omnes sub titulo SS. Rosarii, tametsi de canonica aliquarum institutione non constet, nec eæ unquam innovatæ juxta Constitutionem Clementis VIII. vel contra formam in ea præscriptam erectæ fuerint.

Similem Confirmationem Confraternitatum S. Scapularis in Ecclesiis Carmelitarum existentium habemus in 66. Clem. X. Const. quæ incip. Exponi Nobis *in hoc Volum. pag.* 101.

Dat. 15. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Montoii Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet multæ in dicti Ordinis, aliisque Ecclesiis, seu Oratoriis existant Confraternitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo Sanctissimi Rosarii, quæ suas functiones adinstar similium Confraternitatum obtinent, multaque pietatis, & Christianæ charitatis opera exercent, de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio institutione forsan non constat, & in aliarum erectionibus, & institutionibus præscripta per Constitutionem fel. rec. Clementis PP. VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit. *Quæcumque a Sede Apostolica &c.* die 7. Decembris 1604. editam forsan servata non fuerunt, & aliæ ante emanatam Constitutionem hujusmodi erectæ, & institutæ, novas erectionum, & institutionum hujusmodi, ac communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum literas intra tempus ab eadem Constitutione præfixum, seu etiam postea, impetrasse minime reperiuntur. Nobis propterea dictus Antonius Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Magistri Generalis Ord. Prædicatorum. §. 1. Nos igitur ipsum Antonium Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Confraternitates prædictas sub titulo Sanctissimi Rosarii in quibusvis tam dicti Ordinis quam aliis Ecclesiis, seu Oratoriis ubicumque locorum de præsenti existentes, tametsi de eorum canonica ab initio erectione, & institutione non appareat, nec ipsæ Confraternitates novas erectionum, & institutionum, seu communicationis Indulgentiarum facultatum, & privilegiorum hujusmodi literas intra tempus a præfata Clementis prædecessoris Constitutione præfixum obtinuisse reperiantur, nec in earum erectionibus, & institutionibus præscripta per easdem Constitutiones servata fuerint, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & validamus, easque in statu valido esse, & fore decernimus, declaramus in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illas omnes, & singulas ab ipso initio canonice erectas, & institutas fuisse, novasque erectiones, & institutiones suo tempore juxta formam memoratæ Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse constaret, & in reliquis ejusdem Constitutionis forma in illarum erectionibus, & institutionibus respective servata fuisset, omnesque, & singulos Juris, & facti defectus, qui propter præmissa desuper quomodolibet intervenerunt, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus; & quatenus opus sit ipsas Confraternitates omnes, & singulas servata tamen cæteroqui Constitutionum, & Decretorum hujus Sanctæ Sedis præsertim circa distantiam locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum, forma, & dispositione, de novo erigimus, & instituimus. Cæterum in erectione, & institutione similium Confraternitatum de cætero faciendis, formam in supradicta Clementis prædecessoris Constitutione præscriptam adamussim servari volumus, alioquin erectiones, & institutiones hujusmodi nullius omnino sint roboris, & momenti.

Firmantur a Pontifice prædictæ Confraternitates nunc existentes, dummodo serventur S. Sedis Decreta.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac præfata Clementis prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXI. Permittitur, ut quædam Indulgentiæ a tribus Pontificibus, & duobus Legatis S. Sedis Confraternitatibus SS. Rosarii concessæ describi possint in Summario Indulgentiarum dictarum Confraternitatum, tametsi earum originales literæ non reperiantur.

Dat. 16. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentiæ concessæ ab Alexan. Nuncio in Germania.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Montoy Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet dudum bon. mem. Alexander dum vixit, Episcopus Forolivien. tunc Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de Latere per totam Germaniam Nuncius omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus Confraternitatis SSmi Rosarii Confratribus, & Consororibus in singulis quinque Bmæ Mariæ Virginis præcipuis Festivitatibus, scilicet Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis centum, & quoties per se, vel per alios Rosarium Virginis, quod quinquagies salutationem Angelicam, & quinquies orationem Dominicam complectitur, legissent, vel legi fecissent, aut in die Sabbati feriali, vel festivo, quando *Salve Regina* caneretur post completorium apud Fratres Ordinis Prædicatorum coram Altari Clementissimæ Virginis, ubi præfata Confraternitas instituta erat, præsentes adstitissent, quadraginta dies de Indulgentia singulis vicibus, quibus id fecissent, pro injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxaverit, ac postmodum, accepto per fel. rec. Six. PP. IV. prædecessorem nostrum, quod in Ecclesia Domus Ordinis Prædicatorum Civitatis Colonien. erat quædam Confraternitas utriusque sexus fidelium *de Rosario B. Virginis* nuncupata ad honorem Angelicæ salutationis instituta, cujus Confratres, & Consorores intra spatium trium dierum cujuslibet hebdomadæ Orationem Dominicam quindecim, & Angelicam salutationem centum quinquaginta vicibus ad honorem ejusdem B. Virginis Mariæ juxta ipsius Confraternitatis institutа dicere consueverant, quas quidem Orationes, & salutationes *Rosarium* appellabant, & extra d. Civitatem Colonien. in aliis Civitatibus, & locis erant quamplures utriusque sexus ejusdem Confraternitatis Confratres, & Consorores: idem Sixtus prædecessor voluerit, & ordinaverit, quod omnes, & singuli Confratres, & Consorores Confraternitatem prædictam servantes, tam in dicta Civitate Colonien., quam & alibi ubicumque locorum tunc, & pro tempore existentes vere pœnitentes, & confessi, qui Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam prædictas modo præmisso dicerent, in singulis Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis B. M. Virginis Festivitatibus Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum consequerentur: & insuper bo. mem. Raymundus tit. S. Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis tunc per Germaniam dictæ Sedis Legatus eisdem Confratribus, & Consororibus pro quolibet Rosario centum dies Indulgentiarum perpetuo concesserit, originales tamen Literæ super concessionibus Indulgentiarum hujusmodi emanatæ de præsenti non reperiuntur, quamvis de ipsis concessionibus, & Literis rec. mem. Leonis PP. X. prædecessoris pariter nostri, quæ incipiunt, *Pastoris æterni &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1520. pridie nonas Octobris sub plumbo expeditis, per quas Indulgentiæ præfatæ ab eodem Leone prædecessore approbatæ, confirmatæ, & innovatæ, ac de novo perpetuo concessæ fuerunt.

A Sixto IV.

A Raymundo Legato Germaniæ.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, subinde piæ mem. Clemens PP. VII., etiam prædecessor noster quasdam Literas, per quas similis rec. Adrianus PP. VI. pariter prædecessor noster Confratribus, & Consororibus Confraternitatis ad Altare in Cappella *de Rosario* nuncupata B. M. Virginis situm in Ecclesia Domus S. Dominici Oppidi de Victoria d. Ordinis Calaguritan. Diœcesis institutæ, qui in eadem Cappella, seu Ecclesia hujusmodi unam quinquagenam *Rosarium, seu Psalterium* nuncupatam recitassent, pro qualibet die, qua id fecissent, quinquaginta annos de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxaverat, auctoritate Apostolica extenderet, & ampliaret, ad hoc ut prædicti Confratres dictæ Confraternitatis tunc, & pro tempore existentes, qui d. Psalterium in aliqua Ecclesia, seu Oratorio cujusvis loci, in quo eos pro tempore residere contingeret, devote recitassent, quoties id fecissent, Indulgentias præfatas consequerentur, quas consequuturi fuissent, si in d. Ecclesia S. Dominici juxta tenorem concessionis d. Adriani prædecessoris id recitassent, prout uberius contineri dicitur in Literis ipsius Clementis prædecessoris sub Plumbo desuper anno Incarnationis Dominicæ 1525. pridie nonas Aprilis emanatis, quæ quidem originales non inveniuntur, sed in quodam Libro in Hispania dudum cum approbatione tunc existentis Nuncii Apostolici in Regnis Hispaniarum residentis impresso leguntur. Cumque pariter non reperiantur originales Literæ similis mem. Gregorii PP. XIII. etiam prædecessoris nostri die 24. Octobris 1577. (ut ex illarum exemplis Bononiæ impressis apparet) expeditæ, per quas idem Gregorius prædecessor universis, & singulis utriusque sexus Confratribus tunc pro tempore existentibus Confraternitatis Rosarii Gloriosissimæ Virginis Mariæ in Cappella familiæ de Guidottis sita in Ecclesia Domus S. Dominici Ordinis Prædicatorum Bononiæ canonice institutæ pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui singulis annis solemni Processioni prima Dominica cujuslibet mensis in dicta Ecclesia celebrandæ interfuissent, & d. Cappellam devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, & unione, ac hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, necnon in singulis Festivitatibus ejusdem B. M. Virginis eamdem Cappellam pariter visitassent, & ut præfertur oravissent, quo die prædictorum id fecissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

A Clem. VII.

A Gregorio XIII.

§. 2. Quia vero de præsenti conficitur summarium Indulgentiarum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum SSmi Rosarii concessarum, & respective auctoritate Apostolica extensarum, & ampliatarum, prævia Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum approbatione ad communem utilitatem publicandum, ne de supra expressis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, pœnitentiarum relaxationibus dubitari contingat, præfatus Antonius Magister Generalis opportune in præmissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos piis ipsius Antonii Magistri Generalis votis hac in re quan-

Preces Magistri Generalis Ord. Prædicatorum.

tum

Primum Breve Urb. VIII.

tum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ, ac peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes supra narratæ in summario prædicto apponi, & exprimi possint, ac Confraternitatum hujusmodi, & Confratribus, & Consororibus suffragentur, & suffragari debeant in omnibus, & per omnia proinde ac si originales Literæ præfatorum Sixti IV., Clemen. VII., & Gregorii XIII. prædecessorum nostrorum, ac Alexandri Episcopi Nuntii, & Raymundi Cardinalis Legati super earum concessionibus emanatæ apparerent, & exhiberentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Ac ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes modo, & forma supra expressis harum serie de novo in perpetuum concedimus.

Permittitur, ut in Summarium inseri possint prædictæ Indulgentiæ, quæ etiam denuo conceduntur.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXII.

Confirmantur, & innovantur duo Brevia Urbani VIII. pro Provincia S. Josephi Ordinis Minorum Discalceatorum adversus Fratres aliarum Provinciarum ad Curiam Matriti accedentes.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 17. Junii 1679. An. 3.

In primo Brevi, statutum fuit, ne fratres Discalceati ad Aulam Regiam Matriti accedentes in alia, quam in una ex eorum duabus domibus morarentur, nec eleemosynam peterent sub certis penis.

DUdum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster motu suo proprio, ac ex certa scientia omnibus, & singulis cujusvis Provinciæ Hispaniarum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Fratribus Discalceatis, qui de suorum Superiorum licentia ad Aulam Regiam Matriti pro rebus, & negotiis ibidem gerendis pro tempore se conferrent, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis suæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis præcepit, mandavit, ne in alia, quam in una ex duabus Domibus Regularibus Sancti Ægidii, & S. Bernardini dicti Ordinis in Oppido Matriti in hujusmodi existentibus, arbitrio tamen Ministri Provincialis Provinciæ S. Josephi eorumdem Fratrum diversarentur, neve cujusvis generis eleemosynam in præfata Aula sub quovis prætextu, aut quæsito colore petere auderent, seu præsumerent, dummodo in eisdem Domibus Regularibus omnia necessaria ipsis Fratribus juxta regularis observantiæ normam subministrarentur, & alias prout plenius continetur in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Urbanus PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus, licet ex omnibus Provinciis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum existentibus, Fratres ad S. Ægidii, & S. Bernardini Domos Regulares ejusdem Ordinis Oppidi Matriti Toletanæ Diœcesis, pro negotiis, aliisque eorum rebus gerendis se recipere soleant, & illis quo tempore in eisdem Domibus regularibus commorantur, de omnibus rebus ad eorum sustentationem necessariis provideatur, interdum tamen in Domibus Regularibus Fratrum dicti Ordinis non Discalceatorum diversantur, eleemosynisque Benefactorum prædictarum duarum Domuum regularium utuntur, exindeque Benefactores ipsi plus æquo gravantur, nulla habita per eosdem Fratres eleemosynarum ratione, quas a prædictis Benefactoribus primo dictæ duæ domus regulares dictim recipiunt, quo fit, ut non leve felici prædictarum duarum Domorum regularium gubernio præjudicium inferatur, quæ nullam aliam eleemosynæ assignationem habent, præter eam, quam in dies quærunt, & quæ illis datur, quandoquidem pia Missarum celebratione nullius generis eleemosynam accipiant, sed illæ pro Benefactoribus celebrantur. Quare nos præmissis quantum cum Domino possumus obviare, ac primodictarum duarum Domorum regularium indemnitati consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia nostra omnibus, & singulis cujusvis Provinciæ Hispaniarum Ordinis prædicti Fratribus Discalceatis hujusmodi, qui de Superiorum suorum licentia ad Aulam Regiam Matriti pro rebus, & negotiis hujusmodi pro tempore se conferent in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis per præsentes præcipimus, & mandamus, ne in alia, quam in una ex primodictis duabus Domibus regularibus arbitrio tamen dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ S. Josephi eorumdem Fratrum diversentur, neve cujusvis generis eleemosynam in prædicta Aula sub quovis prætextu, aut quæsito colore petere audeant, seu præsumant, dummodo in primo dictis duabus Domibus regularibus omnia necessaria Fratribus prædictis juxta regularis observantiæ normam subministrentur; in eventu vero, in quem iidem Fratres aliqua re indiguerint, ad Guardianum alterius ex primodictis duabus Domibus regularibus, in qua diversabuntur, non autem ad alios Superiores, seu dicto Guardiano inferiores recursum habeant. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXVIII. Julii MDCXXXVI.

Pontific. noſtri Anno Decimotertio M. A. Mataldus. Loco ✠ Sigilli.

In ſecundo Brevi confirmatum fuit Decretum Miniſtri Generalis Ordinis, quo inter alia injungebatur Guardiano, ne permitteret, prædictos fratres morari Madriti ultra 20. dies.

§. 1. Et ſubinde pro parte tunc exiſtentium Fratrum dictæ Provinciæ S. Joſephi d. Urbano Prædeceſſori expoſito, quod pro felici præfatarum Domorum Regularium, ſeu Conventuum S. Ægidii, & S. Bernardini regimine, & gubernio, tunc exiſtens Miniſter Generalis dicti Ordinis inter alia ſtatuerat, & ordinaverat, ut exteris Fratribus ad Conventus hujuſmodi pro tempore venientibus, tempus viginti dierum pro terminandis, expediendiſque eorum negotiis aſſignaretur, & quatenus intra dictos viginti dies negotia hujuſmodi non expedirentur; iidem Fratres exteri è dicta Curia migrare, & ad ſuas Provincias regredi deberent, relicta penes Procuratorem Conventus negotiorum hujuſmodi expediendorum, & exactè ſolicitandorum cura: Præfatus Urbanus prædeceſſor Statuta, & Ordinationes hac ſuper re ab eodem Miniſtro Generali facta auctoritate Apoſtolica confirmavit, & approbavit; & propterea omnibus, & ſingulis Ordinis, & Conventuum hujuſmodi Superioribus quocumque nomine nuncupatis tunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis, vociſque activæ, & paſſivæ, ac ſuorum officiorum privationis, aliiſque arbitrio ſuo pœnis, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis mandavit, ut præfata Statuta, & Ordinationes exacte, & accurate obſervarent, ac ab aliis obſervari curarent, & facerent, & alias prout uberius, etiam continetur in aliis ejuſdem Urbani Prædeceſſoris literis pariter in forma brevis emanatis, tenoris qui ſequitur videlicet.

Alterum Breve Urb. VIII.

Urbanus PP. VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum Provinciæ S. Joſephi, quod pro felici, proſperoque Conventuum S. Ægidii, & S. Bernardini dicti Ordinis Oppidi Matriti Toletanæ Diœceſis regimine, & gubernio dilectus Filius Joannes Merinero Ordinis hujuſmodi Miniſter Generalis, ſub die 10. Januarii præſentis anni 1642. ſtatuit, & ordinavit, ut ab exteris dicti Ordinis, aliarum Provinciarum Religioſis Diſcalceatis hujuſmodi, qui in dies pro ſuis, aut ſuorum Parentum, ſeu conſanguineorum negotiis ad Guriam Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ſe conferunt, ne Conventus præfatos in aliquo gravent, neve diſciplinam Regularem inturbent in ipſo eorum adventu Guardianus primodicti Conventus S. Ægidii pro tempore exiſtens, obedientiales literas, quas deferunt petere, & quænam venerint negotia tractaturi, ſciſcitari, & quærere teneatur; Si vero compererit negotia hujuſmodi non multum urgere Fratres Diſcalceatos exteros hujuſmodi ad dictam Curiam ſic accedentes non ultra biduum inibi conſiſtere, & detineri curet; Si tamen negotia hujuſmodi ſeria, & urgentia fuerint eiſdem Fratribus Diſcalceatis exteris tempus viginti dierum pro terminandis, expediendiſque eorum negotiis aſſignet, illoſque è Conventu in quo degunt egredi, non cum ſociis, quos ſecum duxerint, ſed cum Procuratore Conventus, aut cum ſocio dicti Procuratoris, jam ad id a Provincia deſignari faciat: ſi vero contingat intra dd. viginti dies negotia hujuſmodi nullatenus expediri, eoſdem exteros Fratres Diſcalceatos hujuſmodi e dicta Curia migrare, & ad ſuas Provincias regredi curet, firma remanente penes eumdem Priorem negotiorum hujuſmodi expediendorum, & exacte ſolicitandorum cura, ad quem effectum idem Joannes Miniſter Generalis in virtute S. Obedientiæ, & Spiritus Sancti injunxit eidem Guardiano ut præmiſſas ordinationes, & mandata irremiſſibiliter exequatur, exteris autem Fratribus Diſcalceatis hujuſmodi, ut Guardiano ejuſdem Conventus S. Ægidii nunc, & pro tempore exiſtenti uti eorum Prælato, & Commiſſario in omnibus, & ſingulis dictam diſpoſitionem concernentibus pareant, & obediant, ac inſuper obedientiam, necnon mandata a dilecto Filio Miniſtro Provinciali ejuſdem Provinciæ pro illius bono regimine emanata, quæ illis ubi primum ad Conventum pervenerint, notificari debeant, obſervent; voluitque idem Miniſter Generalis, ut Fratres Diſcalceati exteri dicti Ordinis, qui ad eamdem Curiam accedunt, nec ad Conventum S. Franciſci dicti Oppidi Ordinis hujuſmodi nec ad perſonarum Sæcularium Domos divertere, nec ibi pernoctare ullatenus poſſint, ſed in eiſdem SS. Ægidii, & Bernardini Conventibus commorari teneantur, quodque, nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam cujuſvis generis eleemoſynas quoquo modo quærere audeant, niſi re prius eidem Guardiano Conventus Sancti Ægidii hujuſmodi communicata, & obtenta deſuper ab eodem licentia. Ne vero præfatæ ordinationes, & Statuta a quoquam d. Ordinis Superiore alterari poſſint; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut illa confirmationis noſtræ patrocinio communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Statuta, & Ordinationes d. Joannis Miniſtri Generalis præfata Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti quantumvis ſubſtantiales, & formales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus: Mandantes propterea omnibus, & ſingulis dicti Ordinis, & Conventuum hujuſmodi Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute S. Obedientiæ, ac ſub excommunicationis, vociſque activæ, & paſſivæ, ac ſuorum officiorum privationis, aliiſque arbitrii noſtri pœnis eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, ut præfatæ ordinationes, & Statuta exacte, & accurate obſervent, & ab aliis obſervari curent, & faciant, ac decernentes præſentes Literas validas ſemper, & perpetuo firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari debere; irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Ordinis, Provinciæ, & Conventuum hujuſmodi, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, aut de verbo ad verbum, non autem per

clau-

clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Dec. 1642. Pontificatus nostri Anno vigesimo -- M. A. Maraldus loco ✠ Annuli Piscatoris.

Causæ confirmandi, & innovandi relata Brevia.

§. 2. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum dictæ Provinciæ S. Josephi Nobis nuper expositum fuit, literæ præinsertæ temporis progressu in desuetudinem abierint, nec accurate observatæ fuerint, propter recursus, quos Fratres illas eludendi gratia ad personas primarias habuerunt, mediaque efficacissima, quæ adhibuerunt, unde magnum eidem Provinciæ enatum est detrimentum: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superiorum, & fratrum Provinciæ S. Josephi.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes:

§. 4. Hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas binas Urbani Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illas ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, exacte, & accurate observari præcipimus, & mandamus, necnon omnes, & singulos tam Fratres, quam Superiores, qui literis præinsertis, etiam una vice, contravenerint, eo ipso excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum per eos obtentorum pœnas, & præsertim Superiores qui Fratres prædictos in duobus Conventibus supradictis, vel eorum altero contra dispositionem literarum præinsertarum ultra viginti dies retinuerint, seu morari permiserint, absque alia declaratione incursuros esse declaramus.

Confirmantur, & innovantur Brevia, eorumque executio omnibus præcipitur sub certis pœnis.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regular., quo declaratum fuit, Fratres Discalceatos Ordinis S. Augustini non habere jus aggregandi ad Confraternitatem Cinturatorum, posse tamen eos Confraternitates Corrigiatorum erigere. LXIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Junii 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- *In Causa Augustinianorum verten. inter Patrem Generalem totius Ordinis Sancti Augustini ex una, & Patres Vicarios Generales Discalceatorum Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ altera ex partibus &c.-- Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis referente Eminentissimo Crescentio, censuit non licere Discalceatis Jus aggregandi ad Confraternitatem Cinturatorum Sanctæ Mariæ de Consolatione positam in Ecclesia Sancti Jacobi Bononiæ. Posse tamen erigere Confraternitates Corrigiatorum in propriis eorum Ecclesiis tantum, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Clementis VIII. incipien.* Quæcumque &c. *sub die 7. Decembris* 1604., *& Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis; Ideoque erectionem factam in Ecclesia Discalceatorum in Civitate Ulyssiponæ esse nullam. Romæ* 30. *Septemb.* 1678.-- *Card. Gaspar Carpineus.*

Decretum Congregationis Episcop. & Regul.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Eremit. S. Augustini.

§. 1. Cum autem, sicut Dilectus filius Dominicus Valvasorius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Dominicum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatur relatum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis,

munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1679. Pontificatus Nostri anno Tertio.

festum cum Officio, & Missa die 27. Apr. in quibusdam locis celebrari permittitur.

LXIV. Adscribitur in albo Sanctorum Servus Dei Thuribius Archiepiscopus Limanus.

Hic Beatus Sanctorum albo adscriptus fuit a Benedicto XIII. 4. Idus Dec. 1726. in Const. quæ incipit: Quoniam Spiritus.

Dat. 28. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. LAudemus Viros glorioſos, qui magni virtute, adepti ſunt gloriam in converſatione Gentis, & commiſſas ſibi oves verbo, & exemplo fideliter paſcere, Deique Domum ædificare, atque corroborare ſtuduerunt; qui quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, Eccleſiam univerſam nominis ſui celebritate, & ſpiritualium aromatum odore impleverunt, ac demum feliciter decurſo mortalis ævi ſtudio, immarceſcibilem juſtitiæ coronam in æterna Cœleſtis Hieruſalem ſtabilitate accipere meruerunt. Quos inter cum Dei Servus Thurribius, olim Archiepiſcopus Limanus, chariſmata meliora æmulatus, ac Theologicarum, Moraliumque virtutum omnium fulgore conſpicuus, longe lateque ſplenduerit; Apoſtolici muneris, quod viribus licet, & meritis impares, divina dignatione gerimus, ratio exigit, ut illius cultui, & venerationi in terris, ad Dei laudem, ad Eccleſiæ decus, & præſidium, ad Chriſtiani populi ſpiritualem ædificationem, atque conſolationem, poteſtate nobis a Domino tradita, conſulamus.

Declaratum fuit a S. Congr. Rituum, dictum Dei ſervum donari poſſe nomine Beati. §. 1. Cum itaque confectis dudum ex hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia proceſſibus de vitæ ſanctitate, heroiciſque virtutibus, quibus idem Servus Dei Thurribius multipliciter fulſiſſe, piiſque ſtudiis, quibus Catholicam fidem, Eccleſiaſticamque diſciplinam per Sanctæ Synodi Tridentinæ Decreta ſancitam in nova illa Chriſtianitate ſtabiliviſſe, ac miraculis quæ ad manifeſtandam hominibus ejus ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, poſt maturam diligentemque illorum diſcuſſionem coram Nobis conſtituta, auditis eorum Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe quandocumque Nobis placeret, ad ſolemnem ipſius Servi Dei Thurribii canonizationem juxta ejuſdem S. R. E. Congreg. Rituum tuto deveniri, ac interim indulgeri, ut nuncupetur Beatus, & de eo tamquam Confeſſore Pontifice Officium recitetur, & Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebretur.

Preces Caroli Regis Catholici, & aliorum. §. 2. Hinc eſt, quod piis, enixiſque precibus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, & Chariſſimæ in Chriſto filiæ Noſtræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, Cleri, Univerſitatum, Collegiorum & Populorum tam Hiſpaniarum, quam Regni Peruani Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium unanimi conſilio pariter, & aſſenſu, & auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut idem Servus Dei Thurribius olim Archiepiſcopus Limanus in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ Veneration Fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de eo ſub ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium utriuſque ſexus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die 27. Aprilis, qua ipſius Servi Dei Corpus tranſlatum, & in Metropolitana Eccleſia Limana repoſitum fuit, cum ſpiritum Creatori reddiderit die 23. Martii, quæ feriis Quadrageſimæ, vel Feſtis Paſcalibus impedita eſſe ſolet. Hæc autem, videlicet recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem fieri concedimus in locis dumtaxat infraſcriptis, nempe in Civitate, & Diœceſi Limana, ubi obiit, in Civitate Majoricæ, in qua natus eſt, & in Collegio Ovetenſi nuncupato, Univerſitatis Studii Generalis Salmanticen., in quo humanis, diviniſque Literis imbutus fuit, & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Propterea primo dumtaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias die quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Civitatum, & Diœceſis, ac Collegii præfatorum reſpective ſolemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori die ab Ordinariis locorum reſpective conſtituta, & intra ſex Menſes promulganda, poſtquam tamen eadem ſolemnia in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint, pariter celebrandi facimus poteſtatem.

Clauſulæ. §. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 28. Junii 1679. Pontificatus Noſtri anno Tertio.

LXV. Declaratur, Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fr. Minorum Diſcalceatorum frui debere omnibus juribus, & Privilegiis aliarum ejuſdem Ordinis Provinciarum.

Dat. 10. Julii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Huic Provinciæ a Clem. X. erectæ ab eodem conceſſa fuerunt jura, & privilegia omnia aliarum Provinciarum præſertim Hiſpanicarum. ALias fel. rec. Clemens Papa X. prædeceſſor noſter motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Cuſtodiam Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, quæ in executionem quarumdam ipſius Clementis prædeceſſoris in ſimili forma Brevis literarum auctoritate Apoſtolica erecta, & inſtituta, variiſque gratiis, & ordinationibus pro felici illius gubernio emanatis per alias ternas ejuſdem Clementis prædeceſſoris pariter in forma Brevis literas decorata, atque ſtabilita fuerat, in novam Provinciam Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ dicti Ordinis, quæ Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis nuncupari deberet, ac Capitula Provinciali pro Miniſtri Provincialis, Cuſtodis, & Diffinitorum, aliorumque Officialium ipſius Provinciæ electione, nec non Congregationes, alioſ-

Insignitur Servus Dei Torribius Beati nomine ejuſque

que

que congressus ad instar aliarum Provinciarum Ordinis hujusmodi celebrare, omnibusque, & singulis prærogativis, præeminentiis, juribus, honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & possent in futurum pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, ut signanter illis, quæ Provinciis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis prædicti a quibusvis Romanis Pontificibus ejus prædecessoribus, ac præsertim a recolendæ memoriæ Urbano Papa VIII. per quasdam suas in forma Brevis literas, quarum initium, *Cum ea &c.* die 25. Junii 1639. expeditas concessa sunt, nec non omnibus, & singulis indultis, privilegiis, & gratiis custodiæ præfatæ ab ipso Clemente prædecessore per quinas suas literas quomodolibet concessis, & quibus Custodia ipsa eatenus gravisa erat, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite posset, & valeret, ita tamen ut nova Provincia hujusmodi facultate fundandi, & erigendi novos Conventus de sola Ordinariorum licentia, quæ dictæ Custodiæ auctoritate Apostolica concessa reperiebatur, non nisi in locis, in quibus Fratres de Observantia, vel Reformati nuncupati Ordinis prædicti non essent, uti valeret, sine cujusquam præjudicio in perpetuum erexit, & instituit, & alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 7. Februarii 1675. expeditis, quarum, & aliarum literarum præfatarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Referuntur Pontifices, a quibus concessa fuerunt prædicta jura, & privilegia.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Joannes a Sancta Maria Custos, & nuper primus Minister Provincialis dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis Nobis exponi fecit præcipua privilegia, gratias, & indulta dictis Provinciis Hispaniæ concessa à rec. mem. Gregorio XIII. per suas, quarum initium, *Adhuc Nos Dominus &c.* die 12. Novembris 1677. ad favorem Provinciæ S. Josephi, & Clemente VIII. per suas proxime dictarum confirmatorias, quarum initium *Dudum &c.* die 25. Martii 1592. ad favorem ejusdem Provinciæ S. Josephi, & a dicto Urbano VIII. tam per supradictas ad favorem Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ, quam alias suas, quarum initium, *Alias fel. rec. Gregorius PP. XIII. &c.* ad favorem omnium Provinciarum Discalceatorum die 8. Aprilis 1642., ac alias, quarum initium, *Alias postquam per re. me.* die 30. Julii 1642. ad favorem earumdem Provinciarum, & alias incipientes; *Alias pro felici, prosperoque regimine &c.* confirmatorias præcedentium die 22. Decembris ejusdem anni 1642. ad favorem Provinciarum hujusmodi, & alias quarum initium, *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus &c.* die 7. Februarii 1643. ad favorem Provinciæ S. Gabrielis, ac alias incipientes, *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus &c.* confirmatorias præcedentium die 4. Martii ejusdem anni 1643. ad favorem omnium Provinciarum Discalceatorum, & reliquas suas, quarum initium, *Religiosorum &c.* die....Februarii 1642. ad favorem Provinciæ S. Didaci, nec non Alexandro VII. Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus nostris per suas, quarum initium, *Cum sicut dilecti filii &c.* die 18. Martii 1649. ad favorem dictarum Provinciarum S. Josephi, & S. Joannis Baptistæ, & alias incipientes, *Exponi nobis nuper fecerunt &c.* per quas privilegia per Præfatos Gregorium XIII. Clementem VIII., & Urbanum VIII. prædecessores eisdem duabus Provinciis S. Josephi, & Sancti Joannis Baptistæ concessa ad omnes alias Provincias Discalceatorum extendit, die 5. Novembris 1665. respective expeditas in simili forma Brevis literas emanaverint:

Causa hujus Declarationis.

§. 2. Et licet dubitari non possit, quin privilegia, gratiæ, & indulta hujusmodi a memorato Clemente X. prædecessore præfatæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, cui ad servandam cum aliis Provinciis uniformitatem, tuendamque in ea Regularis disciplinæ, quæ in ea benedicente Domino viget, observantiam, atque Religiosam tranquillitatem omnino necessaria sunt, satis superque communicata fuerint, & proinde Provincia ipsa illis frui, & gaudere possit; quia tamen in præfatis Clementis X. prædecessoris literis super erectione Provinciæ hujusmodi emanatis de præfatis prædecessoribus nostris, eorumque literis super enunciatis specifica mentio facta non fuisset, fieri posset, ut humani generis hoste superseminante zizania eidem Provinciæ semper usu, & fruitione privilegiorum, gratiarum, & indultorum hujusmodi controversia moveatur, aut impedimentum aliquod præstetur, tametsi eadem privilegia, gratiæ, & indulta nec in toto, nec in parte hactenus revocata reperiantur, sed plenam roboris obtinent firmitatem. Nobis propterea dictus Joannes Custos, & Exprovincialis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Custodis, & Exprovincialis.

§. 3. Nos igitur eamdem Provinciam in pacis amœnitate, regularisque observantiæ vigore conservare, ac præfati Joannis votis favorabiliter annuere volentes, eumque, & omnium, & singulorum Superiorum, & Fratrum Provinciæ singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non literarum præfatarum tenores, & datas etiam veriores, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, omnesque, & singulos ejus Conventus, ac Superiores, & fratres præsentes, & futuros omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, favoribus, gratiis, & indultis, quæ dictis Provinciis Hispaniæ, seu earum alicui, illarumque respective Superioribus, & Fratribus quibuscumque a præfatis Gregorio XIII. Clemente VIII. Urbano VIII., & Alexandro VII. prædecessoribus per eorum literas supra enunciatis respective quomodolibet concessa, & attributa, seu confirmata, & concessa fuerunt, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa omnia, & singula ipsi Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, illiusque Conventibus, ac Superioribus, & Fratribus prædictis nominatim, & in individuo per memoratum Clementem prædecessorem in suis literis super erectione Provinciæ hujusmodi emanatis concessa reperiantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus. Et quatenus opus sit ipsi Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, ejusque Superioribus, & Fratribus præfatis, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, juribus, honoribus, gratiis, & indultis hujusmodi, nec non illis, quæ eis a præfato Clemente X. prædecessore, sicut præmittitur, concessa fuerunt, uti, potiri, & gaudere libere, pariter, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis de novo concedimus, & indulgemus.

Extenduntur jura, & privilegia omnia aliarum Provinciarum ad Provinciam Neapolitanã, cui etiam, si opus est, ea denuo conceduntur.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas

semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præfatorum prædecessorum nostrorum literis supradictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Julii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVI. Conceditur Privilegium præscriptionis centenariæ Canonicis Regularibus S. Joan. Evangelistæ in Lusitania.

De horum Congregatione vide Constit. ..... quæ incipit: Exponi nobis. *ad vero facti intelligentiam vid. Pauli III. Constit. quæ incipit*: Benignitas.

Dat. 2. Sept. 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

PRo parte dilectorum filior. Canonicorum Regularium Congregationis S. Joan. Evangelistæ in Lusitania Nobis nuper expositum fuit, quod dudum eo tempore, quo Congregatio Cassinen. Monachorum Ordinis Sancti Benedicti fruebatur Indulto Apostolico, ut contra ipsam non curreret præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum, fel. rec. Paulus Papa III. Prædecessor Noster, communicando dictæ Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Lusitania Privilegia præfatæ Congregationis Cassinen., communicavit expresse inter cætera Privilegium præfatum. Et quia prædictus Paulus Prædecessor communicavit non solum Privilegia usque tunc concessa, verum etiam in posterum concedenda dictæ Congregationi Cassinen., etiam per modum extensionis; Cassinensi autem Congregationi idem Paulus Prædecessor concessit Indultum centenariæ, seu præscriptionem sexaginta annorum extendit ad centum, iidem Exponentes plurimum cupiant a Nobis declarari, competere etiam ipsorum Congregationi privilegium centenariæ, vel quatenus opus sit de novo concedi, ut ita in posterum occupantium iniquitati obvietur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Precesdictorum Canonicorum.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardin. Concilii Tridentini Interpretum, qui primodictam Congregationem stantibus præmissis, dicto privilegio non indigere censuerunt, consilio, eidem Congregationi Canonicorum Regularium Sancti Joannis Evangelistæ in Lusitania Privilegium centenariæ Præscriptionis hujusmodi iisden omnino modo, & forma, quibus supradictæ Congregationi Cassinen. a memorato Paulo Prædecessore concessum fuit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Conceditur eis prædictum privilegium ad instar illius Monachorum Cassinensium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ præfatus Paulus Prædecessor in suis Literis super præmissis respective emanatis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Jupicio quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die II. Septemb. MDCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXVII. Extenduntur Indultum de Altari Privilegiato, & Indulgentia Plenaria ad decennium concessa in die Commemorationis Defunctorum pro Regnis Hispaniarum, ad alia Regna, & Dominia Regis Catholici in perpetuum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 20. Sept. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, cui spiritualium gratiarum dispensationem commisit Altissimus, Christifidelium devotionem ad Christianæ pietatis, atque charitatis opera uberiori in dies cœlestium thesaurorum elargitione libenter incitat, ac confovet, sicut pia Catholicorum Regum Orthodoxæ fidei tuendæ, & propagandæ zelo, aliisque præclaris virtutum decoribus ac in Ecclesiam Dei meritis fulgentium vota flagitant, & ipse personarum, rerum, temporum, & locorum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad gloriam Omnipotentis Dei, ac Animarum salutem, piorumque, & religiosorum operum incrementum, ac spiritualem Christiani Populi consolationem, atque ædificationem cognoscit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem supplicationibus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis per dilectum filium

nobilem

nobilem virum Gaſparem de Guſman Haro Marchionem de Carpio, pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in Regnis Hiſpaniarum degentibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Parochialem ſuam reſpective Eccleſiam die Commemorationis defunctorum a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei inclusive annis ſingulis devote viſitaviſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, quam animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate, conjunctæ ab hac luce migraviſſent, per modum ſuffragii applicare poſſent, miſericorditer in Domino conceſſimus. Præterea, ut omnes, & ſingulæ Miſſæ, quæ eodem die Commemorationis defunctorum per quoſcumque Sacerdotes, tam ſæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, vel Inſtituti Regulares, in prædictis Hiſpaniarum Regnis ad quæcumque Altaria celebrarentur, animabus fidelium defunctorum, pro quibus celebratæ fuiſſent, perinde ſuffragarentur, ac ſi ad Altaria Privilegio Apoſtolico pro animabus defunctorum decorata celebratæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica indulſimus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die decimaquinta Martii proxime præteriti expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluimus, & quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberius continetur.

Precibus Caroli Regis conceſſa fuit prædicta Indulgentia viſitantibus Parochialem Eccleſiam.

Item Indultum quo Miſſæ omnes cenſerentur dicto die veluti celebratæ in altari privilegiato.

§. 2. Cum autem, ſicut pro parte memorati Caroli Regis Nobis per prædictum Gaſparem Marchionem ejus Oratorem nuper expoſitum fuit, idem Carolus pro eximia ſua pietate literas noſtras prædictas ad reliqua omnia ſua Regna, ſtatus, ditiones, & dominia ampliari, ac in perpetuum extendi plurimum deſideret: Nos religioſum ejuſdem Caroli Regis deſiderium hujuſmodi luculentiori, atque largiori paternæ noſtræ Charitatis benignitate quantum Nobis ex alto conceditur, proſequi, enixiſque illius precibus Nobis ſuper hoc per eumdem Gaſparem Marchionem devota humilitate porrectis favorabiliter annuere cupientes, Indulgentiam plenariam, & indultum, aliaſque gratias a Nobis per literas noſtras prædictas pro Regnis Hiſpaniarum ad decennium tantum conceſſa, ut præfertur, ipſaſque literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, & expreſſis, ad reliqua omnia, & ſingula Regna, ſtatus, ditiones, & dominia dicti Caroli Regis, ſervata tamen in reliquis earumdem literarum forma, & diſpoſitione, auctoaitate prædicta tenore præſentium extendimus, & ampliamus; ipſaſque literas ſic extenſas, & ampliatas perpetuis futuris temporibus valere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia ſuffragari debere decernimus, & declaramus.

Aliæ preces Caroli Regis.

Extenduntur Indulgentia, & Indultum ad alia regna, & dominia in perpetuum.

§. 3. Non obſtantibus noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Clauſulæ.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX. Septembris MDCLXXIX. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Permittitur; ut translato Feſto S. Benedicti, transferatur etiam Indulgentia Plenaria eo die conceſſa viſitantibus aliquam ſui Ordinis Eccleſiam.

LXVIII.

Eam Indulgentiam conceſſit Clemens X. Conſtit. quæ incip. Commiſſæ Nobis. *ut ſupr. Tom. VI. pag. 378.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 16. Sept. 1679. An. 3.

CUM dudum fel. rec. Clemens Papa X. prædeceſſor noſter omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Monaſteriorum tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium eatenus erectis, & in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus, die feſto ejuſdem Sancti Benedicti a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaviſſet, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſerit, prout in ipſius Clementis prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die decima nona Decembris 1671. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur. Et ſicut pro parte dilectorum filiorum Procuratorum Generalium Caſſinenſis, & Hiſpaniæ Congregationum Ordinis Sancti Benedicti, Nobis nuper expoſitum fuit, mobilitatem feſtivitatis Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ feſtum ejuſdem Sancti Benedicti interdum in hebdomadam majorem incidat, eaque de cauſa in alium diem transferatur, ac propterea dicti Procuratores Generales opportune ſuper hoc a Nobis, provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſiderent: Nos eorumdem Procuratorum generalium votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque memoratum feſtum Sancti Benedicti ex cauſa prænarrata ad aliam diem transferatur, Chriſtifideles prædicti qui aliquam ex Eccleſiis ſupradictis eo die, ad quem tranſlatio hujuſmodi facta fuerit, devote pariter viſitaverint, cæteraque omnia in literis præfatis præſcripta adimpleverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem a præfato Clemente prædeceſſore, ſicut præmittitur, conceſſam conſequantur in omnibus & per omnia, perinde ac ſi præmiſſa omnia in ipſo feſto non tranſlato adimpleviſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium in perpetuum concedimus, & indulgemus.

A Clemen. X. conceſſa fuit illa Indulgentia plenaria in feſto S. Benedicti.

Cauſa translationis prædictæ Indulgentiæ.

Preces Procuratorum Generalium.

Transfertur Indulgentia ad quemcumque diem, quo celebrabitur feſtum S. Benedicti.

§. 1. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Clauſulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides

ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Sept. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIX. Confirmatur Protestatio Fratrum Minorum de Observantia circa Regulæ executionem, & nonnullæ declarationes, ac Ordinationes motu proprio adduntur.

Dat. 10. Nov. 1679. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis officii quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, nos urget, atque impellit, ut Religiosorum Virorum Ordines ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Animarum salutem sapienti pietate ab hac S. Sede institutos, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentes, in sanctis, ac primævis eorum Institutis confovere, & conservare, ac a noxiis, quæ primigeniæ religiositatis Spiritum, atque rigorem extinguere, & relaxare possent, tueri, & præmunire, felicibusque illorum in via Mandatorum Dñi progressibus consulere, quantum nobis ex alto conceditur, studeamus.

Dicta protestatio pluries emissa est in Capitulis General., & ultimo in Vallisoletano.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) in pluribus Capitulis generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & novissime in Vallisoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum vocalium consensu declaratum, & protestatum fuerit, in nullo Regulæ eorumdem Fratrum Minorum præcepto eatenus cum Fratribus Minoribus de corpore observantiæ, sive Observantes, sive Reformati, sive Discalceati, sive Recollecti dicantur, dispensatum fuisse, nec ipsum observantiæ corpus ullam unquam admisisse, vel admittere dispensationem in Regula, sed potius velle pro viribus, Domini favente auxilio, illam pure observare juxta Summorum Pontificum declarationes a Fratribus Observantibus, seu de Observantia in suis statutis generalibus, recapitulatis pro cismontanis anno 1663., & pro ultramontanis anno 1621. ac a Reformatis, Discalceatis, & Recollectis in suis particularibus Constitutionibus respective admissas, & receptas.

Confirmatio hujus Protestationis.

§. 2. Nos pro majori hujus protestationis firmitate, & ut in Ordine præfato status, & Regula Fratrum Minorum pure observetur, singulisque Fratribus prætextus eam transgrediendi præcludatur, eamdem protestationem, & declarationem supra expressam harum serie auctoritate Apostolica approbantes, & confirmantes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium declaramus, omnes, & singulos Fratres de Corpore Observantiæ dicti Ordinis teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, & præcepta a fel. rec. Nicolao III., & Clemente V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris exposita, & numerata, ad normam Constitutionum prædictarum respective, & signanter præter præcepta, quæ non ita frequenter occurrunt, & recitationem Divini Officii, teneri ad jejunia præcepta in Regula, nisi excuset necessitas; ad incedendum sine Calceamentis, hoc est absque aliquo, quod pedem cooperiat, cujuscumque illud materiæ sit, nisi adsit vera necessitas à Prælato approbanda; ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas judicio Superiorum probata excuset; ad vilitatem vestium juxta prædictas Constitutiones respective; ad non utendum pluribus vestimentis, quam illis, quæ Regula præscribit, nempe una Tunica cum caputio, & alia sine caputio, chorda, & fœmoralibus: nam aliud quodvis vestimenti genus ultra prædicta (excepto Mantello ab initio Religionis licito) ut indusia, seu camisiæ, sudariola, tunicellæ, & similia sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans a præcepto per Prælatum approbata; ac demum teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per se, vel per interpositam Personam. Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores de corpore observantiæ hujusmodi habere usum, licet non dominium, denariorum autem nec dominium, nec usum: & proinde quævis contractatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit pure naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, cujuscumque Domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observantibus, seu de Observantia est omnino prohibita. Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & consuetudines, si quæ contra præmissa in corpore observantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino revocamus, ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuas esse, & perpetuo fore decernimus, & declaramus. Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriori illius observatione, sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III., & Clementis V. Prædecessorum præfatorum, sive secundum dispositionem Constitutionum rec. me. Martini IV. & Martini V., ac Pauli IV. prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respective fuerit receptus.

Dispensationes, & consuetudines in contrarium tolluntur.

Usus tamen Syndici Apostolici non censetur Regulæ contrarius.

Declaratur, singulos teneri in conscientia ad observantiam Regulæ, & præceptorum quorum nonnulla hic referuntur.

§. 3. Ut autem in ingressu Religionis unusquisque de obligationibus, quas assumere vult, plene informetur, statuimus, ut nullus recipiatur ad habitum regularem in eodem ordine, nisi prius plene informatus sit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conscientia, & prævia hac notitia, velit probationem subire, nec quisquam admittatur ad professionem regularem, nisi prius examinatus sit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus juxta prædicta, & deinde immediate ante illam coram tota Communitate fiat ei protestatio, quod ad observantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, & sub ea professionem faciat.

Observanda in receptione ad habitum, & professionem.

§. 4. Quia vero efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sive Superiorum, ideo statuimus pariter, neminem eligi posse in Prælatum, sive Superiorem in ordine prædicto, qui vitam Communem observantiæ non sequatur, hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui Indusiis, seu Camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui Jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitati Chori, Refectorii, & aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Porro electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda ut a

Qui eligi nequeant in Superiores.

Electio aliter facta quomodo reprobanda.

Prælato,

Prælato, sive Superiore Generali, capta Informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii, cum Consilio tamen, & assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales, vel saltem Definitores Provinciæ sint, vel fuerint; ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non observet, oneramus.

Prohibetur administratio bonorum, & reddituum cujuscunque sub certis pœnis.

§. 5. Demum, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, sive Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nullo Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem Fundorum, redditiuum, aut quarumcumque aliarum rerum, & Bonorum Mobilium, vel immobilium cujuscumque Domini illa sint, & signanter ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus Monasterii Monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam eo, quod Superiores, & Fratres Ordinis prædicti, aliique quilibet cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis veridica, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, & incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos juris, seu statutorum, & Constitutionum dicti Ordinis reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, Facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, ejusque Congregationum, Reformationum, Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, aliisve quibuslibet etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, Fratribus, & Personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, aliisque Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, hujusmodi formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Novem. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Confirmantur quædam Statuta Fratrum Minorum de Observantia a S. Sede prius ad examen revocata. LXX.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Nov. 1679. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio præpositi, illa, quæ pro felici prosperoque Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei pie sancteque institutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, & progressu provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

Hujusmodi Statuta emanarunt a Capitulo Generali, & a Cardin. Protectore, aliisque ad meliorem formam redacta fuere, ut infra.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Ximenes de Samaniego Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod pro felici dicti Ordinis, ejusque Fratrum regimine, & directione nonnulla statuta in Capitulo Generali ipsius Ordinis, quod novissime videlicet anno 1676. in hac Alma Urbe celebratum est, edita fuerunt, quæ cum Nobis pro parte ipsius Josephi Ministri Generalis exhibita fuissent, nos illa Ven. Fratri nostro Alderano Episcopo Prænestin. S. R. E. Carolo Cybo nuncupato, Or-

dinis

dinis præfati apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, ac nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis revidenda, & ubi opus foret corrigenda, & ſupplenda commiſimus. Illi vero mandatis noſtris parentes, eadem Statuta mature, ac diligenter diſcuſſerunt, multiſque correctis, emendatis, aptatis, ſuppletis, & additis ac nonnullis omiſſis illa redigerunt in formam tenoris, qui ſequitur videlicet *Statuta pro utraque Familia.*

De Congregationibus intermediis.

§. 2. Ad evitandas graves, & inutiles expenſas, aliaque incommoda, quæ ex celebratione Congregationum Generalium intermediarum omnium vocalium unius Familiæ ſequuntur, decernitur præfatas Congregationes Generales ulterius celebrandas non eſſe. Cum autem juxta Bullam Leonis X., quæ dicitur *unionis*, officium Commiſſarii Generalis Familiæ, de qua Miniſter Generalis aſſumptus non eſt per triennium tantum durare debeat, ſtatuitur, quod in fine triennii convocatis per Miniſtrum, aut Vicarium Generalem totius Ordinis, Patribus Diffinitorii Generalis illius Familiæ, ex qua Commiſſarius Generalis eligendus eſt per ipſum Miniſtrum, ſeu Vicarium, aut ipſo legitime impedito per ſuum Commiſſarium ad hoc ſpecialiter delegatum, & per Patres, qui ſunt de corpore Diffinitorii Generalis prædictæ Familiæ in Vigilia Pentecoſtes, per Schedulas ſecretas, nullo proponente, fiat electio novi Commiſſarii Generalis, uſque ad Capitulum Generale duraturi; Diffinitores vero Capituli præteriti præfatæ Familiæ per ſexennium uſque ad Capitulum Generale immediate ſequens durabunt: ſicut Diffinitores Generales Familiæ, ex qua aſſumptus eſt Miniſter Generalis durant. In Congregatione autem præfato modo celebranda, lites per ſententias dirimi, declarationes dubiarum Conſtitutionum fieri, & decreta per triennium ſubſequens duratura edi valeant; leges autem, ſeu Statuta, aut Conſtitutiones in perpetuum duraturæ condi non poterunt, nec antiquæ abrogari.

De Suffragiis.

Et ut etiam in Capitulis Generalibus, inutiles expenſæ, & alia incommoda, quæ ex nimia Fratrum accedentium multitudine oriri ſolent quantum fieri poteſt, vitentur, omnino prohibetur ſub nullitatis pœna, vota, ſeu ſuffragia Provinciarum Titularium, quæ actu non ſubſiſtunt ſuppleri, aut ſubſtitui, per Miniſtrum, aut Vicarium Generalem Ordinis, revocata quacumque conſuetudine in contrarium, ſtatuitur, duos Secretarios Generales Ordinis, qui Miniſtro, aut Vicario Generali pro una, & altera Familia aſſiſtere debent, ex vi officii habere impoſterum ſuffragium in Capitulo Generali tantum, ſublato omnino tertio Secretario linguarum.

De Sociis.

Item præcipitur ſub pœna privationis ſuffragii, quod Miniſter, ſeu Prominiſter, & Cuſtos uniuſcujuſque Provinciæ ſimul ad Capitulum Generale iter faciant cum unico tantum Socio Religioſo pro utroque, & ſi expenſæ aliquæ in itinere ex neceſſitate faciendæ ſint, *adducant* ſecum Tertiarium, qui Syndici Apoſtolici ſubſtitutus ſit, & ipſius nomine expenſas prædictas inevitabiles faciat.

De Theſibus, & Concionibus.

Inſuper ſerio Prælato Generali commendatur, ut Præſidentiam Theſium, & Conciones, quæ in Capitulis Generalibus habendæ ſunt, vocalibus quantum cum honore Religionis ſtare poſſit, diſtribuant.

De promotione ad dignitates Eccleſiaſticas.

Ut maxima incommoda, & turbationes Religionis, quæ ex promotione Miniſtrorum Generalium ad dignitates Eccleſiaſticas extra Ordinem lamentabili experimento comprobata ſunt, omnino evitentur, decernitur, ut ſtatim, ac Miniſter Generalis electus ſit, & antequam ſuum officium ullo modo exerceat, teneatur emittere in manibus Præſidis coram toto Capitulo Generali votum de non ambienda, procuranda, nec acceptanda dignitate Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel Patriarchali toto tempore ſui Miniſteriatus, nec ante emiſſum prædictum votum, cenſeatur in officio confirmatus. Quod ſi aliquando contingat in prædicto voto diſpenſari, vel aliter quomodolibet fieri, ſtatuitur illum Miniſtrum Generalem acceptantem aliquam ex prædictis dignitatibus, vel præſentationem, ſeu nominationem ad illam, ſtatim ac eam acceptaſſe conſtiterit, non eſſe amplius pro Religionis Prælato agnoſcendum: Religioſoſque Ordinis ab illius obedientia exemptos eſſe, nec poſſe ulterius ipſi ſub pœna excommunicationis obedire. Porro in illo caſu Pater ille qui ſervata Statutorum ſerie, & Familiarum concordato dignior reſpective reperietur, Generali illo excluſo, convocabit, juxta præſcriptum in Conſtitutionibus, Electores pro nova Vicarii Generalis electione, in qua idem Miniſter Generalis, nec votum habere poterit, nec ullam aliam actionem, revocata quacumque Conſtitutione Ordinis in contrarium, & ſublata omnino electoribus facultate aliter operandi, aut permittendi ſub pœna nullitatis facti: Idemque Statutum de Vicario Generali totius Ordinis factum intelligatur.

De titulo *Reverendiſſimi*:

Nemini deinceps Vicariorum, aut Commiſſariorum delegatorum a Rmo Miniſtro Generali ad regendam Familiam, vel Nationem, liceat ſub pœna privationis ſuæ delegationis, ſibi uſurpare, vel acceptare titulum *Reverendiſſimi*: Quod Statutum ſub eadem reſpective pœna extenditur ad Commiſſarios Generales in Partibus Indiarum Occidentis, & Orientis, ac ad Guardianum Hieroſolymitanum, ſeu Cuſtodem Terræ Sanctæ, revocata, quoad hunc Conſtitutione in proximo Capitulo Generali Valliſoletano edita.

De Inſtantiis in cauſis Servorum Dei.

Declaratur ad Procuratorem Generalem Ordinis ſpectare inſtantias, quæ fieri ſolent in Cappella Suæ Sanctitatis pro actu Beatificationis, vel Canonizationis Servorum Dei ex noſtra Religione cujuſcumque ipſi Servi Dei Familiæ extiterint. Deinde præcipitur omnibus Procuratoribus particularibus Cauſarum Beatificationis, vel Canonizationis, ut nihil in ipſis agere præſumant, inconſulto Procuratore, vel Commiſſario Curiæ reſpective, quod intelligendum eſt etiam de Reformatis quoad ſuum Procuratorem Generalem.

De Lectoribus.

In Studiis Generalibus Ciſmontanæ Familiæ, & in gravioribus Ultramontanæ habentibus tres Theologiæ Lectores, ſemper ſit unus Lector, qui Sacram Theologiam dogmaticam legat, ille ſcilicet, qui antiquior eſt in lectura, gaudeatque omnibus Privilegiis in ordine ad jubilationem, ſi conſtiterit eum prædictam facultatem dogmaticam continuo legiſſe, ſicut alii ſpeculativam, alias nullo Privilegio gaudeat, quod etiam apud Reformatos obſervandum eſt.

Pro Familia Ultramontana.

De Votis, ſeu Suffragiis.

Ut in Conventibus ex introductione, vel conceſſione ſuffragiorum pro Capitulis Provincialibus præter antiqua Ordinis Statuta emergentibus occurratur; Auctoritate Apoſtolica abrogantur Vota, ſeu ſuffragia pro Capitulis Provincialibus reſpective Agentium Miniſtri Generalis, Commiſſariorum Curiarum particularium, Commiſſariorum Terræ Sanctæ, Viſitatorum Tertii Ordinis Sæcularium, Magiſtrorum Novitiorum, & Confeſſariorum, ſeu Vicariorum Monialium; ne illa in ſuis reſpective Provinciis in poſterum ferre poſſint, exceptis ſolum Confeſſariis Monialium, qui ſex ad minus Fratres ſub ſe habeat, quibus ut Superiores præſint, & Commiſſarii Curiarum, ubi Reges, vel Principes abſoluti Aulam ſuam tenent; In quarum ſingulis unus tantum Commiſſarius cum ſuffragio eſſe poſſit, a Superiore Generali ex Provincia illius Dominii, quam maluerit, eligendus.

Nec

Nec in posterum Provinciæ possint suffragia pro suis Capitulis concedere,

De Processionibus.

Statuitur, quod in quacumque Civitate, vel Oppido Hispaniæ consistant Conventus Observantium, & Discalceatorum, quorum Communitates Processionibus generalibus interesse contingat, ambæ Communitates sub una, eademque Cruce intermixtæ incedant; itaut semper Observantium Guardianus, sive Præses, primum, seu digniorem locum teneat, & immediate Guardianus, seu Præses Discalceatorum subsequatur; alii vero Fratres juxta antiquitatem habitus, vel gradum qualitatis, permixtim incedant, præcedente semper in eodem gradu Observante: atque ita ab omnibus, ad quos spectat observari præcipitur juxta antiquam, & laudabilem Ordinis Nostri consuetudinem: sub pœna privationis Officiorum Guardianis, aut Superioribus prædictam dispositionem innovare, vel alterare præsumentibus.

De ascriptionibus.

Ad evitanda gravia præjudicia, & detrimenta, quæ Provinciis Indiarum, earumque Religiosis ex incorporationibus a Commissariis illarum partium pro libito factis, provenire solent; statuitur, ne in posterum Commissarii Generales prædicti Indiarum Occidentalium possint sub quovis prætextu, suos Secretarios, Socios, aut alios Religiosos, quos in suo Comitatu assumpserint, incorporare in aliqua Provincia suæ Commissionis, irritum declarando, si quid in contrarium attentetur, aut fiat.

De Monialibus.

Omnino interdicitur Ministris Provincialibus se ingerere in imminuendis Monialium Dotibus, aut alimentis Sæcularium educationis causa, vel alia, in Monasteriis commorantium. Hinc Provincialibus ipsis sub pœna suspensionis sui officii per semestre, Abbatissis vero, & Discretis Monasterii sub privationis suorum Officiorum pœna præcipitur, ne prædictas Dotes, aut alimenta taxata minuant, aut minui permittant. Eisdemque tum Provincialibus, tum Monialibus sub eadem pœna præcipitur, ne ullam pro Moniali indotatam recipiant sub quovis prætextu aut titulo, nisi Causa in Sacra Congregatione deducta, ab eaque licentia obtenta.

Pro Familia Cismontana.

De Cœnobiis *Recollectionis.*

Pro meliori Novitiorum, & recenter professorum educatione, & ut Fratres illi, qui majori Spiritus quieti, & strictiori Regulæ nostræ observantiæ incumbere desiderant id præstare possint in propriis Provinciis, absque eo, quod hujus studii prætextu, aut ad alias transire, aut novas reformationes, & scissuras in ordinem invehere moliantur, statuitur, quod in singulis hujus Familiæ Provinciis de Observantia instituantur tres aut quatuor Conventus Recollectionis, qui sint primi, & secundi Novitiatus, ut simul, & loca spiritualis quietis, & perfectionis Seminaria pro tota Provincia esse valeant.

De eorum erectione.

Ad hunc finem eligi, & deputari debent Conventus commodiores pro Regulæ observantia, & Novitiorum educatione, quorum consignatio committitur Commissario Generali Familiæ cum consilio Diffinitorii cujuscumque Provinciæ respective. Cui Generali Commissario etiam committitur prima Guardianorum, & Magistrorum Novitiorum eorumdem Conventuum institutio, cum facultate, ut si in Provincia aliqua non fuerint Religiosi pro his Officiis in nova recollectionis erectione idonei, ex aliis Provinciis, vel Observantibus, vel Reformatis, immo, & ex alia Familia possint eos adducere. Et insuper eidem committitur prima in eisdem Conventibus eorum Fratrum collocatio, qui ad formationem prædictæ Recollectionis fuerint necessarii.

De eorum numero.

Et ut incommoda ex multiplicatione horum Conventuum alias experta evitentur, omnino interdicitur, ne in qualibet Provincia plures quam quatuor, paucioresve, quam tres Recollectionis Conventus esse possint, sublata facultate cuilibet Superiori Ordinis super hoc statuto dispensandi; & ut nunquam separari a Provincia possint, decernitur, ut in nullo Conventu Provinciæ, qui hujusmodi recollectionis non fuerit, possint induci Novitii, nec probationis annum agere. Atque ita Provinciæ inseparabiliter sint incorporati, ut sine ipsis, utpote Domus receptionis, Provincia ipsa subsistere non possit.

De eorum conditione.

Conventus autem prædicti distribuentur sic, ut in Provinciis magnis, duo illorum sint primi Novitiatus; duo vero Professorii, seu Novitiatus secundi; in minoribus autem aut unus erit primi Novitiatus, & duo secundi, aut e converso pro commoditate Conventuum, aut Provinciæ. Et quia in nullo prædictorum Conventuum studium facultatis literariæ collocandum est, aut permittendum, statuitur, quod Professi antequam ad professoria, in quibus sunt artium literalium studia transmittantur; in Conventu Recollectionis secundi Novitiatus ad minus per annum integrum collocentur, ut in spiritu in Novitiatu concepto, antequam ad studia transeant confirmentur, & roborentur.

Forma autem vivendi in prædictis Recollectionis Conventibus, sequens erit.

De Oratione.

Primo. Officium Divinum statutis indispensabiliter horis, graviter, & devote persolvatur, & Orationi Mentali duabus horis cum dimidia omnino vacetur, itaut post Matutinum (quod indispensabiliter media nocte persolvendum est) una hora post primam dimidia, post Completorium hora altera in Oratione mentali persistant. Sed a Resurrectione, usque ad Exaltationem Sanctæ Crucis propter noctium brevitatem, hora post Matutinum Orationis, in horam ejusdem post sextam, & ante prandium habendam commutetur.

De Silentio.

Secundo. Silentium, ac lectio spiritualis in Refectorio nulla Causa dispensetur; in Dormitoriis autem, claustris, & Sacristia ita silentium observetur, ut tantum omnino necessaria, & submissa voce Fratres loquantur.

De Sæcularibus.

Tertio. Sæculares, nisi Officiales Conventus sint, ad interiora Conventus non admittantur, sed pro rebus necessariis cum ipsis tractandis in Claustro inferiori, Camera aliqua, honeste disponatur, in qua prædicta præstari possint.

De Congregationibus.

Quarto. Communitates Chori, & Refectorii omnes Fratres sequantur, nec ullus ab aliqua, sine expressa Guardiani licentia excusetur.

Ad prælectiones.

Quinto. Tribus diebus in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, & Sabbato post Vesperas immediate assistentibus Prælato, & omnibus Fratribus, lectio expositionis Regulæ, aut Theologiæ Mysticæ habeatur, itaut duobus ex prædictis diebus exponatur Regula, altero vero de Theologia Mystica, seu de vita spirituali tractetur: ad hoc instituatur unus Lector, qui sit in Theologia morali, & Mystica versatus; cui ut tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur, ut a prima, & oratione post ipsam excusetur. Qui post expletam expositionem Regulæ poterit Decalogum clare, & breviter pro institutione Juvenum explicare.

De Capitulo culparum.

Sexto. Guardianus ad minus semel in Mense feria sexta post Completorium celebrabit Capitulum culparum, eo modo, quo in Constitutionibus generalibus præscribitur, habita ad Fratres spirituali collatione, in qua ad perfectionem, & spiritualem profectum excitentur, & animentur.

De paupertate.

Septimo. Paupertas nostri status quantum fieri potest stricte in communi observetur. Et ut ita etiam fiat in particulari, Guardiani de omnibus necessariis ad usum strictum Seraphicæ paupertati congruum, Fratribus provideant; itaut recursus particularium ad Benefactores, aut amicos spirituales via omnino præcludatur. Nullusque quidquam ad usum suum habeat sine expressa licentia Guardiani, qui usum rei, & supelle-

pellectilis non neceſſariæ, nulli concedat, aut permittat, quod ut exactius obſervetur, nullus quidquam ad proprium uſum clauſum habeat, & ad cujuſcumque Cellam ſemper aditus Superiori pateat, & tam Novitiis, quam cæteris Religioſis uſus duarum Tunicarum Talarium, quarum una erit cum Capuccio, & alia ſine Capuccio, juxta Regulæ præſcriptum concedat, nec cuiquam permittatur, ut Sudaria, Sachetos, aut alia quævis non conceſſa in Regula ſub prætextu portationis ſolius habitus deferat.

De Guardianis.

Octavo. Poſtquam prædicta Recollectio per triennium firmata fuerit, nullus poſſit inſtitui Guardianus in prædictis Conventibus, qui in aliquo illorum per biennium immediate, vitam communem recollectionis ſequens, commoratus non fuit.

De Religioſis

Nono. Nullius Religioſus cujuſcumque qualitatis ſit in Conventu Recollectionis de Familia collocari poſſit, aut in eo commorari, qui Regulæ præcepta obſervare non poſſit: nempe jejunia, excalceationem, duarum tantum tunicarum uſum, Prædicationem Chori die noctuque, cæterarumque communitatum ſequelam. Cum pro non valentibus adeo ſtricte vivere, cæteri Provinciæ Conventus expediti maneant, & tam Guardianus ipſe, quam cæteri omnes Fratres hebdomadam ſine exceptione ſuo ordine faciant.

De criminoſis.

Decimo. In præfatis Conventibus, nullus Frater criminoſus, aut pro luenda pœna collocari poſſit, nec quiſquam a quocumque Prælato miſſus recipi debeat, niſi de conſenſu Guardiani, & majoris partis Diſcretorum Conventus admittendus judicetur.

De admittendis.

Undecimo. Nullus Religioſus cujuſcumque qualitatis ſit poſſit recreationis, aut alterius cujuſque negotii cauſa ad prædictos Conventus divertere; niſi quis ad exercitia ſpiritualia per aliquos dies facienda cum ſequela omnium communitatum, & rigoris vitæ recollectæ admitti valuerit; nec Miniſter Provincialis, quando ad prædictos Conventus cauſa viſitationis, vel alia acceſſerit, poſſit ſub pœna ſuſpenſionis ſui Officii per bimeſtre Sæculares, aut alios Fratres ſecumferre præter ſuum Secretarium, & Socium, cui Provinciali plurimum in Domino commendatur, ut in Conventibus Recollectionum in omnibus ſe ipſum præbeat exemplum bonorum operum, & regularis diſciplinæ.

De licentia egrediendi.

Duodecimo. Diſcurſus Fratrum extra Conventum quantum fieri poſſit evitentur: & ut Fratres addicti Choro extra Conventum non vagentur, ſtatuitur, ut in quolibet prædictorum Conventuum, præter Officiales pro interiori gubernio neceſſarios, collocentur Fratres Laici ſpirituales, & devoti, qui continuo extra Conventum eleemoſynas pro neceſſitatibus Fratrum temporibus opportunis petant, & in hoc Deo inſerviant, dum alii divinis laudibus, orationi, & Spiritualis vitæ quieti incumbunt. Fratribus autem Choro addictis raro exeundi extra Conventum licentia concedatur, nec unquam niſi duo extra ipſum eſſe poſſint. Novitiis autem, & Clericis in nullo caſu, niſi in Communitate exeundi è Clauſtro licentia concedi poſſit, ſub pœna privationis Officii eam concedenti.

De obſervantia Conſtitutionum.

Ultimo. In prædictis Conventibus, quoad reliqua ad vitam Monaſticam ſpectantia Conſtitutiones generales exacte ab omnibus obſerventur, ut cæteris exemplo, & ædificationi in pura obſervantia ſint.

Item prædictorum ſtatutorum.

Curent itaque Commiſſarius Generalis, & Provinciarum Diffinitoria, ut prædicti Recollectionis Conventus in prædicta vivendi forma erigantur, & componantur. Dum enim per atteſtationem prædicti Commiſſarii Generalis, & Diffinitorii Provinciæ, & Diſcretorum illorum Conventuum juramento firmatam, de tali erectione, & compoſitione conſtiterit, SSmus D. Noſter pro ſua benignitate licentiam inducendi Novitios in illis Conventibus ſic efformatis, concedat. Quod ſi poſt primam conceſſionem prædicta vivendi forma in ipſis Recollectionis Conventibus exacte, & rigoroſe non obſervetur, licentia ulterius induendi in illa Provincia non concedetur. Unde Provinciæ ipſæ ſibi conſulant, nam ſi medio adeo ad bonum, & ſtabilitatem Religionis conducente non utatur, omnino ſucceſſu temporis extinguentur.

De Reformatis.

Quantum ad Provincias Reformatas, cum forma vivendi, & Regulam, ac diſciplinam regularem obſervandi in ſtatutis pro ipſis Reformatis de anno 1642. contenta ſatis ſtricta ſit, ſolummodo præcipitur, ut in Conventibus Novitiatus, & Profeſſorii (præter inſtitutiones ſan. mem. Clementis VIII. pro omnibus Regularibus in Decretis incip. *Cum ad Regularem* editis die 19. Martii anni 1603., & contenta in Decretis ſan. mem. Innocentii X. pro Minoribus Obſervantibus, & Reformatis incipien. *Ad propagandam* edit. 15. Octobris anni 1654., & ordinata in Brevi ſan. mem. Urbani VIII. pro Reformatis incipien. *Militantis Eccleſiæ* ſub dat. die 1. Octobris anni 1641., quæ omnia omnino obſervanda ſunt ſub pœnis in eiſdem literis Apoſtolicis conten.) prædicta ſtatuta quantum ad omnia ad ſtrictiorem Regulæ obſervantiam, regularem diſciplinam, frequentiam Chori, & Mentalis Orationis aſſiſtentiam, omnium Communitatum die, noctuque omnino, & indiſpenſabiliter ab omnibus in prædictis Conventibus commorantibus obſerventur, ita ut in illis nullus non valens propter infirmitatem communem illam vitam ſequi poſſit collocari, & qui in prædictorum obſervatione defectuoſus fuerit, ab ipſis expellatur. Monentur autem Provinciales, quod dum non conſtiterit indubitatis teſtimoniis in prædictis Conventibus reformationem eſſe in priſtinum ſtatum reſtitutam, & in eis prædicta omnia adamuſſim obſervari, licentiam Novitios induendi non obtinebunt.

De electione Prælatorum.

Quia ex bona Prælatorum electione præcipue pendet Religionis Reformatio, diſtricte præcipitur, ut Guardianatus, cæteraque regiminis officia omnino diſtribuantur prout ratio meritorum (ſuppoſita corporis valetudine) cujuſcumque promovendi, & Bonum Provinciæ exegerit, nullo habito reſpectu ad Patres quoſcumque, qui officio functi ſunt, vel funguntur, ſub pœna Provinciali aliter proponenti ſuſpenſionis ab officio per ſemeſtre, Patribus autem ſive de corpore Diffinitorii, ſive extra illud exigentibus Guardianatum, aut aliud Officium ſuæ ſatisfactionis, ſub pœna proprietariis præſcripta. Quod ut exactius obſervetur, & contrariæ relaxationi remedium apponatur, de novo admittitur, & intimatur Conſtitutio ſan. mem. Urbani VIII., quæ incipit *Militantis Eccleſiæ* ſub data die 1. Junii anni 1640. pro reſtituendo candore, communiter appellata cum omnibus facultatibus tum Eminentiſſimo Cardinali Protectori, tum Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, in ea pro prædicto remedio efficaciter apponendo conceſſis.

De Cellis.

Item præcipitur omnibus, & quibuſcumque Patribus, & Fratribus, cujuſcumque ſint conditionis, & qualitatis ſub pœna privationis actuum legitimorum per ſexennium, ut nullus eorum poſſit habere ad ſuum uſum niſi unicam Cellam, nempe illius Conventus, in quo moratur de Familia, ſive Subditus, ſive Prælatus. Guardiani autem ſub pœna privationis Officii Cellam cujuſcumque Patrum in Conventu ſuo de Familia non commorantium alteri Religioſo ſibi ſubdito concedant, quæ omnia Miniſter Provincialis in ſuis viſitationibus omnino obſervari faciat ſub pœna ſuſpenſionis officii per ſex menſes.

De Prælatorum qualitatibus.

Item ſtatuitur, quod nullus eligi poſſit in Prælatum, qui vitam communem non ſequatur,

hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione peditandi excusetur, habeat, qui camisiis, aut lineis utatur, vel apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter sit defectuosus in assistendo Communitatibus Chori, & Refectorii, ac aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Electio autem illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur irritanda sit a Prælato Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia, sine strepitu Judicii, cum consilio tantum, & assensu trium Patrum, qui Provinciales, vel ad minus Diffinitores Provinciæ sint, vel fuerint, super quo eorum conscientias oneramus, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequitur, aut ille confirmetur, qui illam non observat.

De Electoribus.

Item, ut majori circumspectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur Electoribus, sub pœna non suffragandi, ut antequam ad electionem Ministri, Custodis, Diffinitorum, & Guardianorum procedant, singillatim juramentum præstent coram Ven. Crucifixi Imagine, præsente Præside se eum electuros in quolibet prædictorum Officiorum respective, quem in conscientia, & omnibus æqua lance libratis digniorem judicabunt.

De Prælatorum cura circa necessaria.

Item præcipitur omnibus Prælatis localibus, ut singulis suis subditis provideant de omnibus necessariis tam in victu, & vestitu, quam in quolibet alio juxta nostrum statum in propria specie, sub pœna privationis Guardianis negligentibus. Et de hoc puncto teneantur Provinciales, & Visitatores in suis visitationibus specialiter inquirere, & ad Diffinitorium proximum in Congregatione, aut Capitulo referre, in quo constante Guardiani negligentia, in Officio continuare non possit. Et ut frivolæ Guardianorum excusationes præcludantur, præcipitur Provincialibus Ministris, ut quam primum hæc statuta publicata fuerint, congregent Diffinitorium, & cum eo juxta S. C. Trid., & Apostolicas Constitutiones, taxent numerum Fratrum, qui per consuetas eleemosynas, provisis omnibus necessariis juxta nostrum statum sustentari possint, & in libro Provinciæ prædictam taxam scribant, & in nullo Conventu plures Religiosos collocare possint, quam taxa præscripserit, nec possit petere licentiam induendi, nec jam obtenta uti, nisi simul transmittant testimonium Juramento firmatum, quod Provincia non habeat plures Fratres supra numerum in prædicta taxatione præfixum. Post quod statutum adimpletum nulla excusatio Guardianorum non providentium Subditis de necessariis admittatur, sed absolute in prædictis Congregationibus priventur.

Preces Ministri Generalis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Josephus Minister Generalis statuta hujusmodi quippe ad conservandum, & solidandum in ordine prædicto Regularis Observantiæ rigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Josephi Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula statuta præinserta, in eisque contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & Facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

Omnia, & singula relata Statuta confirmantur.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac Statuta præinserta semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque preeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXI.

Conceduntur Lectoribus jubilatis Fratrum Minorum de Observantia privilegia omnia Doctorum artium, & Magistrorum in Theologia.

De his vide Const. præcedentem, de Fratrum vero Minorum Observantium a Conventualibus separatione, cujus mentio fit in præsenti Brevi, vide Leonis X. Constitut. editam anno 5., die 29. Maji 1517.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Nov. 1679. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Nonnulli contendebant dictiOrdinis Lectoribus, utpote nomine Doctoris, aut Magistri non donatis, neque horum prærogativas competere.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Celsus Maria Billo Commissarius Generalis curiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dudum statim atque dictus Ordo ab Ordine Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum auctoritate Apostolica separatus fuit, Fratres Minores de Observantia hujusmodi, ut quidquid mundani fastus, atque ambitionis incentivum inducere posset, a se procul amoverent, ad gradus Doctoratus Artium, & Magisterii in

Sacra Theologia promoveri, ac Doctores, & Magistri vocari desierunt, nihil tamen minus ejusmodi scientiarum studiis operam dederunt, sed qui in illis tantum progressi erant, ut alios docere possent, solo contenti fuerunt, & adhuc sunt nomine, & titulo Lectorum actualium, & habitualium, qui etiam post peractam juxta Apostolicas, & Ordinis sui Constitutiones saltem triennio Philosophiæ, & decennio Sacræ Theologiæ lecturam, Lectores jubilati vocati fuerunt, & vocantur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet ejusmodi Lectores jubilati quoad rem ipsam, nempe literarum scientiam, a Magistris in Sacra Theologia, & Doctoribus Artium differre non videantur, quia tamen inter eos est nominum, titulorumque diversitas, nonnulli prætendant, ac etiam per sententias judicialiter definiant, illos Doctoribus, & Magistris hujusmodi in ordine ad aperiendas, & executioni mandandas literas per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ expeditas, quæ ejusmodi Doctoribus, seu Magistris super absolutione, dispensatione, votorumque, seu aliarum obligationum commutatione dirigi solent, ac quoad alias prærogativas, pares non esse. Nobis propterea dictus Celsus Maria humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Commissarii Generalis Curiæ.

§. 1. Nos igitur Ordinis prædicti decori, & honorificentiæ quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque Celsum Mariam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Lectoribus jubilatis præsentibus, & futuris, ut quascumque literas per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ hujusmodi pro tempore expeditas, quæ Doctoribus Artium, seu Magistris in Sacra Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, ac juxta illarum formam, & tenorem executioni mandare; nec non quoad alias functiones Ecclesiasticas, & literarias quaslibet, omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus Fratres expresse professi aliorum Ordinum Doctores Artium, & in Sacra Theologia Magistri, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterint in futurum, pari modo uti, frui, & gaudere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Cæterum non intendimus per præsentes literas privilegia, exemptiones, prærogativas, gratias, & Indulta, quæ præfatis Lectoribus jubilatis per Apostolicas, & Ordinis primodicti Constitutiones concessa sunt, ullo modo augere, vel minuere, sed illa in statu, & terminis in quibus de præsenti reperiuntur, remanere volumus.

Permittitur, prædictis Lectoribus, ut executioni mandent literas S. Pœnitentiariæ, necnon gaudeant privilegiis aliis Doctorum, & Magistrorum, non immutatis propriis.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ Apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Permittitur, ut in Provincia S. Petri de Alcantara Discalceatorum in Regno Neapolitano locum habere possint Fratres ejusdem Ordinis Provinciarum Hispaniæ. LXXII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 29. Nov. 1679. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ortus, & progressus hujus Provinciæ cum suis statutis.

ALias fel. record. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte dilecti filii nobilis viri Petri de Aragonia Ducis Segobricæ, & Cardonæ tunc Regni Neapolis Proregis, expositio, quod cum Custodia S. Petri de Alcantara in dicto Regno Neapolis Fratrum minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum in executionem quarumdam ipsius Clementis prædecessoris in simili forma Brevis literarum die 30. Septembris 1670. expeditarum perpetuo erecta, & instituta fuisset, eo præcipue fine, ut illius Fratres instructioni, aliisque spiritualibus necessitatibus militum Hispanorum in eodem Regno pro tempore degentium operam darent, idem Petrus Dux, & Prorex nonnulla sine quibus finis hujusmodi obtineri nequibat, nec custodia ipsa in sui Instituti rigore & puritate conservari potuisset, statui, & indulgeri plurimum desiderabat: Idem Clemens prædecessor supplicationibus ipsius Petri Ducis, & Proregis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod ejusdem Custodiæ Custos, & Conventus S. Luciæ de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitan. ad ipsam Custodiam spectantis Guardiani natione Hispani semper esse deberent; Ex quatuor vero Definitoribus ipsius Custodiæ saltem duo semper essent Hispani, etiam in casum subrogationis, & Superiores ejusdem Custodiæ, præter, & ultra præfatos Hispanos in dicto Conventu Sanctæ Luciæ saltem Concionatores, & duos Confessarios pariter Hispanos pro Concionibus ad præfatos milites Hispanos habendis, eorumque Confessoribus audiendis habere semper tenerentur, ne unquam in futurum in Custodiam præfatam recipi posset ullus Frater in alia Provincia, vel Custodia professus, sed quando aliquem admitti expediens, vel necesse fuisset, is immediate a sæculo ad habitum recipi, & in dicta Custodia, ejusque Domo No-

vitiatus

vitiatus educari deberet, auctoritate Apostolica inter alia statuit, & ordinavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 28. Augusti 1673. emanatis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici per dilectum filium nobilem virum Gasparem de Haro y Guzman pro eodem Carolo Rege apud nos, & Sedem Apostolicam Oratorem Nobis nuper expositum fuit, Custodia præfata subinde in Provinciam auctoritate Apostolica erecta fuerit, & Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita declaraverit Ministrum Provincialem novæ Provinciæ hujusmodi natione Hispanum esse debere, quemadmodum de Custode in ultimo dictis Clementis prædecessoris literis statutum reperiebatur, verum si prohibitio recipiendi in dictam Custodiam nunc Provinciam Fratres in alia Provincia, vel Custodia professos, generaliter etiam quo ad fratres Discalceatos Provinciarum Hispaniæ dicti Ordinis observaretur, nec dicta nova Provincia diu conservari, ne finis propter quem prima Custodiæ prædictæ erectio facta est, obtineri, neque supra expressæ ordinationis Clementis prædecessoris executioni mandari valerent, & cum sperari non possit tot a sæculo in eamdem novam Provinciam receptum iri in Fratres Hispanos, quot pro adimplendis statutis, & ordinationibus hujusmodi sufficiant. Nobis propterea ejusdem Caroli Regis nomine per præfatum Gasparem Marchionem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Caroli Regis Catholici.

§. 1. Nos igitur ipsius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Fratres Discalceati expresse professi Provinciarum Hispaniæ Ordinis prædicti, cum debitis suorum Superiorum licentiis in præfatam Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, servatis servandis recipi, & admitti, illique incorporari libere, licite, & valide possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Præterea, ut Minister Provincialis, ac duo saltem Definitores, & Guardianus dicti Conventus Sanctæ Luciæ ejusdem Provinciæ pro tempore existentes natione Hispani, nempe ex utroque Parente Hispano nati semper esse, cæteraque omnia, & singula in ultimodictis Clementis prædecessoris literis disposita, in Provincia hujusmodi semper observari debeant, auctoritate, & tenore præfatis statuimus pariter, & ordinamus.

Permissio prædicta, & statutum servandi in reliquis Clem. X. literas pro dicta Provincia editas.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus quo ad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur præfatis Clementis prædecessoris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, & exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Revocatur concessio facta Vicecancellario quamplurium Officiorum vacabilium, quæ denuo Cameræ Apostolicæ restituuntur. LXXIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 14. Dec. 1679. An. 4.

Exordium.

MOtu proprio &c., Divina disponente clementia ad summi Apostolatus apicem meritis licet imparibus assumpti, inter cætera cordis Nostri desiderabilia illud intensis exoptamus affectibus, ut ea, quæ Sedis, & Cameræ Apostolicæ, cujus affectus, redditus, & proventus a nonnullis Romanis Pontificibus temporum, & rerum qualitatibus id tunc permittentibus concessi, atque assignati fuerunt, commodum, & utilitatem respiciunt, Nos urgentibus causis novis restituamus, & ad statum primævum reducamus, sive de novo applicemus, & attribuamus, aliaque desuper opportune disponamus, & ordinemus, prout majori ejusdem Sedis, & Cameræ sublevamini conspicimus expedire.

A quibus facta ejusmodi concessio.

§. 1. Cum itaque rec. mem. Prædecessores nostri Sixtus PP. IV., Leo Papa X., Paulus Papa III., & forsan alii infrascripta officia vacabilia ad Sedem, & Cameram Apostolicam pertinentia, ex certis expressis causis, & præsertim ob aliquam Cancellariæ emolumentorum diminutionem resultantem ab aliquibus Privilegiis, quæ Officialibus de novo erectis concessa fuerunt, S.R.E. Vice-Cancellario tunc, & pro tempore existenti, ejusque Vice-Cancellariatus Officio in perpetuum concesserint, assignaverint, forteque donaverint, & elargiti fuerint atque pariter rec. mem. Sixtus PP. V. similiter Predecessor noster concessiones, & assignationes hujusmodi confirmando, & approbando, aliorumque Officiorum concessionem de novo faciendo tunc, & pro tempore existenti Vice-Cancellario amplam dederit facultatem, & potestatem de eis quandocumque, & quomodocumque casus eorum vacationis evenerit libere disponendi, ac personis sibi bene visis ad vitam, etiam per viam venditionis, & recepto pretio concedendi, & conferendi simili modo, quo Romanus Pontifex de aliis Romanæ Curiæ Officiis vacabilibus disponere solebat, & solet, ut ex præfatorum, aliorumque Romanorum Pontificum Motibus propriis, seu Literis, & Provisionibus, quorum tenores ex certa scientia pro expressis, atque in præsenti Motu proprio pro insertis haberi volumus, ipsaque Officia sunt, nempe unum Regentis ejusdem Cancellariæ, sex majoris, & quindecim minoris Præsidentiæ Abbreviatorum, viginti quinque Solicitatorum Literarum Apostolicarum, duodecim Notariorum Causarum Palatii Apostolici, ad unum dumtaxat per rec. mem. Clementem PP. X. etiam Prædecessorem nostrum reducta, tria Cubiculariorum, septem Scutiferorum de numero Participantium, viginti sex S. Petri, tresdecim S. Pauli, duo de Lilio, & viginti Piorum Militum, necnon Custodis, Notariatusque, & Ostiarii ejusdem Cancellariæ, unum Notariatum Contradictarum, & aliud *De consuetis* nuncupatum, nonnullaque forsan alia Officia hujusmodi vacabi-

Concessa Officia recensentur.

lia, quæ pariter in præsenti Motu proprio pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus.

Causæ revocationis.

§. 2. Nos occasione vacationis præfati Officii Vice-Cancellariatus per obitum bo. me. Francisci, dum viveret S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati, Sacri Collegii Decani, ac Ostien., & Veliternen. Episcopi ejus possessoris nuper sequutæ, considerantes præfatum Vice-Cancellariatus Officium cum aliis emolumentis, quibus ejus Possessor potiri solet, juxta modum in ejus collatione, & provisione a Nobis decernendum, congruam, sufficientemque provisionem habere, omnemque justitiæ, æquitatis, & congruentiæ rationem exigere, ut præfata officia, & alia, si quæ sint similia incremento, & sublevamini cedant prædictarum Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quæ de præsenti magis gravibus, & urgentibus necessitatibus premuntur, atque eis quod jam suum erat, restituere. Hinc rebus mature, & diligenter examinatis, ex præmissa, aliisque rationabilibus causis, animum nostrum moventibus Motu simili, & ex certa scientia, maturaque animi Nostri deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula præfata, & quævis alia cujusvis generis, & qualitatis, ac quomodolibet nuncupata Officia vacabilia, & vendi solita, si quæ sint, alias superius non expressa, eidem S. R. E. Vice Cancellario concessa, assignata, applicata, & appropriata, aut etiam donata, ut præmittitur, ab eodem Vice Cancellariatus Officio, Apostolica auctoritate dismembramus, & separamus, illorumque omnium, & singulorum sic dismembratorum, & separatorum Officiorum concessionem, & assignationem, omnimodamque illorum dispositionem cum primum, ac deinceps semper, & quotiescumque illa per cessum, vel decessum, aut promotionem, privationem, seu quamvis aliam dimissionem, illa pro tempore quantumvis personarum, etiam speciali nota dignarum obtinentium, vacare contigerit, ex tunc plene, & perfecte Sedi præfatæ, nobisque, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, restituimus, & quatenus opus sit concedimus, assignamus, & incorporamus, atque ad easdem Sedem, & Cameram pleno jure spectare, & pertinere, perpetuis futuris temporibus, ad instar aliorum Officiorum vacabilium Romanæ Curiæ in omnibus, & per omnia eadem auctoritate volumus, statuimus, & ordinamus.

Fit revocatio, & una simul Cameræ Apostolicæ restitutio prædictorum officiorum, ubi primo vacaverint.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes eumdem S. R. E. Vice-Cancellarium pro tempore existentem super eorumdem Officiorum dispositione nullo modo se immiscere posse. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; irritumque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, necnon Callisti III., Sixti IV., Leonis X., Pauli III., Sixti V., ac Gregorii XIII., & Urbani VIII., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, necnon Pii IV., etiam Prædecessoris nostri gratias præfatam Cameram concernentes, in eadem Camera omnino registrari debere, disponentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus desuper quomodolibet in genere, vel in specie editis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac quibuscumque, etiam quantumvis efficacissimis clausulis, & Decretis etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & quavis concessione hujusmodi, ex causa refectionis damnorum, vel alia quavis, etiam onerosa, & correspectiva factæ sint, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad id observanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, & potestatis plenitudine præfatis derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio B.

Motus proprius.

§. 5. Et quod singulorum Officiorum prædictorum, concessionum, assignationum, & donationum tenores, etiam veriores, ac earum datæ habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis. Et de perpetuis dismembratione, separatione, voluntate, statuto, ordinatione, singulorum Decretorum derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut supra, in literis, & cum clausula ad perpetuam rei memoriam latissime extendendis. Volumus autem, quod sola præsentis Nostri Motus proprii Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, etiam regula contraria, & cæteris quibuscumque, ut supra, non obstantibus, seu si videbitur literæ Apostolicæ desuper cum præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum, majori, & veriori expressione per Breve Nostrum, seu Officium de Curia expediri possint, ejusdemque Motus proprii, seu Literarum desuper conficien. exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, seu munitis, eadem prorsus fides in judicio, vel extra ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eidem Cedulæ, seu Literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum XIX. Kal. Januarii Anno Quarto.

LXXIV.

Confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, jam ante a S. Congregatione recognitum, & approbatum.

Quoad has Confraternitates omnibus Indulgentiis generaliter revocatis illas confirmavit Paulus V., & alias de novo concessit Clemens X. Constit. 37. Alias Nos. *sup. pag. 58.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Febr. 1680. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nonnullæ Indulgentiæ concessæ fuerunt dictis Cofraternitatibus, & in Summariis redacta, ut infra,

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Monier Procurator Generalis Ordinis Fratrum SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum

relaxa-

relaxationes Confratribus utriusque sexus Christifidelium sub titulo, seu invocatione ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum a Superioribus dicti Ordinis, ex Indulto Sedis Apostolicæ erectis, & erigendis Apostolica auctoritate concessæ reperirentur, illarum Summarium confectum, ut a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum recognitum, & approbatum fuit, tenoris qui sequitur videlicet--

§. 1. *Summarium Indulgentiarum a Summis Pontificibus Confraternitatibus ab Ordine SSmæ Trinitatis Redemptionis Fidelium Captivorum erectis, & institutis concessarum.*

Ordo hujusmodi laudibus ornatur.

Qui Ordo non sine Divina revelatione a Gloriosis Sanctis Joanne de Matha, & Felice de Valois fundatus fuit, easdemque Confraternitates, quamplurimi Reges, Principes, Nobiles, & innumeri utriusque sexus Christifideles ingressi sunt, qui ad tam frequentes, & numerosas redemptiones a dicto Ordine ab initio illius fundationis usque ad præsens factas liberalibus eleemosynis cooperati sunt. Indulgentiæ vero sunt infrascriptæ, omissis revocatis a B. Pio V., quæ manus adjutrices requirebant, postea a Paulo V., qui revocatis antiquis novas concessit, & postremo a Clemente X., qui omnes generaliter exceptis in hoc præsenti folio contentis, nonnullis confirmatis, & aliis prout in Brevi sub Datum 3. Junii 1673. de novo concessis revocavit.

Indulgentiæ a Paulo V. *dictis Confratribus, & Consororibus concessæ.*

I.

Indulgentia plenaria in die ingressus.

Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœniten., & confessis ac Sacra Communione refectis prima die, qua in dicta Confraternitate adscribentur, ac habitum, seu Scapularium manu ejusdem Superioris dicti Ordinis benedictum susceperint, absque voti emissione, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

II.

Invocantibus nomen Jesu.

Eisdem Confratribus, & Sororibus nunc, & pro tempore existentibus Scapularium supradictum deferentibus, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Sanctissimum Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde in cujuslibet eorum mortis articulo devote invocaverint.

III.

In festo SS. Trinitatis.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam, aut Cappellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis die festo Sanctissimæ Trinitatis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam.

IV.

Iter facientibus Redemptionis gratia.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui ad partes Infidelium Captivos redimendi gratia se transtulerint, ac prius vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

V.

Captivis redemptis.

Ipsismet Captivis redemptis, qui infra mensem a die eorum reductionis computan., vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

VI.

Septem anni, & totidé quadragenæ recitantibus sexies in die *Pater, & Ave*, cum *Gloria*.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui supradictum habitum, sive Scapularium benedictum Redemptionis signo munitum pro cordis affectu detulerint, ac semel in die sexies Orationem Dominicam, cum versiculo *Gloria Patri*, ac etiam sexies Salutationem Angelicam cum eodem versiculo *Gloria Patri*, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione recitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

VII.

In nonnullis festis.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui supradictas Ecclesias, vel Cappellas, aut Oratoria Ordinis, vel Confraternitatis hujusmodi in Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, in Assumptionis Beatæ Virginis Immaculatæ Festis diebus, ac Sanctæ Agnetis secundo (quo die revelatione Divina prædictus Ordo Redemptionis Captivorum fuit institutus) visitaverint, ac prædictas Orationes pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione recitaverint septem annos, & totidem quadragenas.

VIII.

In die Processionis Scapularii.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi processioni *Scapularii* nuncupatæ de licentia Ordinarii in una Dominica cujuslibet mensis a Superioribus dicti Ordinis designanda interfuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

IX.

Exercentibus se in piis operibus.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui opera pia tam spiritualia, quam temporalia in remissionem peccatorum suorum, ac pro redemptione Captivorum a servitute Turcarum, & aliorum Infidelium exercuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

X.

Recitantibus quotidie per annum ter *Pater &c.* septem anni.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti quotidie per annum ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, & in fine semel versiculum *Gloria Patri*, cum versiculis, & Responsoriis, & Orationibus a prædictis Superioribus assignatis recitaverint, & pro Captivis apud Turcas retentis, ne nomen Domini Nostri Jesu Christi abnegent, sed constantes in fide persistant, & quantocius liberentur, oraverint, semel quot annis, & quo anni die maluerint, septem annos.

XI.

Comitantibus redemptos.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui confessi, vel saltem firmum propositum confitendi habentes Captivos redemptos, processionaliter receperint, & ad Ecclesiam, Cappellam, vel Oratorium d. Ordinis, vel Confraternitatis comitati fuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XII.

Item Sacramentum Eucharistiæ, quinque anni, & totidem quadragenæ.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui cum lumine, si potuerint, vel absque lumine Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum cum ad Infirmos defertur, comitati fuerint, & pro his oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

XIII.

Rursus Defunctos centum dies.

Eisdem Confratribus, & Sororibus quoties defunctorum corpora tam Confratrum, & Sororum, quam aliorum, dum ad Sepulturam deferuntur, comitati fuerint, & pro his oraverint, centum dies.

XIV.

Adstantibus Missis, vel Officiis &c.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesiis, vel Cappellis, aut Oratoriis prædictæ Confraternitatis celebrari solitis, vel Congregationibus publicis, aut privatis ejusdem interfuerint, vel pauperes hospitio susceperint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum centum dies.

XV.

Supradictæ Indulgentiæ concessæ fuerunt a fel. rec. Paulo V. anno 1608. die 6. Augusti per Breve, quod incipit *Cœlestes Ecclesiæ thesauros.*

Idem Pontifex anno 1620. die 6. Novembris per Breve, quod incipit--*Pias Christifidelium Confraternitates*, sequentem Indulgentiam plenariam concessit.

In Dominica Processionis Indulgentia plenaria.

XVI.

Confratribus, & Sororibus Confraternitatis SSmæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ de Remedio in Ecclesiis dicti Ordinis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis in dictis Ecclesiis Ordinis fieri solitæ interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem.

XVII.

Recitantibus quotidie per annum *Salve Regina* septem anni.

Et quia ad consequendas Indulgentias, de quibus numero x. ordinat Summus Pontifex, ut post tres Orationes Dominicas, & tot Salutationes Angelicas, cum versiculo *Gloria Patri*, etiam versiculi, & nonnulla responsoria dicantur a Superioribus prædicti Ordinis assignata, poterit dici una Salve Regina.

Indulgentiæ a fel. rec. Clem. PP. X. concessæ.

In quibusdam festis Indulgentia plenar.

Clemens PP. X. Confratribus, & Sororibus vere pœniten., & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, aut Confraternitates, vel Oratorium ejusdem in quibuslibet infrascriptis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pro Captivorum libertate, & eorum in fide perseverantia pias ad Deum preces effuderint, scilicet in Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, in Sanctorum Michaelis Archangeli, Clementis Papæ & Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ Festis diebus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem. Similiter in Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois Patrum nostrorum diebus Festis Ecclesias Ordinis visitantibus Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

Visitantibus Ecclesias Ordinis, &c. Indulgentia Stationum.

Idem Clemens PP. X. Confratribus, & Sororibus Ecclesias Ordinis, aut Confraternitatis, vel Cappellas, aut Oratoria ejusdem visitantibus, Indulgentias Stationum Urbis in Missali Romano expressarum, in diebus earumdem Stationum concessit.

Translatio Indulgentiarum ad alios dies.

Denique Indulgentiæ plenariæ in S. Michaelis Archangeli, S. Clementis PP. & Martyris, Inventionis S. Crucis, ac Nativitatis S. Joannis Baptistæ Festis diebus pridem concessæ modo ad alios quatuor, videlicet, diem Cinerum, secundam Dominicam Octobris, Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris, & S. Agnetis secundo dies translatæ fuerunt, prout ex Brevi SSmi Domini Nostri Innocentii PP. XI. sub die 14. Decembris 1678. expedito constat.

Confratrum, & Sororum Obligationes.

Gestare debent Scapularium.

Confratres, & Sorores nostri habitum, seu Scapularium parvulum ex lana alba, Cruce rubra, & cerulea munitum ab aliquo ejusdem Ordinis Superiore benedictum sumere, & super se gestare debent, quando vero Scapularium scissum erit, ejusque amissa forma, renovatur, eique nova Crux apponitur, & de novo benedicitur, prout quando novum sumitur.

Tenentur servare tantum mandata Ecclesiæ.

Ad prædictas Indulgentias consequendas, non tenentur Confratres, & Sorores prædicti ad emissionem voti, carnis abstinentiam, & jejuniorum observantiam ultra ea, quæ ab Ecclesia mandantur.

Ut eædem Indulgentiæ lucrifiant orationes recitare, & opera a Pontificibus præscripta exercere necesse est, diversæ Indulgentiæ pro diversis Orationibus, & operibus conceduntur. Itaque Confratres, & Sorores quotidie quasdam Indulgentias lucrari facile poterunt, si tamen preces recitare, vel opera prædicta exercere omiserint, non peccabunt.

Ut prædictas Indulgentias consequantur, præstare debent a Pontificibus præscripta.

Quinque dies benedictionis, & absolutionis generalis (licet a culpa proprie non absolvatur, juxta declarationem fel. rec. Clementis VIII.) sunt feria quarta Cinerum, feria quinta majoris hebdomadæ, S. Catharinæ Virginis & Martyris, SSmæ Trinitatis, & S. Agnetis secundo dies Festi, in quibus bona, & suffragia Religionis communicantur solis Confratribus, & Sororibus Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti genuflexi hujusmodi functioni in Ecclesiis Ordinis peragendæ interfuerint. Quia vero Confratres, & Sorores Schedulis impressis, vel manuscriptis invitari non solent suo tempore, & debita præparatione convenire procurent, ut tot bonorum participes fiant, Clemens VIII. Const. 85., formam vero benedictionis generalis præscripsit Clemens PP. X., prout in Brevi XI. Febr. 1673.

Curent interesse Benedictioni, & Absolutioni generali.

§. 2. Die 28. Novembris 1679. Sacra Congregatio Summarium hoc a se recognitum approbavit.

Approbatio Sacræ Congregationis.

A Card. Homodeus, Loco ✠ Sigilli. Michael Angelus Riccius Congregationis Secretarius.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolicæ Sedis præfatæ munimine corroborantur; nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis, dilecti etiam filii moderni Ministri Generalis Ordinis præfati nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ministri, & Procuratoris Generalis Ordinis.

§. 4. Nos igitur ipsos Ministrum Generalem, & Josephum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum Summarium Indulgentiarum a memorata Cardinalium Congregatione recognitum, & approbatum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus pariter, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio Pontificis relati Summarii.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium Literatum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Febr. MDCLXXX. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

LXXV. Extenditur Feſtum B. Mariæ de Mercede cum Officio, & Miſſa Religioſorum ejuſdem Ordinis ad univerſum Clerum Regnorum Hiſpaniarum, & Provinciarum Regis Catholici.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 15. Febr. 1680. An. 4.

Exordium.

ORthodoxorum Regum de Eccleſia Dei multis nominibus optime meritorum ſtudia ad promovendam in ſuis Regnis, & Ditionibus pietatem laudabiliter tendentia paterna charitate libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis proſequimur opportunis.

Preces Caroli Regis Catholici.

§. 1. Cum itaque ſicut pro parte chariſſimi in Chriſto filii Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici nobis per dilectum filium nobilem Virum Gaſparem de Haro, y Guzman Marchionem de Carpio pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem nuper expoſitum fuit ipſe Carolus Rex pro ſummo pietatis ſtudio, quo Sanctiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam proſequitur, feſtum ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede, cum Miſſa, & Officio proprio ſub ritu duplici, quibus Religioſi Ordinis de Mercede Redemptionis Captivorum ex indulto Sedis Apoſtolicæ, & juxta approbationem Officii hujuſmodi noviter a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum die decima octava Martii proxime præteriti emanati utuntur, in omnibus Hiſpaniarum Regnis, Ditionibus, Dominiis, & Provinciis ſibi ſubjectis quotannis celebrare poſſe plurimum deſideret. Nos piis ejuſdem Caroli Regis votis, & ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, quibus etiam acceſſerunt preces dilecti filii Joſephi Linas in Sacra Theologia Magiſtri, dicti Ordinis Procuratoris Generalis, quas ejuſdem Ordinis ſuper ea re quoque nobis humiliter porrexit favorabiliter quantum cum Domino poſſumus annuere cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, ut Miſſa, & Officium hujuſmodi ſub ritu duplici ſingulis annis Dominica proximiori Calendis Auguſti ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in omnibus Hiſpaniarum Regnis, Ditionibus, Dominiis, & Provinciis prædicto Carolo Regi ſubjectis celebrari, & recitari reſpective libere, & licite poſſint, & valeant auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Item Procuratoris Generalis Ordinis.

Extenſio prædicti feſti Dominica proximiori Kalendis Auguſti ab omnibus celebrandi.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Februarii MDCLXXX. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

LXXVI. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de Cadaveribus eorum, qui ſibi ſepulturam elegerunt in Eccleſiis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 11. Mar. 1680. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Precibus Procuratoris Generalis emanavit.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, ad ſupplicationem dilecti filii Caroli Felicis a Sancta Tereſia Procuratoris Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum, Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet. Sacra Rituum Congregatio ad preces Patr. Fr. Caroli Felicis a Sancta Tereſia Procuratoris Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ, porrectas per Eminentiſſimum & Reverendiſſimum D. Cardinalem Alterium, inhærendo Brevi fel. rec. Urbani Octavi ſub dat. die 24. Julii 1641., & Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis emanato die quarta Martii 1673. ad favorem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini gratiam benigne extendendo conceſſit, ut in poſterum Corpora Defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ Sepulturam ſibi elegerunt, non eſſe prius ad Eccleſiam Parochialem deferenda, ſed Parochos teneri Cadavera ſuorum Parochianorum levare e loco ubi aſſervantur, & aſſociare uſque ad portam Eccleſiæ præfatorum Regularium, etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus, nec Parochos ſe ingerere poſſe in faciendo ſuper iiſdem Cadaveribus officium, in Eccleſiis præfatorum Regularium, ſed ad ipſos Regulares in propria Eccleſia ſpectare, & pertinere. Et ita in omnibus, & ſingulis Conventibus præfatorum Regularium Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ ubique exiſtentibus ſervari mandavit, quibuſcumque decretis ejuſdem Sacræ Congregationis, & aliis in ſimilibus editis in contrarium non obſtantibus. Hac die vigeſima ſeptima Januarii 1680. Cæſar Cardinalis Facchenettus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Decretum Congregationis, quo ſtatutum fuit, prædictorum cadavera deferenda eſſe a Parochis ad Eccleſiam Religioſorum, ad quos dumtaxat ſpectat reliqua peragere.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Cum autem ſicut dictus Carolus Felix Procurator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Carolum Felicem Procuratorem Generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſem-

semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXVII. Conceduntur privilegia Cappellanis communibus Sanctitatis suæ.

Huic similes sunt Constitutiones Clem. X. die 6. Octobris anno 1670. ut supr. Tom. VI. pag. 325. & Alexandri VIII. die 2. Augusti anni 1690., inf. in Tom. XII. sive Continuat. Part. VI. pag. 22.

Dat. 13. Mar. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nomina Cappellanorum.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachinus Tenacciolus Presbyter Civitatis Castelli, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, ac Carolus Emidius Ridolphus Asculanus, Joannes Pasqua Anagninus, Hieronymus Ferrarius, & Hercules Torniellus Novarien. respective Civitatum, vel Diœcesum, ac Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, Presbyteri moderni Cappellæ nostræ Pontificiæ Cappellani, familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est, *quæ sequuntur vide in laudatis Constitutionibus.*

Datum Romæ apud S. Petr. sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXVIII. Confirmantur Statuta Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium Sancti Augustini de acceptione Beneficiorum in titulum, & ab iisdem amotione.

Dat. 15. Maji 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat, ut conservandæ, atque solidandæ inter veros Religiosos vota sua Altissimo in sanctitate, & Justitia reddere satagentes, regulari disciplinæ peculiari studio incumbamus, ac proinde ea, quæ ab illorum Superioribus consimili statuta esse dicuntur consilio, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter corroboramus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Gauhior Procurator Generalis Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, quod cum Parochiales Ecclesiæ, aliaque beneficia Regularia Ordinis, & Congregationis hujusmodi magno numero in Gallia reperiantur, quæ per Canonicos Regulares ipsius Congregationis in titulum obtineri solent, quia tamen ad tuendam regularem observantiam, promovendamque Christifidelium spiritualem utilitatem, atque ædificationem magnopere expedit ejusmodi beneficiis per personas idoneas, ac doctrina, & vitæ, morumque probitate conspicuas deserviri, nec ullam aliquibus dictæ Congregationis Canonicis Regularibus, qui disciplinæ regularis, debitæque erga suos Superiores observantiæ forsan pertæsi sint, relinqui occasionem per favores, aliasque vias minus canonicas procurandi, ut ad dicta beneficia promoveantur, illaque retineant, tametsi qualitatibus ad id requisitis prædicti non sint, eisque eorumdem Superiorum voluntas hac in re adversetur. Ideo per Constitutiones Congregationis prædictæ, ac pluries per Decreta Capitulorum generalium ipsius Congregationis communi consensu statutum fuit, ut nullus Canonicus Regularis ejusdem Congregationis debeat, nec possit obtinere, nec acceptare quodcumque Beneficium absque licentia, & obedientia sui Superioris Generalis, utque quilibet Canonici regulares Beneficiati, qui ab eodem Superiore Generali, etiam non dictis causis, revocati fuerint, obedire, & reverti debeant.

Causæ Statutorum.

Statuta, ne quis beneficia acceptet sine licentia Superioris Generalis, neque huic ab eis amoventi reluctetur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, statuta hujusmodi Constitutionibus fel. rec. Clementis III., Cœlestini III., & Benedicti XII. Sixti IV. Julii II., & Urbani VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ad favorem Congregationis, & Ordinis præfatorum respective emanatis, aliisque literis Apostolicis pro Ordine Præmonstraten. editis, necnon Concilii Tridentini Decretis conformia, ac ad conservandum in præfata Congregatione Gallicana regularis disciplinæ vigorem perutilia, immo necessaria existant: Nobis propterea præfatus Joannes Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Congruentia sunt Constitutionibus Apostolicis, & Concilio Trident.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 3. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio statuta præfata, utpote rationabilia, atque ad restaurandam, retinendamve Regularem disciplinam opportuna auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus: Illorum autem Canonicorum Regularium dictæ Congregationis Gallicanæ, qui statuta hujusmodi transgredi præsumpserint, beneficia ipso facto vacare, ac de illis per Sedem Apostolicam, vel alios, ad quos id de jure spectet, libere disponi & providere posse, debere, & auctoritate, & tenore prædictis, decernimus, & declaramus.

Sub pœna privationis Beneficiorum.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existe-

Clausulæ.

re,

re, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dictæ Congregationis Gallicanæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorem effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Maji MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXIX. Confirmatur iterum, & extenditur Card. Protectoris Decretum de nihil agendo contra statuta a Sede Apostolica pro Provincia Neapolitana S. Petri de Alcantara Discalceatorum, ipsa prius non audita, tum etiam adversus Decreta a dictæ Sedis Tribunalibus, & Ministris emanata.

De erectione hujus Provinciæ, & aliis ad eam spectantibus vide adnotata in Constit. 78. Clem. X., quæ incip. Sacrosancti Apostolatus. *sup. pag. 119. Prædicti vero Decreti confirmationem reperies in Constit. 18. quæ incip.* Exponi nobis. *sup. Tom. VI. in Append. pag. 23. Tandem statuta ab Innoc. XI. habes in ejus Constit. 65.* Alias fel. rec. *sup. pag. 268.*

Dat. 12. Junii 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Prædictum Decretum primo confirmatum fuit a Clem. X., ut infra.

DUdum fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor noster quoddam Decretum a bon. mem. Francisco dum vixit Episcopo Ostien., & Velitern. S. R. E. Cardinale Barberino nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, nuncupatorum apud Sedem Apostolicam Protectore ad favorem Custodiæ S. Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis in Regno Neapolitano auctoritate Apostolica institutæ, quæ postmodum in provinciam pari auctoritate erecta fuit, emanatum specifice confirmavit, & approbavit per quasdam suas in simili forma Brevis die 8. Julii 1672. desuper expeditas literas tenore qui sequitur, videlicet: Clemens Papa X. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt &c.

Confirmatio Clem. X.

Preces Custodis & Exprovincialis dictæ Provinciæ.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Joannes a Sancta Maria modernus Custos, & Exprovincialis dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Nobis nuper exponi fecit, multa alia subinde ab hac Sancta Sede per literas pariter in simili forma Brevis emanatas ejusque Tribunalibus, & ministris per decreta, aliasque Scripturas ad favorem ejusdem Provinciæ pro recto illius gubernio, ac quiete, perfecta regularis disciplinæ observantia in ea stabiliendis, & conservandis, constituta & ordinata fuerint, quæ per importunas quorumdam religiosæ tranquillitati dictæ Provinciæ insidiantium suggestiones convelli, aut perturbari possent, in maximum ejusdem Provinciæ, ac Regularis observantiæ, quæ in ea Domino Benedicente, viget, præjudicium, & detrimentum. Nobis propterea Joannes præfatus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Joannis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac præinsertas Clementis prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis harum serie confirmantes, & approbantes, omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus tam majoribus, quam minoribus Superioribus, & Fratribus dicti Ordinis quocumque nomine nuncupatis, sub pœnis supra expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipimus, & mandamus, ne adversus prædictam Provinciam, aut in præjudicium, seu contra tenorem literarum Apostolicarum, ac ordinationum, & decretorum quorumcumque ad illius favorem ab eadem Sede, ejusque Tribunalibus, & Ministris hactenus quomodolibet emanatorum quicquam, etiam minimum, sive in Romana Curia, sive extra eam, directe, vel indirecte per se ipsos, vel alios tam judicialiter, quam extrajudicialiter petere, attentare, vel facere audeant quovis modo, vel præsumant, nisi prius de omnibus, & singulis diligenter informato Venerabili Fratre nostro Alderano Episcopo Tusculano ejusdem S. R. E. Cardinale Cybo nuncupato moderno, & pro tempore existente Ordinis supradicti apud Nos, & Sedem præfatam Protectore, qui de illis certiorem reddere debebit Ministrum Provincialem ejusdem Provinciæ pro tempore existentem, ad hoc ut defensioni ipsius Provinciæ consulere valeat: quod si quicquam secus agi, vel attentari, aut etiam obtineri contigerit, id totum nullum, & subreptitium, nulliusque roboris, & momenti existat, nec cuiquam suffragetur.

Altera confirmatio, & extensio præfati Decreti.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces pariter existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac Provinciæ præfatæ, ejusque Superioribus, & Fratribus quibuslibet in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in Literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ habe-

retur

retur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1680. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LXXX. Confirmatur Decretum Congregationis, quo definitum fuit, solum Priorem Generalem Eremitarum S. Augustini habere jus aggregandi ad Archiconfraternitatem Cincturatorum; Vicarios vero Generales Discalceatos erigere posse Confraternitates Corrigiatorum.

Aliud consimile Decretum d. Congreg. Episcop., & Regular. confirmatum fuit Constit. 63. Alias emanavit. *infra pag. 267.*

Confirmatio dicti Decreti.

Vicarii Generales petant a Priore Generali aggregationem Confraternitatum jam erectarum, & erigendarum sub arbitrariis pœnis.

Dat. 5. Julii 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Facultatem a Greg. XIII. Priori Generali concessam sibi vindicarunt Vicarii Generales.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod licet dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster literas Patentes unionum, & aggregationum Confraternitatum, seu Societatum Cincturatorum, quæ de cætero fierent Confraternitati S. Jacobi Civitatis nostræ, tunc suæ Bononien., sub nomine Prioris Generalis dicti Ordinis tantum expediri mandaverit: nihilominus nonnullis abhinc annis Vicarii Generales Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis prædicti jus aggregandi hujusmodi Confraternitates ad Archiconfraternitatem Cincturatorum in Ecclesia ejusdem S. Jacobi Bononien. institutam, non obtenta super hoc a Priore Generali ejusdem Ordinis facultate, sibi competere prætenderunt: Ortaque, & diu ventilata super præmissis lite, Congregatio Ven. Fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum desuper edidit tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Augustinianorum verten. inter Patrem Generalem totius Ordinis S. Augustini ex una, & Patres Vicarios Generales Discalceatorum Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ altera ex partibus -- Sacra Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus auditis, referente Emo Crescentio, censuit non licere Discalceatis Jus aggregandi ad Confraternitatem Cincturatorum Sanctæ Mariæ de Consolatione positam in Ecclesia S. Jacobi Bononiæ; posse tamen erigere Confraternitates Corrigiatorum in propriis eorum Ecclesiis tantum, servata tamen forma Constitutionis sa. me. Clem. VIII., incipien. *Quæcumque &c.* emanat. sub die 7. Decembris 1604., & Decretum ejusdem Sacræ Congregationis, ideoque erectionem factam in Ecclesia Discalceatorum in Civitate Ulyssiponis esse nullam. Romæ 30. Septembris 1678. G. Cardinalis Carpineus.

Decretum S. Congregationis, ex quo sequebatur, nullam ei erectionem Ulissipone factam.

Preces d. Prioris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Dominicus Prior Generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, ac alias opportune in præmissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret; Nos ipsius Dominici Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis, & Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium. Præterea ne pia Christifidelium devotio in acquisitione Indulgentiarum decipiatur, memoratis Vicariis Generalibus harum serie injungimus, ut Confraternitatum Cincturatorum hujusmodi jam erectarum, & per eos, seu eorum Antecessores supradictæ Archiconfraternitati sine sufficienti facultate aggregatarum aggregationem a præfato Dominico, seu pro tempore existente Priore Generali Ordinis prædicti quantocitius fieri poterit, petant, ac tam præfatas Gregorii prædecessoris literas, quam præinsertum dictæ Congregationis Decretum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observent, sub pœnis nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Junii 1680. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXI. Confirmantur quædam Ordinationes Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini circa Electiones Superiorum, & Officialium in Quitensi, aliisque Indiarum Provinciis.

Hac de re vide Constit. Exponi Nobis, *& Constit.* In supremo Militantis.

Dat. 8. Aug. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ sequentium ordinationum.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod ad tollendas omnes

contro-

controverſias, quæ in Quitenſi, aliiſque Indiarum Provinciis dicti Ordinis circa electionum confirmationes a Præſidentibus, ſeu Confirmatoribus faciendas oriri poſſent, dilectus etiam filius Dominicus Valvaſorius Prior Generalis d. Ordinis nonnullas ordinationes fecit, per quaſdam ſuas patentes Literas, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Statutum fuerat a Pontifice, ut validæ cenſerentur electiones omnes confirmatæ a Præſidentibus donec innotelceret definitio Prioris Generalis.

§. 1. Magiſter Frater Dominicus Valvaſorius Mediolanenſis totius Ordinis Eremitarum Sancti P. N. Auguſtini Prior Generalis -- Et ſi ad tollendam a Subditis occaſionem inſurgendi contra Patrem Provincialem, ſeu Rectorem Provinciæ, & alios Superiores in Capitulis Provincialibus, vel alias in Quitenſi, & aliis Indiarum Provinciis reſpective electos, & confirmatos, eiſque debitam obedientiam ſub motivo nullitatis electionis denegandi per Conſtitutionem SSmi D. N. D. Innocentii Papæ XI. feliciter regnantis ſub die 24. Menſis Martii 1678. incipien. *Exponi Nobis &c.* ad noſtram Inſtantiam emanatam ſatis opportune inter alia perpetuo ſtatutum ſit, quod ſi in prædictis Quitenſi, & aliis Indiarum Provinciis Electiones P. Provincialis, & aliorum per ſcrutinium ſecretum a majori parte Electorum factæ, & a P. Præſidente confirmatæ fuerint, omnes, & ſinguli alii defectus, etiam ſubſtantiales Juris, & facti, ſi forte in prædictis Electionibus, & confirmationibus intervenerint ſuppleri intelligantur, & pro ſuppletis habeantur, interim & quouſque ſuper prædictarum Electionum validitate, vel nullitate ad prædictas Quitenſem, ſeu alias Indiarum Provincias reſpective noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum, determinatio perveniat, prout in prædicta Conſtitutione Innocentiana latius continetur, ad quam &c. Quia tamen Patribus Præſidentibus, ſeu Confirmatoribus poſt prælaudatæ Conſtitutionis emanationem, nondum præſcriptum eſt, quomodo, & qualiter auctoritatem confirmandi Electiones exercere debeant, ex quo in Partibus tam remotis faciliter contingi poteſt, ut prædicti Præſidentes, ſeu Confirmatores, ſive ex officio, ſive ad Inſtantiam Partis vel Partium, ſub variis motivis, cauſis, vel prætextibus in graviſſimum tranquillitatis, & pacis, immo & obſervantiæ Regularis, necnon tam Eligentium, & Electorum earumdem Provinciarum, quam noſtræ auctoritatis præjudicium, confirmationem, vel confirmationes Electo, vel Electis denegare, vel retardare, & conſequenter ſalubrem effectum, & efficaciam antedictæ Conſtitutionis fruſtrare, vel impedire poſſint.

At Præſidentibus præſcriptus non fuerat modus confirmandi electiones.

§. 2. Nos propterea eidem Conſtitutioni Innocentianæ inhærentes, atque in hac parte hujuſmodi Provinciarum Religioſæ tranquillitati, & paci conſulere, ac tot malis imminentibus de remedio opportuno providere volentes, tenore præſentium, noſtrique muneris auctoritate, necnon de conſilio Ad. RR. PP., qui Nobis aſſiſtunt, perpetuo declaramus, ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi in prædictis Quitenſi, & aliis Indiarum Provinciis in perſonam, vel perſonas, quæ tempore electionis, ſeu Electionum in quaſi poſſeſſione ſaltem probabili vocis paſſivæ reſpective, ſive Electio, vel Electiones Patris Provincialis, ſeu Rectoris Provinciæ, Diffinitorum etiam additorum Viſitatorum, Priorum localium, Vicariorum, Priorum, Judicum Cauſarum, & Scrutatorum Diffinitorii, item ac Diſcreti Capituli Generalis, necnon aliorum quorumcumque Officialium quocumque nomine nuncupatorum vocem activam in Capitulis Provincialibus habentium per ſcrutinium ſecretum, prout de jure faciendum a majori parte omnium Electorum in Capitulo Provinciali, aut in quocumque Diffinitorio, vel alias quomodolibet reſpective factæ fuerint, Patres Præſidentes Capituli, PP. Provinciales, & alii quicumque Superiores, in quibus auctoritas ordinaria, vel delegata confirmandi pro tempore quomodocumque reſideat, prædictos omnes, & ſingulos Electos ut ſupra, eorumque ſingulares Electiones ſine retardatione confirmare omnino teneantur, non obſtante quocumque defectu, etiam ſubſtantiali, vel quacumque proteſtatione, vel appellatione, ſive ante, ſive poſt hujuſmodi Electionem, vel Electiones facta, vel interpoſita, etiam de Jure. Quod ſi nihilominus hujuſmodi confirmationem denegaverint, vel aliquo modo retardaverint, tunc hujuſmodi Electus, vel Electi, eorumque ſingulares Electiones præſentium vigore toties quoties perpetuis futuris temporibus opus fuerit, confirmati reſpective ſint, ac pro confirmatis habeantur, eodem prorſus modo, ac ſi a prædictis Patribus auctoritatem confirmandi habentibus, confirmati fuiſſent, quatenus ſine obice ſuam reſpective auctoritatem, Officia, & dignitates libere, & licite exercere poſſint, & valeant in eo interim quod ad præſcriptum prælaudatæ Conſtitutionis Innocentianæ ſuper prædictarum Electionum validitate, vel nullitate ad prædictas Quitenſem, & alias Indiarum Provincias noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum determinatio reſpective perveniat, legitimeque intimata fuerit. Declarantes præterea, prout tenore præſentium declaramus privative quoad aliam quamcumque auctoritatem, ſeu Juriſdictionem prædictarum reſpective Provinciarum, etiam P. Præſidentis, & Judicum Cauſarum, atque cujuſcumque Diffinitoris, etiam Capituli Provincialis, ad nos, & ſucceſſores noſtros pro tempore exiſtentes tam Congregationem, quam determinationem ſuper nullitate cujuſcumque Electionis, ut ſupra factæ, etiam ipſo Jure contra tam ante, quam poſt confirmationem deducta, vel quomodocumque cognita dumtaxat pertinere.

Ideo declaratur, debere Præſidentes immediate confirmare electiones, ſemel ac factæ fuerint a majori parte Electorum.

Alias earum literarum vigore eæ tanquam confirmatæ cenſeantur.

Quarum cognitio ſeu determinatio privative ad Priorem Generalem pertineat.

§. 3. Præcipimus omninus, & ſingulis RR. PP., ac Venerabilibus Fratribus cujuſcumque qualitatis, conditionis, & dignitatis, etiam Provincialatus, & Præſidentis Capituli in prædictis Quitenſi, & aliis Indiarum Provinciis nunc, & pro tempore exiſtentibus in meritum ſalutaris obedientiæ ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ per decennium, ac excommunicationis majoris latæ ſententiæ, quam hac una pro trina Canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis, licet inviti ferimus, ipſo facto incurrendis pœnis, ne ſub quovis motivo, cauſa, vel prætextu impedimento ſint, quominus præſentes literæ, quas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & perpetuo fore decernimus, & declaramus ſuum integrum, ac plenarium in omnibus, & per omnia ſortiantur effectum, nec eas de obreptionis, vel ſubreptionis vitio, aut de alio quocumque defectu, etiam auctoritatis, vel intentionis noſtræ notare, ſeu impugnare audeant, vel attentent; ſed potius ſtatim ac hujuſmodi literæ ad prædictas Quitenſem, & alias Indiarum Provincias reſpective pervenerint, ſub ejuſdem privationis, & excommunicationis pœnis omni, & quacumque appellatione, & ſupplicatione remota, eas in quocumque Diffinitorio, etiam privato integre reſpective recipiant, in omnibus, & ſingulis caſibus emergentibus ad literam obſervent, ac exequutioni mandent: Sicque in præmiſſis per quoſcumque prædictarum Provinciarum, & Ordinis noſtri Judices, & Superiores ordinarios, & delegatos, necnon per quæcumque Tribunalia, & Definitoria judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ipſo facto, & abſque alia declaratione, decernentes, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit.

Clauſulæ. Præcipitur præſentium obſervantia ſub certis pœnis.

§. 4. Non obſtantibus quibuſcumque prædictarum Provinciarum Definitionibus, Actis, ſta-

tutis,

tutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon nostris, vel prædecessorum nostrorum Declarationibus, Statutis, Decretis, & Ordinationibus in contrarium præmissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, concessis, innovatis, & emanatis. Quæ omnia, & singula inquantum præsentibus literis adversantur, seu contrariantur expresse revocamus, derogamus, & annullamus; ac revocata, annullata, derogata, & nulla nulliusque roboris, & momenti esse volumus, & declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ in Conventu nostri Sancti Patris Augustini die ultima Mensis Junii 1680. -- F. Dominicus Valvasorius Mediolanensis Generalis licet indignus Ordinis Eremitarum S. P. Augustini -- Magister F. Carolus Maria Perusia Mediolanensis Secretarius Ordinis -- Loco ✠ Sigilli -- Registrat. lib. 2.

Dat. 30. Junii 1680.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut literæ præinsertæ firmius subsistant, & in Partibus adeo remotis executioni mandentur, ac serventur exactius, præfatus Procurator Generalis illas Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui memoratum Procuratorem Generalem audiverunt consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Palutii S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris eisdem Cardinalibus super præmissis facta, præinsertas patentes literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & Facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio præinsertarum ordinationum.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Conceditur Indulgentia Plenaria Perpetua semel in Mense Confraternitatibus Cordigerorum in Ecclesiis Conventualium S. Francisci erectis in die solitis Processionibus. LXXXII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Augu. 1680. A. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Precibus Procurat. Gener. Conventualium conceditur prædicta Indulgentia Confratribus, & Consororibus.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii Joannis Franchini Mutinen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus Confraternitatum sub titulo, seu denominatione Funiculi ejusdem S. Francisci, sive Cordigerorum in Ecclesiis dicti Ordinis hactenus erectarum, & in futurum erigendarum vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui, & quæ Processioni per easdem Confraternitates semel in Mense fieri solitæ devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice præfatarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Augusti MDCLXXX. Pontif. nostri Anno Quarto.

Conceditur Indulgentia Plenaria Perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum, vel Monialium Ordinis S. Francisci in Festivitatibus dicti Sancti, necnon Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Episcopi, Bernardini, ac S. Claræ. LXXXIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Aug. 1680. An. 4.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Causa Indulgentiæ.

CUM a primæva Institutione Regulæ Beati Francisci, tam ob illius, & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Episcopi, & Confessoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Sanctæ Claræ, aliorumque ejusdem Ordinis se-

quacium

quacium ſanctitatem, & miraculorum multitudinem, quam etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum merita, ingens ubique Chriſtifidelium multitudo ſingularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum, Nos, ut ipſorum Fidelium devotio hujuſmodi non modo conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberius conſulatur, precibus etiam dilecti filii Joannis Franchini Mutinen. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Procuratoris Generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quam cæteris utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti diebus feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, ac Bernardini prædictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Obſervantia, necnon die Feſtivitatis S. Claræ Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quam erigendas, vel earum aliquam a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis eorumdem dierum ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem præſentes literæ ad ipſorum Chriſtifidelium notitiam facilius, citiuſque perveniant, volumus, quod earum exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Minor. Conventualium.

Conceſſio Indulgentiæ prædictæ.

Clauſulæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Auguſti 1680. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

LXXXIV.

Statuitur, ut tam Capitulum Generale, quam Dieta Intermedia Congregationis Caſſinenſis Ordinis S. Benedicti ante triennium non celebretur.

Hac de re vide Clem. X. Conſt. 14. editam anno 1670. die 22. Auguſti, Pont. 1. ſup. Tom. VI. pag. 314. Item Conſt. 88. Innoc. XI. editam anno 1680. die 22. Novembris Pont. 5. inf. pag. 354. necnon Conſt. 5. Inn. XII. editam anno 1691. die 28. Julii Pont. 1. ſup. Tom. VII. pag. 139. in quarum prima celebrari debebat Capitulum poſt triennium, altera confirmata fuerunt ſtatuta Caſſinenſium, & poſtrema immutatum fuit tempus Dietæ.

Dat. 9. Sept. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Conſtitutionibus celebrabatur Generale Capitulum ſingulis annis, ſed poſtea ex Decreto Generalis Capituli a Clem. X. confirmato altero quoq; anno.

CUM (ſicut accepimus) Dudum felic. rec. Clemens Papa X. prædeceſſor noſter quoddam decretum a Capitulo Generali Congregationis Caſſinen. Ordinis S. Benedicti Mantuæ in Monaſterio ejuſdem S. Benedicti celebrato factum, ut ad evitandas expenſas, ac itinerum incommoda Capitulum Generale ipſius congregationis, quod à Conſtitutionibus ejuſdem Congregationis ſingulis annis celebrandum mandabatur in poſterum altero quoque anno ad mentem rec. me. Alexandri Papæ VIII. prædeceſſoris pariter noſtri cogi deberet Apoſtolica auctoritate inter alia, confirmaverit, & approbaverit, prout in ipſius Clementis prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 22. Auguſti 1670. expeditas, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur:

Cauſa tertii Statuti.

§. 1. Nos conſiderantes Congregationem prædictam, ejuſque Monaſteria, & perſonas, propter nimis frequentes Capitulorum Generalium, & Dietarum intermediarum celebrationes, expenſis, & itinerum incommodis adhuc nimium gravari, ac proinde illorum utilitati, & commoditati peramplius, quantum cum Domino poſſumus, conſulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut de cætero tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia præfatæ Congregationis Caſſinen. quolibet triennio a proxime futuro Capitulo Generali, quod Tertia Dominica poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ anni proxime venturi 1681. celebrandum eſt, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium continuando, celebrentur: ita ſcilicet, ut Dieta hujuſmodi octodecim Menſibus poſt celebrationem cujuſcumque Capituli Generalis pro rebus, & negotiis, quibus interea conſulendum fuerit, ante tamen feſtum Circumciſionis Domini immediate ſequens, & non aliter haberi debeat. Viſitatores vero, qui juxta Conſtitutiones prædictas eidem Dietæ intereſſe debebunt, in acceſſu ad ipſam Dietam, & in reditu ab illa viſitationes Monaſteriorum ſibi reſpective aſſignatorum terminare, & abſolvere teneantur tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Statut. prædictum, & præciſe definitur tempus Capituli, & Dietæ, cujus occaſione viſitationes abſolvendæ ſunt.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas ipſæ præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi

Clauſulæ.

terpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Monasteriorum, & aliis quibusvis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Decretis, & usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Monasteriis, Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime servatis, insertis, expressis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Septembris MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXV. Extenditur Decretum Prioris Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini de consanguineis, & affinibus Religiosis, ad Discalceatos Congregationis Hispaniæ, & Indiarum ejusdem Ordinis.

De hoc Decreto extat duplex confirmatio, una in Const. Clem. VIII. edita , altera vero in Const. Inn. X. ad an. 1647. d. 23. Febr. Pont. IV.

Dat. 14. Sept. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum hujusmodi primo confirmatum fuit a Clem. VIII., & postea ab Innoc. X., ut infra.

DUdum fel. rec. Innocentius PP. X. prædecessor noster quoddam Decretum a quon. Andrea Fivizano dum vixit Priore generali Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro felici ejusdem Ordinis regimine inter alia editum auctoritate Apostolica confirmavit per suas in simili forma Brevis die 23. Februarii 1647. desuper expeditas literas, tenoris, qui sequitur videlicet. Innocentius PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Injuncti Nobis (reliqua legi possunt suo loco.

Preces Vicarii Generalis dd. Fratrum Discalceatorum, & causa extensionis Decreti.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes a Præsentatione Vicarius Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, & Indiarum dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatio ad observantiam Constitutionum Fratrum Calceatorum Ordinis præfati non teneatur, ac proinde dubitari possit illam nec Decretum prædictum servare teneri. Ipse vero Joannes Vicarius Generalis pro felici, & prospero suæ Congregationis præfatæ regimine, & gubernio Decretum hujusmodi sublato quocumque usu, vel consuetudine, qui, vel quæ in contrarium allegari posset in eadem Congregatione observari plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Joannis Vicarii Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati Decretum præinsertum a memorato Andrea Fivizano Procuratore Generali editum, & a præfato Innocentio prædecessore confirmatum, ut præfertur, in universa Congregatione prædicta Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, & Indiarum, ac ab omnibus, & singulis ipsius Congregationis Superioribus, & Fratribus, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, sublato quocumque usu, vel consuetudine, qui, vel quæ in contrarium quovis modo allegari valeret, de cætero inviolabiliter observari debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Extensio Decreti ad præfatam Congregationem.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ Apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Septembris MDCLXXX. Pontif. nostri Anno Quarto.

LXXXVI. Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo declaratum fuit, non licere ſuperioribus Ord. B. M. de Mercede delegare auctoritatem conferendi habitum Tertiariorum utriuſque ſexus; poſſe tamen eos horum curam probo Religioſo committere.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 30. Sep. 1680. An. 4.

NUper pro parte dilecti filii Joſephi Linas Fratris expreſſe profeſſi, & Procuratoris Generalis Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magiſtri Congregationi venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, expoſito, quod cum in dicto Ordine eſſent quamplurimi Tertiarii, & Tertiariæ, ſeu Pizochæ ſub Tertiariorum Regula, ex habitu ejuſdem Ordinis pie, & laudabiliter viventes, dubitatum aliquando fuerat, an pertineret privative ad Superiores ipſius Ordinis prædictis Tertiariis habitum conferre, an verò poſſent delegare aliquem virum Religioſum, probatæque virtutis, ut illis habitum hujuſmodi conferret, curamque eorum haberet precipue circa Regulæ obſervantiam; ideoque pro ipſius Joſephi parte præfatæ Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut pro majori ſecuritate dubitationem hujuſmodi reſolvere dignaretur: eadem Congregatio Cardinalium per ſuum Decretum die 11. Auguſti proxime præteriti emanatum ſupplicem Libellum ſibi ſuper præmiſſis porrectum remiſit dilecto filio Noſtro ejuſdem S. R. E. Presbytero Cardinali Otthobono nuncupato d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, ut veris exiſtentibus narratis circa ejuſdem Joſephi Procuratoris Generalis preces id ſtatueret, quod pro ſuo arbitrio, & conſcientia in Domino expedire cenſuiſſet. Porro idem Petrus Cardinalis, & Protector in vim facultatis ſibi per Decretum hujuſmodi attributæ, ſuper præmiſſis Decretum edidit tenoris, qui ſequitur videlicet. Vigore retroſcriptæ facultatis Sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium Negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, recognito ſupplici libello a Procuratore Generali exhibito, & re mature conſiderata declarandum, & ſtatuendum duximus: Non licere ſuperioribus localibus Religionis, delegare auctoritatem conferendi habitum Tertiariorum prædictis utriuſque ſexus Tertiariis, ſed ad illos hoc privative ſpectare: poſſe tamen ſemel indutis in illorum curam circa obſervantiam Regulæ Virum Religioſum ejuſdem Religionis probatæque virtutis deſtinare, prout præſenti Decreto auctoritate qua ſupra decernimus, ſtatuimus, & declaramus. In quorum fidem &c. Datum ex ædibus noſtris hac die 14. Septembris 1680. Cardinalis Otthobonus totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Protector.

Propoſitum fuit dubium S. Congregationi Epiſc., & Reg.

Remiſſum fuit ad Card. Protectorem.

Ejus Decretum.

§. 1. Cum autem, ſicut dictus Joſephus Prior Generalis Nobis ſubinde exponi fecit ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Joſephum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum a memorato Petro Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit Ordinis prædicti, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXX. Septemb. MDCLXXX. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

LXXXVII. Confirmantur quædam Decreta Capitulorum Fratrum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Hiſpaniæ a S. Congregatione approbata, nec non aliud Card. Protectoris pro eorum Decretorum executione.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 25. Oct. 1680. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Ferdinandi de Villadiego, & Peralta Fratris expreſſe profeſſi, & in Romana Curia Procuratoris Provinciæ S. Petri de Alcantara in Hiſpania Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ, ſive Diſcalceatorum nuncupatorum nomine dictæ Provinciæ Congregationi Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod in quodam libro Actorum, & Decretorum Capitulorum Provincialium, Congregationum intermediarum, & coadunationum particularium Diffinitorii præfatæ Provinciæ aderat Decretum Capituli Provincialis in Conventu Granaten S. Antonii Patavini die 20. Octobris 1663. celebrati folio 17. appoſitum, tenoris, qui ſequitur videlicet. Item totum Capitulum Provinciale decrevit, quod reſcripta, ſeu Inſtrumenta autentica capitulationum, pactorum, ſeu concordiarum

Decretum Capituli Provincialis, de exhibitione

Capitulationum, & pactorum, seu concordiarum.

obtenta, vel futura cum Ecclesiasticis, sive cum Sæcularibus, ut robur, consistentiam, & firmitatem habeant totius Diffinitorii auctoritate, & consensu exhibeantur coram Testibus, & sub Tabellionis publici, vel Notarii Apostolici subscriptione; quælibet autem Instrumenta, quæ cum eadem solemnitate, & per solum Ministrum Provincialem fuerint exhibita, etiamsi ipse Minister testetur se ad hoc habuisse consensum unanimem totius Diffinitorii nullius roboris, validitatis, & substantiæ sint -- Fr. Gaspar Garcia Minister Provincialis, Fr. Franciscus de Morales Pater, & Diffinitor -- Fr. Andreas de Alarcon Custos -- Fr. Ildefonsus de Monte Alegre Definitor. -- Fr. Salvator de Robles Diffinitor -- Fr. Didacus Peroz Diffinitor. Ac similiter in præfato libro fol. 160. reperiebatur aliud Decretum die 27. Februarii 1680. editum, tenoris sequentis videlicet: in ipsa supra relata die 23. Februarii 1680. suas Diffinitorium conferens Capitulares sessiones, in hac novissima, subsequens Decretum, seu statutum condidit. Cum ex libro Capitulari hujus Provinciæ pag. 17. constet capitulum Provinciale in hoc Granatensi Conventu D. Antonii Patavini die 20. Octobris 1663., celebratum decrevisset, quod Patentes, & authenticæ literæ Capitulorum, vel concordiarum, sive cum Ecclesiasticis, sive cum Sæcularibus, ut firmitatem, & subsistentiam habeant Diffinitorio pleno, nemine discrepante, & unanimiter consentiente firmentur, & cum solemnitate Juris authentice subscribantur; si autem Instrumenta præfata, quantumvis authentica, solum Ministri Provincialis placito, Juramento, & subscriptione afficiantur, licet ipse testetur totum Diffinitorium erga prædicta, suum consensum præstasse, irrita sint, & invalida, quare Instrumenta hujusmodi, si nunquam quibunt obstare nostræ juri Provinciæ, cujus præsens, & antiqua Sanctio, seu Constitutio recta, idoneaque videatur ad inconvenientia, quæ ex oppositio possunt oriri, procul releganda, & ita peroptans Diffinitorium prædictum hanc rectam, idoneamve constitutionem, seu determinationem, omnimoda subsistere firmitate, ne umquam illa pacta Concordiæ, seu Capitulationes præfatæ absque matura, & necessaria deliberatione, consilioque sufficienti solemniter, & authentice fiant, decrevit, quod tam hujus sanctionis, seu determinationis a præsenti Diffinitorio factæ, quam alterius a toto Capitulo Provinciali exhibitæ demandentur exempla, seu integra transumpta, & a Tabellione publico, vel Notario Apostolico subscripta, & ita præsentari coram Sac. Episcoporum, & Regularium Congregatione ipsius Confirmationem efflagitando: qua obtenta, exponatur suppliciter cum præmissis Sanctæ Sedis Apostolicæ ad roborationis effectum obtinendæ, ut omnia præmissa communita patrocinio Apostolicæ Confirmationis, subsistant firmius, & serventur exactius, quo tam hæc ultima sessio, quam hujus reliquæ intermedii Capituli finitæ fuere, ac propriis subscriptæ manibus eodem die, mense, & anno, ut supra -- Fr. Petrus de Cordova Lector Sacræ Theologiæ, Minister Provincialis -- Fr. Ildefonsus de Segura Pater, & Diffinitor -- Fr. Salvator Aguary Pater, & Diffinitor -- Fr. Franciscus Lopez Custos, & Sacræ Theologiæ Lector -- Fr. Antonius Albertus Diffinitor -- Fr. Antonius Matamoros Diffinitor.

Aliud simile Decretum de confirmatione a Sede Apost. obtinenda.

§. 1. Et proinde pro parte d. Ferdinandi Procuratoris præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut Decreta Provincialia hujusmodi confirmaret: eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die VI. Septembris proxime præteriti emanatum, attenta super præmissis relatione Ven. Fratris nostri Alderani Episcopi Tusculan. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, petitam confirmationem Provinciæ prædictæ benigne concessit, illiusque executionem, & observantiam arbitrio, & prudentiæ ejusdem Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris remisit; qui subinde auctoritate sibi per prædictam Congregationem Cardinalium attributa, Decretum edidit, tenoris qui sequitur, videlicet: Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybo, Seraphici Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protector. Ex quo Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium placuit retroscriptæ Decreta Provincialia approbare, & confirmare, eorumque executionem, & observantiam Protectioni nostræ committere. Nos ejusdem S. Congregationis auctoritatem modernis, & pro tempore existentibus superioribus præfatæ Provinciæ districte præcipimus, & mandamus quatenus supradicta Decreta, illorumque tenorem perpetuis futuris temporibus fideliter observent, & exequantur, ac ab omnibus aliis observari, & exequi faciant, nec illa sub quocumque prætextu infringere, mutare, aut etiam diversimode interpretari Nobis, & pro tempore existente Ordinis Protectore inconsultis audeant, & præsumant, seu ab aliis mutari, infringi, aut diversa interpretatione retorqueri permittant sub pœnis adversus contrafacientes privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrio nostro, & pro tempore existentis Protectoris infligendis non obstantibus quibuscumque &c. Romæ die 11. Septembris 1680. -- A Cardinalis Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca &c.

Ejus Decretum sub certis pœnis.

Confirmatio Congregationis, & commissio facta Card. Protectori pro executione.

§. 2. Cum autem sicut præfatus Ferdinandus Procurator Nobis postmodum exponi fecit, ipse præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Ferdinandi Procuratoris votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta duo Decreta Provincialia a memorata Cardinalium Congregatione, ut præfertur confirmata, nec non pro eorum executione, & observantia emanatum a præfato Alderando Episcopo, & Protectore Decretum itidem præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Procuratoris Generalis d. Provinciæ.

Confirmatio præinsertorum Decretorum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet

libet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque,

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Octobris MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXVIII. Confirmantur tam Declarationes ad Regulam, quam Constitutiones Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti.

Plura statuta habentur in Clem. X. Const. edita an. 1670. Aug. 22. Pont. I. Const. ed. 1670. Septemb. 9. Pont. I. Const. ed. 1675. Apr. 24. Pontif. V. Item Inn. XI. Const. ed. 1676. Nov. 17. Pont. I. Const. ed. 1680. Septem. 9. Pont. IV., Et Const. ed. 1681. Janu. 10. Pont. V.

Dat. 22. Nov. 1680. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari imponere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Monasticos Ordines in Ecclesia Dei pie, sancteque institutos, ac annosa, celeberrimaque sanctitatis, & religiositatis laude fulgentes in salutari eorum vivendi norma, monasticaque observantia confovere, atque conservare omni studio connitimur; ac proinde ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio, provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, ut serventur exactius, & perenni stabilitate persistant, Apostolici muniminis patrocinio libenter corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Declarationes, & Constitutiones prædictæ ad examen revocatæ emanarunt, ut infra.

§. 1. Cum itaque dudum a Monachis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti factæ fuerint nonnullæ declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac Constitutiones pro felici ejusdem Congregationis gubernio, ejusque Monachorum in via mandatorum Domini directione, quæ jussu nostro a quibusdam Viris, pietate, prudentia, rerum usu, & sacrarum literarum scientia eximie præditis diligenter revisæ, & discussæ, ac ubi opus esse visum est, opportune correctæ, & ad præsentem rerum statum aptatæ fuerunt, ac in unum volumen collectæ sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 2. *In nomine Domini Nostri Jesu Christi, Sancti Monachorum Patris Benedicti in Regulam suam Prologus.*

Ausculta, o fili, præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui: & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter comple, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, quo per inobedientiæ desiderium recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo, vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumis, in primis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici, instantissima oratione deposcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari, ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est: ut non solum iratus Pater, non aliquando filios suos exhæredet; sed nec ut metuendus Dominus, irritatus malis nostris, ut nequissimos servos, perpetuam tradit ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam. Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos scriptura, ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere; & apertis oculis nostris ad Deificum lumen, attonitis auribus, audiamus, divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; & iterum: Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Et quid dicit? Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos; currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens Dominus in multitudine Populi, cui hæc clamat, operarium suum, iterum dicit: Quis est homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Quod si tu audiens, respondeas, Ego; dicit tibi Deus, si vis habere veram, & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras. Et antequam me invocetis, dicam: Ecce adsum. Quid dulcius Nobis hac voce Domini, invitantis nos fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ. Succinctis ergo fide, vel observantia bonorum actuum, lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus, ut mereamur eum, qui nos vocavit, in regno suo videre, in cujus regni tabernaculo, si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minime pervenitur: sed interrogamus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post hanc interrogationem, fratres audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius Tabernaculi, ac dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo: Qui non egit dolum in lingua sua, qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximum suum. Qui malignum Diabolum aliqua suadentem sibi, eum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus ejus tenuit, & allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit, dicens: Gratia Dei sum, id quod sum; & iterum ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur, unde ei Dominus in Evangelio ait, Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt Domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram. Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie, his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam prius Dominus dicit; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore Tabernaculi ejus audivimus habitandi præceptum, sed si compleamus habitatoris officium erimus hæredes Regni Cælorum. Ergo præparanda sunt corda, & corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura; & quod minus habet in Nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiæ suæ jubeat nobis adjutorium ministrare; & si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat, &

Implorandum Dei auxilium pro profectu in bonis operibus, sine quibus Regnum Cælorum ingredi nequimus.

in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.

Hinc opportunum erit, Scholam bonorum operum instituere, quæ tamen dura non præscribat.

(a) Constituenda est ergo a nobis Dominici Schola servitii, in qua institutione nihil asperum, nihilque grave nos constituturos speramus, sed & si quod paululum restrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit, non illico pavore perterritus, refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu vero conversationis, & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei: ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes in ejus doctrina usque ad mortem in Monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemus, ut & Regni ejus mereamur esse consortes.

PROLOGUS

Declarationum Patrum Congregationis Cassinensis.

Abbatis jussiones sint moderatæ, cujusmodi erunt sequentes Declarationes.

(a) Finis, & perfectio legis charitas; charitas autem benigna est: ideoque discretissimus æque, ac sanctissimus Legislator noster monet, ita ab Abbate disponenda omnia, ac moderanda ut debiles non refugiant, sed alacri obedientia, salutem operentur animarum. Hac nos doctrina instructi, & Apostolica auctoritate muniti, quædam in Regula benignius declarabimus, aliqua modernis Ecclesiæ legibus, & ritibus componemus, cuncta demum sic temperabimus, ut nihil nimis arduum, & onerosum injungendo, iter Evangelicæ perfectionis, & observantiæ Regularis in unitate spiritus, & in vinculo pacis dilatato corde curramus.

Incipit Regula S. Patris Benedicti.

De Generibus Monachorum.

CAPUT I.

Quatuor sunt genera Monachorum, Cœnobitarum nempe, Anachoretarum, Sarabaitarum, & Gyrovagorum.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est, primum Cœnobitarum, hoc est Monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est Eremitarum, horum, qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum multorum solatio jam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius sola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium vero Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in Plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qui bini, aut terni, aut certe singuli, sine Pastore non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, putant non licere. Quartum vero genus est Monachorum, quod nominatur Gyrovagum, qui tota vita sua per diversas Provincias ternis, aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, & propriis voluptatibus, & regulæ illecebris servientes, & per omnia deteriores Sarabaitis, de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

Qualis debeat esse Abbas.

CAPUT II.

Abbas præcepta Christi tantum proponat, idque verbis & factis.

Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen majoris factis implere. Christi enim agere vices in Monasterio creditur quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater: ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut vel constituere, vel jubere; sed jussio ejus, vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ in Discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo Judicio Dei facienda erit discussio. (a) Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ovibus Pater familias utilitatis minus potuerit invenire. Tantum iterum liber erit, si inquieto, vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita. Pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona, & sancta, factis amplius, quam verbis ostendere, ut capacibus Discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde, & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret: (b) omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria in suis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur: ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecti sermones meos post te: Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo proprio trabem non vidisti! non ab eo persona in Monasterio discernatur, non unus plus ametur, quam alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non convertenti ex servitio præponatur ingenuus, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita justitia dictante, Abbati visum fuerit, & de cujuslibet ordine id faciat, sin alias propria teneant loca: quia sive Servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus: & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus: quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur. Ergo æqualis sit omnibus ab eo charitas: una præbeatur omnibus secundum merita disciplina.

Arguere, obsecrare, & increpare debet.

In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa, idest miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta: dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum, idest indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, ut melius proficiant, obsecrare; negligentes autem, & contemnentes ut increpet, & corripiat, admonemus (c) neque dissimulet peccata delinquentium: Sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo. Et honestiores quidem, atque intelligibiles animos prima, vel secunda admonitione, verbis corripiat: Improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterum: Per-

cute

cute filium tuum virga, & liberabis animam ejus a morte.

Meminisse debet semper Abbas, quod est: meminisse quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur: sciatque quam difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus. (d) Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, & secundum uniuscujusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet, & aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur; verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulans, aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis, & terrenis, atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suas suscepit regendas, de quibus, & rationem redditurus est. Et ne causetur forte de minori substantia, meminerit scriptum: Primum quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis: Et iterum: Nihil deest timentibus eum, sciatque quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die Judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio additam & suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis solicitus. Et cum de admonitionibus suis emendationem aliis submínistrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

Solicitus magis sit de salute animarum, quam de rebus terrenis.

DECLARATIO.

Ibi, sciatque Abbas culpa Pastoris.

1. (a) Considerent maxima cum attentione Prælati doctrinam hujus capitis, curentque omni vigilantia, ut Fratres ad regularem observantiam, ad Sacras item lectiones, meditationes, ac orationes sedulo incumbant, SSma Sacramenta, celebrationesque Missarum devote frequentent; ac præsertim invigilent, ne Officiales, tam Monachi, quam Commissi, qui extra Monasteria ob curam rerum temporalium degunt, propter hujusmodi administrationes spiritualia exercitia prætermittant.

Curet, ne Fratres spiritualia exercitia negligant.

Ibi, omnia vero.

2. (b) Prælati, ut Subditos reddant in obsequendo promptiores, ipsi forma Gregis fiant, & Duces agendorum. Ergo regularibus observantiis Chori, Refectorii, cæterisque semper intersint. Blandissime quippe jubetur exemplo.

Functionibus omnibus intersit.

Ibi, neque dissimulet.

3. (c) Zelum disciplinæ exigens Dominus a Prælatis: Noli (inquit) quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, nimirum docens, non levis culpæ reum se constituere, qui cum pro suo munere, sibique tradita potestate peccata compescere, & emendare debeat, dissimulando & connivendo, fovet & auget. Hoc ergo Divinum pariter, & regulare documentum satagant Patres studiosius adimplere; ne propter correctionis omissionem vitia, & peccata succrescant, quinimo contra criminosos procedant, etiam ex officio. Quod si in gravioribus causis neglexerint, severe in ipsos a Diffinitoribus, vel a regimine pro modo culpæ animadvertatur.

Ne Indulgentia foveat peccata sub gravibus pœnis.

Ibi, & alium quidem blandimentis.

4. (d) Hinc noverint Abbates quanta indigeant prudentia in regendis Subditis, & qua diseretione, ac flexibilitate se debeant uniuscujusque naturæ aptare, ut animas lucrifaciant. Nullum enim animal lenius, atque morosius tractandum est, quam homo præsertim ingenuus.

Maximam prudentiam adhibeat.

De adhibendis ad Consilium Fratribus.

CAPUT III.

(a) Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio (b) convocet (c) Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se, & quod utilius judicaverit, faciet. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpe Juniori Dominus revelet, quod melius est. Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio: ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant: Sed sicut Discipulis convenit obedire Magistro, ita, & ipsum provide, & juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam: neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in Monasterio sequatur cordis proprii voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve intus, aut foris Monasterium contendere, quod si præsumpserit regulari disciplinæ subjaceat, ipse tamen Abbas cum timore Dei, & observatione Regulæ omnia faciet: Sciens se procul dubio de omnibus Judiciis suis æquissimo Judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, (d) Seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, post factum non pœnitebis.

Abbas in præcipuis agendis audito Fratrum omnium consilio definiat.

Nec cum eo quisquam contendat sub disciplinæ pœna.

In minoribus vero rebus seniores tantum convocet.

DECLARATIO.

Ibi, aliqua præcipua.

1 (a) Inter præcipua, in quibus maximè totius Congregationis, sive Conventus cujuscumque Monasterii consilia, & vota requiri debent, sunt, receptio Novitiorum ad professionem, Collatio Beneficiorum, (ubi consuevit Conventus intervenire hujusmodi collationibus) Syndicatus, locationes ad longum tempus, acceptatio Missarum perpetuarum, & alia hujusmodi; quælibet etiam alienatio rerum Ecclesiasticarum, immobilium, & pretiosarum mobilium; Hæc enim per Sacros Canones sine facultate Summi Pontificis omnino fieri prohibentur.

Recensentur res præcipuæ.

2. Porro alienationum negotium, ut mature, riteque peragatur, sic dirigendum ordinamus (præterquam si esset fundus, vel res exigui valoris). Ineatur primo inter Superiores consilium, an alienatio expediat, utilisque futura sit Monasterio; Deinde consentientibus Superioribus res deferatur ad universum Conventum legitime congregatum, a quo publica discussione examinetur.

De ratione servanda in alienationibus.

3. Postliæc secretis cunctorum votis exponatur, & si ex tribus partibus, quibus totus Conventus coalescit, saltem duas consentire urna protulerit, tunc petenda erit licentia a Capitulo Generali ostendendo authentice rem a privato Capitulo Monasterii fuisse diligenter discussam, & utilem judicatam, & Instrumento firmatam; Demum pro facultate Canonica adeunda erit Apostolica Sedes, cujus licentia impetrata, alienatio fiat, vel per viam permutationis, vel ita caute, secureque pecunia inde proveniens applicetur, ut omne Monasterii detrimenti periculum præcaveatur. Sæpe enim accidit Laicorum bona esse hypothecata, aut fideicommisso subjecta, aut aliter obligata.

4. Bona emphyteutica, sive feudalia, si quæ defectu descendentium, vel quovis alio titulo ad Monasterium libere devolvi contigerit, in Emphyteusim, vel feudum denuo dari prohibemus, absque licentia Capituli Generalis, vel saltem Præsidis, & unius Visitatoris illius Provinciæ. Solemnitates vero alienationum præscri-

Item in bonis emphiteuticis.

buntur in Constitutionibus Pauli II., & Urbani VIII.

Ibi, convocet Abbas omnem Congregationem.

Fratres humilitatem, & secretum ament sub certis pœnis.

5. (*b*) Antequam Abbas exponat causam, de qua agendum est, exhortetur Fratres, ut cum humilitate dent consilium, juxta hoc Capitulum.

6. Prohibemus autem ne quis Frater audeat revelare ea, quæ in Capitulis particularibus Monasteriorum tractata fuerint, quæ a Patribus vetita sint revelari. Quod si quis transgressus fuerit, injungatur ei pro hac gravi inobedientia, ut dicat suam culpam in Capitulo coram omnibus: jejunetque semel pane, & aqua in terra in Refectorio, & privetur per sex menses voce activa, & passiva Capituli.

Ibi, Abbas.

Hoc nomine venit etiam Prior.

7. (*a*) Declaramus per totam Regulam idem intelligendum de Priore, ubi dignitas Monasterii non esset Abbatia, sed Prioratus.

Ibi, Seniorum tantum utatur consilio.

Hoc vero alio Prior Claustralis, & Decani regiminis.

8. (*b*) Declaramus nomine Seniorum intelligendum esse Priorem Claustralem, & Decanos regiminis cum quibus Prælati negotia Monasteriorum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus occurrentia, legitime tractare, & expedire possint.

Quæ sint Instrumenta Bonorum Operum.

CAPUT IV.

1. Primum Instrumentum in primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota Anima, tota virtute.

2 Deinde proximum tamquam seipsum. Deuter. 6.
3 Deinde non occidere. Luc. 10.
4 Non adulterari. Levit. 19.
5 Non facere furtum. Exod. 20.
6 Non concupiscere. Deuter. 6.
7 Non falsum Testimonium dicere. 1. Petr. 2.
8 Honorare omnes homines. Luc. 9.
9 Et quod sibi quis fieri non vult alii non faciat. Tob. 4.
10 Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. Matth. 7.
11 Corpus castigare. 1. Cor. 9.
12 Delicias non amplecti. 2. Petr. 2.
13 Jejunium amare. Dan. 1.
14 Pauperes recreare. Tob. 4.
15 Nudum vestire. Esa. 58.
16 Infirmum visitare. Matth. 25.
17 Mortuum sepelire. Tob. 1., 2.
18 In tribulatione subvenire. Eccli. 6.
19 Dolentem consolari. Eccli. 7.
20 A sæculi actibus se facere alienum. 2. Tim. 2.
21 Nihil amori Christi præponere. Matth. 10.
22 Iram non perficere. Matth. 5.
23 Iracundiæ tempus non reservare. Ephes. 4.
24 Dolum in corde non tenere. Prover. 12.
25 Pacem falsam non dare. Job. 36.
26 Claritatem non derelinquere. Psalm. 27.
27 Non jurare ne forte perjuret. 1. Petr. 4.
28 Veritatem ex corde, & ore proferre. Matth. 5.
29 Malum pro malo non reddere. 1. Psal. 14. 1. Thess. 5.
30 Injuriam non facere, sed factam patienter sufferre. 1. Cor. 6.
31 Inimicos diligere. Matth. 5.
32 Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. Rom. 12. 1. Petr. 3.
33 Persecutiones pro justitia sustinere. Matth. 5.
34 Non esse superbum. Tob. 4.
35 Non vinolentum. 1. Timot. 3.
36 Non multum edacem. Eccli. 31. 37.
37 Non somnolentum. Prover. 20.
38 Non pigrum. Pro. 24. 26.
39 Non murmurosum. Sapien. 1.
40 Non detractorem. Prover. 4.
41 Spem suam Deo committere. Psalm. 36.
42 Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi, Jacob. 1.
43 Malum vero semper a se factum sciat, & sibi reputet. Oseæ 13.
44 Diem Judicii timere. Job. 31.
45 Gehennam expavescere. Luc. 12.
46 Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Ps. 83. Phil. 1.
47 Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Matth. 24.
48 Actus vitæ suæ omni hora custodire. Deut. 4.
49 In omni loco Deum se respicere, pro certo scire. Proverb. 5.
50 Cogitationes malas, cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere. Psal. 136.
51 Et seniori spirituali patefacere. Eccli. 8.
52 Os suum a malo, vel pravo eloquio custodire. Psal. 33. 38.
53 Multum loqui non amare. Pr. 10. Matth. 12.
54 Verba vana, aut risui apta non loqui. 2. Tim. 2.
55 Risum multum, aut excussum non amare.
56 Lectiones Sanctas libenter audire. Luc. 11.
57 Orationi frequenter incumbere. Luc. 18.
58 Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri: & de ipsis malis de cætero emendare. Galat. 5.
59 Desideria carnis non perficere; voluntatem propriam odire. Hebr. 13.
60 Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter (quod absit) agat, memor illius Dominici præcepti: quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite. Matth. 23.
61 Non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius esse, quo verius dicatur. Matth. 6.
62 Præcepta Dei, factis quotidie adimplere. Eccles. 6.
63 Castitatem amare. 1. Tim. 5.
64 Nullum odire. Levit. 19.
65 Zelum, & invidiam non habere. Galat. 5.
66 Contentionem non amare. 2. Tim. 2.
67 Elationem fugere. Psal. 130.
68 Seniores venerari. Levit. 19.
69 Juniores diligere. 1. Tim. 5.
70 In Christi amore pro inimicis orare. Matth. 5.
71 Cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redire. Ephes. 4.
72 Et de Dei misericordia nunquam desperare. Ezech. 18.

Ecce, hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die, noctuque incessabiliter adimpleta, & in die Judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum: Officina vero, ubi hæc omnia diligenter operemur, Claustra sunt Monasterii, & stabilitas in Congregatione.

De obedientia Discipulorum.

CAPUT V.

Obedientia esse debet sine mora, & cum hilari animo.

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit iis, qui nihil sibi Christo charius existimant, propter metum Gehennæ,

vel

vel gloriam vitæ æternæ: Et mox, ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obedivit mihi, & item dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim, quæ sua sunt, & voluntam propriam deserentes; mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur. Et veluti uno momento prædicta Magistri jussio, & perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt. Unde Dominus dicit: Angusta via est, quæ ducit ad vitam: ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis, & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno Judicio, & imperio, in Cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini sententiam imitantur, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur, quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur: ipse enim dixit, Qui vos audit, me audit: Et cum bono animo a Discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit Discipulus, & non solum ore, sed etiam corde, si murmuraverit: & si impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam: immo murmurantium pœnam incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

De Taciturnitate.

CAPUT VI.

Discipuli raro loquantur, nunquam vero otiosa, & scurrilia.

Faciamus quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Posui ori meo custodiam: Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis. Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quantomagis a malis verbis propter pœnam peccati, debet cessari? Ergo quamvis de bonis, & sanctis ad ædificationem eloquiis perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia: Quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi Mors, & vita in manibus linguæ. Nam loqui, & docere Magistrum condecet: tacere, & audire discipulo convenit. Et ideo si qua requirenda sunt a Priore cum omni humilitate, & subjectione reverentiæ requirantur, (*a*) Scurrilitates vero, vel verba otiosa, & risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

DECLARATIO.

Ibi, Scurrilitates vero.

Ad has vitandas interdicuntur quædam animalia, omne ludi genus, & similia.

1. (*a*) Ut scurrilitatum, ac levitatum occasiones tollantur, interdicimus in Monasteriis teneri Aves, Catellos, similia, aut alia animalia ad jocum, aut levitatem provocantia.

2. Omne quoque ludi genus, utpote Religiosis minime conveniens tam intus quam extra Monasteria, vana etiam spectacula, & choreas, omnem habitus transformationem, & ludicra omnia penitus prohibemus.

3. Fratres vero nec in Mari, nec in fluminibus causa lavandi, se spolient.

Semel in hebdomada

4. Ad effugiendam porro disciplinæ regularis relaxationem, Prælati, & alii Superiores non concedant solatia, aut recreationes, nisi semel singulis hebdomadibus, discretioni tamen Prælatorum aliquid raro quidem, & ex rationabili causa, Monachis ulterius indulgendum permittimus, excepta tamen Quadragesima, & Adventu, quibus temporibus nefas est talia cogitare, nedum permittere.

permittantur solatia, aut recreationes.

In quibus servetur Religiosa gravitas sub certis pœnis, & Superior aliquis interfit.

5. Quod si, vel in Monasterio, vel extra, Fratres quandocumque recreationis gratia convenerint, caveant a dissolutionibus, manuum invicem injectionibus, & hujusmodi jocis honestati Religiosæ minime convenientibus, sintque solatia eorum modesta, & gravitate temperata, quæ juxta dictum S. Bernardi, recreent, non enervent: Qui vero contrafecerit, jejunet semel in pane, & aqua, comedens in terra in Refectorio toties quoties. Quæ ut melius observentur, volumus, quod hujusmodi recreationibus interfit Prælatus, vel saltem Prior claustralis, aut unus ex Superioribus Regiminis.

Per Civitates non vagentur, sed extra mœnia, & cum Superiore.

6. Caveant præterea Superiores ne permittant Monachos vagari per Civitates, sed potius relaxandi animi causa concedant quandoque, deambulationes extra mœnia Civitatum, quæ tamen fiant conventualiter, & cum Superiore Regiminis, maxime vero cum Priore claustrali, si id commode fieri poterit.

Nisi urgeat necessitas, & tunc cum socio, & cucullis incedant.

7. Et si compellat necessitas, ut propter urgentia negotia Monachi ad Civitates mittantur, per eas incedant semper sociati, & Cucullis induti, nisi justa de causa Prælati cum eis dispensaverint: Et pileum super caputium, quod caput tegat, deferant.

Nec etiam extra Monasterium pernoctent sine Superiore.

8. Neque audeant Fratres prædicta de causa, aut propter vindemias, vel fruges colligendas extra Monasterium pernoctare, nisi præsente Prælato, vel uno ex Superioribus; sed ad Monasteria revertantur: exceptis tamen Cellerariis, & aliis Ministris ad talia deputatis.

Possunt tamen in altero morari cum Superioris licentia, sed raro, & definito anni tempore.

9. Licentia vero discedendi a Monasterio infra annum, recreationis, vel etiam devotionis causa, seu alio quovis prætextu, Fratribus nostræ Congregationis a Diffinitoribus, vel Regimine, aut a Prælatis non concedantur, nisi ex rationabili causa, & raro ad evitandas vagationes, & sub hac præsertim limitatione, ut ante Dominicam primam Adventus, & feriam secundam post Quinquagesimam ad Monasteria sibi assignata revertantur. Diebus autem Sanctæ Quadragesimæ, & Adventus, quibus oportet aliorum temporum negligentias diluere, ac ferventius Orationi, & Sac. Lectioni vacare, nostris iterfacere, & a Monasteriis sibi assignatis abesse, nisi ex urgentissima necessitate a Prælatis approbanda, omnino prohibemus. Cum vero Fratres præviis debitis licentiis ad Civitates, seu Oppida, in quibus sunt Monasteria, ac loca nostræ Congregationis pervenerint, caveant, ne in ædibus Sæcularium audeant pernoctare, sed statim teneantur recto tramite Prælatis, vel in eorum absentia Superioribus Monasteriorum, seu Locorum, se præsentare, & in omibus dum illic moram traxerint, illis subesse, si aliter fecerint pro qualitate culpæ puniendi.

Nunquam vero extra Congregationem.

10. Facultatem vero concedendi Monachis, vel Commissis licentiam degendi extra Congregationem, neque Prælati, neque ipsi Diffinitores, vel Regimen habent.

De Humilitate.

CAPUT VII.

Per varios humilitatis gradus ascendimus ad supernam Patriam.

Clamat nobis scriptura divina, dicens Fratres: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Cum hæc ergo dicit, ostendit omnem exaltationem genus esse superbiæ. Quod se cavere Propheta indicat dicens: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in

magnis

magnis, neque in mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus super matrem suam, ita retributio in anima mea. Unde Fratres si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam Cælestem ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire: actibus nostris ascendentibus, scala erigenda est, quæ in somno Jacob apparuit, per quam, & descendentes, & ascendentes Angeli monstrabantur: Non aliud sine dubio descensus ille, & ascensus a Nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere, scala vero ipsa erecta, nostra est vita in sæculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad Cælum; Latera enim hujus Scalæ dicimus nostrum esse Corpus, & Animam, in quibus lateribus diversos gradus humilitatis, vel disciplinæ vocatio divina ascendendos inseruit.

Gradus Primus.

Est obedientia præceptis Domini.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat, & semper sit memor omnium, quæ præcipit Deus, qualiter contemnentes Deum in Gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper revolvat. Et custodiens se omni hora a peccatis, & vitiis, id est cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, & voluntatis propriæ, sed & desideria carnis amputare festinet. Æstimet se homo de Cælis a Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nunciari. Demonstrat nobis hoc Propheta. Cum in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem ostendit dicens: Scrutans corda, & renes Deus. Et item, Dominus novit cogitationes hominum. Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas de longe. Et, Quia cogitatio hominis confitebitur tibi: Nam ut solicitus sit circa cogitationes perversas, dicat semper humilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea. Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur. Cum dicit Nobis scriptura: Et a voluntatibus tuis avertere. Et item rogamus Deum in oratione, ut fiat illius voluntas in Nobis.

Docemur ergo, merito nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud quod dicit scriptura: Sunt viæ quæ putantur ab hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum Inferni demergit. Et cum item cavemus illud quod de negligentibus dictum est: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. In desideriis vero carnis ita Deum nobis credamus esse præsentem semper cum dicit Propheta Domino: Domine, ante te est omne desiderium meum. Cavendum est ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est: Unde scriptura præcipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas. Ergo si oculi Domini speculantur bonos, & malos, & Dominus de Cælo semper respicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Et ab Angelis nobis deputatis quotidie, noctuque Domino Factori nostro, & Creatori omnium Deo opera nostra nunciantur: cavendum est ergo omni hora Fratres sicut in Psalmo dicit Propheta: Ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspicit Deus, & parcendo nobis in hoc tempore (quia pius est, & expectat nos converti in melius) ne dicat nobis in futuro: Hæc feci‌sti, & tacui.

Gradus Secundus.

Est renunciatio propriæ voluntatis.

Secundus humilitatis gradus, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Item dicit scriptura: Voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam.

Gradus Tertius.

Est obedientia Majori exhibita.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus, Factus obediens usque ad mortem.

Gradus Quartus.

Est patientia in duris, & contrariis rebus.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris, & contrarii rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur, & sustinens, non lassescat, vel discedat, dicente scriptura: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Item, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et ostendens, fideles pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: Propter te morte afficimur: tota die æstimati sumus oves occisionis. Et securi de spe retributionis Divinæ subsequuntur gaudentes, dicentes: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco scriptura: Probasti Nos (inquit) Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, & ut ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra, sed, & præceptum Domini in adversis, & injuriis per patientiam adimplentes, percussi in maxillam præbent & alteram, auferenti tunicam, dimittunt & pallium angariati milliario, vadunt; & duo, cum Paulo Apostolo, falsos fratres sustinent, & persecutionem, & maledicentes se, benedicunt.

Gradus Quintus.

Est, occulta peccata Superiori manifestare.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Hortans nos de hac re scriptura dicens: Revela Domino viam tuam & spera in eo. Et item dicit, Confitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia ejus: Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non operui. Dixi pronunciabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.

Gradus Sextus.

Est, seipsum contemnere.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate, vel extremitate contentus sit Monachus, & ad omnia, quæ sibi injunguntur, velut operarium malum, & indignum se judicet, dicens cum Propheta: Ad nihilum redactus sum, & nescivi: ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Gradus Septimus.

Est, se aliis minorem æstimare.

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem, & viliorem, non solum sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, & dicens cum Propheta: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis: Exaltatus sum, & humiliatus, & confusus. Et item, Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam mandata tua.

Gradus Octavus.

Est, in agendo servare Regulam, & majorum exempla.

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.

Gradus Nonus.

Est, nonnisi interrogatus loqui.

Nonus humilitatis gradus est si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante scriptura: Quia in multi-

loquio

loquio non effugietur peccatum: Et quia vir linguosus non dirigetur super terram.

Gradus Decimus.

Est, non facile ridere.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis, ac promptus in risu, quia scriptum est, stultus in risu exaltat vocem suam.

Gradus Undecimus.

Est, leniter, graviter, & pauca loqui.

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur Monachus leniter, & sine risu, humiliter, & cum gravitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

Gradus Duodecimus.

Est, caput inclinatum gerere.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde Monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est in opere, in Monasterio, in Oratorio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, de fixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo Dei Judicio præsentari existimet, dicens sibi in corde, semper illud, quod Publicanus ille Evangelicus, fixis in terram oculis dixit: Domine, non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad Cælum: Et item cum Propheta: Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque. Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam universa, quæ prius non sine formidine observabat absque ullo labore, velut naturaliter ex consuetudine incipit custodire, non jam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum, quod Dominus jam in operario suo mundo a vitiis, & peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.

DECLARATIO.

Hoc, & quartū caput memoriæ mandent Novitii; nec nisi humiles ad professionem admittantur.

Magistri Novitiorum diligentissime curent, ut totum hoc caput de humilitate, sicut & caput quartum de Instrumentis bonorum operum a suis Novitiis memoriter teneatur, qui quidem Novitii non erunt admittendi ad professionem, nisi eorum profectus in hac schola humilitatis appareat.

De Divinis Officiis in Noctibus.

CAPUT VIII.

Definiuntur horæ Matutinorum, Laudum, & Meditationis.

Hiemis tempore, id est a Kalendis Novembris usque ad Pascha juxta considerationem rationis (*a*) octava hora noctis surgendum est, ut modice amplius de media nocte pulsetur, & jam digesti surgant. Quod vero restat post vigilias a Fratribus qui Psalterii, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur (*b*) a Pascha autem usque ad supradictas Kalendas Novembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo, quo Fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito. Mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

DECLARATIO.

Ibi, octava hora surgendum est.

Aliter disponuntur ob varias temporum, & locorum rationes.

1. (*a*) Quia discretio inter potissimas virtutes maxime commendatur, propterea arbitramur satis provideri variis naturarum complexionibus, si a fine comestionis secundæ mensæ, usque ad horam matutinam octo horæ pro somno concedantur: At quoniam omnes fere Ecclesiæ Monasteriorum nostrorum, & partim quæ in Civitatibus sitæ sunt a fidelibus Populis frequentantur, quibus satisfacere quoquomodo teneremur in divinorum officiorum, & Missarum celebratione, atque ob id sæpe non possit dormitionis signum pulsari hora prima noctis, nec proinde commode surgere Monachi hora octava juxta Regulam valeant, ut minus, quam possumus ab ea recedamus, declarando ordinamus, ut a fine Mensæ secundæ, sive cœna, sive Refectiuncula sit, adminus prædictarum octo horarum spatium concedatur, usque ad Matutinam synaxim; ita ut cum cœnatur, transacto unius horæ spatio pulsetur pro cubitu, residuumque dictarum horarum spatium sit pro dormitione.

Hieme inter finem Cœnæ, & Matutinum octo sint horæ pro dormitione.

2. Cum vero jejunatur, ut a refectiuncula surgentes habeant itidem prædictarum horarum octo spatium usque ad matutinam synaxim, sive immediate, sive aliquo interposito temporis spatio pro dormitione pulsetur, sic enim docemur octava hora surgere, juxta Regulam.

Reliquas horas ordinent Prælati, qui puniant Fratres dormitionis signo non parentes.

3. Reliquarum vero horarum dispositio in arbitrio Prælatorum sit, habita tamen ratione locorum, personarum, & temporum, sintque soliciti Prælati, Priores, & Decani, ut (dato dormitionis signo) omnes infra dimidiæ horæ spatium ad Cellas se recipiant, ac dormitum eant, alioquin legitimo cessante impedimento semel, & iterum corripiantur, deinde etiam pœna addita, severiori correctioni subdantur, qui contrafecerint.

Ibi, a Pascha autem.

Alio tempore d. octo horæ conficiēntur ex dormitione nocturna, & diurna; & hæc definito tempore incipienda.

4. (*b*) Præterquam, si prædictus dies festus occurreret mense Aprilis, quo tempore dispensando, declaramus meridianæ tempus dormitionis incipere a die festo S. P. Benedicti, & tunc sic temperetur hora dormitionis in nocte, ut computata diurna octo semper horæ pro somno deputentur.

5. Notandum est tamen, quod a principio Quadragesimæ usque ad Kalendas Novembris pulsandum est pro dormitione media hora noctis (si commode fieri potest) quod discretioni committimus Prælatorum ob varia accidentia, quæ suboriri possunt.

6. In vigilia autem S. Crucis de mense Septembris exclusive cessamus a dormitione meridiana.

Aliquando non tenentur omnes recitare Officium B. M. V.

7. Dispensamus præterea, quod a festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ usque ad Kalendas Octobris nocturni, & Laudes Beatæ Virginis conventualiter non dicantur in choro, sed a Magistro Novitiorum, & Novitiis, vel ab Hebdomadariis persolvantur in choro.

Quot Psalmi dicendi sunt in Nocturnis horis.

CAPUT IX.

De Matutino hiemis tempore, & quænam ejus partes canendæ, & quando sedendum.

Hiemis tempore, præmisso in primis versu: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* In secundo ter dicendum est, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*, cui subjungendus est tertius Psalmus, & *Gloria.* Post hunc, Psalmus 49. cum antiphona, aut certe decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas; Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim a Fratribus in Codice, super Analogium tres Lectiones, inter quas tria responsoria canantur. Duo Responsoria sine *Gloria* dicantur. Post tertiam vero Lectionem, qui cantat, dicat *Gloria*; quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedibus surgant ob honorem, & reverentiam Sanctissimæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis, tam veteris Testamenti, quam novi, Divinæ auctoritatis. Sed & Expositiones earum, quæ a nominatissimis, & orthodoxis, Catholicisque Patribus factæ sunt: post has vero tres lectiones cum Responsoriis suis sequantur reliqui sex Psalmi cum *Alleluja* cantandi: Post hos Lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, & versus, & supplicatio Litaniæ;

ideſt

ideſt *Kyrie eleiſon*, Et ſic finiantur vigiliæ nocturnæ.

Qualiter æſtatis tempore agatur nocturna laus.

CAPUT X.

Matutinum æſtatis parum differt a præcedenti.

A Paſcha autem uſque ad Kalendas Novembris omnis (ut ſupra dictum eſt) Pſalmodiæ quantitas teneatur: excepto quod Lectiones in codice, propter brevitatem noctium minime legantur, ſed pro ipſis tribus lectionibus, una de veteri Teſtamento memoriter dicatur, quam breve reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia (ut ſupra dictum eſt) impleantur, id eſt ut nunquam minus a duodecim Pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio, & nonageſimo quarto Pſalmo.

Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.

CAPUT XI.

Hoc Matutinum longius eſt, uti ejus Cantus.

Dominico die temperius ſurgatur ad vigilias, in quibus vigiliis teneatur menſura, id eſt modulatis (ut ſupra diſpoſuimus) ſex Pſalmis, & verſu, reſidentibus cunctis diſpoſite, & per ordinem in ſubſelliis, legantur in codice (ut ſupra diximus) quatuor lectiones cum Reſponſoriis ſuis ubi tantum in Reſponſorio quarto dicatur a cantante *Gloria*, quam dum incipit, mox omnes cum reverentia ſurgant. Poſt quas Lectiones ſequantur ex ordine alii ſex Pſalmi cum Antiphonis, ſicut anteriores, & verſus. Poſt quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Reſponſoriis ſuis ordine quo ſupra. Poſt quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ inſtituerit Abbas: quæ cantica cum Alleluja pſallantur. Dicto etiam verſu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de novo Teſtamento, ordine, quo ſupra. Poſt quartum vero Reſponſorium, incipiat Abbas hymnum: *Te Deum laudamus.* Quo dicto, legat Abbas lectionem de Evangelio, cum honore, & tremore ſtantibus omnibus. Qua perlecta reſpondeant omnes, *Amen.* Et ſubſequatur mox Abbas hymnum, *Te decet laus.* Et data benedictione incipiant Matutinos, qui ordo vigiliarum omni tempore, tam æſtatis, quam hiemis æqualiter in die Dominico teneatur, niſi forte (quod abſit) tardius ſurgatur; quia tunc aliquid de Lectionibus breviandum eſt, aut Reſponſoriis. Quod tamen omnino caveatur, ne proveniat, quod ſi contigerit, digne inde ſatisfaciat Deo in Oratorio per cujus evenerit neglectum.

Qualiter Matutinorum ſolemnitas agatur.

CAPUT XII.

De laudibus die Dominico.

In Matutinis Dominico die in primis dicatur ſexageſimus ſextus Pſalmus ſine Antiphona in directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus Pſalmus cum *Alleluja.* Poſt quem dicatur centeſimus decimus ſeptimus, & ſexageſimus ſecundus, deinde benedictiones, & Laudes, Lectio de Apocalypſi una ex corde, & Reſponſorium, & Ambroſianum, & verſus, & Canticum de Evangelio, Litaniæ, & completum eſt.

Privatis diebus, qualiter Matutini agantur.

CAPUT XIII.

Hæ Laudes parum differunt a præcedentibus.

Diebus autem privatis Matutinorum ſolemnitas ita agatur, id eſt ſexageſimus ſextus Pſalmus dicatur ſine antiphona in directum ſubtrahendo modice ſicut in Dominica, ut omnes occurrant ad quinquageſimum, qui cum Antiphona dicatur. Poſt quem alii duo Pſalmi dicantur ſecundum conſuetudinem, id eſt ſecunda feria quintus, & trigeſimus quintus. Tertia feria quadrageſimus ſecundus, & quinquageſimus ſextus. Quarta feria ſexageſimus tertius, & ſexageſimus quartus. Quinta feria octogeſimus ſeptimus, & octogeſimus nonus. Sexta feria ſeptuageſimus quintus, & nonageſimus primus. Sabbato autem centeſimus quadrageſimus ſecundus. Et canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana dicatur. Poſt hæc ſequantur Laudes: deinde Lectio una Apoſtoli, memoriter recitanda; reſponſorium Ambroſianum, Verſus, Canticum de Evangelio (*a*) Litaniæ, & completum eſt. Plane agenda matutina, vel veſpertina non tranſeant aliquando, niſi in ultimo per ordinem oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a Priore; propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, ut conventi per ipſius orationis ſponſionem qua dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, purgent ſe ab hujuſmodi vitio, cæteris vero agendis, ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus reſpondeatur: *Sed libera nos a malo.*

DECLARATIO.

Ibi: Litaniæ, & completum eſt.

(*a*) Litanias intelligimus; *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter*; Itaut pronunciato verſu: *Et ne nos &c., & Dominus vobiſcum*, immediate ſequatur oratio præterquam ad Primam, & ad Completorium, & excepto triduo ante Paſcha, quo tempore recitamus horas Canonicas ab Eccleſia Romana præſcriptas, prout in Breviario noſtro. In reliquis vero inviolate ab omnibus ſerventur Rubricæ Breviarii, Miſſalis noſtri Monaſtici, Pauli V. auctoritate recognitorum, tam in recitatione divini officii, quam in celebrationibus Miſſarum, nihil penitus addendo, vel innovando.

Quid veniat hoc nomine in Breviario Monaſtico, quo & Miſſali pariter Monaſtico uti tenentur omnes.

In Natalitiis Sanctorum, qualiter vigiliæ agantur.

CAPUT XIV.

Hoc Matutinum fere nihil diſcrepat a Dominico.

(*a*) In Sanctorum vero feſtivitatibus!, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur, excepto quod Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur. Modus autem ſupradictus teneatur.

DECLARATIO.

In Feſtivitatibus Sanctorum ſervantur Decreta Congregationis, & dies S. P. N. Benedicti ab omnibus celebretur.

1. (*a*) Ibi: *In Sanctorum vero feſtivitatibus.* 1. Servetur Decretum Sac. Congreg. Rituum, editum die 28. Octobris 1628.

2. Feſtus vero dies S. P. N. Benedicti in Monaſteriis, & Locis noſtris ſolemnis habeatur, itaut omnes tam Commiſſi, quam famuli, ac Laborantes, ab operibus penitus ſe abſtineant, perinde ac ſi ab Eccleſia de præcepto conſtitutus eſſet. Officium autem ejuſdem S. P. N. Benedicti poſtremo impreſſum, & a ſacra Rituum Congregatione recognitum recitetur ab omnibus tam in Choro, quam extra, qualibet tertia feria non impedita feſto duodecim Lectionum, vigiliis, Quadrageſima, Adventu, & niſi occurrat dies votiva in noſtro Miſſali, infra octavam, eodemque die ejus Miſſa impreſſa decantetur.

Alleluja quibus temporibus dicatur.

CAPUT XV.

Quando, & quibus in locis proferri debeat.

A Sancto Paſcha uſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur *Alleluja* tam in Pſalmis,

quam

quam in Responsoriis. A Pentecoste (*a*) usque ad caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis tantum ad nocturnos dicatur. Omni vero Dominica extra Quadragesimam, Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum *Alleluja* dicantur. Vespera vero cum Antiphonis. Responsoria vero nunquam dicantur cum *Alleluja* nisi a Pascha usque ad Pentecosten.

DECLARATIO.

Ibi: *Usque ad Caput Quadragesimæ.* (*a*) Serventur Rubricæ nostri Breviarii, ut dicitur supra ad caput 13.

Qualiter divina opera per diem agantur.

CAPUT XVI.

Septem sint Horæ diurnæ, & una nocturna.

Ut ait Propheta, septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus a Nobis sic implebitur: si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus. Quia de his horis dixit Propheta, septies in die laudem dixi tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

Quot Psalmi per easdem horas dicendi sunt.

CAPUT XVII.

Eodem modo componantur quinque Horæ, tribus nempe Psalmis, Vesperæ autem quatuor, & pluribus Laudes, ut supra.

Jam de Nocturnis, vel matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ, nunc de sequentibus horis videamus. (*a*) Prima hora dicantur Psalmi tres figillatim, & non sub una *Gloria.* Hymnus ejusdem horæ post versum, *Deus in adjutorium meum intende*, antequam Psalmi incipiantur. Post expletionem vero trium Psalmorum, recitetur lectio una, versus, & *Kyrie eleison*, & Missæ sint. Tertia vero, Sexta, & Nona eodem ordine celebretur, oratio, versus, Hymni earundem horarum, terni Psalmi, lectio, & versus *Kyrie eleison*, & Missæ sint. Si major Congregatio fuerit, cum Antiphonis dicantur; si vero minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur. Post quos Psalmos Lectio recitanda est, inde Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, Litaniæ, & oratio Dominica, & fiant Missæ: Completorium autem trium Psalmorum dictione terminetur, qui Psalmi directanee, & sine Antiphona dicendi sunt. Post quos Hymnus ejusdem horæ, lectio una, versus, & *Kyrie eleison* (*b*), & benedictio, & Missæ fiant.

DECLARATIO.

Post Primam alta quædam dicuntur, & peraguntur.

Ibi: Prima hora dicitur *Kyrie eleison* (*a*). Secundum antiquam nostram consuetudinem, dicta Prima immediate, processionaliter exeuntes de Ecclesia, commemorationem facimus pro Fratribus defunctis, familiaribus, & Benefactoribus nostris, cum Psalmo *De profundis*, & oratione *Deus veniæ largitor.* Et pergimus ad Capitulum, ubi pronunciantur ex Martyrologio festa Sanctorum occurrentia, & dicitur *Pretiosa* more Romanæ Ecclesiæ. Ultimo legitur Capitulum Nonæ, ubi non habetur proprium, & post Lectionem dicti Capituli, diebus ferialibus, & festis trium Lectionum legitur textus Regulæ, & datur Benedictio, & audiuntur culpæ, non autem in Dominicis diebus, vel festis de præcepto Ecclesiæ, aut de consuetudine locorum.

Ibi: Et benedictio.

2. (*b*) Ista benedictio datur a superiore, sicut etiam in Completorio, quæ sufficiat pro præsentibus Fratribus, & absentibus, ita ut opus non sit, etiam absentibus pro dormitione aliam benedictionem quærere. Laudamus tamen si Fratres casu superiori obviantes, benedictionem petant, & accipiant.

Post Completorum absentes petere possunt Benedictionem a Superiore, & Novitii, ac Professi eam petant a Magistro.

3. Et Novitii, ac Juniores Professi suos magistros ad eorum Cellas pro ipsa benedictione adeant, antequam cubitum eant, Magistros vero hortamur, ut discipulos, quam citius possunt, dimittant.

Aspergat quoque Superior aquam benedictam.

4. Fit etiam post Completorium a superiore aquæ benedictæ asperso dicendo: *Asperges me &c.* quo repetito absque alia oratione dicitur Psalmus: *De profundis* cum oratione: *Deus qui inter Apostolicos* pro Papa Eugenio IV., & *Deus veniæ largitor*, pro fratribus ac benefactoribus &c.

Quo Ordine ipsi Psalmi dicendi sint.

CAPUT XVIII.

In primis semper dicatur versus; *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, & *Gloria*, inde Hymnus uniuscujusque horæ. Deinde prima hora, Dominica dicenda sunt quatuor Capitula Psalmi centesimi octavi decimi. Reliquis vero horis, idest Tertia, Sexta, & Nona, terna Capitula supradicti Psalmi centesimi octavi decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ dicuntur tres Psalmi, idest primus, secundus, & sextus, & ita per singulos dies ad primam, usque ad Dominicam dicantur per Ordinem terni Psalmi, usque ad nonumdecimum Psalmum, ita sane, ut nonus Psalmus, & septimus decimus partiatur in binas Glorias; & sic fiat, ut ad vigilias Dominica semper a vigesimo incipiatur. Ad Tertiam vero, Sextam, & Nonam secundæ feriæ novem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimo octavo Psalmo ipsa terna Capitula per easdem horas dicantur. Expenso ergo Psalmo centesimo octavo decimo, duobus diebus, id est Dominica, & secunda feria, tertia feria: jam ad Tertiam, Sextam, vel Nonam psallantur terni Psalmi a centesimo nono decimo usque ad centesimum vigesimum septimum, id est Psalmi novem. Quinque psalmi semper usque ad dominicam per easdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus, Lectionum, vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata, & ita scilicet, ut semper Dominica a centesimo octavo decimo incipiatur.

In Prima, Tertia, Sexta, & Nona dicentur Psalmi qui numerantur a 1. ad 19. & a 118. ad 127.

Vespera autem quotidie quatuor Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur a centesimo nono usque ad centesimum quadragesimum septimum, exceptis iis, qui in diversis horis ex eis sequestrantur, idest a centesimo decimo septimo, usque ad centesimum vigesimum septimum, & centesimo trigesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres Psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero supradicto fortiores inveniuntur, id est centesimus trigesimus octavus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus quia parvus est, cum centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum vespertinorum, reliqua id est Lectiones, Responsoria, Hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad completorium vero quotidie iidem Psalmi repetantur, id est quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius.

In Vesperis a 109. ad 147.

In Completorio psalmi 4. 90. & 133

Dispositio ordine Psalmodiæ diurnæ reliqui omnes Psalmi, qui supersunt æqualiter dividantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt Psalmi, & duode-

In Matutinis rel qui psalmi, itaut unaquaque hebdomada Psalterium absolvatur.

cim per unamquamque constituantur noctem. Hoc præcipue commonentes, ut si cui forte hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordine si melius aliter judicaverit, dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur; Et Dominico die semper a capite repetatur ad vigilias, quia minus in eis devotionis suæ servitium ostendunt monachi, qui minus Psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, cum legamus Sanctos Patres nostros, uno die hoc strenue impleviſſe, (a) quod nos tepidi, utinam septimana integra persolvamus.

DECLARATIO.

Ibi: Quod nos tepidi.

(a) Pater noster S. Benedictus nullum ex Monachis excipit a divini Officii recitatione; Ideoque ordinamus, quod quilibet Monachus Professus Officium Divinum recitet, & si non sit sacris initiatus secundum antiquissimam consuetudinem nostram.

Omnes recitare debent Officium.

De Disciplina psallendi.

CAPUT XIX.

(a) Ubique credimus Divinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos, & malos: maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus, cum ad opus Divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta: Servite Domino in timore. Et iterum, Psallite sapienter. Et, In conspectu Angelorum psallam tibi. Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis, & Angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

Psallendum voce, & corde.

DECLARATIO.

Ibi: Ubique Divinam credimus esse præsentiam.

1. (a) Statuimus, quod secundum morem nostræ Congregationis alta, sonora, & pari voce psallatur, verba non protrahantur, pariter inchoetur versus, & interposita competenti pausa pariter terminetur.

Item altisona, & pari voce, cum pausa, & in Choro, si quinque erunt Monachi, qui pariter quotidie celebrent, & Missam saltem diebus festivis cantent.

2. Volumus etiam, quod officium Beatæ Virginis eadem prorsus cura, qua Divinum persolvitur, recitetur diebus juxta Rubricas Breviarii, præscriptis, & in Monasteriis, in quibus sunt ultra Prælatum, vel superiorem, quatuor Monachi, omnino dicatur Divinum Officium conventualiter in choro, & Missa quotidie celebretur, & saltem diebus festivis, nulla admissa excusatione, decantentur. Quam ordinationem ad illos quoque intelligimus extendi, qui in Monasteriorum membris habitant, in quibus præfatus Monachorum numerus reperitur. Cantus autem in quo toni Monastici servantur, ita studiose, ac devote ducatur, ut pia modulatione, tam nostra, quam fidelium adstantium corda excitata, ad cœlestium contemplationem ferri assuescant.

Cantus sit devotus.

3. In Officiis hebdomadæ sanctæ, nullo pacto varietur, aut mutetur cantus, tam in Lamentationibus, Cantico Benedictus, & Passione Domini, quam in aliis omnibus: Sed secundum ritum, & morem antiquum Congregationis fiat, ut simplicitas, & uniformitas servetur in omnibus.

Item consuetus in hebdomada sancta.

4. Ad quod facilius, & commodius servandum volumus, ut omnia Monasteria habeant Libellos impressos, qui contineant omnes Cantus hebdomadæ sanctæ, & Laudes, quæ in receptione Novitiorum in Capitulo cantari solent, & alia hujusmodi.

Hinc Monasteria libellos hujusmodi habeant.

De reverentia Orationis.

CAPUT XX.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi (a) cum humilitate, & reverentia quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, & puritatis devotione supplicandum est. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus, & ideo brevis debet esse, & pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. In Conventu tamen omnino brevietur Oratio, & facto signo a Priore omnes pariter surgant.

Brevis, & pura esse debet oratio.

DECLARATIO.

Ibi: Cum humilitate, & reverentia.

1. (a) Declaramus modo infrascripto reverentiam debere servari in Divinis Officiis cum Monachi Chorum ingrediuntur, sive inde egrediuntur. In medio ante Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum semper unicum genu usque ad terram flectant, capite nudato, & inclinato, (cum vero Sacramentum publice fuerit expositum, utrumque genu), si autem in Altari Majori Eucharistia non custodiatur, profunde se inclinent ad Crucem, postea venientes ad sedilia sua capite aliquantulum inclinato reverentiam faciant versus sedem Prælati.

De genuflexionibus, capitis nudatione, ac inflexione &c.

Ante SS. Sacramentum.

Ante Crucem.

2. In cæteris autem locis sufficit mediocris inclinatio, ut cum Refectorium, seu Capitulum, seu alium hujusmodi locum ingrediuntur.

In Refectorio, Capitulo, aut alio loco.

3. Quoad genuflexiones vero, & erectiones in Divinis Officiis, & Missa, serventur omnino Rubricæ Breviarii, & Missalis nostri, ut supra.

In divinis Officiis, & Missa.

4. In principio Officii stantes, profunde, & reverenter inclinent caput, dum dicitur *Pater noster*, quemadmodum etiam, cum intra Officium dicitur *Pater noster*, & quando prima Oratio in qualibet hora, & Missa recitatur.

In Choro dum dicitur Officium, vel cantatur Missa.

5. Cum autem cantatur Missa pro defunctis omni tempore ad orationes genuflectant.

6. Quando vero inchoatur Officium usque ad *Gloria Patri*, & quando dicuntur Capitula stent versus Altare, capite nudato. Cum vero dicitur *Gloria Patri*, aut in fine hymnorum, quando fit mentio de Sanctissima Trinitate, unus chorus contra alterum, Caput, & humeros inclinet, qui vero in superiorum sunt subselliis, versus Altare inclinentur.

7. Sacerdos, & Cantores in choro sacris induti, se inclinent versus Altare ad *Gloria Patri*, *Pater noster*, & cætera.

8. Quotiescumque dicitur *Confiteor Deo*, ad Missam videlicet, Primam, & Completorium, sicut & in Oratione, *A cunctis* fiat mentio de Patre nostro Sancto Benedicto.

9. Dum vero cantatur Epistola, vel Prophetia, versus, aut tractus post Epistolam, vel Prophetiam, sedeant Monachi.

10. Ad Evangelium omnes recti versus Altare stent omni tempore aperto Capite.

11. In prædictis tamen præterquam in reverentia, quæ fit ante Altare, & dum canitur, sive dicitur Evangelium, & a Consecratione usque ad communionem dispensamus cum Monachis propter multorum infirmitates quod a Kalendis Octobris usque ad finem Mensis Aprilis stent capite seminudato.

12. In quolibet Monasterio nostro sit tabula, in qua descriptum sit, quibus horis, & diebus festivis Cucullæ deferri debeant, qui modus ab omnibus inviolabiliter servetur, firma quoad reliquos ritus Ecclesiasticos in omnibus Cæremonialis Romani dispositione semper manente.

De gestatione Cuculli.

De Decanis Monasterii.

CAPUT XXI.

Digniores eligantur, & si forte superbia inflati fuerint deponantur.

Si major fuerit Congregatio eligantur de ipsis Fratres boni testimonii, & sanctæ conversationis, & constituantur Decani, qui (*a*) solicitudinem gerant super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. (*b*) Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis, aliqua forte inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis: correptus semel, & iterum, & tertio, si emendare noluerit, dejiciatur, & alter in loco ejus, qui dignus est subrogetur, & de Præposito eadem constituimus.

DECLARATIO.

Ibi: solicitudinem gerant.

Decani, & Prior curent servari Regularem Disciplinam.

1. (*a*) Ad officium Decanorum, & Prioris Claustralis pertinent solicitudinem gerere, ut regularis observantia in Monasterio vigeat, Officinas horis competentibus per vices visitent, Fratrum inobservantias, & excessus corrigant, nisi fuerint ita notabiles, ut ad Prælatum deferri mereantur.

Prior omnium, Decani vero nonnullorum confessiones ex officio excipere queunt.

2. Prior Claustralis omnium confessiones, ex officio audire potest, eosque absolvere, præterquam a reservatis; Decani vero, Sacerdotum quidem Decanorum, & Titularium ex officio. Ad Clericorum, & Commissorum non nisi ex delegatione, & expressa deputatione Prælati, quibus quoque particulares licentias concedent, juxta facultatem sibi a superiore traditam.

Invigilent etiam aliis rebus.

3. Diligentem insuper curam habeant, quod cæremoniæ Congregationis, & ordinata per Capitulum, seu Prælatum observentur: invigilent præcipue, ut Divinum Officium devote dicatur, ac studeant communibus Fratrum exercitiis, & Capitulo culparum interesse.

Ibi: Qui Decani tales eligantur.

Qui sint ad Decanatum promovendi.

4. (*b*) Ut autem ad præscriptum Regulæ Decani constituantur, statuimus, neminem posse eligi in Decanum, nisi qui saltem per biennium continuum tempore sui Sacerdotii observantiæ regulari vacaverit (exceptis Lectoribus, & Prædicatoribus, de quibus infra num. 11.) quique sufficienti literatura, ac probis moribus præditus sit, & bonum testimonium habeat a Prælato, in cujus Monasterio saltem per annum integrum, tempore quo ad Decanatum promovendus erit, commoratus fuerit, vel ab iis Prælatis, sub quorum cura eo anno, licet in diversis Monasteriis vixerit, & præsertim de cujus doctrinæ sufficientia, & vitæ merito constet per testimonium a Visitatoribus medio eorum juramento coram Diffinitoribus, & Capitulo Generali ferendum: præviis quoad literarum scientiam in actu visitationis diligenti examine, & quoad morum probitatem, exacta inquisitione, prout statuitur in literis in forma Brevis Clementis VIII. sub die 6. Martii 1593., & Pauli V. die 21. Martii 1608. Ac prævia etiam attestatione de hujusmodi vitæ integritate, & sufficientia per Prælatum, qui pro tempore præerit Monasterio professionis ejusdem promovendi (cujus nomine ad Decanatum proponi, & promoveri debet) in Diffinitorio cum Juramento facienda. Qui Prælatus si ad Capitulum non accesserit, teneatur prædictam attestationem in scriptis medio suo juramento, subscriptione, & sigillo roboratam, ad Diffinitores transmittere, & in casu mortis a Priore, & senioribus, ipsorum pariter juramento, subscriptionibus, & sigillo Conventus munita, transmittatur, alias hujusmodi electiones, seu promotiones, quæ non servata forma præsentis Constitutionis, fieri contigerit, nullas, & invalidas esse ipso facto decernimus, & declaramus. Si qui autem inter Decanos reperiuntur, qui ad suum munus peragendum, ob aliquam infirmitatem, vel alios defectus impotentes, seu inhabiles sint; absolvantur a Regimine, & inter Decanos cum Titulo (si in reliquis fuerint emeriti, & bonum testimonium habuerint a Prælatis suis) numerentur: Sin minus a Titulo, & Regimine removeantur, & alii sufficientes in locum illorum substituantur. Qui omnes, ut in studio regularis disciplinæ sint soliciti, ac Fratres ad eam amplectendam (ut ex officio tenentur) excitare non negligant, quotannis in Capitulo Generali novæ electionis judicio subjiciantur, & pro singulis a Diffinitoribus suffragia ferantur, ac si nunquam antea fuissent electi ut eo pacto in officio retineantur, prout decernitur in præfato Brevi Clementis VIII.

De Decanis impotentibus.

5. Magistri etiam Novitiorum eligantur moribus, & ætate omnino maturi, sufficienti literatura præditi, & apti ad lucrandas animas, instruendosque Discipulos, qui a sæculo convertuntur, in Monastica, & Regulari disciplina. Quæ omnia eo diligentius executioni mandanda sunt, quo cognoscimus in his robur, & fundamentum observantiæ Regularis esse positum.

Decanorum electiones innoventur singulis Capitulis Generalibus.

6. Et quamvis ad Novitios instituendos dicti Magistri præcipue debeant incumbere, culpas tamen & ipsi in capitulo omnium Monachorum audiant, sicut & alii Decani, silentiumque, & alias disciplinæ Regularis observantias servari procurent.

De electione, & auctoritate Magistri Novitiorum illi Decanorum non multum absimili.

7. Hospitibus (aliis superioribus absentibus, vel occupatis) Decani occurrant, Regulas, & Constitutiones penes se habeant, ut Fratres instruere possint: In suis vero admonitionibus, & correctionibus caveant, ne sint nimis tepidi, aut austeri, hæc omnia faciant, vel omittant, juxta suorum Prælatorum dispositionem, contra quorum mandata nihil penitus attentent.

Decani absente Superiore, ejus vices gerant, & mandata servent.

8. Nec præmissis omnibus stantibus ullus Monachorum nostrorum amodo possit ad Decanatum (qui primus superioritatis gradus est) promoveri nisi decimum sextum, nec ad curam Novitiorum, nisi decimum octavum annum in Congregatione compleverit. Quod etiam de iis, qui ad Religionem Sacerdotes venerint, intelligendum est.

Ad Decanatum sexdecim, & ad Magisterium Novitiorum octodecim requiruntur anni Religionis.

9. Ordinamus insuper, quod in unoquoque Monasterio pro quinis quibusque Monachis Professis viventibus, unus tantum Decanus, Computatis Cellerariis, Magistris Novitiorum, & aliis, constituatur, ita tamen, ut ipsi Decani numerum trecentorum in tota Congregatione non excedant, sicuti præscribitur in præfato Brevi Pauli V.

In quovis Monasterio unus, & in tota Congregatione trecenti dumtaxat Decani eligantur.

10. Ne autem alicujus Monasterii Professus alterius Monasterii nomine possit in Decanum eligi, neque sub quovis prætextu quisquam ex Monachis ad Decanatum, vel ex Decanis ad Prioratum, aut ex Prioribus ad Abbatiam ante præfinitum tempus habilitari, districte omnino prohibemus. Si quis autem doctrina, & morum probitate præditus annum decimum sextum Religionis compleverit, & Decanatus locus in Monasterio suæ professionis non vacaverit, vel propter aliquam infirmitatem minus ad Regimen idoneus judicatus fuerit, possit in Capitulo generali a Diffinitoribus, vel in dieta a Præside, & Visitatoribus eligi in Decanum Titularem.

Dignus Decanatu, si non vacat, donari poterit Decani titulo a Capitulo Generali, vel Dieta.

11. Ad animandos vero Monachos ad studium literarum, volumus eos, qui Sacræ Theologiæ cursum honorifice expleverint, & Lectoris munere in Monasteriis pro studio infra designandis, saltem per triennium continuum laudabiliter functi, & per Examinatores a capitulo deputatos admissi, & approbati fuerint (modo probitate morum, & aliis præfatis requisitis præstent) post decimum sextum annum supranumerarios,

Lectores vero qui in quibusdam Monasteriis, & Concionatores in præcipuis Urbibus munus suum laudabiliter expleverint, supernumerarii declarari poterunt.

merarios, quando non est locus in Monasterio suæ professionis ad Decanatum promoveri posse. Idem dicimus de Concionatoribus, dummodo cursum Theologiæ serio, & cum profectu percurrerint, & admissi ab Examinatoribus nostræ Congregationis per triennium in præcipuis Urbium Ecclesiis Quadragesimale concionum studium confecerint. Statuentes facultatem creandi, seu eligendi Decanos, quæ antea ad Capitulum Generale unice spectabat, etiam ad Regimen, seu Dietam imposterum pertinere.

Decani post quinquennium ascendere possunt ad Prioratum Clausstralem, sed inter eas potior sit ratio Decanorum, Magistrorũ, Priores vero ad Abbatialem dignitatem nonnisi post alterum quinquennium.

12. Decernimus denique, neminem Decanum eligi posse in Priorem Clausstralem, nisi, qui simul per biennium observantiæ regulari vacaverit (exceptis Lectoribus, & Prædicatoribus, ut supra statuitur num. 3.) & saltem per quinquennium expletum in Decanatu laudabiliter vixerit. Præponendos tamen omnino censemus eos cæteris omnibus, qui officio Magistri Novitiorum saltem per triennium cum laude functi fuerint, dummodo in Decanatu idem quinquennium compleverint; Priores vero in Abbates eligi non possint, nisi per quinquennium expletum in Prioratu laudabiliter se gesserint, & per biennium permanserint in sua residentia.

Superiores Vocales silentium servent sub certa pœna.

13. Pro charitate autem, & pace servanda, & ut liberius superiores a Prælatis convocati vota sua exprimere possint; ordinamus, quos si quis eorum revelaverit aliquid ex tractatis inter eos, itaut scandalum oriri possit, ipso facto a cæterorum superiorum consortio in agendis anno integro privatus existat.

Priores, & Decani donec morẽtur in proprio Monasterio audire possũt Cõfessiones.

14. Prior autem, & Decani ad aliud Monasterium mutati, postquam sibi de sua mutatione innotuerit, possint audire Confessiones Discipulorum suorum, ac Sacerdotum, ut prius dum illuc moram trahunt, ipsique Beneficium absolutionis impendere, nisi superior prohibuerit.

Quomodo dormiant Monachi.

CAPUT XXII.

Eodem in loco, singulatim cum senioribus, ardente Candela, & vestiti dormire debeant.

(*a*) Singuli per singulos lectos dormient. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem Abbatis sui singuli accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant: si autem multitudo non sinit, deni, aut viceni cum Senioribus suis, qui super eos soliciti sint, pausent, (*b*) Candela jugiter (*c*) in eadem Cella ardeat usque mane. (*d*) Vestiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus, & cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnium vulnerentur, dormientes; & ut parati sint Monachi semper, & facto signo, absque mora surgentes festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate, & modestia. Adolescentiores Fratres juxta se non habeant Lectos, sed permixti cum Senioribus. Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur, propter somnolentorum excusationes.

DECLARATIO.

Ibi: Singuli per singulos Lectos.

Assignatur unicuiq; Cella, & cur?

1. (*a*) Secundum modernum morem, propter honestatem, & ut liberius Fratres in Orationibus, & aliis spiritualibus valeant se exercere, ac ut vitetur curiositas: Dormitorium divisum est in diversas Cellas, & assignamus unicuique Fratrum Cellam unam, sic, ut singuli in singulis dormiant, etiam Novitii.

In ostiis Cellarum Novitiatus sit foramen, quod nemo inferior aperiat, sub certa pœna.

2. Quælibet autem Cella Novitiatus habeat in superiori parte Ostii foramen coopertum de foris tabella versatili, quæ faciliter hinc inde dimoveri possit, è quo Frater in Cella existens videri queat a Magistro Novitiorum, an se spiritualiter exerceat, vel aliud agat, quod foramen nullus interius operire præsumat sub pœna infrascripta.

3. Nemo Fratris Cellam, etiamsi alterius Monasterii existat ingrediatur, ipso in ea existente, & similiter eo absente sine ejus licentia, aut nisi de licentia Prælati, vel superioris, & quamdiu cum debita licentia simul in Cella sunt, ostium semiapertum teneatur.

Nec quis alterius Cellã ingrediatur sine licentia, vel in ea cum alio maneat clauso ostio.

4. Nec possit Frater quamcumque Ecclesiasticam personam, vel laicam cujuscumque conditionis existat, in Cellam introducere sine licentia superioris Monasterii.

Vel exterum in propriam admittat.

5. Nec audeat frater aliquis sine præfata licentia ullo tempore, Cellam claudere, ita quod de foris aperiri non possit Clave communi. Quicumque vero in quolibet supradictorum sex Casuum contrafecerit, jejunet semel pane & aqua in terra in Refectorio.

Item nẽ claudat peculiari clave.

6. Frater autem extra Cellam suam existens, licentiam dare valeat alteri Fratri, ut Cellam suam aliqua honesta causa ingrediatur.

Potest tamen fratri dare licentiam ingrediendi Cellam.

7. Et ne contingat aliquid asportari de Cellis a sæcularibus, qui plerumque curiosi per Monasterium, & Dormitorium vagantur, mandamus, ut ferreæ feræ, quæ clavibus communibus aperiuntur, ostiis Cellarum apponantur.

Et eamclaudere debet Clave communi.

8. Capsas, seu scabella clavibus obserata habere nemini fas sit, præterquam Priori Clausstrali, qui intra octo dies ab Officialium publicatione consimilem clavem Abbati tribuere teneatur. Si secus fecerit, totum Psalterium intra octiduum recitet, cæteri vero arbitrio Superioris puniantur.

Nullo verò modo Capsas, nisi sit Prior, qui communi tantum clave utatur, sub certa pœna.

9. Quilibet autem Frater caute teneat lumen in Cella, & extinguat, & nullus candelas applicet Lectisterniis, aut parietibus ligneis propter incendii periculum. Si quis vero contrafecerit, dicat suam culpam in Capitulo, graviter puniendus.

De cura adhibenda circa lumen.

10. Silentium continuum in Dormitorio ab omnibus quovis tempore servetur, nisi quis voluerit aliquid breviter, & submissa voce dicere.

De silentio in Dormitorio.

11. Ordinamus propterea, quoad fieri potest, ne confessiones sæcularium in Dormitorio audiantur a quocumque, nisi Abbas jusserit.

De Confessionibus in eo audiendis.

12. Prælati vero, & seniores, Fratrum Confessiones ibi audire, eosque submissa voce exhortari possint.

13. Fratres incedentes per Dormitorium ita quiete, & in cunctis moderate, & sine strepitu ibidem se gerant, ut alios non inquietent.

De rumore, vel strepitu.

14. Singulis hebdomadis ad minus Dormitorium, & Cellæ propter immunditias a Fratribus scopis mundentur.

De ejus munditie.

Ibi: Candela.

Quando accendenda.

15. (*b*) Sive Lucerna, vel lampas, quæ accenditur a Sacrista hora qua pulsantur signa serotinæ Salutationis Angelicæ, & ardeat tota nocte usque ad diem.

Ibi: In eadem Cella.

16. (*c*) Id est in Dormitorio eodem.

Ibi: Vestiti dormiant.

Cum Scapulare, & Caputio dormiendum.

17. (*d*) Vestitos dormire Fratres intelligimus, si teneant Scapulare cum Caputio super tunicellam.

De excommunicatione culparum.

CAPUT XXIII.

Prævaricatores post secundam correctionem excommunicentur, & corporali pœna puniantur.

Si quis Frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in alio contrarius existens sanctæ Regulæ, & præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel, & secundo secrete a senioribus suis; si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subjaceat, si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

Qualis

Qualis debeat esse modus excommunicationis.

CAPUT XXIV.

Excommunicatio culpæ respondeat.

Secundum modum culpæ, excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura, qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio; si quis tamen Frater in levioribus cuspis invenitur, tantum a Mensæ participatione privetur. Privari autem a Mensæ consortio, ista erit ratio, ut in Oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post Fratrum refectionem accipiat, mensura, vel hora, qua præviderit Abbas ei competere; ut si verbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille Frater nona, si Fratres nona, ille vespertina, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

De gravioribus culpis.

CAPUT XXV.

Determinatur pœna pro graviori culpa.

Is Frater, (*a*) qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul, & ab Oratorio. Nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in patientiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: traditum hujusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura, vel hora, qua præviderit ei Abbas competere, nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus, qui ei datur.

DECLARATIO.

Ibi: qui gravioris culpæ noxa tenetur.

Curent Superiores, ut prævaricatores impositis pœnis faciant satis.

1. (*a*) Quia in his declarationibus, & Constitutionibus plerisque in locis, & casibus pro qualitate, & gravitate culparum certæ pœnæ, ac pœnitentiæ taxatæ sunt, pro pace bonorum, & ad reprimendam improborum audaciam, ut metus pœnæ coerceat, quos Dei, & virtutis amor a malo non revocat; Ideo ordinamus Prælatis, & aliis Superioribus, ut eas inviolabiliter faciant a transgressoribus observari.

Pœna juxta delicti rationem esse debet publica, vel secreta.

2. Quare si delictum, ut transgressio hujusmodi secreta fuerit, secreto quoque impositam pœnitentiam facere non postponat delinquens, nec aliter a quoquam etiam a Prælato proprio dispensari valeat, nisi pœnitentia per Ordinationes statuta, esset publice persolvenda, utpote in terra in Refectorio comedere, quo casu in aliam secretam commutari possit. Si vero delictum aut transgressio manifesta fuerit, publice etiam transgressor, secundum Statuta a Constitutionibus, vel a Superiore pœniteat. Quod si ille facere neglexerit, aut recusaverit, a nemine ut supra dispensari valeat, & si intra triduum publice non pœnituerit, pro hujusmodi contemptu his eandem pœnitentiam facere teneatur: si vero intra aliud sequens triduum pertinaciter distulerit eandem pœnitentiam, etiam tertio cogatur iterare. Demum si aliis adhuc tribus diebus animo (quod Deus avertat) perstiterit contumaci, & indurato, statim tanquam incorrigibilis, rebellis, & obstinatus, ac contemptor Sanctæ Regulæ, & Constitutionum Custodiæ (donec resipuerit, & prædictam pœnitentiam toties facere promiserit, quoties ut supra distulerat, vel recusaverat) mancipetur.

Si ea respuatur primo, & secundo duplicetur, & tertio addatur Custodia.

Nec quisquam ea relaxare poterit.

3. Nec in aliquo præmissorum a Prælato suo, nec ab ullo alio, etiam a Præsidente ipso, nisi forte pro aliqua brevi prædictorum terminorum mora (& hoc ex aliqua rationabili causæ) valeat dispensari, majori quippe vindictæ secundum quod dicit Beatus P. N. Benedictus in Regula subjacere debet, qui non vult humilitate corrigere, quod negligentiæ culpa deliquit.

Imo quarto adhibeatur etiam austerior disciplina.

4. Quod si nec resipuerit, nec ad cor redierit, tunc demum, ut Regula præscribit, austeriori disciplinæ subjaceat.

Quæ omnia omnino executioni mandentur.

5. Igitur Generale Capitulum, & Congregationis Regimen, Monasteriorumque nostrorum Prælati prædicta omnia servent diligenter & ut dictum est curent ab hujusmodi transgressoribus inviolabiliter adimpleri.

De iis, qui sine jussione Abbatis junguntur Excommunicatis.

CAPUT XXVI.

Hi subjacebant eidem Excommunicationi.

Si quis Frater præsumpserit sine jussione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat esse solicitus Abbas circa Excommunicatos.

CAPUT XXVII.

Abbas secreto ad eos mittat consolatores, & suasores.

Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus; & ideo uti debet omni modo, ut sapiens medicus, immitteret quasi occultos consolatores Senipetas, idest Seniores sapientes Fratres, qui quasi secrete consolentur Fratrem fluctuantem, & provocent eum ad humilitatis satisfactionem: & consolentur eum ne abundantiori tristitia absorbeatur, sed sicut ait Apostolus: confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet solicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres, & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: quod crassum videbatis, assumebatis, & quod debile erat, projiciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

De iis, qui sæpius correcti non emendantur.

CAPUT XXVIII.

Hi excommunicentur, postea verberibus cædantur, deinde adhibeatur pro ipsis oratio, & tandem ejiciantur e Monasterio.

Si quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita se correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua; tunc Abbas faciat quod Sapiens Medicus si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & jam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam quod majus est suam, & omnium Fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam (*a*) utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus: auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat, ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

DECLARATIO.

Ibi: utatur ferro abscissionis.

Quod ad inemendabiles attinet, serventur Decreta S. Congregat., fugi-

1. (*a*) In adhibendo contra incorrigibiles nostræ Congregationis Monachos hujusmodi extremum expulsionis remedium, serventur Decreta Sacræ Congregationis Concilii S. D. N. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis, & ejectis.

tivi vero requirantur, ac detineantur in carcerem, in unoquoq; Monasterio ædificando, usque ad sententiam Capituli Generalis.

Fugitivi vero cum omni solicitudine requirantur a Monasteriis Professionis eorum, & in carcerem detrudantur pro modo culpæ puniendi. Propterea districte præcipimus omnibus Monasteriorum nostrorum Prælatis, ut in singulis Monasteriis tutos carceres habeant pro hujusmodi fugitivis, & aliis graviter delinquentibus.

2. Et quoniam ubi major subest culpa, & gravius scandalum, ibi solicitior debet esse cura, ideo declarando ordinamus, ut fugitivi, qui præter fugam, aliquid notabile furto abstulerint, aliudve flagitium perpetraverint, sive ante, sive post fugam, aut vitiose vixerint, omnino non negligantur, sed diligentius non parcendo laboribus, & expensis requirantur, etiam (si aliter fieri non potest) auxilio brachii sæcularis implorato, & ad Monasterium reducantur, in custodiam detrudendi donec per Capitulum Generale, sive Regimen, quid de ipsis agi debeat decernatur.

Licentia transeundi ad aliam Religionem concedatur juxta dicta Congr. Decreta.

3. Licentia vero transeundi ad aliam Religionem nemini ex nostræ Congregationis Fratribus concedatur, nisi servata forma prædicti decreti, seu Congregationis Concilii de Regularibus Apostatis, & ejectis &c.

Commissi eodem modo ejiciantur, quo recipiuntur.

4. Commissi vero nostri incorrigibiles, & contumaces, eo modo, quo recipiuntur expelli possunt. Et si quis eorum, post promissam stabilitatem, vitiosus, aut scandalosus repertus fuerit, servetur circa eum forma Regulæ secundum meritum, usque ad expulsionem inclusive. Ad quam tamen volumus quemquam Prælatorum procedere non posse, nisi servatis, quæ infra in susceptione eorum statuemus, scilicet cum consensu omnium Seniorum, aut duarum ex tribus partibus Conventus. Si Seniores non convenerint, nec amplius possint in aliis Monasteriis nostræ Congregationis recipi, nisi de consensu Prælati, & majoris partis Conventus, a quo recesserint.

Si debeant iterum recipi Fratres exeuntes de Monasterio.

CAP. XXIX.

Redeuntibus Fratribus etiam tertio aditus pateat.

Frater qui (*a*) proprio vitio egreditur aut projicitur de Monasterio, si reverti voluerit spondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egressus est, & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur, quod si denuo exierit, usque tertio recipiatur. Jam vero postea sciat, omnem sibi reservationis aditum denegari.

DECLARATIO.

Ibi: proprio vitio.

1. (*a*) Quia experientia docti, videmus Fratres Nostros a nobis, ut plurimum non recedere, nisi diabolica suggestione seductos; ideo declaramus, eos quoque proprio vitio egredi, qui accepta licentia transeundi ad arctiorem Religionem, ea abutentes vagantur.

Fugitivi redeuntes recipiantur.

2. Ut autem quæ de his statuta sunt, cuncti sciant, non recedendo a Sacris Canonibus. Primo, si qui fugitivi sponte ad Monasteria redierint, omnes quidem suscipiantur, sed ita, ut quod Dominus jubet, pro mensura peccati sit, & plagarum modus.

Eorum pœnæ.

3. Quicumque igitur intra dies quinque ad Monasteria fuerint reversi arbitrio Prælatorum puniantur, non vero carcere formali pro sola fuga. Transactis autem quinque diebus, carceri mancipentur. Quod si ultra dies triginta redire distulerint, tunc juxta S. P. N. Benedicti Regulam, in ultimo loco, & in carcere recipiantur.

A quibus liberari possint.

4. Horum vero nullus e formali carcere liberari possit, nisi per Diffinitores, aut Regimen, & tunc nonnisi prius desuper legitime formato processu, & accurate perpenso, qua pœna sint rei plectendi.

Quomodo iterum concedi possit eis locus Professionis.

5. Nec sic liberatis locus professionis restituatur, nisi in Capitulo Generali Diffinitores omnes consenserint, & his referentibus ad universos Congregationis Prælatos duæ eorum ex tribus partibus id approbaverint. In qua reintegratione illud tantummodo temporis spatium eis concedendum esse declaramus, quod ante fugam in Congregatione absolverunt; non vero illud, quod in fuga male prodegerunt. Non enim ferendum est, ut qui exempli gratia, decimo professionis suæ anno Religionem deseruit, & anno vigesimo, id est decimo post fugam receptus fuit, eos præcedat, qui integros quindecim, aut novemdecim annos perseveraverunt sub suavi obedientiæ jugo, maxima etenim erga illos Patrum liberalitas erit, si decem anni ante fugam transacti, ipsis post pœnitentiam computentur.

Præter fugam, alia etiam crimina puniantur

6. Præter hæc si fugitivus habitum dimiserit, ut Apostata juxta Sacros Canones puniatur. Si autem alia quævis præter fugam animadvertenda, tam in Congregatione, quam extra perpetrarit, exactissimam omnium reddat in Judicio rationem, pœnas debitas recepturus pro modo culpæ.

Si resipuerint, ascendere poterunt pedetentim ad pristinos gradus.

7. Quibus omnibus rite peractis, & in acta relatis, si digna deinde pœnitentiæ opera fecerint, laudabiliter in Congregatione vivendo, poterunt (omnibus Diffinitoribus consentientibus) munerum Congregationis, pro subsequentium temporum ratione esse capaces: si trinas Visitatorum approbationes singulis trienniis obtinuerint, ut scilicet post primum reversionis suæ triennium Subdiaconorum gaudeant dignitate, post secundum Diaconorum, post tertium Sacerdotum, ac deinceps etiam ad quascumque fuerint dignitates per ordinem, judicati idonei, dummodo ad singula triennali censura lex Visitatorum (ut dictum est) & novem Diffinitorum suffragiis fuerint approbati. Idemque dicimus de iis, qui in libro irreligiose viventium, tanquam dyscoli fuerint adnotati.

Idem intelligendum de irreligiose viventibus, & carceribus legitime mancipatis.

8. Hoc idem intelligi volumus de Fratribus non fugitivis, qui tamen semel custodiæ fuerint legitime mancipati. Pœna enim legitimi carceris, quam consequitur infamia, & inhabilitas assequendi gradum superioritatis, illis tantum inflicta intelligi debet, qui sive propter fugam, sive ob alia facinora legitime sententiati, carceribus condemnati fuerint.

Discedentes a suo Monasterio sine scripta licentia fugitivi censeantur.

9. Ut autem fugitivi, & suspecti a non suspectis, nec fugitivis dignoscantur, Ordinamus quod Fratres cujuscumque dignitatis, aut conditionis fuerint, qui quacumque de causa a suis Monasteriis ad alia loca pergent, secum deferant literas patentes Superiorum suorum, cum expresso nomine locorum, qua transire debebunt subscriptas, ac sigillo munitas, aliter ubicumque fuerint inventi, tamquam fugitivi custodia mancipentur a quibuscumque Prælatis, aut Superioribus Monasteriorum nostrorum.

Alii Patres certiores fiant de fugitivis, expulsis, & defunctis.

10. Admoneantur etiam Patres Monasteriorum nostrorum de Fratribus fugitivis, expulsis, & licentiatis a Superioribus Monasteriorum, a quibus recedunt (quemadmodum sit de Fratribus Defunctis) ut ab omnibus evitari hi possint, illi requiri.

De Pueris minori ætate qualiter corripiantur.

CAP. XXX.

Pueri, & adolescentiores jejuniis, &

(*a*) Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere mensuras, ideoque quoties Pueri,

vel

verberibus corripiantur.

vel Adoleſcentiores ætate, aut qui minus intelligere poſſunt, quanta pœna ſit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimis affligantur, aut acris verberibus coerceantur, & ſanentur.

DECLARATIO.

Ibi: omnis ætas, vel intellectus.

Nullus admittatur ad probationem ante 15. annum.

1. (*a*) Nullus poſthac ad probationem admittendus erit, qui non expleverit decimum quintum annum.

Nec hujuſmodi adoleſcentes ſevere ſubjiciantur Regulari diſciplinæ.

2. Circa vero Adoleſcentiores iſtos, quia experientia didicimus, quoſdam ex his incurabiles ægritudines incurriſſe ob nimias auſteritates; hortamur Prælatos, & Patres Monaſteriorum noſtræ Congregationis, ut in jejuniis, & vigiliis Regularibus erga hujuſmodi adoleſcentes pium, & diſcretum habeant intuitum, quatenus in validiori ætate ad Regularis vitæ obſervantias propenſiori animo, & uberiori fructu valeant incumbere.

In Novitiatu quinquennio commorentur, neque ex eo egrediantur ante 19. annum, niſi juſta de cauſa, ut ſi ſint inemendabiles, quo tamen caſu puniantur.

3. Mandamus item, ut Juniores in Novitiatibus ſub cura Magiſtri Novitiorum per quinquennium ad minus inſtituendi, relinquantur, nec inde amoveantur niſi aliqua urgente neceſſitate. Cum vero amoti a Novitiatu fuerint ſaltem per biennium, Prioris curæ, ac directioni tradantur, ut quoad fieri poteſt in eadem diſciplina permaneant, in qua Novitiatus tempore adoleverunt. Liceat tamen Prælatis, ex aliqua rationabili cauſa, ipſorum Judicio, & Superiorum Monaſterii conſilio approbanda provectiores nondum expleto quinquennio, ex Novitiatu extrahere, dummodo ætatis ſuæ annum ſaltem decimum nonum exceſſerint. Si autem contigerit (quod Deus avertat) ut ex alicujus prævaricatione, cæteri ſcandalum ſumant, ne una ovis morbida totum corrumpat ovile: Statuimus, ut ſi poſt adhibitas pœnitentias ſalutares a Prælato, aliiſque Superioribus (Magiſtro Novitiorum deferente) cognitum fuerit de præfati Juvenis incorrigibilitate, ex Novitiatu, nondum elapſo quinquennio extrahi poſſit. Ne vero commodum ex ipſa malitia reportetur, talibus, ſic extractum ſubjicimus, pœnitentiis. Per totum ſcilicet reliquum quinquennii tempus ſit ei Monaſterium, ex cujus Novitiatu extrahitur, pro carcere. Silentium obſervet cum Sæcularibus, & Monachis (Patre Spirituali excepto, aliiſque, quibus Prælatus indulſerit) poſt omnes Profeſſos degradatus maneat: & demum bis in hebdomada in pane, & aqua, cum zona ad collum, comedat in terra in Refectorio.

De Cellerario Monaſterii.

CAP. XXXI.

Qualis eſſe, quid agere, & quomodo ſe gerere debeat Cellerarius.

Cellerarius Monaſterii (*a*) eligatur de Congregatione ſapiens, maturus moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbolentus, non injurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum, qui omni Congregationi ſit, ſicut Pater. Curam gerat de omnibus, (*b*) ſine juſſione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur, cuſtodiat: Fratres non contriſtet. Si quis autem Frater ab eo forte aliquid irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. (*c*) Animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius Apoſtolici præcepti: Quia qui bene miniſtraverit gradum ſibi bonum acquirit. Infirmorum, Infantium, Hoſpitum, Pauperumque cum omni ſolicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in die Judicii rationem redditurus eſt.

Omnia vaſa Monaſterii, cunctamque ſubſtantiam, ac ſi Altaris Vaſa ſacrata conſpiciat. (*d*) Nihil ducat negligendum, neque avaritiæ ſtudeat, neque prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ Monaſterii, ſed omnia menſurate faciat, & ſecundum juſſionem Abbatis ſui. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt, quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus, quia ſcriptum eſt: Sermo bonus ſuper datum optimum. Omnia, quæ ei injunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua, a quibus eum prohibuerit, non præſumat. Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat, ut non ſcandalizentur: memor divini eloquii, quid mereatur qui ſcandalizaverit unum de puſillis. Si Congregatio major fuerit, ſolatia ei dentur, a quibus adjutus, & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt: ut nemo perturbetur, neque contriſtetur in Domo Dei.

DECLARATIO.

Ibi: Eligatur.

Proponatur a Prælato, eligatur a Diffinitoribus, & ipſe ſit Decanus.

1. (*a*) A Prælato ſcilicet de conſilio ſeniorum Diffinitoribus, vel Regimini proponendus, & ab illis promovendus. Sit autem Decanus omnino moribus gravis, & probatus.

Ibi: Sine juſſione Abbatis nihil faciat.

Inconſulto Abbate non ædificet, nec diſponat de rebus alicujus momenti; ſub certis pœnis.

2. (*b*) Et præcipue, ne omnino fabricas conſtruat intus, aut extra Monaſterium ſine ſcientia, & voluntate Prælati ſui, alias quoque res, quæ fuerint alicujus momenti, puta venditiones frugum, Vini, Olei, & aliarum rerum in quantavis ſumma, & ſimilium, cum Prælato, vel eo abſente cum ſuperiore communicet, nec ſine ejus approbatione, & licentia perficiat.

3. Caveat autem omnino a cujuſvis arboris inciſione in poſſeſſionibus Monaſterii, itaut ne unam quidem, inſcio, & non probante Prælato aut incidat, aut incidi faciat; ſerioque examinet, ubi agitur de ſylvis, vel arboribus non cæduis quid de jure facere poſſit, ne limites ſuæ facultatis excedat, pœnaſque, ac cenſuras extravag. Pauli II., & Decreti Sacræ Congregationis de rebus Eccleſ. non alienan. incurrat, graviter ſi ſecus fecerit a Superioribus quoque puniendus, Experientia enim edocti cognoverimus quantum ex arborum inciſione Monaſteria patiantur detrimentum. Caveat inſuper, ne Monaſteria debitis aggravet ſua incuria, quod ſi fecerit, deponatur.

Ibi: Animam ſuam cuſtodiat.

A quibuſdam communibus Ordinationibus non eximatur.

4. (*c*) Cellerarii non ſic ſe immergant temporalibus, quin vacent ſpiritualibus, ſed ſic tranſeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. Et ut facilius ſpiritualibus exercitiis vacare poſſint: Volumus omnino, ut in Cella Dormitorii dormiant: negotia tamen Monaſterii in Celleraria exerceant, ac ſaltem ſingulis diebus feſtivis Miſſas celebrent, quoad fieri poteſt Chorum, & Refectorium frequentent.

Ibi: nihil negligendum ducat.

Singulis menſibus rerum omnium, & in diſceſſu e Monaſterio totius adminiſtrationis rationem reddet ſub certis pœnis.

5. (*d*) Quilibet Cellerarius computa, rationes, debita, credita, expenſas quotidianas, & tam nummorum, quam rerum exitus ſingulo quoque menſe oſtendat Prælato, & Superioribus, qui omnes illis computis ſi ea probaverint manu ſua ſubſcribant, & mutatus ad aliud Monaſterium, priuſquam recedat, rationem omnino reddat exercitii ſibi commiſſi, coram Superioribus præfati Monaſterii, unde diſcedit. Quod ſi non fecerit, jejunet ſemel in pane, & aqua, ulterius etiam acrius a Viſitatoribus puniendus, & corrigendus: Ipſi vero Viſitatores, ſi indulgentiores fuerint a Diffinitorio puniantur.

Nonniſi a Superioribus abſolutus, ad Prioratum promoveri poterit.

6. Si autem quavis de cauſa intra ſexennii tempus, vel hujuſmodi ſexennio completo, ab officio Cellerariæ abſolutus fuerit, ad Prioratum tamen (etiamſi habeat alia requiſita) promoveri non poſſit, niſi prius integre, & fideliter co-

ram Prælato, & Superioribus Monasterii, rationem reddiderit suæ administrationis, ac ipsius computa ab eisdem (super quo conscientiam cujuslibet ipsorum oneramus) approbata, subscripta, & legitime solidata fuerint, attestationemque habeat in scriptis de hujusmodi approbatione, prædictorum subscriptionibus, ac juramento validatam, Diffinitoribus, vel Regimini, ut canonice promoveri possit, præsentandam.

Rerum temporalium administratio Monachis, negotia vero Sæcularibus, vel Oblatis committantur.

7. In administratione rerum temporalium, ea cautio adhibeatur, ne Prælati eam per se ipsos exerceant, sed per Cellerarios a Diffinitoribus, vel Regimine deputatos, juxta literas in forma Brevis Clementis VIII., & Pauli V.; temporalia vero negotia Monasteriorum nostrorum per sæculares, aut Commissos potius quam per Monachos tractentur.

Rectoriis præficiantur Monachi ad minus 35. annorum, & Cellerarius solus non incedat.

8. Rectoriis, & membris Monasteriorum nostrorum non deputentur ullo modo Monachi, etiamsi sint Decani, qui non sint provectæ ætatis, adminus annorum 35., & præsertim habiles ad prædicta recte administranda, ac morum honestate conspicui, qui teneantur statutis temporibus Cellerario rationem reddere suarum administrationum, & eidem in his, quæ ad prædictas administrationes pertinent, parere. Quando vero Cellerarius e Monasterio egreditur, nullo modo solus, sed saltem famulo associatus, incedat.

Eligatur fidelis Depositarius omnium pecuniarum quas solvat sine Officialium mandatis, quæque impendantur, in necessariis dumtaxat sumptibus.

9. In singulis autem Monasteriis, Diffinitores, vel Regimen prout statuitur in prædicto Brevi Clementis VIII., deputent Monachum probatum, ac fidelem in Depositarium, penes quem pecuniæ omnes quacumque ex causa ad Monasterium, tam ex Celleraria, & aliis membris, ac Rectoriis supradictis, vel ex causa cujuscumque canonis, laudemii, census, aut cujuslibet alterius rei, & emolumenti, quam ex Sacristia provenientes, reponantur: cujus Depositarii præcipua cura sit in destinatis rationum Libris fideliter, ac diligenter hujusmodi pecunias describere; earum autem, ne obolum quidem expendat, aut alicui quovis prætextu solvat, nisi cum mandato Cellerarii, aut Vicarii Sacristiæ respective, ipsorum manu, ac Prælati, vel in ejus absentia, Superioris Monasterii subscripto: Hujusmodi autem mandata in præparato codice describantur, expressa in iis summa pecuniæ, cui, & qua de causa fuerit persoluta, ut ex eisdem facilius Visitatoribus innotescat, an hujusmodi redditus in solitis, ac necessariis Monasterii sumptibus, vel forsan in aliis inutilibus, ac superfluis (quod omnino vetitum est) impendantur, & si qui sint abusus tam circa hujusmodi inutiles, & superfluas expensas, quam circa præsentis Constitutionis observantiam, præsertim sub prætextu, quod aliqui redditus ad Cameram Abbatialem pertineant, & de illis Prælati pro libito, in commodum tamen Monasteriorum disponere possint, ab iisdem Visitatoribus serio mandetur, ut omnino tollantur, & hujusmodi redditus in necessarios Monasteriorum usus convertantur.

De Ferramentis, vel rebus Monasterii.

CAPUT XXXII.

Quibus, & qua cautione tradenda cura rerum Monasterii.

(*a*) Substantia Monasterii in Ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus provideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus securus sit, & eis singula, ut utile judicaverit, (*b*) consignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas Breve teneat, ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quod dat, aut quid recipit. Si quis autem sordide, aut negligenter res Monasterii tractaverit, corripiatur, si non emendaverit disciplinæ Regulari subjaceat.

DECLARATIO.

Ibi: Substantia Monasterii.

Rerum omnium inventaria fiant.

1. (*a*) Quilibet Officialis intra mensem a die publicationis suæ faciat Inventarium de rebus Monasterii, quæ pertinent ad suum officium; Et Prælatus habeat apud se Inventarium universale omnium rerum tam mobilium, quam immobilium Monasterii omnino Visitatoribus exhibendum.

2. Omnes vero libri Monasteriorum nostrorum, non solum notentur in Inventario communi, sed ulterius scribatur in singulis nomen Congregationis, & Monasterii, cujus sunt, signato eorum numero in ordine cæterorum.

Res Ecclesiæ quo casu Sæcularibus commodandæ.

3. Tapetia vero Ecclesiarum, & ornamenta Divino cultui dicata, deinceps sæcularibus non commodentur, nisi forte immineret periculum gravioris scandali, quo casu habita discretione personarum, & temporum, Prælati prudenter providere possint.

Ibi: consignet custodienda.

Curent Prælati, ut Cellerarii exigant, Officiales vero reddant exactam rerum rationem, aliter utrosque puniant.

4. (*b*) Diligenti cura faciant Patres hoc Capitulum observari, & ut solicite custodiantur, & conserventur omnia bona mobilia, & immobilia Monasteriorum, invigilent Prælati, ut de hujusmodi Bonis ad singula officia spectantibus ab unoquoque Officiali, expleta ejus administratione integra, & exacta reddatur ratio a Cellerario accurate exigenda. Quod si aliquis ex Officialibus in hujusmodi administrationibus, propter suam incuriam, vel malitiam (quod absit) aliquod grave Monasterio detrimentum intulerit, vel non custodiendo bona ab ipso per Inventarium recepta, vel expleto officio illa successori integre, & fideliter non consignando, a Prælato suo pro modo culpæ severe puniatur. Cellerarii vero in exigenda ratione negligentes, pœna eorum culpis consentanea pariter afficiantur. Adhibeatur tamen a Visitatoribus, cum ad Monasteria visitanda pervenerint, omnis diligentia, ut Abbates, & Cellerarii tam in Monasterio, quam in Curtibus, & Granciis superfluas omnes amputent expensas, maxime vero circa equos, famulos, quadrigas, & alia hujusmodi, iis tantum, quæ Prælatos Regulares, ac Monachos, voto paupertatis adstrictos, decent, contenti. Accurate etiam ipsi Visitatores perpendant, quonam pacto Monasteriorum præfatorum redditus augeri, expensæque minui possint. Pari quoque vigilantia, ac solicitudine inquirant, an Possessiones a Colonis sint diligenter cultæ, arboribusque consitæ, ac etiam Armentis, & cæteris ad culturam necessariis convenienter instructæ; necnon, an ulterioris bonificationis sint capaces, ut Monasteria ære alieno oppressa sublevari queant. Quod si ex avaritia, aut negligentia, damnum aliquod Monasteriis illatum fuisse conspexerint: moneant Abbates, ut contra Cellerarios, & alios Officiales procedant, usque ad Officiorum privationem, & ulterius, si id qualitas delictorum exegerit. In Provincia autem in qua Monasterium aliquod prædictorum officialium incuria, aut infidelitate (quod Deus avertat) in ruinam vergit, teneantur omnes ejusdem Provinciæ Abbates commonefacere præfatos Visitatores, ut valeant ipsi Monasterio jam labenti, de opportuno remedio providere.

Visitatores etiam præsertim in Visitationibus consulant cum Monasteriorum necessitatibus, tum utilitati.

Privilegia summa diligentia serventur in Archiviis quatuor Monasteriorum.

5. Sane cum privilegia ipsa Congregationis multis, magnisque laboribus, ac difficultatibus impetrata sint, summa diligentia, & custodia conservari mandamus, quæ cum etiam quadruplicata sint, quatuor Monasteriis deputamus custodienda, videlicet Monasterio S. Justinæ de Padua, Sancti Spiritus prope Papiam, Sanctæ Mariæ de Florentia, & Sancti Pauli de Urbe. In quibus Monasteriis maxima cura servari volumus in loco tuto ab igne, & humiditate, a furibus,

in Ar-

in Archivio duabus clavibus obſerato, extrahanturque, aut ter in anno novo ære affandi, ne ſitu marceſcant, & a tineis corrodantur.

Qua ratione amoveri queant.

6. Diſtrictius autem mandamus, & inhibemus, ne inde amoveantur ſine ſpeciali licentia Præſidentis, & duorum Viſitatorum. Urgente vero neceſſitate abſque eorum licentia ad alia Monaſteria noſtra tantum rransferri poſſint.

Nonniſi relicta in ſcriptis memoria, & per ſpatium unius menſis ſub certa pæna.

7. Quia ea requiſierint, & acceperint, teneantur (relicto ibi acceptionis Chirographo) illa remittere poſt eorum uſum, intra menſem. Et ſi is qui acceperit, legitima cauſa ceſſante intra menſem remittere diſtulerit: ſingulis diebus ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum litaniis, uſquequo remiſſa fuerint, dicere teneatur. Quælibet vero Monaſteria habeant tranſumpta authentica Privilegiorum ſaltem uſitatorum, quæ accurate cuſtodiantur.

In ſingulis Monaſteriis extant eorũ authentica tranſumta.

8. Ne arcana, quæ fidelitati Viſitatorum committuntur ullo unquam tempore patefieri contingat, aſſignamus Archivia Monaſteriorum illorum, in quibus Capitulum Generale celebrabitur ubi in Capſa, obſervata clave, quæ ſemper penes Præſidem pro tempore ſit, acta Viſitatorum præcedentis anni cuſtodienda erunt. Si quæ autem ſunt aliæ ſcripturæ ad Congregationem noſtram ſpectantes, in Monaſterio S. Juſtinæ de Padua ſerventur.

Acta Viſitationum, & aliæ ſcripturæ in certis Monaſteriis cuſtodiantur.

9. Sigilla Congregationis, tam magnum, quam parvum cautiſſime cuſtodiantur, ne aliqua fraus inde ſuboriatur.

Sigilla quoq; diligenter ſerventur, & ſi quis ea adulteretur, vel iis abutatur, carceribus mancipetur.

10. Quodlibet autem Monaſterium diligenter ſervet ſua Sigilla, ſive magnum (quo utuntur cum quid fit nomine Prælati, & Conventus) ſive parvum, quo utitur Prælatus in privatis literis. Et nullus alius, niſi de licentia ipſius Prælati, ullo eorum uti poſſit. Quæ ſigilla tam Congregationis, quam Monaſteriorum, ſi quis ſuadente Diabolo, adulterari, iiſque abuti præſumpſerit, carceri mancipetur.

11. Et quia non ſufficit cuſtodire ſcripturas, & Jura Monaſteriorum niſi ab Impugnatoribus tuta ſerventur; idcirco ſtatuimus, quod ſi aliquando ſæcularis, aut Eccleſiaſtica perſona jura, aut privilegia Congregationis in toto, vel in parte infregerit, vel aliquo modo improbe moleſtare tentaverit; ſiquidem ipſa injuria in detrimentum particularis tantum Monaſterii ceſſerit, Prælatus illius Monaſterii, omni quo voluerit juſto remedio, cauſam ſuam impigre, prudenterque tueatur, nec aliquo modo jura, ac privilegia ipſa violari permittat; ubi vero ſe cauſæ tuendæ imparem viderit, Patri Præſidenti, vel Viſitatori, & Priori Generali negotium omne inſinuare non negligat, quos omnino volumus cauſam hujuſmodi in ſe ſuſcipere, & ſumptibus ipſius Monaſterii in Romana Curia, vel alibi, ſicut opus fuerit, tueri.

Unumquodque Monaſterium jura ſua tueatur, & quidem propriis ſumptibus.

12. Si vero Pater Præſidens, aut Viſitatores ipſum Monaſterium judicaverint impotens ad expenſas, fiat ſumptibus Congregationis, ad quos reſtituendos ipſum Monaſterium teneatur, niſi ei Capitulum Generale juſſerit relaxandos.

Vel Congregationis, vel plurium Monaſteriorum, quibus tamen definito tempore ſolvi debent.

13. Poterunt tamen P. Præſidens cum uno Viſitatore, vel duo ſimul Viſitatores providere, ut unum, aut plura Monaſteria ſubveniant Monaſterio impotenti pro jure ſuo tuendo, ſi in Congregatione deſint pecuniæ: reſtitutione tamen facienda de pecuniis commodatis, tempore per ipſos conſtituendo.

14. At ſi moleſtia illata in totius Congregationis redundat jacturam, Pater Præſidens, communibus Congregationis ſumptibus, illius jura defendenda curabit.

15. In unoquoque Monaſterio ſit Regeſtum in quo, quæ ſingulis trienniis per Generale ordinantur Capitulum, notentur, videlicet quæ totam reſpiciunt Congregationem. Et ſimiliter habeatur libellus, in quo notentur ea, quæ ſpecialiter ad illud Monaſterium pertinent, prout fuerint per ſingula trennia per Capitulum Generale, Dietas & Viſitatores ordinata.

Habeant quoque Monaſteria Regeſtum Ordinationum cujuſque anni.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAPUT XXIII.

Præcipue hoc vitium (*a*) radicitus amputetur de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus, nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate, omnia vero neceſſaria a Patre Monaſterii ſperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit, omniaque omnibus ſint communia, ut ſcriptum eſt, ne quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat, aut præſumat. Quod ſi quiſquam hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel, & iterum, ſi non emendaverit, correctioni ſubjaceat.

Nihil habeant, quod Abbas non dederit, & omnia ſint communia, aliter puniantur.

DECLARATIO.

Ibi: Radicitus.

1. (*a*) Intentio Regulæ eſt, quod non ſolum in exterioribus amputanda ſit proprietas, ſed etiam quando Prælatus perpendit aliquam rem nimio affectu poſſideri, ita forte, ut Frater reſiſteret, ſi ab eo auferri contingeret, propterea Patres caveant, ne aliquid concedant alicui ad uſum in vita ejus, quia talis conceſſio eſt valde proprietati ſimilis, ſed concedant ad beneplacitum ſuperioris.

Nihil concedendum in perpetuum uſum.

2. Permittimus autem Monachis noſtris, ut habeant libros cum licentia ſuorum Prælatorum & pro uſu ſuo teneant, etiamſi miſſi fuerint ad alia loca Congregationis noſtræ, reſtituendos nihilominus poſt eorum deceſſum, illis Monaſteriis, quibus inſcripti fuerint.

Poſſunt tamen Monachi ſecum ferre libros.

3. Et quoniam cum aliquis ex noſtris moritur extra ſuæ profeſſionis Monaſterium oriri ſolent lites tum ſuper libris, tum ſuper aliis rebus: ad eas præcavendas, ordinamus, quod tam libri non ſignati, quam alia omnia, quæ reperta fuerint apud quemvis noſtræ Congregationis Prælatum, Monachum, ſive Commiſſum Defunctos, intelligantur eſſe, & ſint ejus Monaſterii, in quo talis Defunctus aſſignatus erat, dummodo illuc pervenerit. Quod intelligendum eſt de pecuniis, & aliis rebus, quæ cum effectu, & realiter apud ipſos ſunt: quæ autem non reperiuntur apud ipſos cujuſcumque generis ſint, ſive pecuniæ, ſive libri ſignati, ſive alia ejuſmodi ſint, & eſſe intelligantur Monaſteriorum profeſſionis eorum, niſi forte ipſe ante mortem ad levandam conſcientiam ſuam, alicui coram teſtibus dixiſſet, hanc vel illam rem eſſe hujus, vel illius Monaſterii.

Res Defunctorum alicui Monaſterio adſcriptæ, illius ſint; quæ nulli aſſignatæ ſunt, & apud ipſos exiſtentes, cedant eorum Monaſterio: aliæ vero, Monaſterio Profeſſionis, concedantur.

4. In Breviariis, ſicut & in aliis libris ſcribatur nomen monaſterii, cui acquiſita fuerint, & nomen Caſſinenſis Congregationis, ut ſupra Cap. 32. Mandantes omnibus noſtræ Congregationis Patribus, ut cum finito Capitulo, ad Monaſteria ſibi aſſignata applicaverint, in ipſorum ordinatione: ante, vel poſt Officialium abſolutionem, immediate, Breviaria, & libros, & alia quæcumque ſi habuerint appretiabilia, ſibi ab omnibus denunciari mandent. Quæ omnia ipſorum arbitrio, ac beneplacito ſunt diſpenſanda, ut vitium proprietatis amputetur in Monachis.

In libris inſcribant nomen Monaſterii, quos, uti, & alias eorum res diſpenſet Abbas.

5. Curent etiam, ut ſinguli Monachi ſingulis annis conficiant librorum omnium, quos habent Inventarium, quod propriis Prælatis exhibeant, qui diligentiſſime conſiderabunt, an in iis ſint libri per indicem prohibiti. Inſuper omnium Monachorum Cellas ter ſaltem in anno viſita-

Conficiant Inventarium librorum etiam prohibitorum ſub certis pœnis.

bunt,

bunt, inquirentes, an alios habeant libros, præter in Inventario descriptos, quod si quis deprehensus fuerit hujusmodi libros vetitos habere, serventur ea, quæ in Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim ad Officium Sanctæ inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus statuuntur.

A nemine inordinate accipiant pecunias.

6. Et ne quandoque aliquod scandalum oriri contingat, prohibemus Fratribus nostris, ne inordinate per se, vel per alios a Consanguineis suis, vel ab aliis extraneis pecunias petant, & accipiant. Qui contrafecerit pecuniis privetur, & jejunet in terra in pane & aqua in Refectorio.

Nec aliquid emant, aut vendant.

7. Inhibemus etiam, ne quaslibet res invicem emant, aut vendant. Contrafacientes rebus, & pecuniis illico priventur, comedantque in terra in Refectorio in pane, & aqua pro qualibet vice.

Multo minus aliquid emant pro Laicis, aut eorum res asportent.

8. Insuper nemo nostrorum præsumat quidquam emere in quibusvis Civitatibus, aut Locis nomine Laicorum, aut etiam ab eis accipere, ut id asportet absque vectigalium solutione. Quod si quis non observaverit, si fuerit in dignitate constitutus per depositionem puniatur; si vero fuerit simplex Monachus, degradetur, habita consideratione ad gravitatem criminis; Sed si fuerit Commissus, aut expellatur, aut gravissimis pœnis afficiatur.

Cujuscumq; generis pecunias Prælato deferant, aliter puniantur ab eodem, vel a Visitatoribus.

9. Præcipimus etiam, quod nullus nostræ Congregationis Professus, Commissus, seu aliter in nostris Monasteriis sub obedientia Patrum constitutus, audeat tenere, vel expendere pecunias, sine licentia Prælati sui, sed pecuniam omnem ad se pervenientem eidem Prælato deferat Depositario consignandam: quod idem intelligimus observandum esse de pecuniis, quæ penes aliquem ex prædictis Fratribus quavis causa depositatæ fuerint, tam Monasteriorum nostrorum, quam aliarum quarumcumque Personarum, prout supra statutum est in declaratione Cap. 31. num. 10. Quam Constitutionem mandamus omnibus Prælatis, & Patribus nostræ Congregationis, ut realiter, & cum effectu faciant suis Monasteriis observari. Quod si forte quis contra hujus Constitutionis formam pecunias apud se, vel apud alios, vel forsan census, & alia bona quæcumque tam stabilia, quam mobilia quovis titulo acquisita, occulte retinuerit, & intra tempus a Constitutionibus præscriptum, non revelaverit, ac de hujusmodi proprietatis vitio suspectus, & diffamatus a Prælato suo, prævia monitione juxta Sacros Canones punitus non fuerit, ne propter incuriam, & dissimulationem Prælatorum (quod absit) delicta inulta remaneant, districte ordinamus Visitatoribus ut in actu Visitationis in singulis Monasteriis contra hujusmodi proprietatis labe suspectos, & diffamatos, diligentissime procedant. Et si desuper capta diligenti Informatione, aliquem hoc proprietatis vitio laborantem, & in quocumque ex prædictis culpabilem invenerint, si quem in Congregatione gradum, dignitatem, aut officium obtinet, in Dieta, aut in Capitulo deponatur, simplex vero Monachus, aut Commissus Carceri mancipetur, nonnisi de consensu Diffinitorum, vel Regiminis educendus. Pecunias vero, & quæcumque bona prædicta Monasteriis eorum professionis eo ipso applicata esse decernimus, & declaramus.

Nihil mutuo, aut commodato accipiant sine licentia in scriptis, & sine qua creditores periculo se exponunt.

10. Nullus Fratrum Nostrorum quidquam accipiat mutuo, vel commodato, absque licentia Prælati, & Conventus, in scriptis danda, qua non interveniente sibi consulant Creditores, faciantque nullum solvendi onus Monasteria subire, nisi publica auctoritate æs alienum contractum fuerit, vel nisi legitime constiterit, in Monasterii commodum transisse, & in hoc sensu concipienda erunt inposterum mandata procurationum Ministri tradenda.

Si omnes debeant æqualiter necessaria accipere.

CAP. XXXIV.

Attendatur major, & minor Fratrum indigentia, nec aliquis murmuret sub certa pœna.

Sicut scriptum est: Dividebatur singulis prout cuique opus erat. Ubi non dicimus, quod personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur; Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia: Et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

De Septimanariis Coquinæ.

CAP. XXXV.

Nemo sine causa eximatur a Coquina, & quodnam sit Coqui officium, vel ipse præstare debeat in initio, vel fine suæ hebdomadæ.

Fratres sic sibi invicem serviant, ut (*a*) nullus excusetur a Coquinæ Officio, nisi aut ægritudine, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde major merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant; sed habeant omnes solatia, secundum modum Congregationis, aut positionem loci. Si major Congregatio fuerit, Cellerarius excusetur a Coquina, vel si qui (ut diximus) majoribus utilitatibus occupantur. Cæteri vero sibi sub charitate invicem serviant. Egressurus de Septimana Sabbato munditias faciat. Linteamina cum quibus sibi Fratres manus, ac pedes tergunt, lavet; pedes vero, tam ipse, qui egreditur, quam ille, qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa Monasterii sui munda, & sana Cellerario reconsignet. Qui Cellerarius item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarii autem ante unam horam Refectionis accipiant, super statutam annonam, (*b*) singulos biberes, & panem: ut hora refectionis sine murmuratione, & gravi labore serviant Fratribus suis. In diebus tamen solemnibus usque ad Missas sustineant. Intrantes autem, & exeuntes, Hebdomadarii in Oratorio, mox Matutinis finitis, Dominica omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de Septimana, dicat hunc versum: *Benedictus es D. Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me.* Quo dicto tertio, accipiat benedictionem egrediens, subsequatur ingrediens, & dicat: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, & hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta benedictione ingrediatur.

DECLARATIO.

Ibi: nullus excusetur.

Prior quoque Coquum agat, & Mensæ inserviat, legatque.

1. (*a*) Prior Claustralis, maxime cum Prælatus erit in Monasterio, non excusetur a ministerio Coquinæ, sed solus Cellerarius, qui Prior, mensæ quoque, etiam absente Prælato, legere, & inservire debet.

Ibi: singulos biberes, & panem.

Coquus accipiat Cyathum unum vini, & duas uncias panis.

2. (*b*) Infra de hebdomadario Lectore dicit *mixtum.* Quod intelligimus tantum vini, quantum capere potest unus cyathus, in quo in Refectorio bibitur, & circa uncias duas panis.

Idque omnibus Officialibus permittitur.

3. Quod vero dicitur de hebdomadariis Coquinæ, idem dicitur de omnibus Officialibus, qui in suis Officiis occupati nequeunt Primæ Mensæ interesse.

De Infirmis Fratribus.

CAPUT XXXVI.

Summa sit cura infirmorum, qui nimis molesti non sint & eos alii patienter sustineant.

Infirmorum cura ante omnia, & super omnia abhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dixit; Infirmus fui, & visitastis me. Et quod feciſtis uni de his minimis meis, mihi feciſtis; Sed & ipsi Infirmi considerent, in honorem Dei sibi serviri: & non superfluitate sua contristent Fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis (*a*) sit Cella super se deputata, & servitor timens Deum, & diligens, ac solicitus.

Assignentur eis Cella, & famulus.

Item concedanturBalnea, & Carnes.

(*b*) Balneorum usus Infirmis, quoties expedit, offeratur; Sanis autem, & maxime Juvenibus, tardius concedatur. Sed & Carnium usus Infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne a Cellerariis, aut Servitoribus (*c*) negligantur Infirmi quia ad ipsum respicit, quidquid a Discipulis delinquitur.

DECLARATIO.

Ibi: Sit Cella super se deputata.

Pro salute animæ, & corporis nulli impensæ, ac labori parcatur.

1. (*a*) Quilibet Infirmus habeat, si locus permiserit Cellam separatam cum Camino, nec ulli omnino labori, ullique impensæ parcatur, ut Infirmis necessaria obsequia, immo decentia solatia tum spiritualia, tum corporalia, sedulo impendantur. Quod præsertim attendatur in Monasteriis, quæ sunt extra Civitates, in quibus tam quoad Medicos, quam quoad alia requisita, non ita commode possunt Infirmis necessaria exhiberi. Provideant igitur Prælati talium Monasteriorum, ut Infirmi, sive ipsos in Monasteriis, sive in Civitate curandos duxerint, nulla omnino re indigeant, quæ ad salutem corporis, & animæ non solum necessaria, sed etiam condecens fuerit. Si de negligentia fuerint convicti, severe puniantur a Regimine.

De medicamentis.

2. Ordinamus etiam, quod nullus Fratrum circa Medicinalia loquatur Medico, aut ab eo petat consilium sine licentia Superioris, nec potionem aliquam, vel pilulam, vel similia sine utriusque licentia sumat. Qui contra fecerit, dicat ter Septem Psalmos Pœnitentiales cum Lytanijs.

De mensa.

3. Ad mensam, si plures sunt Ægri, vel Convalescentes, cum modestia sedeant, & aliquid ad ædificationem in principio refectionis legatur.

De valetudinariis.

4. Sint Infirmi obedientes Infirmariis suis, & è contra Infirmarii sint discreti, & compatientes Infirmis suis. Qui Infirmarii omnino deputentur Monachi, & si majori indigeant auxilio, addantur etiam Commissi, vel famuli. Et maxima cura invigilent Prælati, ut hoc charitatis officium perfecte adimpleatur.

Ibi: Balneorum usus.

Balnea extra Monasteria non tam facile permittantur.

5. (*b*) Intelligimus de Balneis, quæ sunt in Monasteriis. Ad Balnea vero quæ sunt extra Monasterium propter periculum Animarum, nemo accedere præsumat sine licentia speciali Capituli Generalis, proxime fieri debeat, & non sit periculum in mora, aliter Præsidentis, aut unius ex Visitatoribus: Quando etiam major instaret necessitas, & differri non posset, sufficiat licentia Prælati sui cum Consilio Seniorum Monasterii; Si igitur pro aliquo Infirmo Fratre perenda sunt Balnea, Prælatus ipse, & non alius ipsam licentiam petat.

Quodnam Monasterium subjacere debeat infirmorum expensis.

6. Infirmo Fratri ad Balnea mittenda necessaria omnia suppeditari mandamus a Monasterio suæ professionis, dummodo per biennium minime interruptum in alieno Monasterio non permanserit. Hoc enim casu ab eo Monasterio, quod integro biennio inbolvit, necessaria subministranda esse statuimus: Quo vero ad alios Infirmos expensæ fiant ab illo Monasterio, in quo, qui infirmatur est deputatus de familia.

Ibi; Non negligantur Infirmi.

Sæpe confiteantur, & Eucharistiam sumant.

7. (*c*) Non solum in temporalibus, sed nec etiam in spiritualibus, ut videlicet admoneantur, ne propter infirmitatem, omittant Confessionem, & Communionem temporibus consuetis, imo hortentur, ut frequentius confiteantur, & Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumant.

De Senibus, vel infantibus.

CAP. XXXVII.

Alimenta sumant ante horas canonicas.

Licet ipsa natura humana trahatur ad Misericordiam in his ætatibus, (*a*) Senum videlicet, & Infantum tamen, & Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit eis pia consideratio, & præveniant horas Canonicas.

DECLARATIO.

Ibi: Senum.

Attendatur non tam eorum ætas, quam imbecillitas.

1. (*a*) Non tam ætate, quam imbecillitate, juxta Prælati considerationem. Infantes vero non recipimus omnino, sicut supra dictum est de Pueris minoris ætatis.

De Hebdomadario Lectore.

CAP. XXXVIII.

Qualis esse, quod præstare, & quibuscum edere debeat: ipso vero legente altum sit silentium.

(*a*) Mensis Fratrum edentium (*b*) Lectio deesse non debet, nec fortuito casu, qui arripuerit Codicem, legere audeat ibi, sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas, (*c*) & Communionem, (*d*) petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab eo Deus spiritum elationis, & dicatur hic versus in Oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et sic accepta benedictione (*e*) ingrediatur ad legendum; Summumque fiat silentium ad mensam, ut nullius mussitatio, vel vox, nisi solius Legentis ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt comedentibus, & bibentibus sic sibi (*f*) invicem ministrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquam requirere ne detur occasio: nisi forte Prior voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere. Frater autem Hebdomadarius accipiat (*g*) mixtum priusquam incipiat legere propter Communionem Sanctam, & ne forte grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum Coquinæ Hebdomadariis, & Servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

DECLARATIO.

Ibi: Mensis Fratrum.

Quid legendum in prima, & secunda mensa, etiam a Superiore.

1. (*a*) Secundæ etiam Mensæ, ubi major fuerit Congregatio, non desit Lectio.

Ibi: Lectio deesse non debet.

2. (*b*) In Lectionibus primæ Mensæ hic Ordo servetur. Si dies illa proprium habuerit Evangelium, ejus Homilia: & deinde Sermones super eo, juxta dispositionem Superioris legan-

tur:

tur: postea vitæ Sanctorum, deinde Sac. Scriptura. In fine commestionis aliquid lingua vulgari legatur, ut Fratres Commissi grammaticam ignorantes, unde ædificentur habeant, & spiritualiter pascantur. Et præsertim non omittatur Lectio Regulæ Italico Sermone (quæ latine lecta fuerit in Capitulo) cum tota integra sua declaratione, quæ etiam secundæ Mensæ repetatur. Cum vero contigerit Superiorem in Conventu legere, is, qui immediate sequitur, signa particularia faciat.

Ibi: Et Communionem.

3. (c) Ex eo quod hic Beatus Pater Benedictus dicit; Post Missas, & Communionem & infra in eodem Capitulo propter Communionem Sanctam ostenditur, quod quolibet Dominico die Fratres communicabant: Ideo mandamus, quod tam Sanctum, & antiquum Religionis Institutum servetur in singulis nostræ Congregationis Monasteriis: nisi forte ob reverentiam alicujus Festi Solemnis differatur, aut præmittatur hujusmodi Communio.

Quolibet Dominico die ab omnibus sumenda Eucharistia.

4. Cum autem Sacerdotes, qui propter infirmitatem, aut in die Dominicæ Cœnæ, aut ex aliqua causa non celebrant, communicare contigerit, juxta Decretum Sanctorum Patrum, Stolam semper super humeros habeant, sicut quando celebrant.

Et a Sacerdotibus cum Stola.

5. Fiat tamen dicta Communio statim post Communionem Sacerdotis, & Sacramentum per Sacristam decenter cum Luminaribus, Missa peracta, in locum suum reportetur.

Deinde per Sacristam reponatur Sacramentum.

6. Hortamur autem Prælatos, ut saltem bis in anno Clericis, & Commissis omnibus facultatem concedant, ut cui maxime voluerint ex approbatis ad Confessionem, possint sua peccata confiteri.

Prælati vero saltem bis in anno Confessarium non determinent.

Ibi: Petat ab omnibus pro se orari.

7. (d) Stet in medio Chori die Dominica post sextam genibus flexis versus Altare, & ter dicto versu, *Domine labia mea aperies &c.* Et a Choro ter repetito, Superior dicat *Salvum fac &c.*, & consuetam Orationem, tenoris videlicet sequentis: *Aufer ab hoc famulo tuo, quæsumus, Domine spiritum elationis, & ignorantiæ, ut repletus spiritu humilitatis, & scientiæ, intellectum Sacræ capiat lectionis. Per Christum Dominum nostrum.*

Deinde Superior dicat Versum, & Orationem.

Ibi: Ingrediatur ad legendum.

8. (e) Post benedictionem Lector non incipiat, nisi Fratres prius sederint ad Mensam. Lecta vero brevi particula Lectionis, Superior faciat signum, post quod Fratres incipiant comedere. Et hoc ut anima, priusquam corpus reficiatur: & in fine Mensæ nemo surgat, nisi prius omnes responderint: *Deo gratias.*

De principio, & fine lectionis, & mensæ.

Ibi: Invicem.

9. (f) Hac vicissitudine intelligitur, quod singuli per ordinem a Superiore nominandi per singulas hebdomadas legant.

Qui legent.

Ibi: Mixtum.

10. (g) Servetur quod dictum est de Septimanariis Coquinæ.

De Mensura Ciborum.

CAPUT XXXIX.

(a) Sufficere credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ, quam nonæ omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum Infirmitates, ut forte qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus sufficiant; Et si fuerint inde poma, aut nascentia Leguminum, addatur, & tertium (b) Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii, & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt de eadem libra, tertia pars a Cellerario reservetur, reddenda cœnaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio, & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, ut numquam surripiat Monachorum indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula sicut ait Dominus noster: videte ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate. Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor, quam majoribus servata in omnibus parcitate. Carnium vero (c) quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles, & ægrotos.

Ordinarie, sed non pueris duo conceduntur cocta obsonia & libra una panis in die, nunquam vero quadrupedum carnes.

DECLARATIO.

Ibi: Sufficere credimus.

1. (a) Quando in Monasterio jejunium servatur, assignetur edentibus in Refectorio, quæ debet esse circa meridiem ciborum quantitas, quæ aliquanto major sit, quam cum non jejunatur. In omnibus servata locorum, & temporum consuetudine, ac Monastica sobrietate.

Cibi copiosiores sint diebus jejunii.

Ibi: Panis libra una.

2. (b) Volumus consuetudinem nostram servari, ut scilicet apponatur panis quantum cuique opus fuerit.

Panis quantum sufficit.

Ibi: Quadrupedum.

3. (c) In Monasteriis nostræ Congregationis, in quibus viget Regularis observantia, & recipiuntur Novitii ad probationem, carnes cujuscumque speciei omnino non comedantur in Refectorio observantiæ; multorum tamen imbecillitati consulere volentes, dispensamus, ut in Refectorio Valetudinarii, Fratribus, qui sunt de Conventu, esus carnium semel in hebdomada concedatur. Ac insuper, ut Prælati cum Hospitibus nostræ Congregationis intra Monasterium, vel cum Senioribus, & Sacerdotibus in Camera Abbatis, aut cum Fratribus, qui sunt in itinere, & extra Monasteria super hujusmodi esu carnium dispensare possint, prout eorum discretioni videbitur expedire, facultatem concedimus. Si quis autem absque Prælati licentia in Monasterio, vel extra, carnes comedere ausus fuerit: quot vicibus carnes comederit, toties in pane, & aqua jejunet.

Carnis definito tempore, & loco permittuntur.

4. Dispensamus præterea cum Monasteriis S. Pauli de Urbe, S. Mariæ de Farfa, Sancti Nicolai de Littore, & Sancti Bartholomæi de Aste, ob aeris intemperiem, in cæteris vero Monasteriis in quibus, ob paucitatem Monachorum exacta, & rigorosa observantia Regularis vigere nequit, sit in Abbatis arbitrio, & prudentia ut carnium esum ter in hebdomada per totum annum, diebus non interdictis, indulgere Fratribus possit ex rationabili causa.

Semper vero in quibusdam Monasteriis.

De Mensura Potus.

CAPUT XL.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo: alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur; tamen Infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus (a) eminam vini per singulos sufficere per diem: Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut Loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit: in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus ne surrepat satietas, aut ebrietas, liceat legamus, vinum omnino Monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem, vel hoc consentimus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: Quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem loci necessitas

Pro ordinario, & quotidiano potu assignatur Emina una vini.

exposcit,

expoſcit, ut nec ſupra ſcripta menſura inveniri poſſit, ſed multo minus, aut ex toto nihil; benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc autem omnino admonentes, ut abſque murmurationibus ſint.

Ibi: Eminam Vini.

Bibant ad ſobrietatem, & in poculis fictilibus.

(*a*) Vinum apponimus non ad certam menſuram, ſed quantum uniuſcujuſque ſobrietati ſufficiat, monemus tamen Fratres ne bibant merum, niſi Infirmitas hoc requireret. In Refectorio bibant omnes in poculis fictilibus, quæ utraque manu ſibi porrigant; Extra Refectorium vero uti liceat vitreis calicibus.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

CAPUT XLI.

Tempus prandii pro diverſitate temporis erit Sexta, Nona, & Veſpera: Cœnæ vero ſera, ſemper tamen cum luce diei.

A Sancto Paſcha, uſque ad Pentecoſtem ad ſextam reficiant Fratres, & ad ſeram cœnent (*a*) A Pentecoſte autem tota æſtate (ſi labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas ætatis non perturbat), quarta, & ſexta feria jejunent uſque ad nonam, Reliquis vero diebus ad ſextam prandeant: Quæ prandii ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis fervor minus fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit providentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter, & animæ ſalventur, & quod faciunt Fratres abſque ulla murmuratione faciant. (*b*) Ab Idibus autem Septembris (*c*) uſque ad caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant Fratres. (*d*) In Quadrageſima vero uſque ad Paſcha, ad veſperam reficiant. Ipſa tamen veſpera ſic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes: Sed lhce adhuc diei omnia conſumentur, ſed & omni tempore ſive cœnæ, ſive refectionis hora ſic temperetur ut (*e*) cum luce fiant omnia.

DECLARATIO.

Ibi: A Pentecoſte autem.

Loco jejuniorum Regulæ perpetuo jejunent ſola feria ſexta.

1. (*a*) Quoniam Fratribus noſtris multas diſpenſationes, & Indulgentias circa jejunia Regularia largiti ſumus; rationabile idcirco judicamus, ut quod Regulæ jejuniis detractum eſt, aliis abſtinentiis, aliquatenus compenſemus.

2. Omnibus ergo Congregationis noſtræ Monachis, & Commiſſis injungimus, ut per totum annum jejunent feria ſexta in memoriam, & reverentiam Paſſionis Chriſti, niſi forte eo die feſtus dies adeo ſolemnis occurrerit, qui hanc jejunii legem ſolvere ſuadet, Refectiunculæ ſerotinæ æſtivo tempore fructus aliquos addi poſſe indulgemus.

Ibi: Ab Idibus Septembris.

Id eſt, poſt Idus.

3. (*b*) Intelligitur excluſive, prout declarabitur in Capitulo de opere manuum quotidiano, ſuper verbo, uſque ad Kalendas Octobris.

Ibi: Uſque ad Caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant Fratres.

Excipiuntur quamplurimi dies ſolemnes & feriæ Tertia, & Quinta.

4. (*c*) Diſpenſamus autem in infraſcriptis diebus propter reverentiam ſolemnitatum. In feſto Sancti Matthæi Apoſtoli, Dedicationis S. Michaelis, S. Placidi, Sanctæ Juſtinæ de Padua, S. Luciæ, SS. Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Sancti Martini, omnium etiam Sanctorum Monachorum, S. Andreæ (quando celebratur extra Adventum, (Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti cum tribus ſequentibus diebus, Circumciſionis ipſius, Epiphaniæ ejus, S. Mauri, S. Antonii Abbatis, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, S. Scholaſticæ, Sancti Mathiæ extra Quadrageſimam, & tituli Loci: Inſuper etiam, ut Fratres noſtri ulterius incumbant his, & aliis Regularibus obſervantiis, concedimus Prælatis licentiam diſpenſandi tertia, & quarta feria cujuslibet hebdomadæ. Quibus impeditis, diſpenſatio cedat in alium diem.

5. Et licet experientia docti, quæ rerum magiſtra eſt, aperte cognoſcamus, quod nimia recreationum relaxatio potius diſtrahit, & enervat, quam recreet, & proficiendi materiam ſubminiſtret, tamen infirmitati humanæ conſulentes, Prælatos hortamur, ut per aliquot dies ante Adventum, itemque per aliquot plures dies ante Quadrageſimam, ſint erga Fratres in recreationibus, & in eſus carnium diſpenſatione (quod ipſorum diſcretioni committimus) aliquanto indulgentiores, vitato exceſſu, quatenus hujuſmodi relaxatione præmiſſa, alacrius poſtmodum, atque ferventius debitum ſuæ ſervitutis perſolvant, & per Monaſteria Congregationis uniformitas obſervetur.

Frequentiores ſint recreationes, & eius carnium ante Adventum, & Quadrageſimam.

Ibi: In Quadrageſima uſque ad Paſcha ad veſperam reficiant.

Servetur hora ab Eccleſia præſcripta.

6. (*d*) Hoc Quadrageſimæ tempore, ita diſponantur divina officia, ut hora ab Eccleſia præſcripta conventus reficiatur.

Ibi: Cum luce omnia fiant.

Remittitur ad Abbatis arbitrium, & prudentiam.

7. (*e*) Quia noſtris temporibus Eccleſiaſticorum Officiorum ſolemnitates ita auctæ ſunt, ut hiemis tempore cœnari non poſſit ante ſolis occaſum, abſque manifeſta valetudinis læſione, & ſi voluerimus divinorum celebrationem nimis tempeſtive perſolvere, id fieri non poterit abſque fidelium admiratione, propterea ab Abbatis prudentia pendeat temporis canonicarum horarum, & refectionis congrua diſpoſitio.

Ut poſt completorium nemo loquatur.

CAPUT XLII.

Poſt Cœnam habeatur Spiritualis lectio, quæ tempore Jejunii præcedat Cōpletorium, quo finito nemo loquatur.

Omnino tempore ſilentii debent ſtudere Monachi, maxime tamen nocturnis horis, & ideo omni tempore, ſive jejunii, ſive prandii, ſi tempus fuerit prandii (*a*) mox, ut ſurrexerint a cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus Collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliquid, quod ædificet audientes: non autem Heptaticum, aut regum, quia Infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc ſcripturam audire: Aliis vero horis, legantur, ſi autem jejunii dies fuerit, dicta veſpera, parvo intervallo, mox accedant ad lectionem, ut diximus, & lectis quatuor, aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum concurrentibus per hanc moram Lectionis, ſi quis forte in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat; Omnes ergo in unum poſiti, compleant, (*b*) & exeuntes a Completorio, nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod ſi inventus fuerit quiſquam prævaricari hanc taciturnitatis Regulam, graviori vindicta ſubjaceat: Excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſupervenerit, aut forte Abbas alicui aliquid juſſerit. Quod tamen, & ipſum cum ſumma gravitate, & moderatione honeſtiſſime fiat.

DECLARATIO.

Ibi: Mox, ut ſurrexerint a cœna.

Incipiatur ſemper præfata lectio ante Completoriilectionem.

1. (*a*) Hiſce temporibus completorium dicitur ante cœnam, propterea puſſato primo Completorii ſigno, Monachi omnes in Capitulum conveniant ad hujuſmodi Lectionem, quæ non ultra quartam unius horæ partem protrahatur; Eaque peracta, & dicatur in choro Lectio brevis, quæ eſt initium Completorii.

Ibi: Et exeuntes a Completorio.

Et ſilentium poſt ſignum dormitionis.

2. (*b*) Silentium, quod hic Regula præcipit poſt Completorium ordinamus rigoroſe ſervandum eſſe poſt ſignum ſerotinæ dormitionis.

De iis, qui ad opus Dei, vel menſam tarde occurrunt.

CAPUT XLIII.

Operi Dei nihil præferatur & ingre-

(*a*) Ad horam divini Officii mox, ut auditum fuerit ſignum, relictis omnibus (quælibet fuerit

dientes Chorum post primum psalmum, ultimo sedeant, aut seorsum.

fuerit in manibus) summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod si quis ad nocturnas vigilias post *Gloriam* Psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & morose volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco, quem talibus negligentibus seorsim constituerit Abbas, ut videatur ab ipso, vel ab omnibus usque dum, completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in ultimo, aut seorsum judicavimus debere stare, ut visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur, nam si foras Oratorium remaneant, erit forte talis, qui se, aut recollocet, & dormiat, aut certe sedeat foris, vel fabulis vacet, & detur occasio maligno. Sed ingrediatur intra, ut nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum, & *Gloriam* primi Psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit, lege qua supra diximus, in ultimo stet, nec præsumat sociari choro Psallentium, usque ad satisfactionem nisi forte Abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen, ut satisfaciat Reus ex hoc.

Item qui non interfuerint primo, vel secundo Versui Mensæ, post secundam correptionē, seorsum cibum sumant absque vini portione, & hora a Priore determinata.

Ad mensam autem, qui ante versum non occurrerit (*b*) ut simul omnes dicant versum, & orent, & sub uno simul omnes accedant ad mensam: qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit usque ad secundam vicem (*c*) pro hoc corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus sublata ei portione sua vini usque ad satisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur, nec quidquam præsumat ante statutam horam, vel postea quidquam cibi, vel potus percipere sed etsi, cui offertur aliquid a Priore, & accipere renuerit, hora qua desideraverit hoc, quod prius recusavit, aut aliud omnino non percipiat, usque ad emendationem congruam.

DECLARATIO.

Ibi: Ad horam Divini Officii.

1. (*a*) Quam solicitos nos esse velit, ad Divina Officia Beatissimus P. N. Benedictus, his verbis ostendit: Ideoque aliquid distinctius, ab ipsa tamen Regula non discedentes, ordinandum duximus.

In Officio B. M. V. post hymnum genuflectant, & dato signo surgant, post psalmum vero etiam se excusent, aliter servetur Regula.

2. Ut videlicet ad nocturnas vigilias servetur ad literam Regula. Sed quando dicitur Officium Beatæ Virginis in primo nocturnalis Officii, qui venerit post hymnum genuflectat, & facto a Superiore signo, vadat ad locum suum. Qui vero post *Gloria* primi Psalmi, genuflectat, & expectato Superioris signo, se excuset vel locum negligentium petat.

3. Ad Divinas vero horas, qui venerit post hymnum, qui præmittitur Psalmis, genuflectat, ut supra, & petat locum suum. Si autem post *Gloria* primi Psalmi etiam in horis, in quibus hymnus non præmittitur, pariter genuflectat, factoque a Superiore signo, se excuset, vel ut supra locum pœnitentium petat.

Idem servandum in Completorio post inceptam lectionem, vel post Capitulum Breve.

4. Ad Lectionem vero, quæ dicitur in Capitulo ante Completorium, qui venerit postquam Lector (facto signo a Superiore) inceperit legere, genuflectat, ut supra, & tendat ad locum suum. Qui vero non interfuerit lectioni brevi, quæ dicitur in choro, genuflectat, factoque a Superiore signo, se excuset, aut in ultimo stet.

Ibi: Ut simul omnes dicant versum.

Pariter genuflectant post pronunciatū *Benedicite*.

5. (*b*) Declaramus sufficere, quod Fratres sint intra Officium Refectorii, cum Superior incipit versum: *Benedicite*. Quo pronunciato, qui deinde ingredientur, genuflectant, factoque a Superiore signo surgant.

Ibi: Propter id corripiatur.

Post versum omnes genuflectant, & exceptis illis coquinæ, se quoque excusent.

6. (*c*) Tam negligentes, quam etiam, qui fuerint justa causa occupati, ut disciplina, & humilitas ostendatur, genuflectant, factoque sibi signo a Superiore surgant, & causam suæ tarditatis ipsi Superiori pandant, submissa voce, ut discernatur negligens a legitime occupato.

7. Inservientes vero Coquinæ licet genuflectant, non tamen se excusent, quia satis liquet, eos legitime fuisse occupatos.

Legitime occupati causam Superiori manifestent.

8. Si quis autem legitime occupatus, non posset convenire ad Officium, vel exercitium, vel ad mensam, vel ad alia, propter quæ Conventus congregatur, excusationem suam per se, vel per alium faciat, dicendo Superiori causam suæ occupationis.

Item discedentes, vel saltem nutu licentiam petant.

9. Si vero alicui necesse fuerit discedere ab Officio, sive ab exercitio, sive a Conventu quomodocumque congregato per parvum temporis spatium, licentiam a Superiore solo nutu petat: Et si statim revertatur, non genuflectat. Cui vero necesse esset discedere animo non redeundi, dicat causam Superiori, & super hoc obtineat licentiam particularem.

Prælati vero non genuflectāt, & dumtaxat a Præsidente licentiam petant.

10. Prælati vero transeuntes per alia Monasteria intrantes Chorum, vel Refectorium, si tarde eos contingat accedere, non ob id genuflectant, nec etiam licentiam petant, si inde abire voluerint, nisi ibi fuerit Pater Præsidens.

De iis, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

CAPUT XLIV.

Excommunicati pro graviori culpa prosternāt se, primo extra Oratorium, & dein in ipso Oratorio; Excommunicati vero pro levi culpa, id præstant in solo Oratorio.

Qui pro graviori culpa ab Oratorio, & a mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorii prostratus jaceat, nihil dicens nisi tantum posito in terram capite, & prostratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus se projiciat. Et hoc tandiu faciat usque dum Abbas judicaverit satisfactum esse, qui dum jussus ab Abbate venerit, provolvat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium vestigiis Fratrum, ut orent pro eo, & tunc si jusserit Abbas accipiatur in Choro, vel in Ordine quo Abbas decreverit: ita sane, ut Psalmum, aut Lectionem, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in terram in loco, in quo stat, & sic satisfaciat usque dum ei jubeat Abbas ut quiescat ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicatur tantum a mensa, in Oratorio satisfaciat usque ad jussionem Abbatis, & tandem hoc faciat usque dum benedicat, & dicat, sufficit.

De iis, qui falluntur in Oratorio.

CAPUT XLV.

Fratres se humilient, Infantes vero verberentur.

Si quis, dum pronunciat Psalmum, Responsorium, aut Antiphonam, vel Lectionem, fallitur: nisi cum satisfactione ibi (*a*) coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ subjaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes vero pro tali culpa vapulent.

DECLARATIO.

Ibi: Coram omnibus.

Pro qualitate errorum, vel manu tangāt terram, vel genuflectant ante superiorem.

(*a*) Quando error est modicus sufficiat tangere terram manu, sed si error fuerit notabilis, ut puta quando excessu alios errare fecerit, aut necesse fuerit emendari legendo, aut cantando, aut magnum strepitum fecerit: mox completa Lectione, vel Antiphona, aut Cantu (si in his

fuerit

fuerit occupatus) genuflectat ante superiorem donec sibi signum factum fuerit surgendi.

De iis, qui in aliis quibuslibet rebus delinquunt.

CAPUT XLVI.

Qui palam deliquerit, publice satisfaciat, qui vero clam, peccatum revelet Abbati, vel senioribus.

Si quis dum in labore quovis in Coquina, in Cellario, in Ministerio, in Pistrino, in Horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubi (*a*) & non veniens continuo ante Abbatem, vel Congregationem ipse ultro satisfecerit, & prodiderit delictum suum: dum per alium cognitum fuerit majori subjaceat emendationi. Si animæ vero peccati causa latens fuerit: tantum Abbati, aut specialibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere, aut publicare.

DECLARATIO.

Ibi: Et non veniens continuo.

Decani quotidie in Capitulo culpas audiant.

1. (*a*) Declaramus hoc esse servandum, quando Abbas adesset ibi, aut in loco propinquo, & hoc delinquens scivit, alias in Capitulo suum fateatur errorem, propterea ordinamus, quod singulis diebus post Primam in Capitulo Decani per vices, culpas audiant.

Delendæ sunt animæ maculæ, & quidem octavo die per Sacramentalem Confessionem sub certis pœnis.

2. Diligenter advertant Religiosi nostri, quanto majori industria incumbere debeant ad abluendas, etsi leviores maculas animæ, quandoquidem ea errata, quæ nulla culpa animam lædunt, tam celeriter S. P. N. Benedictus præcipit expianda.

3. Et quia septies in die cadit Justus, ordinamus, quod octavo quoque die juxta antiquam consuetudinem Clerici, & Commissi Sacramentaliter confiteantur; Qui secus fecerit, dicat suam culpam in Capitulo, & comedat in Terra in Refectorio.

De significanda hora operis Dei.

CAPUT XLVII.

Id præstat Abbas, aut alteri committat, & in Choro jussu Abbatis omnia fiant.

(*a*) Nuntianda hora operis Dei, die, nocteque sit cura Abbati, aut ipse nuntiare, aut tali solicito Fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleant: Psalmos autem, vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponat. (*b*) Cantare autem, aut legere non præsumat, nisi (*c*) qui potest ipsum officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & gravitate, & tremore faciat, & cui jusserit Abbas.

DECLARATIO.

Ibi: Nuntianda hora operis Dei.

1 (*a*) Imponatur hoc officium Sacristæ.

Ibi: Cantare, aut legere.

Hæc peragantur attente, distincte, & devote, atque cantus monasticus adhibeatur.

2. (*b*) Idcirco debentes legere, aut cantare prævideant lectiones, præparentque libros tempore congruo. Legant autem alta, & distincta voce, tam in Choro, quam in Refectorio, itaut ab omnibus cum ædificatione, & profectu spirituali percipiantur. Id vero multo magis in Missis celebrandis observandum est, ne ob nimiam, & indecoram celeritatem scandalum potius, quam devotionis sensus in proximorum cordibus, Sacerdotes nostri excitent, in quo maxime invigilent Prælati, & contrafacientes severe corripiant. Curent etiam, ut inviolabiliter observentur toni Monastici in Evangeliis, in Epistolis, & in omnibus aliis Cantibus, ut uniformitas, tam in cantu, quam in cæremoniis exhibeatur ab omnibus; Qui transgressus fuerit pro prima vice comedat in terra in Refectorio, & pro aliis vicibus gravioribus pœnitentiis subjaceat Superioris arbitrio.

Ibi: Qui possit dictum officium implere.

Idonei eruditantur in literis.

3. (*c*) Ideoque ordinamus, quod Patres Monasteriorum nostræ Congregationis, de consilio suorum Seniorum, Fratres quos ad discendum idoneos judicaverint, liberalibus disciplinis, casibus conscientiæ, & cantu plano solicite instrui faciant a doctis Monachis, si commode fieri potest: sin autem ab aliis, mercede conductis.

4. Cum vero a Monastica disciplina alienum sit, inertia, otioque languescere, & ab antiquis Patribus nostris, qui Ecclesiam militantem omni doctrinarum genere, & facultate illustrarunt, filios degenerare, ut hujusmodi notam fugiamus, otiumque, & nugas (efficax diaboli virus) evitemus, Divinarumque scripturarum speculationi efficacius intendere possimus, & ut coalescenti in dies (Auctore Deo) Congregationi nostræ, hæc etiam inter cætera scientiæ gemma non desit, hac præsenti Constitutione decernimus, ut in omnibus Monasteriis, in quibus saltem fuerint duodecim Monachi, sint lectiones saltem Theologiæ moralis, vel sacræ scripturæ, aut aliarum facultatum pro Monachorum captu. In amplioribus vero Monasteriis, & studiis formalibus doceatur Philosophia, Theologia scholastica, & positiva, & Sacri Canones.

In Monasteriis duodecim Monachorum nonnullæ, in Formalibus vero quamplures instituantur disciplinæ.

5. Pro studiis formalibus deputamus in Provincia Sicula Monasteria S. Martini Panormi, S. Placidi Messanæ, & S. Nicolai Catanæ. In Provincia Neapolitana, Monasteria S. Benedicti Montis Casini, S. Severini Neapolis, & Sanctissimæ Trinitatis Cavæ. In Provincia Romana Monasteria S. Petri Perusii, S. Vitalis Ravennæ, S. Proculi Bononiæ. In Provincia Veneta Monasteria S. Justinæ Patavii, S. Georgii Venetiarum. In Provincia Lombarda Monasteria S. Joannis Parmæ, Sancti Sixti Placentiæ, S. Simpliciani Mediolani, Sancti Benedicti Mantuæ. In Provincia Hetrusca, Monasterium S. Mariæ Florentiæ, cujus quidem Provinciæ, sicut etiam Liguræ, & pariter aliarum Provinciarum Prælati poterunt suos Alumnos ad quodlibet ex Monasteriis pro studiis supra designatis mittere, prout ipsis magis videbitur expedire, alendos, & vestiendos illorum Monasteriorum expensis, quorum sunt professi. Abbates in prædictis Monasteriis constituant Lectores Monachos eruditos, & eos eligant, qui ab Examinatoribus per Capitulum Generale deputatis, prævio examine approbati fuerint, iisque libros, aliaque necessaria subministrari mandent, & eas indulgentias concedant, quas ad lectionum laborem levandum, prudenter conferre cognoscent: Etiam a communibus exercitiis, & ab aliquibus horis Canonicis (non tamen diebus festis, nec prætermissa oratione mentali, integra etiam pro viribus Regulari observantia) eos, si opus fuerit, eximendo.

Designantur Monasteria Formalia.

Ad ea mittere possunt alumnos suos omnes Provinciæ, propriis tamen expensis.

Quomodo eligendi lectores, & quæ eorum privilegia.

6. Pro Monachorum quoque studio vacantium diligentiori custodia, & severiori disciplina, atque ne tempus inutiliter conteratur, unus ex Deputatis Monasteriis, qui Scholis præsideat in ordinatione Officialium eligatur, qui cuncta secundum Deum, & scholarium profectum exequens pro viribus semper scholis adesse procuret.

Eligatur Præses scholarum.

7. Ne tamen Adolescentes a studiis avocentur, nullus Monachorum ad officia œconomica, vel temporalia, etiam domestica assumi possit, nisi completo suæ conversionis anno duodecimo.

Adolescentes vacent solis literis usque ad 12. annum a Conversione.

De opere manuum quotidiano.

CAPUT XLVIII.

Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione divina; Ideoque hac dispositione (*a*) credimus utraque tempora ordinari, id est, ut a Pascha (*b*) usque ad Kalendas Octobris mane exeuntes a Prima

Designatur tempus lectionis divinæ, & operis manualis.

usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora quarta autem, usque ad horam quasi Sextam (*c*) Lectioni vacent. Post Sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis cum omni silentio; aut forte qui voluerit sibi legere, sic legat, ut alium non inquietet. Agatur nona temporius mediante octava hora, & iterum, quod faciendum est, operentur usque ad vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc vere monachi sunt, si de labore manuum suarum vivunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli: omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

(*d*) A Kalendis autem Octobris usque ad caput Quadragesimæ usque ad horam secundam plenam, Lectioni vacent. Hora secunda agatur Tertia: Et usque ad Nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur: facto autem primo signo Nonæ horæ disjungant se ab opere suo singuli: Et sint parati dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut Psalmis. (*e*) In Quadragesimæ vero diebus a mane usque ad Tertiam plenam, lectioni vacent: Et usque ad decimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui Codices in Capite Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sane deputentur unus, aut duo Seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant Fratres lectioni: Et videant, ne forte inveniatur Frater accidiosus, qui vacet otio, aut fabulis, & non sit intentus lectioni: Et non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel, & secundo: Si non emendaverit, correctioni Regulari subjaceat, taliter ut cæteri metum habeant. Neque Frater ad Fratrem jungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent: Exceptis iis, qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens, & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis talis opera, aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

Eligatur Præses lectionis, animadvertatur in reos, & consulatur infirmis.

DECLARATIO.

Ibi: Credimus utraque tempora ordinari.

1. (*a*) Declaramus horum omnium dispositionem in arbitrio Abbatis esse reponendam, tam quoad Divina officia, quam quoad lectiones, aliaque exercitia. Qui Abbas omnia rationabiliter, habita locorum, & temporum consideratione disponat, itaut Ecclesiæ, & Populo satisfaciat, atque Monachi, ultra quam par est, minime graventur.

Ea remittuntur ad arbitrium, & prudentiam Abbatis.

Ibi: Usque ad Kalendas Octobris.

2. (*b*) Intellige omnes Kalendas inclusive, sive ex quo incipit Kalendarum computatio post Idus; nempe, ut incipiamus ipso festo die S. Crucis.

Idest post Idus Octobris.

Ibi: Lectioni vacent.

3. (*c*) Post refectionem primæ mensæ, liceat Monachis ire per hortum, aut per Monasterium, extra tamen Dormitorium per spatium unius horæ animi levandi causa, ita tamen ut sine Superioris licentia invicem non focientur. Prælati vero Monasteriorum nostrorum sint faciles ad concedendum eis hujusmodi licentiam, præsertim in solemnitatibus duplicibus (exceptis illis, quæ occurrunt in Quadragesima, & Adventu) dummodo lectiones tunc conferant, vel de aliis, quæ ædificationem præstent, colloquantur.

Post primam Mensam concedatur hora una solatii.

4. Elapsa vero una hora post primam mensam pulsetur pro dormitione, incipiendo a Pascha, nisi occurrat mense Aprilis, quo casu præfata dormitio incipiat a festo Sanctissimi P. N. Benedicti, & per unius horæ spatium usque ad medium Aprilis inde usque ad medium Augusti duarum horarum; Et inde usque ad Idus Septembris, per unius horæ ut supra spatium. Quo tempore dormitionis, qui non vult dormire, servet silentium in Cella, nec illo tempore vagetur per Monasterium, nec in aliis exercitiis occupetur. Post dormitionem vero pulsetur, & dicatur Nona.

Hinc subsequatur alia, vel etiam duplex hora dormitionis, & postea dicatur Nona.

Ibi: A Kalendis Octobris.

5. (*d*) Intellige inclusive, videlicet omnes Kalendas illius mensis includendo, ut supra §. 2. Advertendum tamen omni tempore anni, quando est jejunium de præcepto Ecclesiæ, quod ita disponantur intervalla temporum, ut Fratres hora Nona, vel circa reficiantur.

Comprehendantur Calendæ, & diebus jejunii hora nona se reficiant.

Ibi: In Quadragesimæ vero diebus.

6. (*e*) Hoc tempore Prima pulsetur circa ortum Solis, qua recitata, immediate dicantur Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis, vel Graduales, & officium Defunctorum, quando sit de feria, juxta dispositionem Rubricæ.

Circa ortum Solis dicatur Prima, & reliqua ferialis diei.

7. Spatia vero aliarum horarum, scilicet Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Vesperarum, Prælati Monasteriorum nostrorum sic moderentur, ut hora comestionis incidat circa meridiem.

Ita disponantur Horæ, ut circa meridiem prandeant.

8. Sed advertendum est, quod quando occurrit festum duodecim Lectionum in Quadragesima, post Tertiam cantari debet Missa de Festo, & post Nonam dicitur Missa de Feria.

Diebus Sanctorum duplex Missa cantetur.

9. Item in prædicta Missa de feria post Agnus Dei pulsetur signum pro Vesperis primum. Et quando Sacerdos dicit orationes in fine Missæ, pulsetur secundum.

Circa finem Missæ pulsantur campanæ pro Vesperis.

10. Si vero sequenti die erit Festum duodecim Lectionum, pro quo tria signa præmittuntur, tunc primum signum pulsetur statim post elevationem Dominici Sanguinis, alia vero duo signa, ut supra.

11. Dictis vesperis Fratres reficiantur. Post primam mensam, transacta hora una, vacent lectioni, aut exercitio manuali, prout fuerit ordinatum usque ad Completorium. Quod hoc tempore pulsetur paulo ante horam vigesimam tertiam.

Quid agendum usque ad Completorium, seu horam 23.

12. Et notandum, quod quando Fratres debent ire ad exercitium, pulsetur Campana Capituli per ictus distinctos tempore congruo, & in Monasteriis majoribus, quinque ictibus pulsetur aliqua ex majoribus campanis Ecclesiæ, & tunc omnes se congregent in locum ad id deputatum, ut audiant a Superiore, qui ibi fuerit, quale exercitium sit faciendum; & in principio cujuslibet exercitii, unusquisque genibus flexis, dicat *Ave Maria*, ut devotius opus perficiatur.

De exercitio manuali.

13. Quando autem ire debent ad Cellas, ut vacent Orationi, vel Lectioni, Campana Capituli pulsetur extense per congruum spatium.

De privata Oratione, vel Lectione.

14. Item hortamur, quod quando fit exercitium in loco quieto, & locus, tempus, vel opus ipsum permiserit pro spirituali ædificatione, legatur aliquid.

De lectione tempore exercitii.

De Quadragesimæ observatione.

CAPUT XLIX.

Licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debeat observationem habere: tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus (*a*) istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire; omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis nos tempere-

Hoc præsertim tempore à vitiis se abstineant, & virtutes sectentur ex Abbatis tamen licentia.

mus; Orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, Orationes peculiares, ciborum, & potus abstinentiam, ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo, id est subtrahat corpori suo de Cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderii gaudio Sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen, quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione, & voluntate, quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni reputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi: Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

DECLARATIO.

Ibi: Istis diebus Quadragesimæ.

Quadragesima incipiatur a Quinquagesima sub certis pœnis.

1. (*a*) Hanc Quadragesimam declaramus incipere, quoad abstinentiam hujusmodi, secunda feria post Quinquagesimam, itaut feria secunda, & tertia ante Cineres abstinentia a Lacticiniis in omnibus locis ab omnibus Fratribus Monachis, & Prælatis nostris inviolabiliter observetur. Qui contrafeciſſe fuerint convicti, Prælati integrum Psalterium recitent toties, quoties, cæteri jejunent ter in terra in pane, & aqua tribus diebus sequentibus.

Frequentius se flagellis cædant.

2. Et ut juxta Regulam augeamus aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, ultra Psalmos Pœnitentiales, Graduales, & officium Defunctorum, flagellatio, vulgo disciplina, quæ a nostris sit omni tempore feria sexta, fiat tota Quadragesima, Quarta, & Sexta feria: in hebdomada vero Sancta, addatur etiam feria Quinta.

Adventus omnino celebretur.

3. Similiter a prima Dominica Adventus inclusive incipimus abstinere a Lacticiniis, & secunda feria jejunare usque ad festum Sanctissimæ Nativitatis Domini, Dominicis exceptis, ideo curent Prælati, ut prædicta ab omnibus inviolabiliter observentur, & contra transgressores severissime animadvertant.

De Fratribus, qui longe ab Oratorio laborant, aut in via sunt.

CAPUT L.

Hi Fratres ubique servent horas constitutas pro laudibus Divinis.

Fratres qui omnino longe sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur cum tremore Divino, (*a*) flectentes genua. Similiter, qui in itinere directi sunt non eos perterreant horæ constitutæ: sed ut possunt, agant sibi, & servitutis pensum non negligant reddere.

DECLARATIO.

Ibi: Flectentes genua.

(*a*) Serventur in hoc Rubricæ Breviarii, ut dictum est.

De Fratribus qui non satis longe proficiscuntur.

CAPUT LI.

Hi foris non manducent sine licentia, sub excommunicationis pœna.

Fratres, qui pro quovis responso proficiscuntur, & ea die sperant reverti ad Monasterium, (*a*) non præsumant foris manducare, etiamsi a quovis rogentur, nisi forte eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur.

DECLARATIO.

Ibi: Non præsumant foris manducare.

Idem præcipitur sub alia pœna.

(*a*) Declarando ordinamus, quod nullus nostræ Congregationis, quantumcumque rogatus audeat manducare, aut pernoctare in Domibus Possessionis vel locis quibuslibet Sæcularium, nec in Civitatibus, aut in locis, in quibus habentur Monasteria, vel loca nostra, etiamsi sit in itinere constitutus, absque licentia Abbatis, seu Superioris: Qui contra fecerit, comedat in terra in Refectorio in pane, & aqua qualibet vice.

De Oratorio Monasterii.

CAPUT LII.

Oratorium sit duntaxat domus orationis.

Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. (*a*) Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & agatur reverentia Deo: ut Frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret, & oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis, & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, sicut dictum est: ne alius impedimentum patiatur.

DECLARATIO.

Ibi: Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant.

Fiat brevis mora pro omissis.

1. (*a*) Nisi qui remanere voluerint, ut orationi vacent, facimus tamen completo opere Dei, brevem morulam in Choro, ut omnes possint Deo satisfacere, si quid omiserint de Divino Officio.

Item ante primam dimidiam horam Orationis mentalis.

2. Oratio autem mentalis singulis diebus per dimidiæ horæ spatium fiat in Choro immediate ante primam, nimirum congregatis Monachis, & signo dato a Superiore, qua expleta idem Superior faciat signum, & immediate dicatur Prima.

Exponatur etiam SS. Sacramentum in hebdomada S., vel præcedenti.

3. Et quoniam hisce temporibus laudabilis, ac devotissima inolevit consuetudo orandi per quadraginta horarum spatium ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Altari expositum, eandem nos quoque summa cum devotione pro viribus sequi justum est; Ideo in hebdomada Sancta, aut in præcedenti, prout Prælati magis judicaverint expedire in Ecclesiis Monasteriorum nostrorum, hanc orationem quadraginta horarum instituant, & exponant, in qua serventur cæremoniæ in Rituali Romano descriptæ.

Ubique servetur silentium.

4. Volumus item quod non solum, expleto opere Dei (ut hic Regula præcipit) sed etiam in Choro, in Sacrario, in Dormitorio, in Capitulo, in Refectorio, quod de observantia nuncupatur, in cubiculo ignis communis, & in parte Claustri circa Capitulum a Prælato præscribenda, semper servetur silentium, nisi in dictis locis opporteat aliqua breviter loqui, & submissa voce.

De Hospitibus suscipiendis.

CAPUT LIII.

Recipiendi sunt Hospites cum honore, charitate, & humilitate.

(*a*) Omnes supervenientes hospites, tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur; maxime tamen domesticis fidei, & peregrinis; (*b*) Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore, vel a Fratribus cum omni officio charitatis, & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa propter illusiones diabolicas. In ipsa autem Salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato omni corpore, in terra, (*c*) Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.

De eorum mensa, & pedum lotione.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. (*d*) Legatur coram hospite lex Divina, ut ædificetur: & post hæc omnis ei exhibeatur hu-

manitas. Jejunium a Priore frangatur propter hospitem, nisi forte præcipuus sit ille dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines Jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: (*e*) pedes hospitibus omnibus, tam Abbas, quam cuncta Congregatio lavet; quibus lotis hunc versum dicant: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Pauperum autem, & Peregrinorum maxime susceptio, omni cura solicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Item de Coquina, & Coquo, Cella, & Cellario.

Coquina Abbatis, & Hospitum per se sit, ut in certis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent Fratres. In quam Coquinam ingrediantur duo Fratres ad annum, qui ipsum officium bene impleant. Quibus ut indigent, solatia administrentur, ut absque murmuratione serviant. Et iterum quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera; Et non solum in ipsis, sed & in omnibus officiis Monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent, solatia accommodentur eis, & iterum quando vacant, obediant imperanti. Item, & Cellam hospitum habeat assignatam Frater cujus animam timor Dei possideat, ubi sint lecti strati sufficienter, & Domus Dei a Sapientibus sapienter administretur.

Nemo injustus cum Hospitibus colloquatur.

Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obviaverint, aut viderint, salutatis humiliter, ut dictum est, & petita benedictione pertranseat, dicens sibi, non licere colloqui cum hospite.

DECLARATIO.

Ibi: Supervenientes omnes hospites.

Prædicta omnia nunc adimpleri nequeunt.

1. (*a*) Et si modernis temporibus frequentia hospitum difficultatem gerat adimplendi omnia, quæ Textus Regulæ præscribit: habita tamen discretione, & temporum, & Personarum consideratione, facile, saltem utiliora implebuntur.

Ibi: Ut nunciatus fuerit Hospes.

Attendatur qualitas personæ, & juxta portam fit sacellum pro oratione.

2. (*b*) Ostiarius viso Hospite juxta qualitatem Personæ, & temporum conditionem, aut expectare eum faciat, aut intra Monasterium recipiat, notumque faciat Superiori, qui habita ratione personæ, vel per se ipsum, vel per unum ex Superioribus, aut Ostiarios, seu curam hospitum habentes, occurrat, eumque ad orationem, & pacis osculum ea submissione, & reverentia, quam dignitati personæ convenire censuerit, recipiat. Quæ omnia, ut valeant commodius fieri, sit Sacellum, quoad fieri potest, juxta portam Monasterii, quoad orationem hujusmodi Hospites introducantur.

Ibi: Adoretur Christus.

Prolata aliqua Dei laude suscipiatur Hospes osculo, & adducatur ad sacellum.

3. (*c*) Mente scilicet orando; Et quia consuetudo omnium pene Religiosorum est, quando occurrunt Hospiti, prius illum recipere in osculo Pacis, postmodum ducere ad orationem; & ideo inhumanum duci posset (præsertim si notus est) in primo occursu non exhibere ei osculum prædictum. Propterea censemus non discedere nos a Regulæ præscripto si in principio osculum obtulerimus; præmissa tamen mente oratione, & etiam dicto exterius aliquo, quod ad orationes, vel Dei laudem pertineat, & hospitem similia proferre fecerimus: Puta, *Deo gratias: Benedictus Deus*, & alia hujusmodi, dummodo postea ad orationem ducatur Hospes.

Quid, & quotuplex osculum.

4. Osculum dicimus amplexum, quem præsertim Religiosis, & devotis personis exhibemus. Si vero ob multitudinem aliquando ita integre hujusmodi cæremoniæ fieri non poterunt, fiant animo, & mente, aliter servetur Regula.

Ibi: Legatur coram hospite Lex Divina.

Si id fieri poterit.

5. (*d*) Maxime laudamus hoc fieri, si commode possit, & tempus hoc permiserit: ut dum refectio paratur, aliquid Hospiti spirituale dicatur, habito respectu ad personæ qualitatem. At saltem non omittatur; quia ad Mensam Hospiti legatur aliquid juxta conditionem personæ, ut ædificetur.

Ibi: Pedes Hospitibus &c.

Quibus lavandi pedes.

6. (*e*) Hæc solemnis ablutio pedum præcipue exhibetur iis, qui conversionis desiderio ad nostra Monasteria veniunt. Aliquando iis etiam qui devotionis gratia longo itinere Monasteria nostra visitant, aut honestis causis, sicut Patribus Monasterii visum fuerit.

7. Laudamus etiam hanc ablutionem fieri maxime Personis, unde magis ædificatio sequi possit, & augmentum devotionis erga Religionem.

Quomodo facienda dicta ablutio.

8. Ipsa autem ablutio ita fit. Convenientibus Monachis in Capitulum, aut alium in locum sicut decet, Prælatus, & in ejus absentia Prior Claustralis genibus flexis ante Hospitem, pedes ejus lavet, quos dum incipit lavare, mox duo Monachi in medio ejusdem loci, incipiant aliquid cantare, quod devotionem excitet, & dicto primo versu, cæteri divisis choris, genuflexi versus Hospitem, eumdem versum cantando, respondeant, quem etiam post singulos versus, quos illi duo cantando prosequuntur, repetant. Cum vero Superior ambos pedes laverit, tergat primo pedem sinistrum, deinde dexterum, quem tersum cooperiat linteo, excepta suprema parte, quam ipse primo osculetur: Et sic successive Monachi omnes hospiti pedem osculentur, incipiendo a Superiore, & subsequendo per ordinem utriusque chori. Hoc modo dicuntur omnes lavare pedes Hospitis, cum ibi ejus causa assistant.

Item quod præstandum post eam.

9. Completa deosculatione, calceatisque pedibus Hospitis, Superior statim surgat, & omisso a Monachis cantu incipiat versum: *Suscepimus Deus &c.* Resp. *In medio templi tui. Pater noster*, secreto Vers. *Et ne nos inducas &c.* Resp. *Sed libera nos &c.* Versus: *Salvum fac servum tuum.* Resp. *Deus meus sperantem in te.* Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* Resp. *Et de Sion tuere eum.* Vers. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* Resp. *A facie inimici.* Vers. *Nihil proficiat &c.* Resp. *Et filius &c.* Vers. *Domine non secundum &c.* Resp. *Neque secundum &c. Actiones nostras quæsumus Domine &c.* Oratio *Famulorum tuorum &c.* Oratio *Intercessio nos quæsumus Domine Beati Patris nostri Benedicti &c.*

10. Postea mandet fieri brevem orationem pro Hospite, & facto signo, dataque Benedictione, omnes (exceptis habentibus curam Hospitum, si quos retinere voluerit Prælatus pro obsequio Hospitis) pergant cum silentio ad Cellas suas.

Aliquando ea peragatur ab alio, quam ab Abbate.

11. Cæteris autem Hospitibus, maxime, qui de longe venerint, vel qui alias in Monasterio non fuerint hospitati, ab habentibus hospitum curam, pedes laventur.

Imo, & prorsus omittitur.

12. Quod si multitudo non sineret ablutionem fieri, aut alia causa urgentior impediret, faciant, quod possunt, scientes se multum retributionem a Domino recepturos, si juxta Regulam fecerint, & e contrario pœnam si ex negligentia id omiserint.

Quid servandum cum Monachis transeuntibus.

13. Monachis autem nostris quavis de causa per Monasteria nostra transeuntibus, ut disciplina Regularis quantum fieri potest, ubique servetur, ordinamus, quod post duas in Hospitio refectiones, communem vitam sequi debeant; Divinisque interfint Officiis, & Capitulo culparum, haud secus, ac si ibi Conventuales essent nisi forte sint debiles, & infirmi, aut negotiis occupati, quod Prælatorum discretioni relinquimus.

Item cum legitime impeditis.

14. Si qui vero legitimo impedimento detenti in aliquo Monasterio commorabuntur, nec inde ad sua Monasteria se conferre poterint, non possit Monasterium illud aliquid petere pro

expensis cibariis; Si autem ob Infirmitatem, servetur, quod statutum est in Cap. 36. num. 7. Si vero ob negotia, quis moram trahere coactus fuerit, Prælati inter se componant in omnibus cum mansuetudine, & discretione, habita ratione personæ, loci temporis, & negotii.

In mensam attendatur conditio hospitum.

15. In suscipiendis autem hospitibus prohibeant Prælati vanos apparatus, in ornandis scilicet cubiculis, aut mensis, aut hujusmodi maxima cum pretiosi temporis jactura, & forsan nulla cum ædificatione, nisi forte hospitis suscipiendi Dignitas hoc exigeret. Si autem fuerint familiares, ac Domestici, ducantur majori cum familiaritate ad refectionem ordinariam in Refectorio cum Conventu.

Quod præstare debeant Monachi hospites.

16. Monachi vero nostri hospites in Divinis Officiis poterunt secum illius Monasterii Conventualibus conformare. Qui non mittantur a Prælatis suis ad alia Monasteria juxta Regulam sine literis Commendatitiis, conferantque cum illius Monasterii Superiore negotia, quorum causa illuc advenerint, & sub illius obedientia sint, & correctione.

17. Caveant autem, ne diebus festis negotia pertractent, aut equitent, nisi maxima urgente necessitate. Et modeste (ut decet Religiosos) se habeant in Hospitiis sæcularium, ne ipsis scandalum præbeant. Et contentiones omnino devitent.

Nullus sæcularis longo tempore habitet in Monasterio sine licentia Capituli generalis, vel Reginiinis.

18. Et ne conversatione sæcularium hominum, pacem, & quietem Fratrum nostrorum perturbari contingat; Statuimus, quod nullus sæcularis (cujuslibet status, aut conditionis existat, etiamsi aliqua cognatione, & affinitate alicui ex nostris Monachis fuerit conjunctus) ad habitandum longo tempore in Monasteriis nostris, ut sæcularis suscipiatur, etiam sub prætextu cujuscumque donationis, Testamenti, Legati, vel alia quavis occasione, commodi temporalis, sine licentia Capituli Generalis, vel Regiminis, quod tamen non intelligimus, de factoribus, Procuratoribus, & aliis famulis Sæcularibus Monasteriorum nostrorum.

Si debet Monachus literas, vel Eulogias suscipere.

CAPUT LIV.

Monachi nihil dent, vel accipiant sine licentia Abbatis sub certa pœna.

Nullatenus licet Monacho, nec a Parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem (*a*) literas, aut Eulogias, vel (*b*) quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam a Parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari, & non contristetur Frater, cui forte directum fuerat, ut non detur occasio Diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

DECLARATIO.

Ibi: Literas.

Qua ratione mittere valeant, & accipere literas, etiam Abbates Titulares.

1. (*a*) Si qua utili, & honesta causa volunt nostri literas scribere, obtenta prius a Superiore licentia, scribant; deinde literas apertas deferant Prælatis, ab ipsis omnino legendas, & subscribendas. Et similiter, qui literas recipiunt, antequam eas legant, teneantur clausas Prælato suo præsentare, quas volumus omnino, & jubemus, ut a Prælato, vel Superiore legantur: Et si eis videbitur, illis quibus directæ sunt, reddant; cui quoque ordinationi volumus, & Abbates Titulares omnino esse subjectos.

Excipiuntur literæ signatæ.

2. Nisi forte Congregationis Sigillo *Pax* essent signatæ, has enim nec a Prælato, nec a Visitatore, nec a P. Præsidente, nec a quovis alio aperiri permittimus, nisi ab iis dumtaxat, quibus diriguntur, vel de eorum voluntate, excepto casu urgentissimæ necessitatis. Qui autem contra fecerit, si fuerit Præsidens, vel Convisitator, aut Prælatus tribus primis feriis sequentibus jejunet in pane, & aqua secreto; si vero aliquis ex Monachis fuerit, jejunet pariter in prædictis tribus diebus in pane, & aqua in terra in Refectorio. Nec ab aliquo dispensari possit, nisi in causa gravissimæ Infirmitatis.

Item literæ missæ ad superiores majores.

3. Sub eadem quoque pœna districte prohibemus, quod nemo literas P. Præsidenti, Diffinitoribus, aut Visitatori cuilibet, vel Regimini intra annum directas, nisi de voluntate eorum, ad quos diriguntur, aperire præsumat. Quod si quis de hujusmodi culpa convictus fuerit, si quidem literæ fuerint munitæ Sigillo *Pax* ultra prædictam pœnam stet degradatus per mensem. Quod si Prælatus fuerit, dicat ex ordine totum Psalterium, & jejunet ter in pane, & aqua secreto; si autem non fuerint munitæ Sigillo *Pax*, stet degradatus per quindecim dies, & si Prælatus fuerit, dicat Psalmos pœnitentiales, & jejunet, ut supra.

Necnon illæ exterarum personarum.

4. Eisdem quoque pœnis Prælatos, & nostros quoscumque, qui literas etiam privatis sigillis munitas, vel cuicumque directas intercipere, seu aperire præsumpserint, subjacere decernimus: Servatis tamen, quæ in præcedenti num. 3. statuuntur de literis, quas scribunt, & recipiunt Fratres.

Pœnæ pro Fratribus 3. §.

5. Præter casus prædictos, illi qui sine licentia Prælati, seu scripserint, seu literas ad se directas legerint, quoties contravenerint toties jejunent in pane, & aqua in Refectorio, nec aliter dispensari possint.

6. Mandamus autem Visitatoribus, ut hanc ordinationem servent, & Prælati observare faciant.

Prædicta omnia deferantur statim ad Abbatem; sub certis pœnis.

7. Quicumque vero ex nostra Congregatione, etiamsi fuerint ostiarii, vel hospites deferentes literas, vel munuscula, Prælato ea statim præsentent, & nihil dicant, nec quibus diriguntur, nec aliis. Contra facientes dicant suam culpam in Capitulo, & comedant in terra in Refectorio.

Ibi: Quælibet munuscula.

Confirmatur Regulæ caput.

8. (*b*) Quia ex hujusmodi munerum largitione, & receptione tanquam proprietatis incitamento, sæpe inordinata oritur affectio, & complacentia in Fratribus: Qui cum nihil habere possint, munera tamen accipere, & dare non metuunt. Ideo mandamus nostræ Congregationis Fratribus, quod sibi invicem nullatenus dent munuscula juxta Regulam, nec etiam ab aliis quibuscumque, aut aliqua unde sibi directa accipiant sine Prælati speciali licentia.

Extenditur quodammodo ad Abbates.

9. Sed nec ipsi Abbates Fratribus aliorum Monasteriorum munuscula mittant, nisi forte a Prælatis dictorum Fratrum fuerint requisiti.

De vestimentis, & calceamentis Fratrum.

CAPUT LV.

Assignantur omnia juxta qualitatem loci, & temporis.

Vestimenta Fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, vel aerum temperiem dentur: quia in rigidis Regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem sit. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam, & tunicam. Cucullam in hieme villosam, in æstate puram, aut vetustam, & Scapularem propter opera. Indumenta pedum, Pedules, & Caligas. (*a*) De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non curentur Monachi, sed quales inveniri possunt in Provincia,

De eorum numero, qualitate, & usu.

vincia, qua degunt, aut (*b*) quod vilius comparari poteſt.

Abbas autem (*c*) de menſura provideat, ut non ſint curta ipſa veſtimenta utentibus eis, ſed menſurata. Accipientes nova, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in Veſtiario propter Pauperes. Sufficit enim Monacho (*d*) duas tunicas, & duas Cucullas habere propter lavare ipſas res. Jam quod ſupra fuerit, ſuperfluum eſt, & amputari debet, & Pedules, & quodcumque eſt vetuſtum, reddant, dum accipiunt novum. Femoralia ii, qui diriguntur in via de veſtiario accipiant, qui revertentes lota ibi reſtituant. Et Cucullæ, & Tunicæ ſint aliquanto iis, quos habere ſoliti ſunt modice meliores, quas exeuntes in viam, accipiant de veſtiario, & revertentes reſtituant.

Nihil habeant, quod ab Abbate non acceperint, qui neceſſaria omnia ſuppeditare debet.

Stramenta autem lectorum ſufficiunt Matta, Sagum, Lena, & Capitale; (*e*) Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate ſcrutanda ſunt, propter opus peculiare, ne inveniatur. Et ſi cui inventum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, graviſſimæ diſciplinæ ſubjaceat, & ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, id eſt Cucuilla, Tunica, Pedules, Caligæ, Bracile, Cultellus, Graphium, Acus, Mappula, Tabulæ, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia actuum Apoſtolorum: Quia dabatur ſingulis, prout cuique opus erat, ita ergo, & Abbas conſideret Infirmitatem indigentium, & non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen Judiciis ſuis Dei retributionem cogitet.

DECLARATIO.

Ibi: De quarum rerum omnium colore.

Exterius utantur colore nigro.

1. (*a*) Propter hanc cauſam in ſtatu Monaſtico varius inolevit mos, & veſtium color; Nos autem utimur colore nigro, B. P. Benedictum ſectantes, qui nigro uſus eſt colore.

2. Idcirco ordinamus, quod omnes Congregationis noſtræ Monachi uniformiter eadem qualitate, nigrorum pannorum, quoad fieri poterit, veſtiantur: Et hoc intelligimus de Cucullis, Scapularibus, Tunicis, Lacernis, Biretis, & Manicis, quæ omnino debent eſſe nigri coloris.

Interius vero nigro, vel albo, ferrugineo, vel ſubalbo.

3. De aliis veſtimentis interioribus ſtatuimus, quod ſint alba, vel nigra, vel ferruginea, vel ſubalba, nec ullus alio colore utatur omnino in quovis veſtium genere etiamſi occultiſſime deferri poſſent. Caligas autem, ſeu Tibialia, & Pedules albi volumus eſſe coloris. Et in prædictis veſtibus ſervetur eadem penitus æqualis, & uniformitas in omnibus, & cum omnibus. Caveant inſuper omnes a Cingulis ſericis, ſed omnino utantur Cingulis ex corio confectis.

Caligæ, & pedules ſint albæ, & Cinguli ex corio.

De Tonſura, &c.

4. Eadem etiam uniformitas ſervetur in Tonſura; itaut omnes Monachi juxta laudabilem Congregationis noſtræ conſuetudinem radantur, vel ſaltem, qui habet aliquam infirmitatem de licentia ſui Prælati; ita cute tenus Capillos ſibi tondere faciat, ut raſus omnino appareat, ſtudeatque Barbam, & caput æque tonderi. Qui contra fecerit gravibus pœnis afficiatur.

Ibi: Quod vilius comparari poteſt.

Vetatur pretioſitas.

5. (*b*) Diligenter attendatur hæc particula Regulæ; Nam cum dicit (quod vilius) omnem pretioſitatem, habitumque delicatum excludit. Quod procul dubio non modo pro veſtibus, ſed pro omnibus rebus, quibus tum ad neceſſitatem, tum ad corporis commodum utimur, eſt accipiendum.

6. Ideo tam ſalubribus Regulæ monitis adhærentes, inviolabiliter ſtatuimus, ut omnes de Congregatione noſtra, tam Prælati, quam alii diligenter advertant, quod in pretio, aut uſu equorum, ſcandalo, aut admirationi non ſint ſæcularibus, aliiſque quibuſcumque perſonis.

In equis.

7. Ephippia etiam, phaleræque eorumdem, juxta Clementinam, *Ne in agro*, non ſint, niſi quantum neceſſitas expoſcit, aliquo ornamento munita; In vehiculis quoque vitetur omnino luxus, & ſuperfluitas; Pallia vero ſint de raſcia, vel de panno ſecundum conſuetudinem Congregationis noſtræ, non laicorum more exornata, ſed quæ ſecundum Regulam vilius, & utilius comparari poſſunt. Pilei quoque ſint lanei, & decentis formæ. Qui aliter fecerint priventur illis, & puniantur.

In vehiculis.

In palliis.

In pileis.

8. Vitetur curioſitas, & pretioſitas in Cultellis, Tabulis, Calcaribus, Ocreis, & omnibus rebus, quibus utimur: Conſiderato quod Regula Monachum monet, qualibet utilitate, & extremitate eſſe contentum.

Et ceteris rebus.

9. Ordinamus autem Prælatis, quatenus viſa indigentia cujuſque Monachi, vel Commiſſi, ex Inventario (de quo infra num. 18.) determinent cum omni charitate, ac paterna benignitate, quæ veſtimenta ſingulis danda erunt, eaque in libris veſtiarii deſcripta, curent quam primum dari conſuta, & perfecta, non autem pecunias pro ipſis, niſi in aliquo caſu neceſſitatis.

Prælati neceſſaria ipſa tribuant, non pecunias.

Ibi: De Menſura.

De longitudine, & latitudine.

10. (*c*) In menſura veſtium ſervetur conſuetudo noſtra non de parva, ſed de notabili differentia curantes.

Cuculli.

11. Itaque Cucullæ ſint longæ uno digito a terra, earumque Manicæ longæ ultra manum extenſam per dimidium Brachii, largæ vero per tres quartas cum dimidio.

Tunicæ, & Tunicellæ.

12. Tunicæ vero ſint tales, & juxta Clementinam circumquaque clauſæ: Manicæ Tunicarum, ita largæ, ut poſſint capere pugillum: Tunicellæ vero laneæ per unam quartam a terra protendantur.

Scapularia.

13. Scapularia Monachorum ſint ejuſdem longitudinis, ac Tunica, lataque ſecundum latitudinem raſciæ. Scapularia Novitiorum ſint ſtricta, & brevia, itaut non protendantur ultra genua.

Caputii.

14. De caputiis autem ordinamus, quod in quolibet Monaſterio habeatur forma a Capitulo conſtituta, quam omnes ſequantur.

Tunicæ, & Pallii Commiſſorum.

15. Tunicæ Commiſſorum ſint aliquantulum ſuper collum pedis: Et ſimiliter Pallia, quæ circumcluſa ſint a lateribus tantum aperta, ut brachia poſſint extrahere.

De eorumdem veſtium colore.

16. Color Veſtium extrinſecarum Commiſſorum ſit berrettinus, ſeu ſubniger ſemper, & uniformis quantum haberi poſſit. Veſtes autem interiores ſint albi, vel nigricantis coloris; Pallia quoque ipſorum, & tunicæ ſint ad arbitrium Prælati ex panno, aut ex raſcia.

Reddentur vetera pro novis acceptis pœnis.

17. Omnes porro accipientes nova intra octo dies, lota, & munda, omnino reſtituant vetera, ſecundum Regulam: Contra facientes dicant ſuam culpam in Capitulo, & comedant ſemel in pane, & aqua in Refectorio, atque priventur rebus novis, quouſque reſtituant vetera.

Ibi: Duas Tunicas.

Singulis annis Prælatos deferant veſtium Inventarium, eique exponant ſuam indigentiam.

18. (*d*) Ordinamus, quod ſingulis annis poſt regreſſum Prælati a Capitulo omnes conficiant Inventarium Veſtium quarumcumque, quas habent: appoſita qualitate, an veteres, vel novæ ſint: Ibique ſubſcribant, quibus veſtibus indigent; Scriptumque hoc Prælato conſignent, qui uniuſcujuſque indigentia conſiderata, omnibus rationabiliter provideat: Itaut ſuperflua amputentur, & neceſſaria aliunde, qua decet charitate ſubminiſtrentur; Servato in omnibus veſtium generibus, tali moderamine, ut neque ob luxum, ſcandali præbeatur occaſio, neque

ob ſor-

ob sordes, aut nimiam laceratione, Monastica gravitas in contemptum deveniat.

Ibi: Quæ tamen lecta.

Prælati ter vel quatuor in anno inquirant, an in Cellis sit aliquod ornamentum, vel aliquid necessarium desit.

19. (*e*) Pro observantia hujus Textus Prælati omnino non permittant ornamenta circa lectisternia, & parietes, in Cellis Monachorum, & præsertim picturas profanas, Specula, Scrinia, etiam, & Horologia magni valoris, aliaque hujusmodi superflua, & pretiosa Monasticæ paupertati contraria. Visitent autem prædictas Cellas scrupulose, aut visitari faciant ter, vel quater in anno. Et si quid ibi superfluum, aut Religioso statui non conveniens, vel quod ipsi non concesserint, invenient, auferri omnino faciant, & in Monasterii commodum convertant, ac insuper salutares pœnitentias iis, qui sic deliquerint, imponant. E contra, si quid necessarium ibi deesse repererint omnino cum omni charitate provideant, & largiantur: Æque enim necessitati subveniendum est, ac superfluitati non indulgendum; ut omnis proprietatis radices, & necessitatis excusationes amputentur.

Interdicuntur Camisiæ lineæ, non vero linei panni super lectum, sedilia, tabulas, & scabellum.

20. Et cum Monachis usus lineorum interdicatur, lineis uti camisiis penitus inhibemus; nisi ex legitima causa, Medicorum consilio, & Prælati Judicio probanda oporteat dispensari; super quo ipsorum Prælatorum conscientiam oneramus. Permittimus tamen super sagum, aut Mattam pannis lineis uti, qui possint removeri, & ablui, propter munditiem.

21. Liceat etiam super sedilia, aut tabulas, vel genuflexoria teneri pannum viridem lineum, sive laneum: qui tamen prohibetur circa lectisternia, aut a parietibus pendens.

De Mensa Abbatis.

CAPUT LVI.

Quibuscum comedere debeat.

Mensa Abbatis cum hospitibus, & Peregrinis sit semper, (*a*) Quoties tamen minus sunt Hospites, quos vult de Fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorum autem unum aut duos semper cum Fratribus dimittendos procuret propter disciplinam.

DECLARATIO.

Ibi: Quoties minus sunt Hospites, quos vult.

(*a*) Si eligit in Refectorio cum Fratribus refici, magis laudamus, ut supra ad Cap. 2.

De Artificibus Monasterii.

CAPUT LVII.

Artifices fratres non se extollant, & eorum opera a fide digno, & minori pretio vendantur.

(*a*) Artifices si sunt in Monasterio cum omni humilitate, & reverentia faciant ipsas artes: si tamen jusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquod conferre Monasterio: hic talis evellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat nisi forte humiliato ei iterum Abbas jubeat. Si quid vero ex operibus Artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur Ananiæ, & Saphiræ, ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monasterii fecerint, in Anima patiantur. In ipsis autem pretiis non surripiat avaritiæ malum; sed semper aliquantulum vilius detur, quam a Sæcularibus datur: ut in omnibus glorificetur Deus.

DECLARATIO.

Ibi: Artifices si sunt in Monasterio.

Curant, ne artium exercitio divino officio, a communibus exercitiis, & aliorum observantia, nisi animæ, vel corporis saluti, necessarium esse duxerint, vel aliqua interceserit necessitas, ob quam sic expedire judicaverint. Nihil autem de quavis arte, in Monasterio exercita, vendetur sine Prælati licentia.

(*a*) Hortamur Prælatos, ne facile eximant suos subditos propter eorum Artes a Divino

Illicitæ negotiationis omnino interdicuntur sub gravissimis pœnis.

1. Illicitæ autem negotiationes utpote magna proprietatis incitamenta, omnino vitentur. Quod si quis huic vitio deditus reperiatur, & coram Prælato suo, vel Visitatoribus in actu Visitationis (servatis, quæ supra de Proprietariis Cap. 33. num. 10. statuuntur) convictus fuerit exercere per se, vel per alios, quod absit, hujusmodi negotiationes, si fuerit Abbas, in proxima Dieta suspendatur, vel in Capitulo Generali, si excessus id exigat, deponatur: Si autem Abbas Titularis, Prior, aut Decanus, ultra depositionem detrudantur in Carcerem, in quo maxime retinendi sunt Monachi, & Commissi de hujusmodi vitio convicti; non liberandi, nisi de consensu Diffinitorum, vel Regiminis. Pecuniæ vero, & alia quæcumque bona in supradictis negotiationibus acquisita, Monasteriis eorum Professionis eo ipso applicata censeantur.

Nemo audeat opera nova edere vel libros introducere sine licentia sub certis pœnis.

2. Nullus etiam audeat imprimere, vel imprimi facere nova sua opera, vel alterius, nisi prius obtenta licentia a Capitulo Generali, & ab aliis Superioribus ex præscripto Sacri Concilii Tridentini, aliarumque Apostolicarum Constitutionum. Qui contravenerit carceri mancipetur; ulteriùs pro delicti qualitate gravius puniendus. Nec audeat quisquam novos libros in Monasterium introducere, nisi de licentia Abbatis, quem volumus, ut omnino hujusmodi libros diligenter inspiciat, & consideret, antequam licentiam concedat. Contra facientes, graviter puniantur, ipsisque libris priventur.

De Disciplina suscipiendorum Fratrum.

CAPUT LVIII.

Quomodo post aliquot dies admittendi sint ad Novitiatum, & in eo per integrum annum probandi Novitii.

(*a*) Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed sicut ait Apostolus: Probate Spiritus, si ex Deo sunt. Ergo si veniens perseveraverit pulsans, & illatas sibi injurias, & difficultatem ingressus (*b*) post quatuor, aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ; annuatur ei ingressus, & sit in Cella Hospitum paucis diebus. Postea sit in Cella Novitiorum, ubi meditetur, & (*c*) manducet, & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, & qui super eum omnino curiose intendat, & solicitus sit, si vere Deum quærit, & si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura, & aspera per quæ itur ad Deum. Et si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia, post duorum mensium circulum, legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis: Si potes observare, ingredere: Si vero non potes (*d*) liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam Cellam Novitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei Regula, ut sciat ad quod ingrediatur. Et si adhuc stat post quatuor menses, iterum relegatur ei eadem regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc (*e*) suscipiatur in Congregatione. Sciens lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio: Nec collum excutere de subjugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei recusare, aut suscipere.

Item qua ratione Professionem emittant.

Suscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis ejus, & si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. De qua

promissio-

promissione sua (*f*) faciat petitionem, ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis: Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat. Et ille Novitius signum faciat, & manu sua eam super Altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse Novitius mox hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Quem versum omnis Congregatio tertio respondeat, adjungentes *Gloria Patri &c.* Tunc ipse Frater Novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo, & jam ex illa hora in Congregatione reputetur. Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus, quippe qui ex illo die, nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterii. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in Vestiario conservanda, ut si aliquando, suadente Diabolo consenserit, ut egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus Monasterii, projiciatur. Illam tamen petitionem, quam desuper Altare Abbas tulit, non recipiat, sed in Monasterio reservetur.

Antequam rebus omnibus renuncient, & propriis vestibus exuantur, quæ tamen semper servari debent.

DECLARATIO.

Ibi: *Noviter veniens.*

Non recipiantur sine consensu Seniorum, & examine qualitatum, sub gravi pœna.

1. (*a*) Ideo ordinamus, quod nullus veniens recipiatur ad ingressum Religionis sine consensu majoris partis Seniorum, computata voce Prælati. His tamen servatis, ut de vita, natalibus, moribus, & literatura, aliisque qualitatibus Novitiorum, antequam suscipiantur, diligenter inquirant Abbates, & Superiores singulorum Monasteriorum, in quibus postulaverint recipi.

Aliter admissi ejiciantur.

Recipi queunt corpore vitiati.

2. Si qui autem Novitii prædictis omnibus non observatis, fuerint ad probationem recepti, ad propria remittantur, & Prælati, qui eos susceperint, graviter arbitrio Regiminis puniantur. Præterea advertatur, quod si aliqui mutilati, claudi, strabones, illegitimi, aut aliquo alio corporali defectu vitiati ad probationem suscipi peterent, non prius suscipiantur, quam universo Conventui, & Monachis in Capitulo fuerint propositi, & ab eis acceptati, ne possit postmodum professionis tempore tale ejus vitium objici. De cætero non vestiantur ullo modo, nisi qui (præter alia requisita in Decretis Clementis VIII.) linguam latinam calleant, sintque idonei ad Studia Superiorum facultatum.

Assignantur Monasteria pro probatione, & professione Novitiorum.

3. Pro Novitiorum vero receptione ad probationem, professionemque emittendam deputamus infrascripta Monasteria, in quibus exacta observantia viget, videlicet. In Provincia Sicula Monasteria S. Martini Panormi, S. Placidi Messanæ, S. Nicolai Catanæ, & S. Mariæ Montis Regalis. In Provincia Neapolitana Monasteria S. Benedicti Montis Casini, Sancti Severini Neapolis, SSmæ Trinitatis Cavæ, S. Angeli de Caveoso, S. Laurentii de Aversa. In Provincia Romana, Monasteria S. Petri Perusii, Sanctæ Scholasticæ Sublaci, S. Vitalis Ravennæ, Sancti Benedicti Ferrariæ, S. Mariæ Cesenæ, S. Proculi Bononiæ. In Provincia Hetrusca Monasteria Sanctæ Mariæ Florentiæ, SS. Floræ, & Lucillæ Arretii, Sancti Eugenii Senarum. In Provincia Lombarda, Monasteria S. Benedicti de Padolirone, S. Joannis Parmæ, Sancti Sixti Placentiæ, S. Petri in Glassiate, S. Simpliciani Mediolani, S. Salvatoris Papiæ, & S. Petri Mutinæ. In Provincia Veneta, Monasteria S. Georgii Venetiarum, S. Justinæ Patavii, S. Mariæ Prataleæ, & S. Faustini de Brixia. In quibus tantummodo præfatis Monasteriis Novitiatus fieri, & aliorum Monasteriorum nomine Novitios ad probationem, professionemque emittendam recipi decernimus, & ordinamus. Qui Novitii alendi, ac vestiendi erunt sumptibus, & expensis illorum Monasteriorum quorum nomine professionem emittent. Emissa autem eorum professione conveniant Prælati inter se, vel de Cambio, vel de contributione pro eorum alimentis.

Novitiorum autem, aut etiam professorum expensis subjaceant eorum Monasteria.

Ibi: *Post quatuor, aut quinque dies.*

Maneant quatuor, aut quinque dies sine religiosis vestibus.

4. (*b*) Novitius antequam detur ei habitus Novitialis stet per quindecim dies cum suis vestibus Sæcularibus, ut interim possint ejus mores considerari ab omnibus: quibus diebus stet in Cella sub cura Magistri Novitiorum.

Ibi: *Manducet, & dormiat.*

De loco mensæ, & Dormitionis.

5. (*c*) A Regulæ præscripto censemus in hoc nos non recedere, si Novitii juxta hodiernam consuetudinem comedant in Refectorio communi, sed in Mensa distincta a cæteris, ubi commode videri possint, & dormiant in Dormitorio Novitiatus.

Ibi: *Liber discede.*

De Novitiis egressis, vel ejectis.

6. (*d*) Qui Novitius, si discesserit, aut fuerit expulsus, ab alio Monasterio non recipiatur absque participatione Prælati, a quo rejectus fuit, necnon Capituli Generalis, sive Regiminis licentia; & tunc per annum probetur, antequam profiteatur.

7. Quando Novitius aliquis est rejectus a Conventu, ultra in Monasterio permanere non permittatur.

Quæ peragenda post eorum receptionem.

8. Determinata itaque per Prælatum, & Seniores Novitii receptione, abluantur ei pedes in Capitulo per Patrem Monasterii, astantibus Monachis, ut dictum est in cap. 55. de hospitibus suscipiendis, & induatur vestimentis Regularibus. Sequenti mane ad Missam statim post Communionem Sacerdotis, & Conventus, quando fit communio Generalis, ad Altare majus ab ipso Abbate detur ei habitus Novitialis, palliolum, videlicet, & scapulare breve.

Ibi: *Suscipiatur in Congregatione.*

Item quæ ante eam requirantur.

9. (*e*) Prævis tamen Capituli Generalis licentia, & diligenti Visitatorum in actu visitationis examine, ac etiam Magistri Novitiorum fideli relatione de professu, cæterisque Novitii qualitatibus ut quantum ipse ad Religionem si aptus conjici possit, necnon prævio (antequam proponatur Conventui, si recipi debeat) majori partis Seniorum consensu, computata voce Prælati. Qui Seniores hoc casu, quatuor adminus vocentur, supplendo ex maturioribus, sive Titularibus, si hujusmodi numerus deesset, nec tamen habita licentia, & consensu præfatis recipiatur, nisi duæ ex tribus partibus Conventus consentiant, secundum privilegia nostra.

Quomodo Capitulum pro Novitiorum receptione instituì debeat.

10. Hoc stricte mandantes, ut nullus ea, quæ in Capitulo dicta de Novitio fuerint (quæ maxime scandalum generare possent) ipsi, aut aliis audeat revelare; si quis vero contra fecerit, dicat suam culpam in Capitulo, & graviter punjatur.

11. Et ut libentius, & cum pacis conservatione omnia procedant, volumus, quod si fuerit in Conventu aliquis dicti Novitii Consanguineus usque ad tertium gradum exclusive, etiamsi ipsius Monasterii Prælatus fuerit, tempore ejusmodi discussionis a Capitulo exeat, ut liberius alii quid de ipso Novitio sentiant, loqui possint. In præstando autem suffragio, sicut & cæteri, Capitulo intersint.

12. Eadem quoque ratione idem de Magistro Novitiorum censemus, ut videlicet exposita relatione Superioribus exeat, sicuti etiam a Capitulo, quando de Novitio tractabitur; reversurus

ad vota secreta, ut utrobique suffragium suum ferat.

Per aliquod tempus ante professionem eruditantur in necessariis.

13. Et ut Novitii per solemnem professionem Divino mancipandi obsequio in his, quæ ad suam vocationem pertinent, sedulo instruantur, districte ordinamus, ut durante eorum probationis anno, saltem per sex menses immediate post susceptum habitum, spiritualibus tantum exercitiis, aliisque Regularibus disciplinis, Canticis Monasticis, & Cæremoniis addiscendis, ac etiam vilibus servitiis, quibus humilitas comprobatur, ab ipsorum Magistris assidue exerceantur.

Ibi: Faciat petitionem.

Formula Professionis.

14. (*f*) Forma professionis, seu petitionis erit hæc videlicet: In Nomine Dñi Nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate ejusdem 16.... die N. Mensis N. Ego D. N. de N. promitto stabilitatem meam, & Conversionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti, coram Deo, & omnibus Sanctis quorum Reliquiæ habentur in hoc Monasterio S. N. de N. in præsentia Rmi P. D. N. a N. ejusdem Monasterii Abbatis (vel Prioris) & Monachorum ejusdem Monasterii sub Congregatione Casinensi, ad cujus rei fidem hanc petitionem manu propria scripsi die, qua supra. Et pro subscriptione Crucem calamo exarat in Cartula petitionis super Altare.

Alia quæ eam sequuntur.

15. Deinde post orationes, vestium benedictionem, ac susceptionem, Sanctique Spiritus invocationem, & cæteras Regulæ, & Congregationis consuetas solemnitates, recipiatur ab omnibus stantibus ad osculum pacis.

De Commissorum instructione, & privilegiis.

16. Declaramus etiam, & firmiter statuimus Commissos nostros Fratrum nostrorum nomine censeri, & in eodem numero computari, ac durante eorum probationis anno a Magistro Novitiorum, tam circa corporalia obsequia exerceri, & probari, quam de spiritualibus, ac præsertim de modo mentaliter orandi, pro eorum capacitate instrui debere. Qui nostris Privilegiis inscripti, & specialiter nominati, gratiis, indulgentiis, & immunitatibus, sicut cæteri Monachi plenissime gaudent, donec in Congregatione sub obedientia vixerint, prout in Privilegio Eugenii IV.

17. Et ut tranquillioribus animis propositi sui Dño exhibeant famulatum, & activæ vitæ, cui maxime inservire noscuntur, operam ferventius impendant: omnium bonorum, tam spiritualium, quam temporalium, quæ in nostra Congregatione fiunt, & fient in posterum, ipsos Commissos tanquam nostros Fratres compartícipes esse decernimus. Provideatur etiam eorum necessitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus omni charitate, & solicitudine, fiantque Orationes, & Sacra post mortem eorum, sicut consuetum est fieri pro Monachis.

De eorum Professione.

18. Qui Commissi post completum annum probationis, & non ante, quando Prælato cum Senioribus suis visum fuerit, ac concordi consensu omnium ipsorum, quos quatuor saltem, ultra votum Prælati esse volumus, aut duarum ex tribus partibus Conventus, si Superiores non convenerint (dummodo ætatis suæ annum vigesimum primum expleverint) prout decernitur in Institutionibus super receptione, & educatione Novitiorum jussu Clementis VIII. editis, ad stabilitatem recipiantur. Quæ receptio fiat in Capitulo, datoque illis a Prælato Pallio, vulgo Mantello in signum receptionis, ab ipso, & ab omnibus Monachis sedentibus, recipiantur ad osculum Pacis.

Item de Capillis, & barba, necnon amotione ex Monasterio.

19. Radantur eis mentum, & facies usque supra aurium summitates; Caput vero tondatur. Nec ipsis liceat mutationem petere; graviter puniendi, si id præsumpserint, cum recipiantur pro servitiis Monasteriorum; Ideo mutentur tantum ad instantiam Prælatorum: & pro eorundem, aut Monasteriorum necessitate, & commodo.

Emittant vota simplicia, dicant in die quampluria *Pater, & Ave*, atque eruditantur in necessariis.

20. Et donec ipsis nobiscum permanere a Superioribus permittitur, teneantur servare Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam per vota simplicia, a qua obligatione eo ipso solvuntur, cum eos a Congregatione dimitti contigerit. Et quia etiam ipsi aliquod pensum servitutis Deo persolvere debent, dicant in Nocturnis, & Matutinis orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam triginta vicibus, septem ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium pro qualibet hora; Ad Vesperas duodecim. Deputetur eis Monachus unus prudens ac maturus, qui eos instruat in via obedientiæ, & humilitatis; doceatque Doctrinam Christianam, Præcepta Evangelica, Regulam, & Constitutiones, ac modum inserviendi Missis, decore, ac gravitate, qua decet.

De eorum loco, necnon exercitio diebus festis.

21. Præterea ultimi secundum suos ordines stent, ubique post Monachos. In Refectorio autem comedant in quadam mensa a Monachis separata. Attendatur etiam ne diebus festis vacent otio, sed a præfato Monacho ipsis deputato, exponatur eis pro ipsorum captu verbum Dei.

Item scientia literarum.

22. Ordinamus etiam, quod de cætero nulli Commissorum nostrorum permittatur literas addiscere, neque in Clericum recipi possint. Qui vero legere sciunt, cum licentia Superiorum suorum, ita legant, ut cæteri non provocentur, & oriatur scandalum.

De Oblatorum receptione, aliisque rebus.

23. Oblati non recipiantur, nisi ad formam Juris, ut gaudeant nostris privilegiis. Confiteantur, & communicent quolibet Dominico die, prout statuitur supra in Cap. 46. num. 3. Assignet autem eis Abbas locum secundum personarum conditionem, & prout ejus prudenti arbitrio videbitur.

24. Ipsi vero Oblati si sunt literati dicant Officium de Domina, & Officium Mortuorum, necnon aliquando septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis secundum suam devotionem; sin autem, penso spirituali quotidiano satisfaciant, sicut Commissi, vel saltem quotidie recitent Virgini precariam majorem Coronam.

De famulis Monasterii.

25. Hortamur insuper Prælatos, & Cellerarios, ut cum solicitudine moribus famulorum in Monasteriis degentium intendant, nec vitiis deditos sustineant; curentque, ut saltem ter in anno, computato Paschate ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ accedant. Conversos autem in Congregatione nostra amplius non recipimus.

De filiis Nobilium, vel Pauperum qui offeruntur.

CAPUT LIX.

De modo recipiendi pueros, & jurejurando parentum non tribuendi illis bona, sed Monasterio tantum, si velint.

Si quis forte de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, (*a*) si ipse puer minori ætate est: Parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus, & cum oblatione, ipsam Petitionem, & manum Pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitionem promittant sub Jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi, vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint, in eleemosynam Monasterio pro mercede sua faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio donationem, reservato sibi (si ita voluerint) usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) Quod experimento didicimus. Similiter autem, & Pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habeant, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram Testibus.

DECLA-

DECLARATIO.

Ibi: Si ipse Puer minori ætate est.

Nunc non recipiantur.

(a) Hujusmodi Pueros minoris ætatis nullatenus in Congregatione recipimus, ut supra in Cap. 30., de Pueris minori ætate.

De Sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare.

CAPUT LX.

De modo recipiendi Sacerdotes, vel Clericos, eorum officiis, ac honore eis deferendo.

(a) Si quis de Ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac petitione, sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum. Nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est. Amice, ad quid venisti? concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missam tenere, si tamen jusserit ei Abbas. Sin alias nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ Regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si forte ordinationis, aut alicujus rei causa fuerit in Monasterio illum locum attendat, quando ingressus est in Monasterium, non illum qui ei pro reverentia Sacerdotii concessus est. Clericorum autem, si quis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen si promittit de observatione Regulæ, vel propria stabilitate.

DECLARATIO.

Ibi: Si quis de Ordine Sacerdotum.

H. m. Sacerdotes præcedant tantum Novitios; item Clerici, si Abbati videbitur.

1. (a) Cum Sacerdotibus, & Clericis Congregationem nostram ingredientibus, observamus ordinem Professionis.

2. Verum Presbyteros propter Sacerdotii reverentiam super alios Novitios collocamus. Idem quoque potest exequi Prælatus de aliis, si sibi videbitur, aliqua rationabili causa; quibus tamen propter hoc non intendimus præjudicare quoad tempus professionis.

Per aliquod tempus Missas non celebrent.

3. Prohibemus etiam præfatis Sacerdotibus celebrationem Missarum per aliquod tempus arbitrio Abbatis, ut ex hoc eorum humilitas comprobetur, & tunc ipsi communicent cum Clericis.

De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.

CAPUT LXI.

Malos ejiciant, bonos vero recipiant, & precentur, cum licentia tamen Abbatis eorum, si notum fuerit Monasterium.

Si quis Monachus peregrinus de longinquis Provinciis supervenerit, si pro Hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam invenerit, & non forte superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est, quod invenerit: suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamen rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maxime quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus, aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterii; verum etiam dicatur ei honeste, ut discedat, ne ejus miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur projici: non solum si petierit, suscipiatur (a) Congregationi sociandus; verum etiam suadeatur, ut stet: ut ejus exemplo alii erudiantur, quia in omni loco uni Domino servitur, & uni Regi militatur. Quem etiam si talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco. Non solum autem Monachum, sed etiam de supradictis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum stabilire potest Abbas in majori quam ingreditur loco, si ejus talem perspexerit esse vitam. Caveat autem Abbas ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis ejus, aut literis commendatitiis, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

DECLARATIO.

Ibi: Congregationi sociandus.

Nunc cum alia sint tempora.

1. (a) Sanctissimus P. N. in Regula videtur concedere Monachos alterius Monasterii suscipi posse, si tamen literas commendatitias habuerint. Verum cum temporibus nostris multæ succreverint Religiones, variique sint earum mores, & ex his plerique levitate potius, quam sanctitatis zelo propria deserentes loca, ad nostraque accedentes, difficillime jam assumptos mores deponere valent, imo in stabilitate sua, vel murmurando, vel detrahendo iis, quæ apud nos vident, sæpissime gregem conturbant, & cum longa experientia didicerimus, raro tales ad profectum de quo sibi blandiuntur perveniisse.

Non recipiantur Fratres mendicantes.

Propterea, ut eorum stabilitati, & nostræ Congregationis paci utiliter consulatur, nullus de ordine Mendicantium suscipi debet in Monachum Congregationis nostræ, quia ex Constitutione Martini PP. V. recipientes, essent ipso facto excommunicati, & ipse receptus cogeretur redire ad suum Ordinem, quorum postremum jubet quoque Pius V.

Professi vero nostri iterum suscipiantur juxta supra statuta.

2. Ordinamus secundo quod Professi in Congregatione nostra, si alibi firmaverint stabilitatem suam, & redire voluerint, recipiantur, sed omnino, observatis quæ in Cap. 29. statuta sunt.

Sed alii Religiosi juxta Const. Pii V.

3. In recipiendis aliis Religiosis de Ordinibus non mendicantium, servanda est Constitutio Pii V., & præterea licentia Capituli Generalis præhabeatur, qua non obtenta, neminem admittendum esse dicimus.

De Sacerdotibus Monasterii.

CAPUT LXII.

Abbas ad Diaconatum, vel Presbyteratum, dignos promoveat, qui tamen non se extollant, aliter puniantur juxta alibi decreta.

Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit de suis (a) eligat (b) qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem, aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ Regulari subditum, nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam, & disciplinam: sed magis ac magis in Domino proficiat. Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium præter Officium Altaris; etsi forte electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam a Decanis, vel Præpositis constitutam sibi servandam sciat: Quod si aliter præsumpserit, non ut Sacerdos, sed ut rebellis judicetur. Et sæpe admonitus, si non correxerit etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic, clarescentibus culpis, projiciatur de Monasterio: Si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi, aut obedire Regulæ nolit.

DECLARATIO.

Ibi: Eligat Abbas.

1. (a) Cum consilio, & consensu majoris partis Seniorum suorum computato voto Prælati.

Ibi: Qui Dignus est.

In Capitulo seniorum, instituto examine, eligendi sunt; nec promovendi sine licentia

2. (b) Ideo volumus, quod Patres Monasteriorum una cum Senioribus prius diligenter promovendos ad Sacros Ordines, maxime vero ad Sacerdotium examinent super sufficientia, & literatura, moresque, & vitam attentius con-

siderent.

Capituli Generalis, & Visitatorum.

siderent. Et si (humana tamen fragilitate inspecta) fuerint judicati ad Officium, ad quod assumuntur, idonei; non prius ordinentur, quam obtenta licentia a Capitulo Generali ac etiam a Visitatoribus; quam ipsi dare non possint, nisi in actu Visitationis, ut præsentialiter de eorum vita, & moribus, ac literarum sufficientia indagare, & cognoscere possint.

Urgente vero necessitate sufficit licentia Præsidentis, vel Visitatoris, vel Abbatis, & Seniorum.

3. Casu vero magnæ necessitatis, puta propter mortem aliorum Sacerdotum, vel amotionem, ita quod scandalum esset expectare tempus Capituli, vel visitationis: sufficiat licentia Præsidentis, vel unius Visitatoris, vel (si arctior necessitas urgeret) Prælati, & Seniorum, præmissa, ut diximus, examinatione, & discutione circa Ordinandos.

Sed ab uno ad alium Ordinem biennium fluat, quod imminuere potest Capitulum Generale, vel Regimen.

4. Hoc sane ante omnia attendentes, quod nullus etiam his stantibus necessitatibus, ad aliquem ordinem promoveatur nisi de biennio in biennium a die ingressus Religionis sine licentia Capituli Generalis, vel Regiminis, a quibus justas ob causas omnes prædicti poterunt per annum dispensationem obtinere, servatis tamen Sacri Concilii Tridentini, aliisque Apostolicis Decretis, quoad hujusmodi ordinandos.

Vel etiam Visitatores.

5. Visitatores vero possint ex legitima causa dispensare per duos, aut tres menses tantum cum hujusmodi Ordinandis salvis adamussim Decretis Concilii Tridentini, ut supra.

De rejectis in examine, & non idoneis.

6. Si quis autem a Capitulo proxime præterito, aut a Visitatoribus, aut ab Examinatoribus Episcopalibus ad præfatos Ordines ob insufficientiam, vel aliam causam, non fuerint admissi, non possint amplius per integrum annum præsentari, ut promoveantur. Interim teneant locum post eos, qui jam promoti erunt ad eum Ordinem, ad quem ipsi minus idonei fuerunt reperti. Quod non solum de rejectis, sed etiam de non propositis, ob insufficientiam intelligi volumus, ut sic saltem rubore confusi magis soliciti reddantur ad necessaria discenda. Qui deinde cum fuerint ordinati restituantur suo loco Professionis,

7. Et si aliquis (prædictis omnibus non observatis) aut non repertus idoneus fuerit ad aliquem ordinem promotus, non permittatur ei ordinis administratio, donec judicetur idoneus. Et Superior Monasterii, qui voluerit, vel etiam permiserit quempiam promoveri, puniatur judicio Capituli Generalis.

De iis, qui ex uno in aliud Monasterium transeunt.

8. Caveant etiam Patres ne primo anno, quo quis Monachus alicui monasterio deputatur, eum ad Ordines Sacros promoveri faciant, nisi servatis supradictis omnibus, & insuper habito consensu Prælati, & Seniorum Monasterii, in quo prius idem morabatur.

De prima Missa Sacerdotum.

9. Mandantes universis Prælatis nostræ Congregationis quatenus pro missis novis celebrandis, non permittant solemnes invitationes, aut oblationes fieri, sed pure, ac simpliciter, (prout nostræ consuetudinis est) celebrentur, nec Missæ novæ cantentur in alienis quibusvis Ecclesiis, sed tantum in Ecclesia Congregationis.

De non celebrantibus Sacerdotibus.

10. Ordinati Sacerdotes si celebrare noluerint, dicant in choro Antiphonas, sicut Clerici, nisi aliqua legitima de Causa per majoris partis Seniorum judicium approbanda, excusentur.

De Confessoribus publicis, & privatis.

11. Et quia ad Sacerdotis officium pertinet ligare, & solvere in quo auctoritas, & scientia requiritur, injungimus Prælatis, ut ad audiendas Confessiones sæcularium eligant, aut proponant Monachos ad id idoneos, juxta dispositionem Concilii Tridentini, & Constitutiones nostras. Et hoc diligentius attendi volumus, ne (quod absit) in animarum detrimentum, & Religionis confusionem, aliquos ad tantum munus exercendum minus habiles præsentari contingat. Districte prohibentes, ne aliquis ex nostra Congregatione Monachus possit hujusmodi facultatem audiendi Sæcularium Confessiones ab Ordinariis locorum petere, & obtentis licentiis uti absque Abbatis sui licentia. Contra facientes vero graviter puniantur. Deputent insuper in singulis Monasteriis juxta Decretum felicis recordationis Clementis VIII. super casuum reservatione duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit.

Reddent se dignos tanto ministerio.

12. Qui ad hoc munus electi studeant diligenter huic tam commendabili officio se aptos reddere, omnemque industriam adhibeant, ut ob Dei honorem, animarumque salutem (qua nihil est Deo acceptius) opus suum utiliter exequantur. Quod ut dignius adimpleatur etiam Visitatores, si opus fuerit, Prælatis hæc omnia exacte servare mandabunt.

Nihil a confitentibus accipiant.

13. Interdicet etiam Prælatus sub gravi pœna, iis, qui ad audiendas Confessiones sunt deputati, ne quavis occasione, seu prætextu pietatis, & eleemosynæ pauperibus faciendæ, neque etiam pro Missis celebrandis aliquam pecuniam petant, aut oblatam a confitentibus accipiant quovis quæsito colore. Quod si quis ex confitentibus pertinacius insisteret aliquid dare, ad Sacristam Monasterii dirigatur.

De visitantibus infirmos.

14. Inhibemus Prælatis præterea, & Monachis nostræ Congregationis occasione visitationis, aut assistentiæ infirmorum extra Monasteria dormire.

De funeribus, & exequiis.

15. Ad funera, & mortuorum exequias nulli omnino accedere liceat.

De fugitivis, & apostatis Sacerdotibus.

16. Denique Monachis nostris fugitivis si qui fuerint, vel qui extra obedientiam nostram ad sacros Ordines promoventur, si redierint, non permittatur in eis ministrare, nisi per Capitulum Generale cum eis dispensetur, & ex novem Diffinitoribus octo consentiant. Si quis autem in Apostasia, quod Deus avertat, Ordines receperit, ab eorum administratione perpetuo arcendus erit.

De Ordine Congregationis.

CAPUT LXIII.

Attendatur tempus conversionis, & meritum personarum.

Ordines suos in Monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, & vitæ meritum discernit, vel ut Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid: sed cogitet semper, quia de omnibus Judiciis, & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo (*a*) secundum ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, si accedant ad pacem, ad Communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum, & in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet; quia Samuel, & Daniel pueri Presbyteros judicaverunt. Ergo (*b*) exceptis iis, quos (ut diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradaverit, certis ex causis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint, ut verbi gratia, qui secunda diei hora venerit in Monasterio juniorem se noverit esse illo, qui prima hora diei venit, cujuslibet ætatis, aut dignitatis sit.

De honore, quem deferent inferiores superioribus, eorumque nominibus.

Pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores ergo Priores suos honorent; Priores vero Juniores diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine, sed (*c*) Priores Juniores suos Fratres nominent: Juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem quia vices Christi agere videtur, Dominus, & Abbas vocetur; non sua assumptione, sed honore, & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Ubicumque autem sibi obviant Fra-

tres, Junior a Priore (*d*) benedictionem petat. Transeunte majore, Junior surgat, & det ei locum sedendi; nec præsumat Junior considere, nisi ei præcipiat senior suus, ut fiat, quod scriptum est: Honore invicem prævenientes. Pueri parvuli, vel adolescentes in Oratorio, vel ad mensam cum disciplina ordines suos consequantur. Foris autem, vel ubiubi custodiam habeant, & disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

Adolescentes sint sub disciplina usque ad certum tempus.

DECLARATIO.

Ibi: Secundum Ordines, quos constituerit.

De ordine inter Superiores servando.

1. (*a*) Declaramus secundum morem nostrum antiquum, quod post Abbates Regiminis sint Abbates Titulares, deinde Priores Claustrales; Post prædictos sint Priores Titulares, deinde Magistri Novitiorum, postea Decani; Qui secundum ordinem professionis locum teneant inter se. Post præfatos sequantur cæteri Monachi, secundum ordinem professionis præter eos, qui aliqua de Causa degradati fuerint.

Si aliter Abbati non placuerit.

2. Quod autem attinet ad Priores, & Decanos Titulares: tituli hujusmodi de cætero facile non conferantur, sed iis tantum, qui in illis officiis se laudabiliter gesserint, & propter ætatem, aut valetudinis imbecillitatem, ad illa sustinenda inhabiles sunt effecti. Locus autem Superior, ut ajunt, neque a Capitulo Generali, neque a Regimine alicui concedatur per totam Congregationem, sed aliquem in privato Monasterio aliis præferre in arbitrio sit Abbatis juxta Regulam Cap. 60.

De non promotis sua culpa ad Ordines.

3. Qui ad Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum expleto secundum Constitutiones nostras tempore non fuerint ordinati quacunque de causa culpabili, teneant locum in præcedenti Capite sibi assignatum, post promotos scilicet ad eum ordinem, ad quem ipsi adhuc promoveri non potuerunt, transacto talis promotionis tempore.

Fit ubique professorum catalogus.

4. Ut autem prædictus ordo melius servari possit, habeatur in singulis Monasteriis Catalogus omnium Monachorum nostræ Congregationis Professorum, in quo singulis annis scribantur, qui professionem emiserunt, appositio die & anno.

Ibi: Exceptis iis, quos, ut diximus.

De loco Præsidentis.

5. (*b*) Ad omnem ambiguitatem tollendam in nostra Congregatione circa illos, quos altiori consilio duximus præferendos: Ordinamus, quod Pater Præsidens omni tempore primum locum inter Patres Congregationis, & Sedem Abbatis in Choro, si præsens fuerit, teneat in quocumque Monasterio. Quo absente a choro liceat Abbati tenere sedem suam. Benedictionem, & omnia signa, tam particularia, quam generalia faciat, ubique incipiat: *Te Deum laudamus*, cantet Evangelium ad Matutinum, & Antiphonas duplices.

Visitatorum in actuali visitatione.

6. Id ipsum concedimus Visitatoribus, cum in actu visitationis absente Præsidente, fuerint, sed teneant secundi chori primam sedem. Quo visitationis tempore, (vel si forte Præsidens absit) in signum Reverentiæ Prælatus Loci, etiamsi esset Visitator teneat secundam sedem primi chori.

Visitatorum non actu visitantium.

7. Quod si Visitatores fuerint in aliquo Monasterio, & non visitationis causa: teneant quidem semper locum super Prælatum, sed signa dumtaxat præeminentiæ faciant principalia sibi invicem deferendo, secundum Ordinem Professionis suæ: nisi forte Prælatus loci esset, & ipse Visitator, quia tunc in Monasterio suo tantum, etiam super antiquiores Visitatores locum tenebit, ratione particularis regiminis, extra tamen publicas functiones, hospitibus loco cedere urbanitatis officium reputamus.

Visitatorum ex non officio.

8. Visitator actu, & non officio, si Prælatus extiterit tempore visitationis tantum præcedat Loci Prælatum, nisi qui visitatur, esset & ipse Visitator officio, quo casu immediate post ipsum, locum teneat, & eo absente, omnia signa faciat, sicut, & cæteri Visitatores.

Visitatorum non Prælatorum.

9. Idem servetur in Visitatore actu, qui non esset Prælatus, ut videlicet omnia signa faciat absente Prælato, sicut cæteri Visitatores Prælati.

Aliorum Prælatorum.

10. Reliqui vero Prælati faciant ubique in absentia Prælati Loci, & Visitatorum signa præeminentiæ: sibi invicem deferendo, secundum Professionis tempus.

Prælatorum Localium, & Titularium, & horum illis obedientia.

11. Prælatus autem Loci si præsens fuerit, præcedet & antiquiores; Titulares vero immediate post alios Prælatos de Regimine, ita tamen, ut qui fuerunt de Regimine, omni loco, & tempore præcedant eos, qui nunquam fuerunt Abbates de Regimine, servantes respective Professionis suæ tempus, sibi invicem deferendo, & in eorum absentia signa præeminentiæ faciant. Præfatis Abbatibus Titularibus locum assignamus post primam sedem primi chori: Volumusque eos esse subjectos Prælatis, cum quibus degunt per omnia sicuti cæteri Monachi, etiam in scribendis, & recipiendis literis, sicut dictum est Cap. 54. & tenere Loca suæ Professionis, cum in Capitulo generali cæteri Prælati fuerint absoluti. Insuper Abbates Titulares, qui non fuerunt regiminis, genuflectant Abbati Loci de Monasterio exeuntes, & revertentes; necnon cum tarde ad Chorum, & Refectorium venerint. Habeant vestiarium simplex, sicut & cæteri Monachi, & famulus, vel Commissus eis deputetur ex iis, qui in aliis exercitiis Monasterii inserviunt. Omnes autem Titulares, tam qui fuerunt de Regimine, quam qui nunquam fuerunt Regiminis, teneantur revelare pecunias, & res pretiosas, si quas habent, Prælato Monasterii sub pœnis ab eodem Prælato comminatis. Hortamur autem Prælatos, ut erga Abbates Titulares ætate, & merito venerabiles, officiose, & discrete se gerant.

Reliquorum Superiorum, & aliorum Fratrum.

12. Seniores vero sic sibi invicem deferant, ut Priores Claustrales ex suo Monasterio ad aliud euntes, teneant Locum post Priorem Claustralem Monasterii, in quo fuerint. Magistri autem Novitiorum, stent immediate post Priorem Claustralem: præcedendo omnes alios Decanos, & faciendo signa omnia, tam præeminentiæ, quam Jurisdictionis in suo Monasterio. In alio vero Monasterio stet super omnes Decanos, excepto Magistro Novitiorum illius Monasterii, & faciat signa tantum præeminentiæ. Similiter Decani post Decanos secundum professionem sibi invicem deferentes: Et absentibus superioribus Monasterii faciant signa, etiam particularia. Similiter, qui non sunt Superiores absentibus Superioribus suis dignitate, & professione idem faciant.

Recensentur actus præeminentiæ.

13. Ut autem signa, & actus præeminentiæ, & signa particularia, sive Jurisdictionis cunctis perspicua esse possint: Declaramus actus præeminentiæ eos esse, qui solam Personæ dignitatem consequuntur. Hujusmodi censentur benedictiones Lectionum, mensæ, & Completorii: Recitatio orationis Dominicalis in officiis Divinis, præintonationes Cantici *Te Deum laudamus*, & Antiphonarum post horas Canonicas, Evangelii Lectio ad Matutinum, aqua lustrali Monachos, & Fratres post Completorium, aspergere, & similia. Edere item signa inchoandi officium, Lectiones, orationes, Comestionem: Et officio, ac mensa expletis, signum exurgendi, aut discedendi dare, præeminentiam solam innuunt. At præcipere, quod Lectiones, Capitula, aut Antiphona decantentur; Monachis vero ad chorum, vel ad mensam venientibus eisdem post Lectiones recitatas, aut post alias functiones, genuflexis signum dare, ut surgant, aut errantibus mandare, ut genuflectant, actus sunt, & signa Jurisdictionis. Illa ad Titulares superiores spectant: hæc in Superiores regiminis cadunt. Monacho in Capitulo ante Completorium lecturo, signum

Item actus jurisdictionis.

Ad quos spectant.

Lectio-

Lectionis inchoandæ dabit Superior Titularis; Terminandi vero signum Superior Regiminis faciat. Et priusquam Superior Titularis inchoet *Te Deum laudamus*, a Superiore Regiminis sciscitabitur, num cantu, an absque cantu recitandum sit: quod idem intelligimus faciendum diebus, quibus Completorium cantu persolvendum erit, & in aliis similibus casibus.

A supra statutis de loco, excipiuntur Abbas Montis Casini.

14. Abbatem Casinensem propter dignitatem loci, ac reverentiam merito statuimus, ab hac generalitate excipientes, quod in toto Regno Neapolitano præcedat omnes Prælatos etiam loci, & Visitatores (excepto tamen Visitationis tempore) tam in suo Monasterio, quam in aliis. Extra Regnum Neapolitanum præcedat omnes Prælatos exceptis Visitatoribus, & Prælato Loci.

Item Prior.

15. Prior quoque Casinensis in Regno Neapolitano præcedat omnes alios Priores Loci. Extra autem teneat locum suæ professionis.

Abbates Sancti Pauli de Urbe, & SS. Trinitatis Cavæ.

16. Abbates vero Sancti Pauli de Urbe, & Sanctissimæ Trinitatis Cavæ propter spiritualem, & temporalem Jurisdictionem, quam in Castris sibi subjectis exercent in Monasterio, & Locis suis tantum super Visitatores, excepto visitationis tempore locum tenere decernimus. Procurator Generalis in Curia Romana semper, & ubique teneat locum super omnes Abbates; exceptis Visitatoribus, Abbatibus Montis Casini, Sanctissimæ Trinitatis Cavæ, & S. Pauli de Urbe, & Abbatibus Loci.

Ac Procurator Generalis in Urbe.

De ordinationibus, & licentiis Visitatorum, Præsidentis, & Prælatorum post completum eorum munus.

17. Ordinata per Visitatores, & Prælatos Monasteriorum in Monasteriis suis, durant post eorum officium, nisi a Successoribus fuerint revocata, nec ea volumus revocari, nisi justis de causis. Et transgressores graviter puniantur.

18. Licentias autem particulares, aut dispensationes, quæ ultra visitationis tempus sunt duraturæ, Præsidens, seu Visitatores nullas concedant, ne forte confusionem potius, quam pacem in Monasteriis relinquant. Sed illas particularibus Prælatis, qui Animarum sibi commissarum clariorem habent notitiam, relinquant: nisi in casibus, quos ad se rationabiliter pertinere patebit.

19. Et tunc in scriptis dent præfatas licentias cum appositione parvi sigilli Congregationis, aliter eis non adhibeatur fides, nec ipsis uti valeant, qui eas receperint.

Ibi: Priores Juniores suos Fratres vocent.

De horum, & aliorum nominibus.

20. (*c*) Ex nostra antiqua consuetudine ad differentiam Mendicantium, Monachos nostros appellamus Domnos, sed affectu Fratres Juniores, Seniores suos Patres vocant, Abbas vero Dominus, & Abbas appelletur.

Ibi: Benedictionem petat.

21. (*d*) Hanc benedictionis petitionem intelligimus signo magis, quam verbo, ideo per inclinationem Capitis fiat.

De Ordinando Abbate.
CAPUT LXIV.

Eligatur Abbas consensu totius Congregationis, vel sanioris partis, & aliquando ab Episcopo, vel aliis Abbatibus, vel Christifidelibus vicinis.

(*a*) In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva Congregationis, saniori consilio, elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est: etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus (*b*) in notitiam Episcopi (ad cujus diœcesim pertinet Locus ipse) vel Abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint; prohibeant pravorum prævalere consensum, & Domui Dei dignum constituant dispensatorem: Scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste, & zelo Dei faciant, sicut è contrario peccatum, si negligant.

Quibus dotibus præditus esse debeat.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ; sciatque sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum in lege Divina, ut sciat unde proferat nova, & vetera: castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis eradere cupit eruginem, frangatur vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque, calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia: sed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut jam diximus, & studeat plus amari, quam timeri: non sit turbulentus, & anxius; non sit nimius, & obstinatus; non sit zelotypus, & nimis suspiciosus: quia nunquam requiescet. In ipsis imperiis suis sit providus, & consideratus: sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint: opera quæ injungit discernat, & temperet; cogitans discretionem S. Jacob dicentis: Si greges meos plus inambulando fecero laborare, morientur cuncti uno die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit, quod, & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue, ut præsentem Regulam in omnibus conservet: ut dum bene ministraverit audiat a Domino, quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.

DECLARATIO.

Ibi: In Abbatis ordinatione.

Eligantur Abbates a Capitulo Generali, vel Dieta.

1. (*a*) Hodie secundum privilegia nostra eliguntur per Capitulum Generale, aut per Dietas, sesqui anno post Capitulum celebrandas; in quibus interveniant tantummodo Prælati Regimen habentes.

Qui eligi possint, vel debeant in Abbates regiminis, vel tituli: nemini tamen concedatur locus inter Abbates.

2. Et nemo deinceps in Abbatem de Regimine eligi possit, nisi prius per quinquennium expletum fuerit Prior Claustralis, & in observantia Regulari immediate exercitatus, præter Cancellarium, & Capsarium, dummodo Priores extiterint, & tempus a Constitutionibus præfixum habuerint. Nec etiam quis eligi possit in Abbatem cum solo titulo, nisi prius fuerit Abbas cum Regimine, vel saltem Prior Claustralis, qui per expletum quinquennium in Prioratus regimine se laudabiliter gesserit. Illa siquidem dignitas talibus debetur, tanquam de Congregatione benemeritis. Locus vero inter Abbates, tam de Regimine, quam cum solo titulo, nemini imposterum concedatur. Si quis autem contra præsentis Constitutionis formam promotus fuerit, eo ipso hujusmodi promotiones nullas, & invalidas declaramus. Prælatorum vero electiones fiant secundum merita, non ad favorem Principum, juxta formam Brevis Apostolici Gregorii XIII., de quo in prima parte ordinationum, & prævia Visitatorum approbatione. Qui Abbates ex Indulto Sedis Apostolicæ habent omnia privilegia, & insignia, & jurisdictionem, quam Abbates perpetui, & benedicti habere consueverunt. Quod enim nostri nunc, & olim non benedicuntur solemniter, indultum fuit ad favorem Congregationis, non in detrimentum dignitatis, ut ex privilegio Eugenii IV.

Abbatum jura, & privilegia.

3. Membra Monasteriorum suorum, & beneficia sibi subjecta visitare teneantur.

Eorum visitatio.

4. Prohibemus Prælatis ipsis accessum ad Curiam Romanam, nisi de consensu P. Præsidentis, & utriusque Visitatoris suæ Provinciæ, necnon Abbatis S. Pauli, & Procuratoris in Curia.

Nonnulla eis interdicuntur omnino, vel sine licentia.

5. Prohibemus etiam eis executionem ultimarum voluntatum, ut videlicet neque ipsi id exercere, neque Monachos suos ad hujusmodi habilitare valeant, sine licentia Patris Præsidentis, aut Visitatorum, nisi in casu alicujus imminentis necessitatis. Evitent quoque superfluos, & vanos apparatus in cameris, omnemque pretiosam supellectilem statui pauperum minime convenientem. Super quod invigilent PP. Visitatores, & tales excessus (si quos invenerint) referant Regimini, a quo severe erunt puniendi, qui prima vice cum charitate admoniti, non abstinuerint.

Conceditur vero multiplex potestas.

6. Damus eis liberam, & ordinariam potestatem regendi, & gubernandi Monasteria per Capitulum Generale, vel Regimen ipsis commissa: Monachosque, ac Commissos, & Novitios, cæterosque ad Monasteria sibi credita spectantes, tam in spiritualibus, quam in temporalibus secundum S. P. N. Benedicti Regulam, & Constitutiones nostras. Ipsi autem cum in Prælatos eliguntur, aut ad aliud Monasterium mutantur, quamprimum se ab omnibus aliis negotiis expedientes, recto tramite ad sibi assignata Monasteria se conferant. Damus insuper eis potestatem eligendi sibi confessarios, qui eos absolvant, & salutarem eis pœnitentiam injungant, auctoritatem etiam audiendi confessiones omnium Prælatorum, & Fratrum nostræ Congregationis ad eorum Monasteria venientium, vel alicui ex suis Monachis facultatem prædictam committendi.

7. Præterea eis conferimus potestatem examinandi licentias Fratrum nostrorum, & quos repererint non complesse conditiones suarum licentiarum, vel aliter deprehenderint fugitivos, gyrovagos, vel Apostatas capi faciendi, & in custodia retinendi, impetrato etiam, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Ibi: Ad notitiam Episcopi.

Monasteria non sunt subjecta Ordinariorum jurisdictioni.

8. (*b*) Hodie ex Indulto Apostolico tota nostra Congregatio, & singula Monasteria exempta sunt ab Ordinariorum jurisdictione, & immediate Apostolicæ Sedi subjecta. Quibus autem casibus ad Ordinarios recurrendum sit, jura præscribunt.

De Præposito Monasterii.

CAPUT LXV.

Mulca oriuntur mala propter Præpositum, maxime si ab eisdem, ac Abbas, ordinatus fuerit.

Sæpius quidem contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala gravia in Monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, & dissentiones in Congregatione faciunt, & maxime in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod, quam sit absurdum, facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissentiones, exordinationes. Et dum contraria sibi invicem Abbas, Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissentione animas periclitari, & ii, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.

Hinc tantum necessitate urgente eligatur Præpositus, quem ordinet Abbas, cui ille

Ideoque nos prævidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio (*a*) ordinationem Monasterii sui. Et si potest fieri per Decanos ordinetur (ut antea dispositimus) omnis utilitas Monasterii, prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate suo, ei injuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens, quia quantum Prælatus est cæteris, tantum eum oportet solicite observare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor Sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater, si non emendaverit, adhibeatur ei correctio disciplinæ Regularis. Quod si neque sic correxerit tunc dejiciatur de Ordine Præposituræ, & alius, qui dignus est in loco ejus subrogetur. Quod si, & postea in Congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus Judiciis Deo redditurum rationem, ne forte invidiæ, aut zeli flamma urat animam.

obediat, alias puniatur.

DECLARATIO.

Ibi: Ordinationem Monasterii sui.

Superiores, & Officiales omnes singulis Capitulis innoventur.

1. (*a*) Sicut nobis est curæ, ne Prælati existant perpetui, sed quolibet Capitulo a sua Prælatione absolvantur, ita diligenter intendimus, ne Præpositus Monasterii, qui secundum morem nostrum Prior Claustralis vocatur; Seniores que, ac cæteri Officiales Monasteriorum perpetui videantur.

Quomodo Prælatus deponere, & eligere debeat Officiales.

2. Idcirco statuimus, ut postquam Prælatus ad Monasterium sibi assignatum venerit infra octo dies, si commode fieri poterit, convocatis cunctis Fratribus in Capitulo realiter absolvat omnes habentes aliquod officium, vel administrationem, vel titulum. Ipsique in signum assensus prædictæ absolutionis, inclinato capite reverenter assurgant: accusanteque se de excessibus suis in hujusmodi officiis commissis, veniam prostrati coram omnibus, postulent: claveque ad ipsa officia pertinentes, si quas habent, Prælato consignent, prætereaque omnia, ut supra in Cap. 33. *si debeant Monachi proprium aliquid habere*, ac locum professionis teneant, nec in ipsis officiis ulterius se intromittant, nisi Prælatus aliter disposuerit, & eorum curam ipsis interim commiserit.

3. Omnes etiam, qui occasione alicujus officii in superiori loco erant constituti per tres saltem dies loca suæ professionis teneant. Prælatus vero, qui ad Capitulum Generale non accesserit, si confirmatus in eodem loco fuerit, id ipsum faciat intra octo dies postquam de ipsa confirmatione certior factus fuerit.

Ter in anno legantur Ordinationes Capituli.

4. Itaque nutu Prælati juxta tenorem Regulæ Præpositus, cæterique Officiales instituantur, & inde rursus amoveantur cum consilio tamen Seniorum suorum.

5. In nova Officialium, vel depositione, vel publicatione, Prælatus legat in Conventu ordinationes, & admonitiones factas in Capitulo Generali, quæ ter in anno legendæ sunt, ne quis de ignorantia se excuset, cum videlicet Prælatus redierit a Capitulo Generali circa festum omnium Sanctorum, & circa Quadragesimam.

Mortuo Prælato, vel absente, vel Capituli tempore Prior præfit regimini juxta illius ordinationes.

6. Constituimus etiam, ut casu, quo Prælatus moreretur, aut ad Capitulum Generale proficisceretur, omnis ejus in spiritualibus auctoritas remaneat penes Priorem. Quæ auctoritas duret, donec ad Monasterium veniat novus Prælatus, vel pristinus revertatur, etiamsi qui loco Prælati relictus fuit, alteri Monasterio fuisset assignatus.

7. Volumus autem eo tempore id observari, quod Prælatus constituerit antequam moreretur,

vel

vel ad Capitulum pergeret. Quod si Prior, vel alius Superior contra fecerit, & scandalum ob id ortum fuerit, deponatur. Si autem res minoris momenti fuerit, stet per mensem in loco suæ Professionis, ut obedientiam, & humilitatem discat.

Item aliquando Prælato præsente.

8. Similiter si contigerit Prælatum ad Capitulum non accessisse, cessante causa manifestæ infirmitatis; aut alia legitima causa judicio P. Præsidentis, aut Visitatorum approbanda, ipso facto, ut cæteri Prælati fuerint in Capitulo absoluti, ipse quoque absolutus intelligatur, & in Priorem Claustralem tunc, & eo casu omnis tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, transferatur potestas usque ad novam provisionem Monasterii.

9. Secus autem si cum licentia præfatorum, aut justo infirmitatis impedimento remanserit: tunc enim ei continuatam omnem potestatem usque ad novum Prælatum, vel suam confirmationem, declaramus.

Ei pareant Cellerarii.

10. In supradictis casibus Cellerarii, & alii, qui temporalia curant, interim recurrant ad prædictum loco Prælati constitutum, ipsique pareant, & ejus consilio, & assensu omnia faciant.

11. Sed præter casus prædictos, Prælati declarent (dum eos a Monasterio abesse contigerit) quam auctoritatem relinquant suo in loco remanentibus, tam circa reservatos, quam circa reliqua occurrentia.

Nihil tamen immutet.

12. Caveant interea Priores Claustrales diligenter, ne Prælatis suis absentibus, æstimantes se secundos Abbates, Fratribusque gratificari cupientes novitates facere, & per ordinationum tenorem, seu rationabilem consuetudinem dispensare, vel recreationes concedere ullo pacto de cætero præsumant: si secus fecerint, graviter puniantur.

Nec prima vice eligatur Abbas in Monasterio.

13. Quapropter ordinamus, ne ille immediate Monasterio, in quo quis Prior fuerit, possit in Prælatum deputari, sed si promovendus fuerit, alii Monasterio promoveatur deputandus.

De Ostiario Monasterii.

CAP. LXVI.

De Ostiarii officio, Cella, & solatio.

(*a*) Ad Portam Monasterii ponatur Senex Sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere, cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui Portarius Cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant, a quo responsum accipiant. Et mox, ut aliquis pulsaverit, aut Pauper clamaverit; *Deo gratias*, respondeat, aut benedicat, & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore charitatis. Qui Portarius, si indiget solatio, Juniorem Fratrem accipiat. (*b*) Monasterium autem, si fieri potest, ita debet construi ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantia se excuset.

In Monasterio sint omnia necessaria.

DECLARATIO.

Ibi: Ad Portam Monasterii ponatur Senex.

1. (*a*) Non tam ætate, quam moribus.

Ibi: Monasterium si fieri potest ita debet construi.

Prælati non facile ædificent.

2. (*b*) Quia sæpe ex multa aviditate ædificandi magnas jacturas Monasteria patiuntur, & plerumque ipsa ædificia, regulariter viventibus, minus congrua construuntur, dum pro libito quisque ædificare satagit; idcirco ordinamus, & constituimus, ut ædificia Monasteriorum non facile, aut præcipiantur per Prælatos nostræ Congregationis, aut construantur, aut destruantur.

3. In ipsis igitur ædificiis, si res extiterit quinquaginta scutorum, aut minoris sumptus (dummodo Monasterium non sit ære alieno gravatum) & modicæ novitatis, eam a Prælatis fieri permittimus. Si vero paulo majoris sumptus, & novitatis, faciant cum consensu Seniorum suorum votis secretis.

Nec sine consensu seniorum.

4. Quod si ædificia ipsa grandis sumptus essent, aut notabilis novitatis, non fiant sine consensu prædictorum Prælatorum, & Seniorum; addita etiam licentia, seu consensu Capituli Generalis, vel Regiminis.

Vel etiam Capituli Generalis, vel Regiminis.

5. Et hæc ipsa notabilitas consideretur secundum conditiones Monasteriorum, habito respectu ad expensas, seu novitates, seu aliam rem nota dignam; quia sepe contingit parvam rem, puta scalam, ostium, & hujusmodi majoris esse novitatis, quam unius, vel plurium Camerarum ædificium.

Item diendum de Præsidente, vel Visitatore.

6. Si autem contigerit, Fabricam aliquam notabilem fieri debere in Monasterio, ubi Prælatus fuerit Præsidens, aut Visitator, advocetur alter Visitator, qui si accedere non possit, advocentur duo Patres viciniores.

7. Cum vero evenerit, Visitatorem discordare a sensu Patris Monasterii, & Deputatorum, aut aliter simul concordare non posse, tunc differatur ad Capitulum, aut recurratur ad Regimen; & audita Sententia Visitatorum, aut aliorum Patrum vicinorum, necnon Prælati, & Seniorum, stetur Judicio majoris partis eorum.

De modo ædificandi, & modulis conficiendis.

8. Et prædicta intelligantur non solum de re ædificanda, sed etiam de modo, qualiter scilicet construi debeat.

9. Unde in omnibus Congregationis nostræ Monasteriis, si juxta prædictum ordinem ædificare contigerit, prius moduli fiant arbitrio Præsidentis, & Visitatorum, adjunctis aliis duobus Prælatis.

10. Nullus vero Prælatorum audeat mutare ipsos modulos, aut ædificia per alios incœpta, nisi de Capituli Generalis, vel saltem Visitatorum licentia, addito etiam Peritorum consilio, & si quis voluerit in Monasterio, ubi aliquod hujusmodi incœptum sit, ædificare, teneatur omnino Fabricas cœptas perficere, nec aliunde initium ædificandi sumere possit.

Absque tamen ornamentis.

11. In quibus quidem ædificiis ubique vitentur cujusvis generis ornamenta, & præsertim in Cameris, & hospitiis, præterquam in Ecclesiis, rebusque Ecclesiasticis Divino cultui dicatis.

Nihil agendum de ære alieno sine licentia.

12. Præterea ordinamus, ne quis Congregationis nostræ Prælatus, Rector, aut Cellerarius, propter hujusmodi ædificia construenda, Moasterium ære alieno gravet, nec ultra Monasterii sui possibilitatem, hoc est annuum proventum, pecuniis alienis sine Capituli Generalis, aut duorum Visitatorum ad minus licentia, quæ non est concedenda nisi in casu evidentis necessitatis, vel utilitatis ædificare, vel emere bona immobilia audeant.

Idque sub gravibus pœnis.

13. Constitutioni huic nostræ si quis contra facere ausus fuerit, pœna privationis dignitatis, Regiminis, & officii in proximo futuro Capitulo subjacebit, districte injungentes Visitatoribus, ut supra hujusmodi contraventionibus, petito prius, & accepto in actu visitationis Juramento inquirant. Et informationem desuper captam Diffinitoribus deferant, a quibus culpabiles erunt puniendi pœnis prædictis.

De Fratribus in via directis.

CAPUT LXVII.

Quid agere debeant in via, & in Monasterio post regressum, nec quicquam referant.

Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis Orationi se commendent, & semper (*a*) ad Orationem ultimam operis, commemoratio omnium absentium fiat. Revertens autem de via Fratres ipso die, quo redeunt per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei prostrati

prostrati solo Oratorii ab omnibus petant Orationem propter excessus, ne quid forte subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis, nec præsumat quisquam aliis (*b*) referre quæcumque foris Monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ Regulari subjaceat. Similiter, & qui præsumpserit claustra Monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quippiam quamvis parvum, (*c*) sine Abbatis jussione facere.

DECLARATIO.

Ibi: Ad Orationem ultimam.

Pro absentibus orent omnes.

1. (*a*) Ob hoc in fine Orationis, quam dicimus in Memoriam B. Mariæ Virginis, quæ est ultima Oratio addimus: *Divinum auxilium &c.*

Ibi: Referre.

Confirmatur Regulæ pœna, & describitur.

2. (*b*) Curent omnino Patres, ut hæc Pars Regulæ observetur, & transgressores graviter puniantur, quia plurima destructio est.

3. Quapropter, si quis in hoc notabiliter excesserit, dicat suam culpam in Capitulo, & comedat in terra in pane, & aqua in Refectorio, arbitrio Prælati toties quoties contravenerit.

Ibi: Sine jussione Abbatis.

Nemo sine licentia egrediatur ex Monasterio.

4. (*c*) Hæc jussio accipitur aliquando pro licentia, ideo inhibemus, ne quis Fratrum nostræ Congregationis sine jussione, vel licentia Abbatis, vel ejus, qui ipso absente, illius gerit vices, extra Monasterium, vel clausuram egredi audeat, graviter si contra fecerit pro qualitate excessus puniendus.

Flexis genibus benedictionem petant.

5. Habita vero licentia, genibus flexis benedictionem petat, tam discedens, quam revertens: qui contra fecerit graviter puniatur.

Licentia adeundi Præsidentem, vel Visitatores.

6. Nullus nostrorum possit accedere ad Præsidentem, seu Visitatores existentes in alio Monasterio, nisi habita licentia a Prælato suo, sive ab ipsis Visitatoribus, & Præsidente.

Procuratio unius Monasterii non valet in altero.

7. Et si quis mutatus habuerit Syndicatum, aut procurationis Mandatum in personam suam a Monasterio a quo recedit, interdicimus, ut penitus non præsumat eo amplius uti, arbitrio Capituli Generalis, vel Regiminis. Si aliter præsumpserit, puniendus. Et ad cautelam volumus omnino, ut in talium mutatione revocentur hujusmodi Syndicatus, & procurationes.

Licentia pro itinere unius diei, vel plurium.

8. Statuimus etiam, quod licentia eundi ad affines, vel consanguineos visitandos, vel ad alia loca recreationis causa, ultra unius diei iter a Monasterio, in quo petens licentiam deputatus fuerit, a nemine possit concedi præterquam a Capitulo Generali. Quod si quis Prælatus voluerit aliquem ex suis Monachis ad aliud quodcumque vicinum Monasterium recreationis, vel negotii privati causa, mittere, non prius id faciat, quam consentiat Prælatus ejus Monasterii, ad quod eum mittere intendit.

Cujus expensis conficiendum iter.

9. Si vero intra annum necessitas accideret aliquibus, ultra unius diei iter eundi, tunc Pater Præsidens, vel primus Visitator illius Provinciæ, in qua non fuerit Pater Præsidens, possit prædictam licentiam concedere: hoc tamen addito quod, cum ad beneficium dictorum consanguineorum ire petierint, de cætero ipsorum consanguineorum expensis, & sumptibus vadant, ne Monasteria nostra graventur.

10. Similiter si Prælatum, vel Monachum prætextu valetudinis, vel negotiorum ad Congregationem non spectantium, apud Consanguineos, vel Amicos diu commorari contigerit, Monasterium nihil illi subministrare teneatur; & si Cellerarius id facere ausus fuerit, Superiores Monasterii ea dispendia, ut illegitima respuant, & Cellerarius severe puniatur.

Post Prælati absentiam trium mensium eligatur Administrator.

11. Quod si Prælati mora extra Monasterium tres menses excesserit, Præsidens, & Visitatores illi Monasterio Administratorem deputent.

Fratres non assumant Sæcularium negotia.

12. Prohibemus autem nostris negotia, & lites Consanguineorum, & Affinium, aliorumve sæcularium amplecti, & præsertim ne ad Tribunalia quævis accedant, nisi ex urgentissima extremæ necessitatis causa a Prælato cognoscenda.

Deferant licentias scriptas.

13. Euntes ultra unius diei iter, portent secum literas testimoniales Prælati sui, sine quibus si fuerint inventi, carceri mancipentur. Quas item literas mutati ad alia Monasteria accipiant a Superioribus Monasteriorum, e quibus mutati sunt.

De Monachis amovendis, eorum itinere, expensis, rebus deferendis, & delatis.

14. Curantes quoque, juxta Regulam, omne periculum proprietatis evitare, volumus, quod mutati, cum primum ad locum suæ mutationis pervenerint, pecuniam, resque omnes superiori deferant intra triduum, Depositario consignandas, aliter in pane, & aqua jejunent. Quam pœnitentiam toties iterent, quot diebus id facere distulerint.

15. Et quoniam ex vagatione Monachorum multa oriri possunt scandala, caveant omnino Patres quantum fieri potest, a mutationibus eorum, & præsertim Juniorum, & non Sacerdotum, qui nonnisi ex urgentissima necessitate sunt mutandi, & cum hoc acciderit, ad loca viciniora, nec aliter, aliove modo mutentur. Mutati vero recta via proficiscantur nusquam declinantes, & notent per ordinem omnes expensas, quas in itinere fecerint.

A quibus, & quot pecunias pro itinere sint accepturi.

16. Quod si mutati pecuniam pro vestibus acceptam præter necessarias itineris expensas, in aliis superfluis sine licentia Prælati sui expenderint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, non teneatur Prælatus ipsas vestes eis concedere. Et ad evitandas fraudes scriptum habeant a Superiore Monasterii unde recesserint, continens omnia, quæ secum deferunt, tam in pecunia, quam in libris, & vestibus, & cæteris omnibus, reservato Prælati arbitrio circa numerum, & qualitatem librorum ferendorum. Qui sufficientiam, professionem, & indigentiam mutati, necnon distantiam loci considerabit, quod ratio dictabit concessurus. Conficiantque aliud scriptum prædicto simile, quod in Monasterio, unde discedunt, relinquant, quod autem secum deferant Prælato Monasterii ad quod accedunt, statim consignent. Qui contrafecerit jejunet in pane, & aqua in terra in Refectorio, & nihilominus supradicta facere teneatur, nec possint Cellerarii, aut alii accipere a Fratribus, aut retinere pecunias, aut etiam eas describere in libro computorum.

Nullus Prælatus eos moretur.

17. Quo autem ad expensas mutationum, provideatur mutatis a Monasteriis, a quibus recedunt, & servetur modus præscriptus in libello nostro vulgo appellato *la Tariffa*. Ipsi quoque mutati, portent literas Superiorum suorum præscribentes iter, a quo deviare non possint sub pœna carceris. Prælati vero mutati provideantur a Monasteriis, ad quæ tendunt.

Licentia eundi Venetias.

18. Prohibemus insuper ne quovis colore, vel prætextu, Prælati retinere possint Monachos mutatos a quovis Monasterio, quominus ad Monasteria sibi assignata a Capitulo Generali, vel Regimine pergant.

19. Statuimus etiam, quod si qui Venetias accedere voluerint, necessario ultra licentias Prælatorum Venetiarum, habeant etiam licentiam P. Præfidis, aut Visitatoris unius suæ Provinciæ.

Si quis a nullo recipiatur, detrudatur in carcerem.

20. Si qui vero Monachi ob depravatos eorum mores, a Prælatis omnibus recusentur, in carcerem Monasterii suæ professionis detrudantur, donec respiscant, & benevolos invenerint

receptores,

receptores, prout ſtatuitur in ſupradicto Brevi Clementis VIII.

Si Fratri impoſſibilia jungantur.

CAPUT LXVIII.

Primo difficultatem oſtendat, dein obediat.

Si cui Fratri aliqua forte gravia, aut impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat quidem jubentis imperium, cum omni manſuetudine, & obedientia. Quod ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter, & opportune ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduraverit, ſciat Junior, ita ſibi expedire, & ex charitate, confidens de adjutorio Dei, obediat.

Ut in Monaſterio non præſumat alter alterum defendere.

CAPUT LXIX.

Id vetatur etiam conſanguineis propter ſcandala, ſub gravi pœna.

Summopere præcavendum eſt, ne quavis occaſione præſumat (*a*) alter alterum defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri: etiamſi qualiter conſanguinitatis propinquitate jungantur, nec quolibet modo, id a Monachis præſumatur, quia exinde graviſſima occaſio ſcandalorum oriri poterit. Quod ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acrius coerceatur.

DECLARATIO.

Ibi: Alter alterum defendere.

Extenditur quoque ad Superiores, ſi non adeſt juſta cauſa.

1. (*a*) Caveant ſummopere Abbates omnes occaſiones patrocinandi cuiquam ex noſtris contra alium, vel Abbatem, aut Superiorem, niſi juſtis, & urgentiſſimis de cauſis: hoc enim eſt maximum diſcordiæ, & ruinæ Seminarium in Congregatione; imo etiam, & perniciosiſſimum inobedientiæ, ac præſumptionis fomentum in Subditis, qui ſe protectos agnoſcentes, audent non audenda, non tentanda tentant. In hoc autem Viſitatores maxime invigilent, referantque tales exceſſus (ſi quos invenerint) Diffinitoribus, vel Regimini, ut ſuam auctoritatem pro opportuno remedio interponant.

Ut non præſumat quiſquam aliquem paſſim cædere aut excommunicare.

CAPUT LXX.

Qui, & quomodo cædere, vel excommunicare valeat.

Ut vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio, ordinamus, atque conſtituimus ut nulli liceat quemquam Fratrum ſuorum excommunicare, aut (*a*) cædere, niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant: Infantibus vero uſque ad quintum decimum annum ætatis, diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus. Sed, & hoc cum omni menſura, & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis Infantibus, ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ Regulari ſubjaceat quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.

DECLARATIO.

Ibi: Cædere.

Extenditur Regula ad alios minores actus.

1. (*a*) Sed nec etiam increpare tam Profeſſum quam Novitium, ſeu Commiſſum, nec alio quam proprio nomine appellare, vel aliter indecenter, & deriſorie nominare. Si quis contrafecerit, teneatur dicere ſuam culpam in Capitulo graviter pro exceſſus qualitate puniendus.

Revelare tamen poſſunt peccata Superioribus.

2. Sed ſi quis aliquid punitione dignum, in aliquo cognoverit, ſtudeat Prælato, aut Senioribus notificare, ad quos hujuſmodi correctiones ſpectare decernimus.

Vel peccatores admonere.

3. Frater autem Fratrem delinquentem charitative humanis verbis, & cum humilitate admoneat.

Pœnæ pro iis, qui verbis alios offendunt.

4. Et ut pax, & charitas inter nos illibata ſervetur, & cunctis tranſgrediendi materia præcidatur, ordinamus, quod ſi quis ex noſtris ſuadente Diabolo, auſus fuerit in aliquem uti verbis comminatoriis, turpibus, aut injurioſis, dicat ſuam culpam in Capitulo, comedatque in pane, & aqua in terra in Refectorio cum zona ad collum.

5. Si in perſonam Superioris deliquerit, ultra dictas pœnas, diebus octo maneat degradatus, ſi in Prælatum, per menſem.

6. Si quis vero Superiorum infra Prælatum modo quo ſupra in inferiorem deliquerit, jejunet ſemel in pane, & aqua in Refectorio comedens in terra cum zona ad collum.

Aliæ pro percutientibus.

7. Et ſi quis *alium* ſuadente Diabolo, percuſſerit, præterquam quod *eſt ipſo* jure excommunicatus, illico etiam carceri mancipetur, arbitrio Prælati, & Viſitatorum, etiam extra Viſitationis tempus pro circumſtantiis, qualitate caſus extrahendus.

Poſt contentionem reconciliantur, aliter puniantur.

8. Quoties autem aliqua orta fuerit inter noſtros, ſive Superiores, aut Prælatos contentio adhibeatur reſpective per Prælatos, aut Præſidem, vel Viſitatores, aut Regimen omnis opera, ut ſtatim reconcilientur; aliter ſi recuſaverint, & admoniti, obſtinati perſtiterint: ſi Superiores fuerint omni præterea gradu priventur; ſi inferiores, carceri mancipentur ad arbitrium Regiminis. Quod ſi poſt reconciliationem compertum fuerit, ſimultates inter ſe gerere: ſi privati fuerint de loco ſuæ profeſſionis poſt omnes dejiciantur; ſi Superiores etiam Prælati a gradu, & adminiſtratione ſuſpendantur, donec conſtet, vere reconciliatos eſſe, & officia charitatis ſibi invicem exhibere.

Ut obedientes ſint ſibi invicem Fratres.

CAPUT LXXI.

Ordine ſervato inferiores Superioribus obediant, iisque iratis ſe humilient.

Obedientiæ bonum non ſolum Abbati exhibendum eſt ab omnibus, ſed etiam ſibi invicem, ita obediant Fratres, ſcientes ſe per hanc obedientiæ viam, ituros ad Deum. Præmiſſo ergo Abbatis, aut Præpoſitorum qui ab eo conſtituuntur imperio (cui non permittimus privata imperia præponi) de cætero omnes Juniores Prioribus ſuis omni charitate, & ſolicitudine obediant. Quod ſi quis contentioſus reperitur, corripiatur. Si quis autem pro quavis minima cauſa ab Abbate, vel a quocumque Priore ſuo corripiatur, quolibet modo, vel (*a*) ſi leviter ſenſerit animum Prioris cujuſcumque contra ſe iratum, vel commotum, quamvis modice, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes ejus jaceat, ſatisfaciens, uſque dum benedictione ſanetur illa commotio. Quod ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubjaceat, aut ſi contumax fuerit de Monaſterio expellatur.

DECLARATIO.

Ibi: Si leviter ſenſerit animum Prioris iratum, vel commotum.

Confirmatur, & illuſtratur regula.

1. (*a*) Hanc iram, vel commotionem maxime ex injuſta cauſa, quantum fieri poteſt, Superiores evitent. Qui tamen ſi commovebuntur, eorum inferioribus genuflexis, ſatisfacientibus benigniſſime ignoſcant, ac eis benedicant, ſicut Regula dicit. Nec utantur ſuperioritate, & auctoritate ſua ad vindictam, præſertim dicendo verba contumelioſa, & provocantia ſub

pœna suspensionis a Decanatu per mensem, & amplius secundum qualitatem excessus; Sed omni charitate, & mansuetudine utantur in reprehensionibus, & correctionibus.

2 Si tamen eorum excessus pœnitentiam meretur, nullus eam, nisi Prælatus, aut aliquis ex Superioribus ad quos spectat, eam delinquentibus imponat.

De zelo, quem debent habere Monachi.

CAPUT LXXII.

Zelus duplex bonus, & malus, & primus, quem sequi debemus, explicatur.

Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, & ducit ad Infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum, ferventissimo amore exerceant Monachi, idest ut honore se invicem præveniant. Infirmitates suas, sive corporum, sive morum patientissime tolerent. Obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi utile judicet, sequatur, sed quod magis alii. Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Deum timeant: Abbatem suum sincere, & humili charitate diligant. Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

De eo, quod non omnis observatio Justitiæ in hac sit Regula constituta.

CAPUT LXXIII.

Ut perveniamus ad culmen perfectionis; huic Regulæ adjungenda erunt S. Scriptura, Patrum doctrinæ, aliorumque scripta.

Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis, aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis, qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim paginæ, aut quis sermo Divinæ auctoritatis, veteris, ac novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum, hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? necnon, & Collationes Patrum, & Instituta, & vita eorum, sed & Regula Sancti P. N. Basilii quid aliud sunt, nisi bene viventium, & obedientium Monachorum exempla, & Instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & male viventibus, atque negligentibus, robur confusionis est. Quisquis ergo ad Patriam Cælestem festinas hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adjuvante Christo perfice, & tunc demum ad majora, quæ supra commemoravimus doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.

DECLARATIO.

Hisce declarationibus consultum est vivis Monachis, nunc consulendum quoque defunctis.

1. Quia tam S. P. N. Benedictus, hanc Regulam scribendo, quam etiam nos, locis congruis, & opportunis declarando, nihil aliud, quam morum emendationem, ac Religiosæ vitæ sanctimoniam, atque eam animæ puritatem, & innocentiam Monachis, dum in hac peregrinatione versantur persuadere intendimus, qua postquam ab hujus exilii ærumnis absoluti fuerint, mox sine Purgatorii pœnis, quantum possibile est ad Auctorem suum læti revertantur: quia tamen humana fragilitate obstante, non semper assequimur, quod intendimus; sed in multis offendimus omnes, & septies in die cadit justus; æquum, & pium est, ut curam, & sedulitatem, quam viventibus ad profectum exibuimus, ita quoque functis serio ad levamen impendamus, ut si quas a prædicti B. Patris, & nostris monitis deviantes, maculas contraxerunt, hujusmodi piis, ac fraternis suffragiis adjuti ad felicem illam requiem, & auctoris sui beatissimam visionem ocius transferantur.

Quæ persolvenda defuncto Fratri in Monasterio suæ mortis, vel sepulturæ.

2. Ideo cum aliquis Monachus, Novitius, vel Commissus, peracto cursu hujus labilis, & ærumnosæ vitæ, Spiritum Domino Creatori suo reddiderit, ut charitas viventi exhibita, etiam defuncto servetur, volumus, ut in loco, ubi Frater in Domino requievit, vel Sepulturæ traditus fuerit, officium totum persolvatur, secundum Rubricam Romanæ Ecclesiæ in die funeris; celebretur etiam solemniter Missa, si fieri potest, & tempus permiserit, alias sequenti die non impedito. Die quoque tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario depositionis semel tantum Missa Conventualiter cantetur cum Responsorio: *Libera me Domine*, cum versibus suis, & oratione sicut moris est, dicanturque triginta Missæ in Monasterio, in quo requievit pro Animæ ejus remedio, quarum distribuendarum cura sit Sacristæ ejusdem Monasterii. Pater vero Monasterii ipsius in quo defunctus est Frater, scribat omnino cæteris Prælatis Congregationis notificando diem dormitionis in Domino, & nomen Defuncti, nec omittatur ex negligentia in detrimentum Animæ suæ, & Proximi defuncti.

Item quid in reliquis Monasteriis.

3. Præterea statim ac innotuerit obitus cujuspiam nostræ Congregationis, nisi aliud obstiterit (præterquam quod in omnibus Monasteriis celebranda erit Missa Conventualis pro Anima ejus Defuncti observata illius conditione) suffragia particularia offerenda erunt hoc ordine, videlicet. Pro Abbate Regiminis decem Missæ ab unoquoque Abbate Regiminis, totidemque pro Abbate Titulari, a singulis pariter Titularibus celebrabuntur. Pro Priore Claustrali, sive Titulari, a Prioribus respective Claustralibus, vel Titularibus decem. Tres vero a singulis Decanis pro Decano, & una a singulis Sacerdotibus pro Sacerdote. Pro Clerico autem semel persolvendum officium Defunctorum, duplex a quovis Clerico. Pro Commissis a Commissis coronam majorem de Domina, alias Rosarium dictam, cum *Requiem æternam &c.* in fine cujusvis decadis esse recitandum statuimus. Intendentes etiam, quod singuli Sacerdotes nostri, sive in dignitate, aut gradu constituti, sive non, teneantur admittere ad participationem in triginta Missis quoscumque nostræ Congregationis Defunctos de illis faciendo memoriam expresse, vel secreto. Quod idem injungimus cæteris Monachis in Officiis mortuorum, & Commissis in consueta suarum orationum recitatione per 30. dies.

In Monasterio demortui fiat etiam eleemosyna pro Fratre.

4. Et quia post precum emissiones ad levandos Purgatorii cruciatus, multum confert eleemosyna, ordinamus, quod in Monasterio, in quo Frater decessit e vita, ponantur quotidie in loco ubi sedere solitus erat ad mensam in Refectorio omnes Cibi, & Vinum sicut singulis datur, acsi viveret. Quæ postmodum dentur pro eleemosyna alicui pauperi, vel pluribus pro Anima ipsius Defuncti, aut tantundem, sicut Superior ordinaverit, usque ad 30. dies; nullusque sedeat in loco illo, sed vacuo remanente, apponatur Crux parva lignea super mensam juxta locum vacuum in memoriam Defuncti, ut cæteri memoria Mortis compuncti, & pro ipso ferventius orent, & ad perfectius vivendum excitentur.

Celebrentur singulis annis Missæ nonnullæ pro Monachis Congregationis, aliisque.

5. Ordinamus insuper, quod singulis annis imponantur triginta Missæ cuilibet Monasteriorum in absolutione Capituli Generalis pro habentibus literas gratiosas (quæ imposterum moderate concedantur) qui forte illo anno decesserint, necnon triginta aliæ pro nostris Religiosis Defunctis.

6. Charitatis etiam affectum erga Fratres Congregationis nostræ exercere volentes, universos Parentes, Fratres, Sorores Monachorum, & Commissorum nostrorum præsentium, & futurorum ad participationem omnium bonorum,

rum, quæ in noſtra fiunt, & fient Congregatione (ſicut ſit cum illis, quibus literæ gratioſe conceduntur) admittimus; prohibentes, nequis de cetero pro prædictis literas gratioſas requirat.

SANCTUS GREGORIUS ROMANUS PAPA Hujus nominis Primus.

De approbatione Regulæ S. P. Benedicti, ex privilegio Monaſterio Sublacenſi conceſſo.

EGo Gregorius S. R. E. Præſul, ſcripſi Vitam Beati Benedicti, & legi Regulam quam ipſe Sanctus manu propria ſcripſit. Laudavi eam, & confirmavi in Sancta Synodo, & per diverſas partes Italiæ, & ubicumque latinæ literæ legerentur, præcepi, ut diligentiſſime obſervarent, quicumque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent uſque in finem Mundi. Et confirmo duodecim Monaſteria, quæ ipſe Sanctus conſtruxit &c.

PRIMA PARS CONSTITUTIONUM. Congregationis Casinen.

Pro directione Regiminis, & Regularis Obſervantiæ ejuſdem Ordinis.

In Nomine Domini Noſtri Jesu Christi.

De Capitulo Generali celebrando, & ejus tempore.

CAPUT I.

1. Antiquorum Patrum ſectantes veſtigia, & auctoritate Apoſtolica muniti, ut vigor obſervantiæ Regularis, fraternaque charitas, & diuturna, ac conſtans inter nos perſeveret in Chriſti ſervitute concordia: Statuimus Capitulum Generale per PP. noſtræ Congregationis celebrari debere: Ordinantes de cetero ad evitandas expenſas, ac itinerum incommoda, ut quod celebrabatur ſingulis bienniis in poſterum celebretur ſingulis trienniis, juxta Breve SSmi D. N. Innocentii PP. XI. ſub datum 9. Septembris 1680., & hoc Dominica tertia, ideſt vigeſima prima die poſt Reſurrectionem D. N. Jeſu Chriſti.

2. Quapropter ad Capitulum venire debentes, tales ſe præparent tempore opportuno, ut Statuta die eſſe poſſint in loco, ubi Capitulum ipſum fuerit celebrandum.

De iis, qui debent venire ad Capitulum Generale.

CAPUT II.

Item de impeditis, & non vocatis.

1. Quoniam, ubi nimia multitudo eſt, ibi plerumque ſolet eſſe confuſio, & difficultas veritatis aſſequendæ; idcirco ordinamus, quod infraſcripti ſolum ad Capitulum Generale venire teneantur: videlicet P. Præſidens, cæterique Viſitatores quantumcumque a Capituli loco diſtent, omnes Prælati Regiminis, Cancellarius, & Capſarius.

2. Quod ſi legitima de cauſa continget Prælatos non venire, tunc ipſi Prælati, & Conventus teneantur literas tam bonum Congregationis, quam ſuorum Monaſteriorum, concernentes tranſmittere per unum ex ſuis Monachis, eligendum a Prælato, cum conſenſu Seniorum, aut alium Nuntium fidelem, aut Prælatum propinquiorem, ſi maluerint.

3. Et ut cuncta, quæ a Viſitatoribus in Viſitationibus ſuis proviſione digna inventa fuerint, Capitulo Generali innoteſcant; Ordinamus, quod ſi quis Viſitatorum aliquo impedimento legitimo interveniente ad Capitulum non venerit, per literas ſignificare teneatur ea, quæ gravia, & digna relatu videbuntur, & ipſe judicaverit expedire, ſuper quibus ejus conſcientiam oneramus.

4. Inſuper tam ſupradicti Prælati, quam quicumque alii Monachi noſtræ Congregationis quocumque officio fungantur, aut dignitate præemineant: quantumcumque a Capituli Loco diſtent, ſi a Diffinitoribus, vel Regimine juſſi, aut requiſiti fuerint, ad præfatum Capitulum Generale venire teneantur.

5. Præter ſupradictos autem, non præſumant Monachi noſtri cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtant venire ad Capitulum Generale, ſeu ad loca circumvicina, niſi habita prius a Diffinitoribus ejus Capituli licentia in ſcriptis. Quod ſi contra fecerint, non audiantur a Diffinitoribus, & jejunent ter in pane, & aqua in terra in Refectorio, & ſtatim peracta pœnitentia, dimittantur. Et ſi fuerint Superiores, eo ipſo intelligantur eſſe ſuſpenſi a gradu Superioritatis, ſaltem per annum integrum. Quod non intelligitur de his, qui a Prælato Monaſterii, ubi Capitulum celebrandum eſt, convocati fuerint ad concionandum, vel diſputandum cum licentia Patris Præſidentis.

6. Præterea nullus Prælatus, veniens ad Capitulum ſecum ducat alium Monachum quovis titulo, etiam Scribæ. Poſſit tantum Commiſſum, cauſa infirmitatis, ætatis aut diſtantiæ ſecum ducere. Monachus alius, aut Cellerarius ex quavis cauſa venire non poſſit. Quod ſi computa, aut alia hujuſmodi negotia pertractanda erunt in Capitulo, Prælati ſatisfaciant. Eximitur tamen a prædictis prohibitionibus P. Præſidens, qui ſecum ducere poteſt Scribam ſuum. Ipſe autem Præſes teneatur quamprimum Prælati ingreſſi fuerint Capitulum, omnes alios, qui ad locum Capituli veniſſent, præter prædictos, qui debent, & poſſunt venire, ab eodem loco dimittere. Quod ſi pro aliquo caſu neceſſario, Diffinitores aliquem admiſerint audiendum, non permittant, talem morari in Monaſterio Capituli ultra diem unum, ſed eum audiant, & dimittant. Quod etiam intelligimus de iis, qui forte ab ipſis vocati eſſent; hos enim ſtatim ac completa ſunt ea, ob quæ accedere juſſi ſunt, dimittendos eſſe decernimus.

De modo ſcribendi Capitulo Generali.

CAPUT III.

Item de rebus ſcribendis, & literis vulgo cæcis dictis.

1. Si quis Monachorum noſtrorum voluerit aliqua notificare Capitulo Generali ſcribat ipſe manu propria, & ſi ipſe nequeat ſcribere, tunc alium Monachum nomine illius ſcribere poſſe permittimus, ita tamen, ut conſtare poſſit, cujus nomine ſcriptum fuerit. Qui ne detineat Diffinitores in pluribus inutiliter occupatos, clare, breviter, & ſuccincte ſcribat, cum ſubſcriptione, vel inſcriptione ſui nominis, exponendo cauſas petitionis ſuæ; alioquin ſi præfatæ literæ ſubſcriptione, vel inſcriptione caruerint a Diffinitoribus non adhibeatur eis fides: ſed ſi ullo unquam tempore in lucem venerint Auctores talium literarum, carceri mancipentur.

2. Caveant autem Monachi, ne de iis, quæ ante viſitationem Monaſterii acciderint, Capitulo quidquam ſcribant. Quod ſi aliqui ea, quæ Viſitatoribus exponere debuerant (qui præſentes omnia cognoſcere, & opportuna providere potuiſſent) ad Capitulum deferre maluerint, niſi urgens cauſa ſubſiſtat, graviter pro modo culpæ puniantur.

3. Nulluſque noſtrorum, etiamſi de numero Superiorum ſit, alterius literis ſubſcribat, aut ſuis ſubſcribere faciat quovis quæſito colore præterquam ſi aliqua de cauſa bonum Monaſterii concernente, Superiores omnes ad vitandam multiplicitatem literarum, de communi conſenſu aliquid inſinuandum Patribus judicaverint, nec

alius alium ſolicitet, aut faciat practicam, ut ſcribat, aut relationem mittat. Qui contra fecerit ter in pane, & aqua in terra in Refectorio jejunet.

4. Ultimo ordinamus, ne volentes ſcribere Capitulo inordinatis paſſionibus ſeducantur, nec quadam ſcribendi proclivitate ſcribant, ſed Deum præ oculis habentes ea, quæ fuerint neceſſaria, & utilia ſuggerant Patribus cum omni modeſtia, & gravitate.

5. Quod ſi quid fuerit ſcriptum in præjudicium alicujus tertiæ perſonæ, reſerventur illæ literæ, Viſitatoribus dandæ, qui diligenter tempore viſitationum de contentis in illis inquirent. Qui vero illas ſcripſerint, ſtent ad pœnam talionis, & ſi fuerint in dignitate conſtituti inſuper deponantur: ſi tamen falſa ſcripſiſſe fuerint convicti.

6. Ut tamen pax, & benevolentia inter Prælatos, & Monachos noſtros conſervetur, admonemus Prælatos, ne tempore Capituli, vel Viſitationum quærant quovis modo, quis contra eos ſcripſerit, vel ipſos accuſaverit, ſed potius diſſimulent ſe ſcire, imo nec moleſte ferant; & cum ad Monaſteria ſua pervenerint, hortentur ſuos, ut etiam ipſi ſimiliter faciant.

Quæ per Prælatos ad Capitulum venientes ſunt deferenda, & in Capitulo petenda.

CAPUT IV.

Deferenda.

1. Prælati noſtræ Congregationis, aut qui ab eis eorum nomine miſſi fuerint, deferant ſecum venientes ad Capitulum infraſcripta: In primis nomina Monachorum, qui illo anno profeſſionem emiſerint, ac diem, quo profeſſi fuerint, necnon eorum, qui in Dño quieverint, aut ejecti, aut quocumque modo diminuti fuerint.

2. Portent etiam in ſcriptis nomina omnium Monachorum Conventus ſui, ac locum, annum, & diem, ubi, & quo profeſſi ſunt: ſecundum tamen gradus, & ordines, quos in Monaſteriis ſuis tenent.

3. Portent inſuper annuos redditus, & expenſas ſuorum Monaſteriorum, ac computa Debitorum, & Creditorum, ſeriatim deſcripta, & præſertim rationes taxarum communium. Quoniam vero ſolutiones taxarum fieri debent ſingulis quatuor menſibus, vel prout a Capitulo Generali ſtatutum fuerit, Prælati, qui hoc præfixo tempore adimplere neglexerint, voce activa, & paſſiva ipſo facto ſe privatos eſſe ſciant, & ulterius eorum Monaſteria teneantur ad quodcumque intereſſe inde emergens, pro rata illius debiti. Cellerarii vero, ſi hoc ipſorum culpa evenerit, pro modo culpæ ſevere puniantur.

Petenda.

4. Ad officium etiam Prælatorum ſpectet petere licentias pro illis, qui promovendi ſunt tam ad Ordines Sacros, quam ad gradum ſuperioritatis, ac etiam literas gratioſas pro Benefactoribus Monaſterii ſui, quæ trium numerum non excedant.

5. Et quia Parentibus, Fratribus, ac Sororibus Fratrum Congregationis noſtræ per Patres dictæ literæ gratioſæ conceſſæ ſunt generaliter: amodo pro eis non requirantur ſpecialiter.

6. Item ad ipſos ſpectet petere facultatem proficiſcendi ad Balnea pro Infirmis noſtris: ſervatis tamen ſervandis, prout in declaratorio Regulæ cap. 36. de Infirmis Fratribus.

De forma Capituli Generalis, & primo quibus perſonis conſtet.

CAPUT V.

Necnon de Vocalibus abſentibus.

1. Declaramus pariter, & ordinamus Præſidentem Regiminis, Viſitatores, ac Prælatos habentes titulum, & adminiſtrationem, vel principalem tantum adminiſtrationem Monaſteriorum noſtræ Congregationis una cum Cancellario, & Capſario, totum Capitulum Generale conſtituere, quos intelligimus repræſentare totam Congregationem, ipſo durante Capitulo. Volentes quod omnes Prælati vocem tam activam, quam paſſivam in Capitulo (ſi tamen præſentes extiterint) habeant; abſentes autem a Capitulo nullam vocem habere poſſint. Cancellarius vero, & Capſarius vocem tantum activam habent per Breve fel. rec. Urbani VIII. illis conceſſam.

2. Sabbato igitur ante tertiam Dominicam poſt Paſcha, fiat in Miſſa Commemoratio de Spiritu Sancto, & poſt Nonam P. Præſidens in Cubiculo ſuo expedienda abſolvat una cum Viſitatoribus, vel aliquo eorum abſente, cum aliis Prælatis, qui numerum ſeptem Virorum ad integrum Regimen requiſitum, vice abſentium ſupplere debent.

3. In loco poſtea ad id deputato, convocatis omnibus de Capitulo ipſemet Præſidens præmiſſa prius Oratione Mentali, dicat verſus: *Salvos fac Servos tuos.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.* ℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie Inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.* ℟. *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.* ℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra Oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Famulorum tuorum quæſumus Domine delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur.

Interceſſio nos quæſumus Domine B. P. N. Benedicti Abbatis commendet, ut quod noſtris meritis non valemus, ejus patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Facta vero per Præſidentem monitione circa ea, quæ neceſſario pro augmento Regularis obſervantiæ ſuggerenda Prælatis judicabit; idem Præſidens, & Viſitatores vocent coram omnibus ſingulos in Catalogo deſcriptos a Quæſtore, & ipſe Quæſtor fidem ſcripto faciat de omnibus, qui integre ſatisfecerint, aut non.

Deinde legere faciat per P. Cancellarium publice audientibus omnibus, ſequens Capitulum.

De iis, qui faciunt practicas in Electione Diffinitorum, ex Bulla Leonis X.

CAPUT VI.

Item de eorum conſciis, & non revelantibus.

1. Decernentes &c. eos, qui circa Diffinitorum electionem per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte quocumque tempore practicas fecerint, ſeu ab aliis practicari, vel aliter conſcii, aut quomodolibet talium practicarum notitiam habentes, & ante non revelantes, excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua niſi a P. Præſidente Regiminis, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, & inhabilitationis ad vocem activam, & paſſivam in d. Capitulo Generali, & ad Dignitates, gradus, & adminiſtrationes in dicta Congregatione pœnis quinquennio duraturis, ipſo facto incurrendis, ligari, & involvi: necnon irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, prout in prædicta Bulla continetur.

2. Ad ſervandas vero Abbatum, Monachorum noſtrorum conſcientias, & omnem ab eis prorſus ambiguitatis ſcrupulum removendum declaravit Gregorius Papa XIII.; quod ob ſermones, qui invicem non ambitus, vel alterius improbæ, ſed bonæ intentionis cauſa de idoneitate, vel inſufficientia ad Diffinitoriatus officium eligendorum, habiti fuerint, ſeu quos in futurum haberi continget, ſupradictas ſententias, cenſuras, & pœnas non incurrerint, aut incurrant.

Alia quæ peragenda ſunt in Capitulo.

3. Legatur præterea ab eodem Patre Cancellario Breve Apoſtolicum ejuſdem Gregorii XIII. contra appellantes, ab Urbano VIII. ſub die 11. Maji 1638. confirmatum, & ampliatum, necnon & Decretum editum in generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita coram eodem Pontifice: Ut omnium Regularium Superiores ſuos ſubditos, & Religioſos perſæpe commoneant de injuncta omnibus obſervantia, & executione Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum ad officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis adverſus hæreticam prævitatem pertinentium, quod incipit *S. D. N. Sedulo incumbens &c.* publicatum die 5. Januarii 1633. prout in prædictis Brevi, & Decreto ordinatur. Deinde moneat omnes, ut interſint Miſſæ; quæ die ſequenti ſolemniter cantabitur de Dominica, vel de Sancto, ſi in illa die Feſtum duplex occurrat, cum commemoratione de Spiritu Sancto, ut Dominus illuminare dignetur, & dirigere, in ſuo beneplacito corda Patrum, Capitulum celebrare debentium, & recedentibus omnibus qui non ſunt de Capitulo, Præſidens legat infraſcripta ad electionem ſcrutatorum ſpectantia, quibus lectis, ad eorum electionem per Prælatos procedatur.

De Electione Scrutatorum.

CAPUT VII.

Item de eorum Officio.

1. Ordinamus primo: ne quis conſanguinitate uſque ad ſecundum gradum incluſive conjunctus alicui ex Prælatis, ad quos electio ſpectat Diffinitorum in Scrutatorem deligatur. Singuli igitur Viſitatores quatuor, qui non ſint de Capitulo nominent ſecrete in aurem P. Præſidentis, ipſe etiam P. Præſidens quatuor nominare poſſit, quos in Schedula conſcribat, & eos poſtmodum nominet. Qui nominati ſecretis omnium Prælatorum ſuffragiis exponantur, & illi quatuor, qui plura vota favorabilia habuerint, ſint Scrutatores electi in omnibus actibus Capitularibus, durante ipſo Capitulo, & ſi fuerint aliqui pares in vocibus, præferantur, qui locum Superiorem in Monaſterio tenuerint. Volumus tamen pro pace, & unitate ſervanda, ut unus tantum, & non plures in eodem Monaſterio profeſſi Scrutatores eligantur.

2. Qui Scrutatores teneant ſecretiſſima, quæ ad officium ſuum ſpectant; Contra facientes vero ſi fuerint graduati, & tranſgreſſio manifeſta, teneant locum ſuæ profeſſionis in Monaſterio ſaltem per duos Menſes, ſi vero non fuerint graduati, poſt omnes profeſſos ſimiliter per duos Menſes ſtent degradati in Monaſterio, & inſuper eo ipſo ſint privati Scrutatorum officio, ad quod deinceps in perpetuum ſint inhabiles.

3. Si vero culpa fuerit latens, ter in pane, & aqua jejunent, nec ab aliquo diſpenſari poſſint.

4. Hoc etiam Capitulum legat P. Præſidens ipſis Scrutatoribus die ſequenti coram omnibus de Capitulo antequam ad electionem Diffinitorum procedant.

De abſolutione Præſidentis, & aliorum Prælatorum ab eorum Regimine.

Hoc Capitulum legit P. Præſidens Dominica tertia poſt Paſcha, dicta Nona coram omnibus de Capitulo.

CAPUT VIII.

Nec non de eorum loco poſt abdicationem.

1. Dominica igitur tertia poſt Paſcha, ſolemniter cantata a P. Præſidente Miſſa currente cum commemoratione de Spiritu Sancto, ut ſupradictum eſt, poſt Nonam pulſata Campana, & omnibus, qui ſunt de Capitulo, in loco ad id deputato, congregatis, genibus flexis, præmiſſa mentali Oratione, Præſidens Regiminis omnes de Capitulo hujuſmodi alloquatur ſermonibus.

2. *Patres dilectiſſimi, quia ſecundum antiquam, & laudabilem conſuetudinem noſtram, tempore Capituli Generalis vacare debent omnia beneficia, Dignitates, Prælationes, & officia Generalis Regiminis; Idcirco ego D. N. humilis Præſidens Congregationis Caſinenſis, vice, & nomine totius Capituli Generalis, Apoſtolica, ac etiam Conſtitutionum noſtrarum auctoritate, abſolvo ſingulos Viſitatores, Abbates, Adminiſtratores, & omnes habentes tam titulum, quam principale Regimen Monaſteriorum noſtrorum, ab eorum officiis, cura, adminiſtratione, titulo, & Regimine, & eos abſolutos pronuncio.*

3. Si vero Præſidens non interfuerit Capitulo antiquior Viſitator qui illic aderit, omnia ſupradicta, nomine, & vice Præſidentis, pronunciet. Quia abſolutione facta cæteri omnes, aperto capite ſurgant, eidem abſolutioni reverenter annuentes, locaque ſuæ profeſſionis illico petant.

4. Subſequenter Præſidens dicat: *Et Ego D. N. denuncio me abſolutum, juxta tenorem privilegiorum, Conſtitutionum Congregationis noſtræ, ab officio Præſidentiæ, & Viſitationis, necnon a titulo, regimine, & adminiſtratione Monaſterii N. Placeat itaque Paternitatibus veſtris die ſtatuta providere de magis idoneo.*

5. Poſt hæc proſtratus coram omnibus de exceſſibus, & negligentiis ſuis ſe accuſet, & ſubjiciat ſe Capituli correctioni, veniam, & orationem pro ſe ab adſtantibus poſtulans, & facto ſigno ab antiquiore Capituli, ſurgat & revertatur ad locum ſuæ profeſſionis.

6. Similiter omnes alii faciant, qui in illo anno Viſitatores fuerint, aut Monaſteriorum principale Regimen habuerint, unuſquiſque ſecundum ordinem ſuum, incipiendo a majore, & facto ſigno ab Antiquiore ſurgant, & ad ſuæ profeſſionis loca redeant. Quibus peractis, ad electionem Diffinitorum procedatur declarantes poſt prædictam abſolutionem Prælatorum Abbates ſolum titulum habentes, debere tenere locum ſuæ profeſſionis in Monaſteriis, in quibus reperiuntur.

De Electione Præſidentis Capituli, Diffinitorum, & Conſervatorum.

CAPUT IX.

Item de iis, qui ad hujuſmodi gradus aſcendere nequeunt.

1. Quoniam in Capitulo Generali tractanda ſunt cuncta Congregationis negotia; Si autem iis expediendis integer Patrum cœtus adunari ſemper deberet, per nimias moras, nec ſine tædio, ac difficultate, rerum definitio traduceretur: Idcirco, ut facilius, ac expeditius peragantur, ordinamus juxta privilegia noſtra novem tantum Diffinitores eligendos eſſe ex Prælatis, qui ſunt in Capitulo; quorum unus eligatur Præſidens Capituli, ut infra præſcribitur num. 6.

2. Ordinamus etiam quemlibet abſentem a Capitulo, neque per Subſtitutum, neque per

Epistolas, neque per Nuntium vocem in Capituli Actibus habere posse.

3. Admonemus autem, ut unusquisque Deum in hac electione ante oculos suæ mentis habeat, & quos judicio suæ conscientiæ, pro universali Congregationis bono judicaverit utiliores, eligat.

4. In electione vero prædicta, juxta primævam Institutionem fel. rec. Eugenii IV. ab Urbano VIII. per suas literas in forma Brevis die 8. Julii 1637. approbatam, & innovatam, statuimus ut libera sit unicuique Prælatorum nostrorum vocem habentium in Capitulo facultas eligendi quos ex eisdem Prælatis ad Diffinitoriatus officium magis idoneos judicaverit (super quo conscientiam cujuslibet ipsorum oneramus) nulla habita ratione, quod in uno, alterove ex Capitulis Generalibus præcedentibus successive Diffinitores fuerint, quove bis a Diffinitorio non vacaverint, eligi tamen non possint, qui proximo præcedenti Capitulo Visitatores electi fuerint, & Prælati in proxima item Dieta, ad Abbatiam promoti: advertaturque præterea unum tantum, & non plures in eodem Monasterio Professos, vel in eadem Civitate, seu Loco natos, licet ex diversis Provinciis professi sint, simul in eodem Capitulo Diffinitores eligi posse, ita, quod novem Diffinitores singuli in diversis Monasteriis professi eligantur.

5. Modus vero prædictæ electionis faciendæ, erit iste: Ponantur in sacculo, vel urna nomina septem Provinciarum, & Prælati capaces illius Provinciæ, quæ primo extracta fuit, primo suffragiis supponantur; Secundo Abbates capaces illius Provinciæ, quæ secundo extracta fuit; & sic deinceps omnes semper hoc ordine servato.

6. Facto autem scrutinio, illi intelligantur electi, qui majori Suffragiorum numero supra dimidium fuerint approbati. Quod si in primo scrutinio non reperientur novem sortiti suffragia supra dimidiam partem, fiat secundum Scrutinium, in quo si idem evenerit, fiat, & tertium. Si vero nec in eo fuerit novennarius numerus completus, tunc consideratis a scrutatoribus omnibus scrutiniis, illi intelligantur electi, qui in aliquo eorum plura habuerint suffragia, etiam infra dimidium. Rursus de ipsis novem sic electis, fiat scrutinium pro eligendo Præsidente Capituli, & quando citra Alpes deputandus erit prout infra statuitur, de electione Præsidentis Regiminis Cap. 2. num. 2., exponantur votis tantummodo illi quatuor Diffinitores electi pro Provinciis citra, videlicet Sicula, Neapolitana, Romana, & Hetrusca, & e contra, quando ultra Alpes erit deputandus, scrutinio subjiciantur tantum illi quinque electi pro Provinciis ultra, idest Veneta, Lombarda, & Ligura, & ille præsideat, in quem plura suffragia etiam infra dimidium convenerint. Quod si in electione tam Diffinitorum, quam Præsidentis duo, vel plures fuerint in numero suffragiorum pares, antiquiores professione præferantur: Si autem ob quemcumque casum contingeret in aliqua Provincia reperiri unum solum Abbatem, qui in Diffinitorem esset eligibilis, tunc ex Provincia viciniori assumantur per scrutinium duo alii Abbates, qui cum eligibili pro supradicta Provincia concurrant ad Diffinitoriatum; ita tamen ut, qui est solus eligibilis in illa Provincia primis votis committatur, & si sufficientia vota habuerit intelligatur electus absque eo, quod alii duo urnam experiantur. Si vero sufficientia vota non habuerit, tunc suffragiis subdantur; postea, qui per dictum scrutinium electi fuerunt, quorum qui plura vota supra dimidium habuerit, intelligatur Diffinitor pro illa Provincia, quæ unicum habuit Prælatum eligibilem. Juxta præscriptam igitur formam fiant prædictæ electiones, & non aliter, nec alio modo.

7. Electis vero, & pronunciatis Diffinitoribus, & Præsidente Capituli: rursus nomina omnium Prælatorum non Diffinitorum (iis exceptis, qui Superiori Capitulo Diffinitores, & Conservatores, ac illo biennio Visitatores fuerint, & qui Dietis intervenerint, aut in Dieta electi in Prælatos fuerint) in sacculum, seu urnam injiciantur pro eligendis Conservatoribus, & fiat scrutinium, ut supradictum est in electione Diffinitorum; Et illi quatuor (duo videlicet ex Provincia Romana, Neapolitana, Sicula, & Hetrusca: Et duo ex Veneta, Lombarda, & Ligura) in quos plura suffragia convenerint, etiam infra dimidium, intelligantur electi Conservatores, & locum habeant immediate post Diffinitores.

De Diffinitorum auctoritate, & potestate, & de Literarum præsentatione.

CAPUT X.

1. Pronunciata itaque, seu publicata a Superiore ex Scrutatoribus, sociis adstantibus, electione P. Præsidentis, Diffinitorum, & Conservatorum, statim novus Præsidens legat sequens Capitulum coram omnibus. Item de Præsidentis Præeminentiis.

2. Quoniam ad Officium Diffinitorum pertinet cuncta in Capitulo occurrentia, atque de Congregatione disponere: ordinamus, quod Diffinitores Capituli Generalis omnem repræsentantes Congregationem, ipsisque electis intelligatur omnis a Capitulo tributa potestas; Idcirco omnia, quæ fuerint per ipsos in Capitulo diffinita, juxta Privilegiorum nostrorum tenorem, inviolabiliter observentur ab omnibus Prælatis, & Monachis nostræ Congregationis cujuscumque gradus seu conditionis existent.

3. Præsidens etiam Capituli, durante officio suo omnia signa præeminentiæ, tam generalia, quam particularia faciat, & locum Superiorem teneat, cæterique Diffinitores, absente Præsidente, etiam omnia signa faciant, ut supra, & loca superiora teneant, sibi invicem deferendo, secundum professiones eorum.

4. Electis itaque Præsidente, & Diffinitoribus, ordinamus, quod ipsi Præsidenti literæ omnes bonum Congregationis concernentes, quæ fuerint præsentandæ, porrigantur: antequam tamen inde recesserint, fiant per P. Præsidentem infrascriptæ admonitiones.

Admonitiones faciendæ per P. Præsidentem omnibus de Capitulo in principio Capituli Generalis.

5. Ut Capitulum citius possit expediri, Prælati sint breves, tam scriptis, quam voce, nec eadem sæpius repetant, sed superflua, & ad rem non pertinentia, evitent.

6. Soliciti sint circa disciplinam, & Regularem observantiam, & præcipue ad Divina Officia, die, ac nocte, attento, quod Monachi Monasterii sunt in variis exercitiis occupati.

7. Omnes Prælati in Capitulo habeant facultatem eligendi sibi Confessarium. Cæteri vero, qui ad Capitulum accesserint, confiteantur cum Deputatis ad confessionem, tam in Monasterio Capituli, quam alibi.

8. Nullus exeat e Monasterio sine licentia P. Præsidentis, vel Vicarii Capituli, omnesque ad vitam communem in Refectorio conveniant, & omnino tollatur abusus, si quis in contrarium inolevit.

9. Adhortentur Prælati Monachos suos, & Commissos, ut serviant Missis, adjuvent in exercitiis Monachos, & Commissos Monasterii. Admoneant etiam famulos suos, ut sint discreti, morigerati, & caveant a contentionibus, quia

inde sæpe scandala oriuntur. Cellerarii vero eis provideant de necessariis.

10. Durante celebratione Capituli in omnibus Congregationis nostræ Monasteriis omnes ad Deum preces effundant, & præcipue Sacerdotes in Missa faciant commemorationem de Spiritu Sancto, & conventualiter fiat oratio ordinaria pro felici directione, & exitu ejusdem Capituli.

Quod nullus Diffinitorum procaciter defendat sententiam suam, aut revelet secreta Capituli.

CAPUT XI.

Idem dicendum de aliis a Diffinitoribus vocatis, & de secretis Dictæ.

1. Sane, ut omnia cum Dei timore procedant, & ad laudem ipsius cedant pariter, & honorem: strictius prohibemus, ne aliquis Diffinitorum procaciter suam tueatur sententiam, examinando occurrentes causas. Sed si quid forte dicere voluerit, sua dictante conscientia, ut clarius veritas eluceſcat, prævia P. Præsidentis licentia cum omni humilitate, & modestia id proponat. Postquam suum emiserit votum, aliorum judicio se submittat. Si contra fecerit, & correctus se non emendaverit, expellatur extra Diffinitorium, ut infra §. 3.

2. Nullus insuper, tam ipsorum Diffinitorum, quam etiam aliorum: quacumque ex causa a Diffinitoribus vocatus, ea, quæ tractantur in Capitulo, sive quæ ibi audierit, revelare audeat, donec fuerit Capitulum absolutum, & ulterius si rei materia popoſcerit: quod etiam intelligendum est de iis, quæ in Dietis fuerint tractata.

3. Quod si a quoquam contra factum fuerit, ita quod scandalum oriatur, aut verisimiliter oriri possit (quod arbitrio majoris partis Diffinitorum, si tempore Capituli talis revelatio publicata fuerit, sin autem arbitrio Regiminis, declaretur); si quidem ipse Diffinitor sit, primo sequenti Capitulo non possit eligi in Diffinitorem; & insuper si durante Capitulo de tali revelatione constiterit, expellatur de Diffinitorio; arbitrio tamen Diffinitorum (si eorum majori parti videbitur) revocandus. Si vero is, qui revelaverit, Diffinitor non fuerit, pro qualitate transgressionis arbitrio PP. Diffinitorum, si tempore Capituli, seu Regiminis, si intra annum talis revelatio fuerit publicata, erit puniendus.

De Officio Conservatorum.

CAPUT XII.

Item de eorum potestate puniendi inobedientes.

1. Conservatores, hoc titulo præcipue insigniti, quod Regulam, & Constitutiones Congregationis, necnon Diplomata Pontificia, pro ejus bono Regimine emanata a transgressoribus vindicare debeant: quibus in maxima potestate constitutis, illarum custodia, & executio commissa est, cum primum Magistratum inierint, diligenter perpendant acta omnia, videlicet Decreta nedum pro Congregatione, verum etiam pro singulis Monasteriis, sive publice, sive privatim edita, electiones, & absolutiones Prælatorum, Monachorum promotiones ad Dignitates, & officia, injunctas pœnitentias, facultates, sive licentias concessas, commissiones omnes, ac instructiones Commissariorum, si qui erunt, vel fuerint deputati, vel deputandi respective, & quæcumque alia animadversione digna, quomodocumque per Præsidem, vel Visitatores, aut Regimen in Dieta triennii proxime elapsi gesta, & ordinata, quæ omnia in scriptis optimo ordine digesta a Cancellario Regiminis ad eorum Tribunal per ipsum deferri mandabunt: necnon omnes sanctiones, ordinationes, provisiones, Decreta & acta omnia, quæ per Diffinitores in Capitulo, quod tunc celebratur, edita, & statuta fuerint, a Scriba Capituli in ejus folio annotata, similiter accipiant, ut ea antequam publicentur, accurate examineat, & recognoscant, non quidem tanquam Judices appellationum, sed uti Regulæ, & Constitutionum Conservatores. Et si quid in hujusmodi actibus, tam per præfatos Præsidentem, Visitatores, & Regimen in Dieta triennii modo præteriti, quam per Diffinitores in Capitulo, quod tunc celebratur editis contra Diplomata Pontificia, Regulam, & Constitutiones factum esse repererint; illud absque ulla Indulgentia, & omni penitus rigore, corrigant, revocent, rescindant, & nullum declarent, & cum effectu (prout Justitia dictabit) exequi mandent: nec ullo modo, nisi prædicta omnia ab ipsis Conservatoribus recognita, & approbata fuerint, a Diffinitoribus publicentur, vel executioni mandentur, alioquin nullius intelligantur esse roboris, & validitatis. Et ipsi Conservatores contra inobedientes, etiam Diffinitores, nulla habita Personarum, vel Dignitatum ratione per censuras, & pœnas Ecclesiasticas juxta facultatem sibi per Breve Pauli V. traditam, omnino procedant.

2. Quoniam autem potest contingere, ut decreta omnia, & acta Capituli illius anni non possint in tam brevi tempore a Cancellario registrari; Propterea ordinamus, ut a Conservatoribus futuri Capituli accurate inspiciatur, & examinetur, an fideliter, & diligenter, prout decet, fuerint in Regestro notata, cum cæteris decretis, ac provisionibus factis, tam a Patre Præside, & Visitatoribus, quam a Diffinitoribus, prout supra in antecedenti numero. Et si negligentia notabilis inventa fuerit, instantibus Conservatoribus a Diffinitorio procedatur contra Cancellarium, etiam usque ad privationem officii, si ejus culpa id acciderit.

De electione Scribæ Capituli Generalis, Cancellarii Regiminis, & de pertinentibus ad Officium eorum.

CAPUT XIII.

Item de Scriba, Cancellario, & Coadjutore Cancellarii.

1. Post electionem Diffinitorum, & Conservatorum eligatur unus ex ipsis Diffinitoribus in Scribam Capituli hoc modo, videlicet. Unusquisque Diffinitorum P. Præsidenti Capituli nominet, quem idoneum judicaverit, qui Præsidens omnes nominatos redigat in scriptis. Postea votis exponantur, & electus remaneat, qui habuerit plures voces; at si plures invenirentur pares in vocibus, iterum suffragiis subdantur, donec unus remaneat; quo electo Præsidens Capituli, propria manu in regestro Actorum ipsius Capituli scribat hac forma videlicet:

Anno Domini 16... &c. Indictione .... Die... Mensis... S. D. N. PP. N. Pontificatus Anno... Celebratum fuit Capitulum Generale Monachorum Congregationis Casinen. in Monasterio S. N. de N. Diœcesis N., in quo fuit electus in Scribam Capituli D. N. de &c. ab infrascriptis Diffinitoribus ejusdem Capituli, ad cujus rei fidem Ego D. N. Diffinitor, & Præsidens præfati Capituli, hæc manu propria scripsi.

2. Consequenter duo ex antiquioribus Diffinitoribus se subscribant. Postea ipse Scriba, qui eo ipso, auctoritate Apostolica, ut patet per Indultum Pii Secundi Summi Pontificis concessum anno 1461. quoad acta Capituli Notarius publicus censetur; in Regestro scribat nomina Præsidentis, & aliorum Diffinitorum anni illius, & subsequenter omnes alios Officiales, & quælibet acta Capituli annotatione digna.

3. Ad officium etiam Scribæ pertinet literas omnes Capitulo præsentatas coram aliis Diffinitoribus legere, & ea, quæ alicujus ponderis digna conspexerit, in uno folio in modum memorialis notare per Diffinitores postea examinanda. Ad ejus etiam officium pertinet publicare Vica-

rium Monasterii, Auditores Causarum, Cancellarium, Depositarium, Ostiarios, & alios Officiales a PP. Diffinitoribus constitutos, schedulamque dd. Officialium Vicario relinquere.

4. Sit etiam solicitus Scriba, terminato per Diffinitores anno præterito, quæ revocata non fuerint, in Regestro describere, & quæ de novo statuentur, diligenter adnotare. Scribi etiam faciat literas gratiosas pro benefactoribus Congregationis, cum appositione sigilli pendentis, quas ipse subscribat. Licentias vero vendendi, seu quovis titulo alienandi per Diffinitores concessas ad effectum obtinendi assensum a Sede Apostolica, de more extendat, subscribat, eodemque Congregationis sigillo communiat. Et ut supradicta commodius valeat expedire, volumus, ut finito Capitulo tribus diebus, & ultra, si opus fuerit, remaneat in Monasterio, ubi Capitulum fuerit celebratum.

5. Verum, quoniam propter ampliationem Congregationis, multæ occupationes, & causæ in dies emergunt, itaut cum difficultate Scriba Capituli omnibus satisfacere possit: idcirco per PP. Diffinitores, vel Regimen eligatur unus Prior Claustralis idoneus, fidus, integerrimus, & peritus, qui Cancellarius Patrum, vel Regiminis vocetur, quique registrandi literas, instrumenta, Decreta, & alias Scripturas ad Regimen attinentes, necnon literas scribendi, & respondendi, quibus opus fuerit, pro dispositione P. Præsidentis, & Diffinitorum ut supra statutum est in præcedenti Capitulo numero primo, & secundo, curam habeat, qui etiam cum cæteris Officialibus publicetur.

6. Præfatus autem Cancellarius apud Præsidentem Regiminis semper maneat, ut in rebus ad Congregationem pertinentibus, illum opera sua juvet. In eo autem officio, si recte se gesserit, usque ad sexennium. arbitrio Regiminis perseveret, ut non solum Præsidi, sed etiam Diffinitoribus, rerum Congregationis, Actorum Capituli, Visitationum, & Constitutionum, & aliarum Scripturarum ad Regimen pertinentium, requisitus, notitiam suggerere valeat. Eaque omnia ita callere debebit, & præ manibus habere, ut quotiescumque opus fuerit e vestigio proferre possit. Ei autem Coadjutor a Diffinitoribus tempore Capituli deputetur, ne multitudine negotiorum obruatur.

7. Præsidens autem in omnibus negotiis ad officium suum, & Congregationis regimen pertinentibus, Cancellario tantum utatur ne res tanti ponderis fidei cujuscumque committat.

8. In negotiis vero Capitularibus expediendis, ut brevitati simul atque ordini consulatur, curabit Cancellarius omnia petitionum Abbatum folia in libro ad hoc præparato agglutinari per ordinem juxta examen Monasteriorum, itaut unicuique folio petitionum vacua libri pagina e conspectu correspondeat, in quo Diffinitores adnotare possint quid super singulis deliberaverint, ut deinde valeant juxta ipsorum sententiam Decreta efformare. Ejusmodi autem liber cum prædictis foliis petitionum propria manu Abbatum subscriptis in acta Capituli referatur, conservandus, ut expresse appareat, de quibus fuerint Diffinitores requisiti, & an opportuna remedia curaverint adhibere.

De Vicario Monasterii, in quo celebratur Capitulum.

CAP. XIV.

Ne pluribus Monachorum, sive Monasterii, in quo celebratur Capitulum, curis distrahi, seu inquietari Diffinitores contingat, ordinamus, quod ipsi Diffinitores per consueta Suffragia, Vicarium Monasterii, si fieri potest, eligant eum, qui ante fuerat Prælatus ejusdem Monasterii, qui rerum, & personarum melius conditionem noverit, seu aliquem alium Abbatem de Capitulo, prout ipsis Diffinitoribus videbitur, qui curam habeat regiminis Monasterii, ac Monachorum, tam ibidem de Conventu existentium, quam aliorum ad Capitulum venientium. Qui Vicarius teneat primum locum post Conservatores, quibus absentibus, omnia signa faciat, & particulares licentias præstet, excepto, quod licentiam eundi extra Monasterium causa recreationis, dare non possit, quæ soli Præsidenti reservatur.

De Auditoribus Causarum pro rebus temporalibus.

CAP. XV.

Item de eorum scriba, & hujus Coadjutoribus, necnon de appellatione ad Diffinitores.

1. Ut Patres Diffinitores, quibus præcipue incumbit circa Monasteriorum, & Congregationis reformationes, & directionem intendere curis temporalibus, & causarum tumultibus non distrahantur, oneraque partita facilius portentur, ordinamus, quod per suffragia a Diffinitoribus eligantur quatuor ex Prælatis de Capitulo, qui non sint Diffinitores, docti, discreti, & idonei ad administrandam Justitiam super causis, & differentiis, quæ solummodo pro rebus temporalibus emerserint, inter Congregationem, & ejus Monachos, seu Monasteria, necnon inter quascumque personas etiam Laicas cum Monasteriis nostris, aut Congregatione nostra, si ad Auditores ipsos recursum habuerint. Eligatur, & unus Scriba ex Monachis Monasterii vel ex iis, qui cum facultate ad Capitulum accesserunt, talisque Scriba pro Quinto sit inferendo Judicio, quoties prædicti non convenirent, cui per Diffinitores dentur Coadjutores duo, tam pro regestro Conventuum, quam pro licentiis alienationum de more transcribendis. Quæ licentiæ omnes per ipsos transcribantur, alias per Scribam Diffinitorum non subscribantur. In quarum fine ponatur. *Præsentibus literis tantum per Sexennium valituris.* Hique quatuor Patres appellentur Auditores Causarum, rerum, & Jurium temporalium Monasteriorum, & Congregationis.

2. Ad quorum officium, & examen omnia negotia temporalia, lites, & controversiæ Monasteriorum, & Congregationis deferantur. Qui sic electi, ipso facto habeant omnem potestatem cognoscendi, & terminandi causas prædictas sine apicibus Juris, summarie & de plano, ac sola facti veritate inspecta; terminatasque executioni mandare, & quod ex inopia Debitorum ipsi Auditores exequi nequiverint, Regimen, aut Visitatores ad quos illius Provinciæ visitatio spectet, cum requisiti fuerint exequi sedulo procurent; quorum sententiis, & terminationibus omnes de Congregatione, sive Diffinitor, sive Præsidens, aut Visitator fuerit, teneantur obedire.

3. Examinent etiam, & apud se mature consulant, quibus est licentia concedenda, quovis titulo alienandi bona stabilia Monasteriorum, & hujusmodi licentias de eorum consilio, vel concedant Diffinitores, nel negent. Quod si qui petere voluerint a Capitulo Generali confirmationem aliquorum contractuum, deferant ad idem Capitulum copiam authenticam Instrumentorum super iis factorum, aliter non audiantur, servatis iis, quæ dicta sunt ad Cap. 3. Regulæ.

4. Catalogum etiam, sive matriculam conficiant, in qua nomina Monachorum, qui illo triennio professionem emiserint, scribant. Notent præterea sigillatim nomina, & loca ejectorum, & fugitivorum, ut per Scribam Capituli sigillatim in confessu Patrum pronunciari valeant. Regestrum quoque Conventuum singulorum Monasteriorum secundum gradum, ac officium cujuslibet apponendo etiam annum, diem, ac locum, quo, & ubi quilibet professionem emiserit, & in dicto Regestro Conventus ipsos eo ordine digerant, quo examinandorum Monasteriorum

schedula per Diffinitores publicanda digeretur. Propter quæ servanda mandamus omnibus, & singulis Conventibus, & Monachis nostræ Congregationis, ut de cætero literas, & schedulas talia continentes, ad hujusmodi Auditores separatim ab aliis rebus, de quibus scribere Diffinitoribus voluerint, transmittant.

5. Si autem unus, vel duo ipsorum Auditorum causas aliquas ad se spectantes ante dd. Auditorum Tribunal habuerint (ipsis quorum intererit exclusis) reliqui Auditores, una cum eorum Scriba eas audiant, & diffiniant.

6. Cæterum caveant diligenter dd. Auditores, ne quidquam (quod absit) ex complacentia quovis modo, injuste facere, vel determinare præsumant, sed causarum controversiis auditis, Justitia dirigente, judicent, prout sibi consentaneum visum fuerit.

7. Ab eorum tamen sententiis liceat aggravato ad Diffinitores appellare, qua appellatione interposita in causas ipsi se amplius non intromittant. Qui quidem Diffinitores non facile sententias revocent, nisi cognita causa, & auditis Auditoribus.

8. Verumtamen, ne lites immortales fiant, & in longum nimis protrahantur, ipsa appellatio usque ad Capitulum, proxime futurum inclusive, vel Dietam ob faciliorem solvendi facultatem pendere possit: quo tempore si appellantes ipsi prosequi neglexerint, sententia ipsa transeat in rem judicatam: ita quod nisi condemnati ante electionem Diffinitorum satisfecerint, in futura tunc proxima electione Diffinitorum voce careant activa, & passiva, dummodo tempore debito sententia ipsis intimata fuerit.

9. Sententias autem prædictorum Auditorum, ac eorum acta in scriptis redacta, finito eorum officio, volumus Regimini consignari, cum aliis Scripturis conservanda.

10. Et ut ipsorum Patrum Auditorum, qui honorabile membrum Diffinitorii esse censentur, eluceſcat auctoritas: pro gravitate illius Tribunalis, locum eis Superiorem post Vicarium assignamus in toto Capitulo, itaut in absentia Vicarii generalia: in absentia vero omnium Superiorum Monasterii (ubi Capitulum celebratur) etiam particularia, juxta ordinem professionis sibi invicem deferentes, signa faciant: Officium vero eorum usque ad absolutionem Capituli duret.

De Depositario Capituli, & Prælatis ad computa Monasteriorum deputandis.

CAPUT XVI.

Item de fraudulentis Prælatis.

1. Quia crescente in dies Congregatione, negotia quoque multiplicari manifestum est: adeo ut nec Diffinitores, nec Causarum Auditores facile omnia expedire possint; Ideo ut eo facilius onera Capituli portentur, quo in plures distributa fuerint, eligatur Monachus fidus, & omni suspicione carens, atque in computorum arte peritus, qui tempore Capituli sit Congregationis Depositarius, hoc ordine a Diffinitoribus eligendus. Quilibet Diffinitor in aurem Patris Præsidentis unum nominet; Deinde nominati omnes suffragiis supponantur, & qui plures habuerit voces, sit Depositarius. Si vero plures in voce pares fuerint, qui Superior est professione, præferatur. Huic Depositario Prælati marsupia cum suis pecuniis ad Monasteria tantum pertinentibus, quas ipsi secum, seu alii eorum nomine detulerint, necnon literas cambii, si quas habent, consignent. Pecunias tamen ad Monasteria non pertinentes, si quas penes se, aut alio quovis loco aliqui habuerint, in signum humilitatis, & reverentiæ P. Præsidenti manifestent. Ipse vero Depositarius super libellis cujuslibet Monasterii a Prælato singulis Capitulis deferendis, quæ scribenda sunt scribat, videlicet debita, credita illius Monasterii cum Congregatione, annatarum scilicet, & taxarum supradictarum, & si quas propter eas tempore Capituli, aut intra triennium imponi contigerit, & similiter debita, & credita P. Præsidentis, Visitatorum, Procuratoris Generalis, & aliorum ex Patribus, & Monachis, qui nomine Congregationis aliquid receperint, prout per Auditores causarum diligenter examinata, & approbata fuerint.

2. Eligantur etiam duo Prælati ad computa Monasteriorum, quibus tam dicta Monasteriorum, quam etiam Congregationis, necnon Præsidis, Visitatorum, ac Procuratoris computa deferantur, eaque diligenter examinata in toto, vel in parte approbent, aut reprobent, prout Justitia illis suadebit: approbata vero in libris computorum Congregationis per Depositarium adnotari faciant.

3. Redditus quoque singulorum Monasteriorum tam fructuum cujuscunque generis, quam pecuniarum, rationesque dati, & accepti, creditæque, & debitæ pecuniæ a Prælato, Cancellario, & Senioribus subscriptas exactissime videant, & examinent, & ubi opus fuerit æris alieni causas inquirant, & rationem ineant, quo modo redimi possit. Eaque omnia pertractent, quæ pro cujusque Monasterii utilitate sibi videbuntur expedire, verboque, & scripto omnia referant Diffinitoribus, ut possint opportune providere. Quod si in rationibus hujusmodi aliquam invenerint fraudem, contra transgressores severissime procedatur, etiam usque ad depositionem.

De Monasteriorum examinatione.

CAPUT XVII.

Item de Monialium Monasteriis, necnon de pravis Fratribus.

1. Feria secunda tempestive dicatur Missa sine cantu de Dominica, cui omnes interſint Diffinitores, nisi aliqui tunc temporis celebrare voluerint. Si duplex festum occurrerit, ea die dicatur Missa de festo, & fiat Commemoratio de Dominica.

2. Completa Missa pulsetur pro Capitulo; coadunatisque Diffinitoribus genibus flexis, aliquantisper orent: factoque signo a P. Præsidente, sedeant omnes, quem etiam modum teneant, quoties ad Capitulares actiones celebrandas ingrediuntur.

3. Fient igitur primo per Scribam Capituli duæ schedulæ, in quibus pro dispositione P. Præsidentis ponantur omnia Monasteria Congregationis, quo ordine examinanda fuerint; Quarum altera publice appendatur præ foribus Diffinitorii, ut sciant omnes, quo ordine, & quando sunt examinandi, & se præparent, ut vocati præsto esse possint; Altera vero remaneat penes P. Præsidentem, ut sciat, quo ordine Prælati olim Monasteriorum vocari debeant.

4. Postea vero vocentur Auditores causarum cum eorum Scriba, qui omnes admoneantur a P. Præsidente, ut officium sibi commissum strenue, & integre exerceant, Justitiamque omnibus cum Dei timore administrent: & quæ agenda erunt, quando citius exequantur, & terminent, & ut Capitulum de Auditoribus causarum legant, & diligenter ponderent, hortetur. Et primo Regestum Conventuum expediatur: deinde P. Præsidens distribuat unicuique Diffinitorum Officia, adnotationes videlicet mutandorum Monachorum, Ordinandorum, literarum gratiosarum, extraordinariorum, & aliorum hujusmodi, prout ipsi Patri Præsidenti videbitur.

5. Post hæc procedant ad Monasteriorum examinationem, habita prius plena, & exacta a Visitatoribus Informatione status Monasteriorum, quæ ab ipsis visitata fuerunt; Imprimis statuentes, quod si is, qui fuerit Prælatus Monasterii,

sterii, de quo facienda est examinatio, sit Diffinitor, exeat de Diffinitorio.

6. Similiter si quis Diffinitorum habeat Prælatum sibi consanguinitate usque ad secundum gradum inclusive, conjunctum, aut Comprofessum, quando de ipso Prælato sit examinatio, Diffinitor ille tunc exeat, præsensque non sit in illa examinatione. Quod idem servari volumus in examine Prælatorum Monialium curam habentium.

7. Advocentur itaque sigillatim Prælati olim Monasteriorum secundum ordinem schedulæ, ut supra expositæ, & unusquisque super negotiis sui Monasterii examinetur, qui omnibus, quæ dicere voluerit in schedulam redactis, ut supra, eam manu sua subscriptam relinquat.

8. Habita demum de omnibus informatione notentur in uno folio, si quæ reprehensione digna fuerint, & accersito eo, qui est reprehendendus, Pater Præsidens neminem specialiter nominando, aut dicendo, unde informationem habuerit; moneat ipsum hoc modo videlicet.

9. Ad nos pervenit, vel nos audivimus sic, & sic, & præcipue interrogetur Prælatus distincte, & seriatim de sibi oppositis gravioribus, ne inaudita parte contra eum minus canonice procedatur: similiter cum quocunque alio, si præsens fuerit in Capitulo, agatur; Et tandem audita ejus responsione, ipsum (prout Diffinitores judicaverint expedire,) vel absolvant, vel moneant, corripiant, aut puniant, quam correctionem, vel admonitionem volumus recipi omni reverentia, & submissione.

10. Si vero Patribus relata fuerint aliqua, de quibus tunc certa informatio haberi nequeat, committantur Visitatoribus anni sequentis illius Monasterii, ut examinent, & procedant, prout in Capitulo de Visitatoribus ordinabitur.

11. Examinatis igitur supradicto ordine Monasteriis omnibus, procedatur postea ad examinationem Prælatorum, qui Monialium curam habent. Qui Prælati a Diffinitoribus sigillatim de unoquoque Monasterio interrogentur, si quæ digna notatione, correctione, aut provisione invenerint, quæ omnia per Scribam adnotentur, sicut supradictum est de aliis Monasteriis, & similiter proferantur literæ, si quæ sunt ad Diffinitores a Monialibus missæ, aut aliter dicta Monasteria Monialium concernentes.

12. Postremo ordinamus etiam, & præcipimus, ut deinceps apud P. Præsidentem teneatur liber successoribus consignandus, in quo per ordinem describantur ex una parte omnes illi, qui in Congregatione scandalosi, criminosi, inquieti, ac processati fuerint; Ex altera vero parte e directo contrapositæ adnotentur approbationes, & attestationes Visitatorum de eorum emendatione, & morum conversione Diffinitoribus factæ. Est postquam tribus vicibus a Visitatoribus diversis fuerint factæ dd. approbationes, de quibus in eodem libro constare debebit ex supradictorum Visitatorum subscriptione, possint illi, de quorum emendatione constabit, promoveri ad ordines, gradus, dignitates, & Officia respective dummodo favorabilia habeant omnia suffragia novem Diffinitorum, & non alio modo. Inviolabiliter autem hæc Constitutio in perpetuum servetur, alioquin nullas, & invalidas hujusmodi promotiones ad Dignitates, & officia ipso facto esse volumus, & declaramus; Teneantur autem Prælati, & Visitatores Diffinitorio dd. Criminosos, si quos habuerint, denunciare.

De modo, quo Diffinitores expediant terminanda.

CAP. XVIII.

Item de rebus ipsis definiendis.

1. Expedita itaque Monasteriorum examinatione, Præsidens Capituli (quem volumus esse promotorem omnium causarum; ita tamen, ut tam Præsidens Capituli, quam etiam Regiminis teneatur quæcumque proponere super quibus ab aliquo Diffinitorum, vel Visitatorum fuerit requisitus) omnia, quæ notata sunt per Scribam, in medium seriatim, & successive diffinienda producat.

2. Et incipiens a novissimis usque ad primos scisciteur uniuscujusque vota, ultimo ipse dicturus. Et uno loquente, cæteri taceant. Si quem vero deprehenderit in dicendo prolixiorem extra materiam vagari, moneat eum, ut exponat votum suum paucis verbis, & ad rem pertinentibus.

3. Omnibus vero auditis; illa opinio, in qua ex novem Diffinitoribus septem convenerint, ab omnibus censeatur diffinita. Scribantur autem terminata a Diffinitoribus in libro, in quo insertæ sunt petitiones Abbatiam per Scribam e regione petitionum per capita summarie, prout supra determinatum est, cap. 13. de electione Scribæ.

4. Post hæc vero Diffinitores legi faciant ordinationes præteriti Capituli, & similiter, quæ fuerint ordinata per P. Præsidentem, Regimen, aut Visitatores intra triennium, & Judicio duarum ex tribus partibus, vel approbentur, vel revocentur.

5. Quæ autem de novo tunc ordinata fuerint, seu terminata, serventur quidem in Congregatione, sed non registrentur, nec vim legis obtineant, nisi per triennium practicata fuerint, & per sequens Capitulum confirmata.

6. Novæ autem ordinationes non facile fiant, nisi ex urgentissima causa, & maxima cum maturitate. Propterea ordinamus, quod si quæ in posterum ordinationes faciendæ sunt (postquam fuerint a Patribus Diffinitoribus formatæ, & per eorum suffragia approbatæ) exhibeantur, & relinquantur per aliquod tempus Prælatis omnibus considerandæ. Quibus postea convocatis, legantur sigillatim per Scribam, aut cui Diffinitores mandaverint, & quæ a duabus ex tribus partibus dd. Prælatorum concordi voto approbatæ fuerint, Patres Diffinitores per Scribam Capituli faciant publicari, sequenti triennio practicandas, & in futuro proximo Capitulo modo, quo supra a duabus Prælatorum partibus approbandas, & confirmandas, quæ deinceps non possint, nisi eodem modo, quo confirmatæ fuerint, revocari.

7. Terminata vero per anteriora Capitula, nolumus qualibet facilitate revocari, sed si quæ in dubium adduci contigit per subsequens Capitulum minime revocata, nullatenus proponantur examinanda, nisi de consensu duarum partium Diffinitorum, quæ tamen, ex toto, vel in parte revocari non poterunt, nisi ex novem Diffinitoribus, ad minus octo consenserint, & quotiescunque aliquid antea per Patrum Decreta ordinatum, alterari quacumque de causa contigerit, in decreto posteriori, fiat mentio prioris, alioquin posterius nullum sit, & Decretum prius emanatum in suo robore permaneat.

De Calculo Expensarum.

CAP. XIX.

Item de ære alieno, censu, & pecunia credita.

1. Post examinationem Monasteriorum, & ante novorum Officialium, & Prælatorum electionem, Diffinitores videant computa Congregationis per Deputatos, ad computa Monasteriorum approbata, & per Depositarium annotata, necnon calculum expensarum, triennio proximo præterito nomine Congregationis, tam per P. Præsidentem, & Visitatores, quam etiam per alios nomine Congregationis quacumque ex causa factarum, ac pariter Debitorum, & Creditorum. Quo inspecto sint soliciti, ut hujusmodi credita exigantur, & debita solvantur. Taxa Monasteriorum renovetur, quoties Capitulo Generali expedire visum fuerit.

2. Inquirant etiam, an solutus fuerit census unius unciæ auri, quem Congregatio tenetur annuatim solvere Cameræ Apostolicæ in festo Apostolorum Petri, & Pauli in signum perpetuæ libertatis, & confirmationis privilegiorum nostrorum.

3. Omnibus itaque mature, ac diligenter perpensis, si pecuniæ desunt pro publicis dispendiis, imponantur cuilibet Monasterio plures, vel pauciores (prout necessitas exegerit) cum præfixione termini ad solvendum, ac quibus, & ubi solvi debebunt.

4. In solutione autem pecuniarum, quæ per singulos annos a Monasteriis nostris Romæ facienda est, singula Monasteria integram summam, quam debent Procuratiæ Generali, vel Agentibus pro Congregatione in Urbe Roma suis expensis illuc deferant, vel transmittant. Quæstores vero, qui Venetiis, vel alibi degunt, dispendiorum notam secum deferant, quæ pro singulis Monasteriis facta fuerint, eamque eorundem Abbatibus consignent, ac si quid restat satisfaciendum exigant sine mora solvendum.

De Præsidentis Regiminis electione.

CAPUT XX.

Item de modo eligendi, & persona eligenda.

1. Die primo post prædictorum omnium expeditionem (etiamsi superius ordinata ex integro expedita non fuerint) ut electio Præsidentis Regiminis celebrari possit, cantetur solemniter per Præsidentem Missa de Sancto Patre nostro Benedicto. Qua finita, congregatis Diffinitoribus, Præsidens Capituli exhortetur eos pro novo Præsidente Regiminis eligendo, ut eum eligant, quem pro Congregationis bono magis idoneum, utiliorem que probaverint.

2. Præsidens porro per has vices deputari debet, videlicet citra Alpes eligetur semel, & iterum professus in Monasteriis Provinciarum Siculæ, Neapolitanæ, Romanæ, & Hetruscæ, hoc est per sexennium. Expleto vero hujusmodi sexennio, eligatur ultra Alpes professus ex Monasteriis Provinciarum Venetæ, Lombardorum, & Liguriæ per novennium, singulis trienniis deputandus. In quibus Provinciis, excepta Sicula, ob distantiam loci respective residere teneatur. Et sic semper servando hunc ordinem.

3. Modus autem electionis erit iste. Quilibet Diffinitor scribat in schedula, primo nomen suum, deinde nomen illius, quem eligere in Præsidentem intendit. *Ego D. N. eligo in Præsidentem D. N.*: & scriptum ponat in vase ad hoc præparato. Hoc facto Diffinitores vocent Scrutatores, qui scrutentur simul secrete singulorum suffragia, in quem vere quinque voces convenisse viderint, eum Præsidentem pronuncient: quod si non convenerint, tunc omnes nominati in Præsidentem a Diffinitoribus scrutinio supponantur, scrutinium vero dd. Scrutatores videant, & illud notent; & in quem plura vota convenerint, dummodo non sint infra quinque, ille sit Præsidens. Si vero aliqui fuerint pares in quinque vocibus, vel supra, isti iterum votis subjiciantur usque tertio inter Diffinitores, & qui plura habuerit vota, ipse erit Præsidens; & si iterum fuerint paria, pronuncietur ex concurrentibus, qui est antiquior in Congregatione.

4. Supradicta autem vota, si quis in actu scrutinii palam, vel clanculum ostendere, vel per alterius manus dare suffragia præsumpserit, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ incurrat. Quod idem intelligimus de scrutiniis, quæ tam per Diffinitores, quam per Patres in Capitulo Generali, vel in Dieta congregatos fieri contigerit.

5. At si ex nominatis in Præsidentem nemo quinque voces habuerit, votis semel secundo, & non amplius subdantur. Qui si nec tum in sufficientibus votis convenerint, advocentur quatuor Auditores causarum, & eis adjunctis de omnibus nominatis per Diffinitores in Præsidem, fiat scrutinium, & in quem sex ad minus voces convenerint, Præsidem pronuncient. Si vero aliqui fuerint pares in sex vocibus, vel supra: Isti iterum suffragiis committantur usque tertio, & qui plures habuerit voces, ipse erit Præsidens, & si iterum fuerint pares, pronuncietur, qui est prior in Congregatione: electum vero in Præsidentem hujusmodi onus volumus acceptare. Deinde vocent omnes Patres de Capitulo, & qui in eodem resident Monasterio, & coram eis electus Præsidens pronuncietur per antiquiorem ex Diffinitoribus, qui electus continuo postulet, attento onere sibi impositio, pro se ab omnibus orari, & omnes successive Patres habentes vocem in Capitulo, ad pacis osculum recipiat.

6. Quibus peractis, is qui fuerit Præsidens Capituli, vel antiquior Diffinitor (si ipse Præsidens Capituli electus esset in Præsidentem Regiminis) incipiat: *Te Deum laudamus*, & cantando omnes processionaliter ad Ecclesiam accedant, Præsidente Regiminis in digniori loco ipsos comitante.

7. Cum vero perventum fuerit ad Chorum idem Præsidens Regiminis cum illo, qui fuit Præsidens, vel cum antiquiore Diffinitorum (si ille, ut supra factus esset Præsidens Regiminis) & alio ex antiquioribus Diffinitoribus ante Altare se prosternat, & finito: *Te Deum laudamus*, is, qui fuit Præsidens Capituli, vel antiquior dicat Vers. *Salvum fac servum tuum.* Resp. *Deus meus sperantem in Te.* Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* Resp. *Et de Sion tuere eum.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, protende super hunc famulum tuum Præsidentem nostrum, & super Congregationem illi commissam spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Porrige Domine huic famulo tuo Præsidenti nostro dexteram tuam per intercessionem Beatæ, & Gloriosæ, semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, & auxilium ei supernæ virtutis impende.

Intercessio nos quæsumus Domine B. Patris Benedicti Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio aßequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

8. Si vero contigerit electum huic functioni non interesse, ejus locum, & vicem teneat antiquior Diffinitorum, & omisso osculo pacis, cantetur, *Te Deum laudamus* cum Vers., & orationibus.

De Prælatorum electione.

CAPUT XXI.

Item depositione, & Monasteriis assignatione, tam eorum, quam plurimorum Officialium.

1. Quia experientia magistra didicimus, Prælatorum crebram mutationem Monasteriis, in spiritualibus, & temporalibus esse damnosam; Idcirco monemus, ut in electione, seu nova institutione Prælatorum, hujusmodi crebra mutatio vitetur, & quantum fieri poterit non mutentur Prælati, nisi elapso sexennio, præterquam ob rationabilem, & legitimam causam. Ultra sexennium vero non possint, etiam prætextu simplicis administrationis, nisi talis administratio fuerit per breve spatium temporis, puta quatuor, vel sex mensium ad summum, in Regimine ejusdem Monasterii ullo modo permanere, nec ad illud regendum iterum assumi, nisi totidem annis vacaverint, quot illi præfuerunt. Quod idem de Thesaurario, Procuratore Generali, Cancellario, Capsario Congregationis,

Coadjutore Procuratoris in Curia, & pariter de Prioribus, Magistris Novitiorum, & Cellerariis decernimus inviolabiliter observari, juxta formam Brevis Alexandri Septimi, & Clementis Decimi.

2. Cæteri quoque Officiales a Prælatis Monasteriorum ad Rectorias, Vicariatus, Procurationes, vel ad quamlibet aliam administrationem, aut exercitium Jurisdictionis spiritualis, aut temporalis intus, & extra Monasterium Deputati, elapso sexennio a prædictis officiis omnino removeantur.

3. Et quia tempore Capituli Prælationes, & Dignitates omnes in Congregatione nostra vacare intelliguntur, ut eisdem sic per absolutionem in Capitulo sequutam vacantibus provideatur modus electionis instituendæ, tam de illis, qui immediate antea erant Prælati, quam de illis, qui de novo ad Prælationem promovendi sunt, erit iste:

4. Primo Diffinitores ineant inter se tractatum de Patribus, qui Gubernio sint restituendi, de iis, qui promovendi de novo, & de illis, qui sunt mutandi: nec ullum possint absolutum a Prælatione relinquere, vel de novo ad Prælaturam promovere, nisi de his inter Diffinitores tractatu, & scrutinio præmisso. Unde si aliquem ex Prælatis anni præteriti parum idoneum Regimini, prævio dicto tractatu, Diffinitores existimaverint, poterunt talem, ne per ipsum aliquid detrimenti, sive in temporalibus, sive in spiritualibus Congregatio nostra patiatur, secundum propriam conscientiam non idoneum judicatum in suffragiis ferendis a Prælatione excludere. Hac tamen differentia, quod ut excludatur a Prælatione ille, qui anno præterito erit Prælatus, septem ex novem Diffinitoribus per vota secreta consentire debent, ut vero a Prælatura arceatur de novo promovendus, sufficit, si a tribus ex iisdemmet novem votis, ut supra convenientibus, reprobetur. Quod idem de Prioribus observari volumus.

5. Demum quilibet Diffinitorum scribat in præfata schedula nomina Prælatorum, quos nominare voluerit, unicuique Monasterio Prælatum unum habilem, prout conscientiæ suæ videbitur assignando (ita tamen, quod nullus Prælatus amoveatur, de quo non amovendo, prius Diffinitores inter se tractaverint, & hoc inviolabiliter observetur) præfatamque schedulam in vase ad hoc præparato imponat.

6. Postmodum vero vocentur Scrutatores, qui præfatas schedulas diligenter scrutentur, & Prælatos in dictis schedulis nominatos, fideliter in unam amplam schedulam redigant, unicuique Monasterio attribuendo nominatos in eodem Monasterio, etiam si plures in uno Monasterio fuerint nominati, & ipsam schedulam præfatis Diffinitoribus repræsentent, in qua si reperietur de aliquo Prælato dispositum fuisse aliter, quam supradictum est; tunc Pater Præsidens omnino prohibeat talem Prælatum suffragiis subdi, imo absque ulla discussione eumdem in Monasterio, in quo prius erat describi, & nominari faciat; Schedulas vero, quas præfati Scrutatores scrutati fuerint, comburant, & omnia secreta teneant, ne scandalum aliquod oriri possit. Qui si contra fecerint puniantur, prout supra de ipsis revelantibus dictum est. Quo facto Prælati singuli votis supponantur, & in quem plura suffragia conveniunt, ille præferatur Monasterio, de quo agitur.

7. Hoc sane volentes, quod si quis eorum, pro quo vota dantur, fuerit de Diffinitoribus: ut liberius de eo disponatur, exeat de Diffinitorio, donec fuerit factum scrutinium.

8. Quod si contigerit, eumdem Patrem in duobus, vel pluribus Monasteriis nominatum, aliis Patribus in suffragiis anteferri: fiat Scrutinium iterum, & pro quo Monasterio plures repertæ fuerint voces, illi perficiatur. Ad depositionem vero Prælatorum in pœnam decernimus, ut non nisi causa cognita, & secundum quod ordo Juris, ac ipsorum demerita, postulaverint, Diffinitores procedant.

9. Advertant autem ipsi Patres Diffinitores, aut etiam, qui pro dictis celebrandis infra triennium congregabuntur, ne in promotionibus ad Dignitates, Prælaturas, officiave cujusvis generis in Congregatione faciendis, ullum omnino promoveant ad favorem cujuscumque Principis, aut Prælati extra Congregationis gremium, hoc enim prohibetur per duo Diplomata Pii V., quorum alterum expeditum fuit sub die 7. Aprilis, alterum 28. ejusdem mensis, & anni 1571. districtius autem per Diploma Gregorii XIII. die 7. Aprilis 1574. a SS. DD. NN. Urbano VIII., & Clemente X. confirmatum, & ampliatum, quod legendum est quot annis coram omnibus de Capitulo, Sabbato in primo actu Capituli; sed illos tantum ad hujusmodi Prælaturas, vel officia assumant, quos Religionis zelus, morum probitas, & literarum scientia, ac regulæ observantia commendant.

De Conventuum Ordinatione.

CAPUT XXII.

Ideſt, de neceſſariis Officialibus, & Monachis; illorumque electione, & horum amotione.

1. Expeditis Prælatorum electionibus tractent deinde Diffinitores de Conventuum ordinatione.

2. Videant itaque primo, an Monasteria Prioribus, Decanis, Magistris Novitiorum, Cellerariis, & Monialium Confessoribus indigeant; quod si judicaverint in aliquo Monasterio aliquem promovendum, aut ex illius Monasterii Superiorum instantia, vel ex ipsorum Diffinitorum propria consideratione, tunc (servatis omnibus in Apostolicis literis expressis, & quæ in præsentibus Constitutionibus, & præsertim in declaratorio Regulæ Cap. 21. de hujusmodi electionibus statuuntur;) Diffinitores ipsi diligenter de eo ineant cum Dei timore tractatum; Declarantes illos, de quibus tunc agetur, nequaquam legitime promoveri posse, nisi ex novem Diffinitoribus, saltem septem consenserint, quem etiam votorum numerum, in eorum absolutione necessarium esse decernimus.

3. Et ne Diffinitorum judicium in aliquem errorem labatur: Visitatores in Monasteriis visitandis interrogabunt Prælatum, ac cæteros Monasterii Superiores, an mutuo inter se consilio tractaverint (quod eos omnino facere volumus) sit ne aliquis in Monasterio Monachus morum probitate, & scientia dignus, qui promoveri possit ad Decanatum, itemque ex Clericis ad Subdiaconatum, Diaconatum, aut Sacerdotium. Et si aliquos post hujusmodi tractatum dignos invenerint, qui proponantur Visitatoribus approbandi, mandabunt ipsi Visitatores prædictos sibi in schedula descriptos exhiberi, atque a Prælato, & singulis Superioribus, Juramento præstito exigent, an effectione, & inordinata animi inclinatione, aliquem proposuerint, aut odio, vel malevolentia prætermiserint, an vero quos dignos, & idoneos ad gradus, & officia judicaverint; deque sic nominatorum vita, & moribus, præsertim illorum, qui ad Decanatum promovendi essent, a cæteris probatæ fidei Monachis exactissime inquirent, & singulorum testimonia in acta referri jubebunt. Industriam vero, ac scientiam Visitatores ipsi præsentes diligenter examinabunt, servata forma, quoad promovendos ad Decanatum, quæ infra in secunda parte Constitutionum Cap. 20. num. 15. præscribitur, & quos idoneos repererint, approbabunt. Decanorum autem, & Priorum Claustralium vitam, mores, industriam, doctrinam, & solicitudinem; tum a Prælato, & Superioribus, tum ab aliis diligenter explorabunt; cum enim ex eorum numero eli-

gantur

gantur Priores, & Abbates respective, omnium optimi sunt approbandi. Quos igitur dignos judicaverint Visitatores (super quo eorum conscientiam oneramus) approbabunt, & in acta referri mandabunt. Caveant autem Visitatores, ne aliquem approbent, qui per integrum saltem annum in eodem Monasterio commoratus non fuerit, aut certe bonum testimonium habeat ab his Prælatis, & Superioribus, cum quibus, eo anno, licet in diversis Monasteriis, vixerit. Hoc attento, quod Titulares Prælati deinceps neque in Abbates cum Administratione, neque in Priores, neque in Decanos promoveri poterunt.

4. Prohibemus quoque ne quis ad Decanatum, nec ad aliquem superioritatis gradum, etiamsi Sacerdos ad Congregationem venerit, assumi possit, nisi decimo sexto; nec ad curam Novitiorum, nisi 18. anno respective in Congregatione completo, ut supra in declaratorio Regulæ Cap. 21. num. 7.

5. Et nemo in Priorem, aut Abbatem promoveri possit, nisi per quinquennium completum in Decanatu, aut Prioratu respective laudabiliter vixerit, prout in præfato Cap. 31. num. 11.

6. Videant consequenter Diffinitores si Monasteria Sacerdotibus, Cantoribus, & aliis quibuscumque Monachis indigeant, & pro qualitate loci, concursu, frequentia Populi, & dignitate Ecclesiæ opportune provideant, servata tamen forma Decreti Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum, ubi decernitur, ut numerum familiæ singulorum Monasteriorum Capituli Generalis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Regularium Superiores perpetuo servare omnino teneantur: nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Quem quidem numerum jam unicuique nostræ Congregationis Monasterio Capituli Generalis voto, & auctoritate præfixum, nemini liceat Prælatorum nostrorum ullo pacto minuere, vel pro obtinenda hujusmodi augendi licentia, ad eandem Sacram Congregationem recurrere, nisi ex urgentissima, & legitima causa in Capitulo Generali a Diffinitoribus approbanda, pœnas in prædicto Decreto contentas incursuri. Statuatur item ex eo numero, quot Decani, quot Sacerdotes, quot Clerici, singulis Monasteriis sint adscribendi, sic enim fiet, ut ex certo uniuscujusque Monasterii Monachorum numero, certus etiam numerus omnium in Congregatione Monachorum determinetur, adeo ut singulis annis non plures Novitii ad probationem recipiantur, quam quot de præscripto numero fuerint imminuti. Insuper si qui ex legitima causa petant, aut indigeant mutatione, prout fieri poterit, & Diffinitoribus videtur, fiat provisio.

7. Ad tollenda autem scandala, & incommoda, quæ ex frequentibus Monachorum mutationibus sæpe numero etiam cum animarum detrimento oriuntur, statuimus, quod Monachi nostræ Congregationis non levi causa mutentur, sed tantum ex manifestæ infirmitatis causa, quibus Medicorum Consilio aeris mutatio subveniret, aut si hujusmodi mutatio ad Animæ salutem esset necessaria, vel alia gravi causa a Diffinitoribus, vel Regimine, aut a Visitatoribus approbanda. Mutatis autem, Visitatores, aut Diffinitores, aut Regimen per quos mutari contigerit, provideant, ut omnia itineri necessaria tribuantur, præscripta quoque eis via, qua directe ad Monasteria sibi assignata pergant, ita ut vagandi tollatur occasio, & commodis Monachorum, qua decet charitate, consulatur.

8. Mutationes vero prædictæ, quantum possibile est fiant ad loca viciniora, & magis propinqua, ut expensis simul, & vagationi Monachorum parcatur, & ne cogantur diversa Monasteria, & hospitia circuire. Quod præcipue circa Juvenes observetur, prout supra ordinatum est in Declaratorio Regulæ Cap. 67. n. 13.

9. Scriba vero Capituli Monachos, & Monasteria a quibus amovendi sunt, & ad quæ transmittendi fuerint, in scriptis redigat. Nec Catalogis mutationum, quæ per Capitulum, aut Dietas fiunt, adhibeatur fides, nisi subscriptis manu ipsius Scribæ, sive Cancellarii, vel unius ex Prælatis, vel Procuratoris in Curia, vel Notariorum fidem facientium, eos cum originali convenire.

10. Statuentes insuper, quod quando Monachi mutantur de Monasterio ad Monasterium, competenter induti mittantur, & maxime in prima mutatione eis omnino provideatur de clamyde, seu Mantello panneo, ocreis, calcaribus, aliisque necessariis, prout in inventario suorum vestimentorum cognoscentur indigere.

11. Pecunias vero non solum, quas pro Vestimentis deferunt, sed etiam omnes alias, cum ad Monasteria sibi assignata pervenerint, statim Prælatis revelent, Depositario consignandas, quas nolumus, nisi de licentia Abbatis expendi.

De Visitatorum, & Procuratoris in Curia electione.

CAPUT XXIII.

Item de eorum Sede, & Officio; necnon Procuratoris Computista, & Coadjutore.

1. Demum ipsi Diffinitores eligant sex Prælatos in Visitatores ultra Præsidentem, Religionis Zelo, morum probitate, literarumque scientia conspicuos, qui teneantur in illis Provinciis, in quibus Visitatores deputati fuerint, munus suum cum omni diligentia subire, & intra tempus a Constitutionibus præscriptum absolvere.

2. Modus autem eligendi erit iste: Quilibet Diffinitor secrete scribat in una Schedula sex Prælatos supradictis qualitatibus præditos, duos videlicet ex Neapolitana, Romana, & Hetrusca; ac alios duos ex Lombarda, Veneta, Ligura Provinciis, ex diversis tamen dd. Provinciarum Monasteriis respective professos, & reliquos duos juxta præscriptum nostræ Congregationis pro Regno Siciliæ, ut statuitur in Brevi Pauli V. Postea ipsam schedulam Patri Præsidenti præsentent, deinde nominati exponantur votis, & qui habuerint plures voces, Visitatores existant; quando vero plures concurrunt in vocibus, antiquior Professione præponatur.

3. Statuimus tamen juxta formam Literarum Apostolicarum Gregorii XIII., ut qui in uno Capitulo fuerit Diffinitor, illo triennio Visitator esse non possit. Similiter, qui anno præterito fuerit Visitator, nisi elapso sexennio in Visitatorem eligi nequeat. Visitator autem solum actu, sequenti immediate triennio, illa Monasteria visitare non valeat, quæ præterito triennio, etiam actu visitaverit. Visitatio vero Monialium committi non possit iis, qui immediate ante eas, actu, vel officio visitaverint.

4. Tradant denique Diffinitores binis quibusque Visitatoribus juxta prædictas Literas Apostolicas, schedulam, in qua descripta sint, non solum ea, quæ de Visitatoribus Congregationis nostræ, Constitutiones mandant observari; sed etiam alia, quæ ipsi Diffinitores judicaverint Visitatoribus ordinanda, tam in genere, quam in specie pro singulorum Monasteriorum exigentia.

5. Postea ineant tractatum de eligendo Procuratore Generali in Curia Romana, cujus officium cum maximi sit ponderis, eligatur spectatæ vir probitatis, industriæ, ac fidei, qui sit Abbas Regiminis, & non solum ingenio, & gravitate morum commendetur, sed etiam in Abbatia triennium adminus compleverit, & cujus vita in aliis etiam officiis laudabiliter acta, firmum, & grave dederit testimonium, eum posse tanti oneris, & honoris nomen sustinere; accesseritque gravior quædam, & continuata Visitatorum

confirmatio. Ad ejus enim officium spectat Congregationis negotia tractare in Curia, ex Diffinitorum Capituli Generalis, aut Patrum Regiminis præscripto, omniaque ad Patrem Præsidentem referre; Congregationis jura tueri: Annatas quindenniorum, quartam partem fructuum, & contingentem partem subsidii quadringentorum millium scutorum, & aliorum omnium, aut alias impositorum, aut in posterum imponendorum, & annuum Censum unius auri Cameræ Apostolicæ in Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in signum perpetuæ libertatis, & confirmationis privilegiorum nostrorum, quotannis solvere ex pecuniis sibi per Monasteria, aut per Quæstorem transmissis.

6. De quibus bis in anno rationem reddere teneatur Abbatibus S. Pauli de Urbe, & S. Mariæ de Farfa cum assistentia alicujus computistæ a Diffinitorio ad hæc specialiter deputandi; sciatque se, si in hoc unquam defecerit, a Capitulo Generali, vel etiam a Dieta gravissime puniendum esse. Visitatoribus etiam, dum Monasterium S. Pauli visitaverint, idem Procurator Generalis ostendat annua suæ administrationis computa, librosque computorum secum deferet ad Capitulum Generale a Diffinitorio exacte recognoscendos, & subscribendos.

7. Interim vero Capsa Procuratiæ Generalis, nullo modo sit apud Computistam Congregationis, sed apud aliam personam fide dignam a Diffinitorio eligendam; a qua Capsa Computista prædictus non extrahet summam aliquam quovis titulo solvendam absque mandato a P. Procuratore Generali subscripto. In casu autem reductionis, vel extinctionis Censuum, debitorum, vel aliorum particularium computorum, Computista pro tempore sub pœna depositionis, & inhabilitatis ad quoscumque gradus, mittere teneatur eorum exscriptum Monasteriis, ad quæ respective spectaverint, spatio unius mensis.

8. Modus autem electionis ejusdem Procuratoris Generalis, prout firmatum fuit auctoritate Apostolica per Breve Clementis X. sub datum die 22. Augusti 1670. erit iste: Eligatur ab universo Capitulo Generali ex omnibus Abbatibus ad id muneris, ut supradictum est, idoneis, qui omnes indiscriminatim suffragiis ejusdem Capituli Generalis committi debent. Ille vero ex Abbatibus, in quem plura vota consenserint, censeatur legitime electus in Procuratorem Generalem, paribus autem apparentibus suffragiis, qui provectior in Religione fuerit, is Procurator erit habendus. Porro quicumque ille sit singulis in Capitulis Generalibus omnium Patrum Scrutinio submittatur, iterum in d. officio per majorem supra dimidiam vocum partem, si aptus repertus fuerit confirmandus.

9. Advertatur præterea, quod juxta Breve Pauli V., nunquam Abbas Sancti Pauli de Urbe, & eligendus in Procuratorem, sint ex Monasteriis earundem Provinciarum, sed diversarum eligantur, ut si contigerit Procuratorem electum esse professum ex Monasteriis Provinciarum Lombardæ, Venetæ, vel Liguræ, tunc Abbas Sancti Pauli ex aliquo Monasterio Romanæ, Neapolitanæ, Siculæ, vel Hetruscæ deputetur, & vice versa multo minus eligatur in Procuratorem Abbas S. Pauli, sed Procurator eligendus sit Regimine, & Persona penitus ab eo distinctus; imo nec ipse Abbas, qui est Procurator Generalis, finito tempore suæ administrationis, deputari possit immediate ad Regimen S. Pauli; nec Abbas Sancti Pauli immediate post Regimen ejusdem, eligi queat in Procuratorem Generalem, sicut in Procuratorem Generalem eligi duos Abbates ejusdem Monasterii professos, successive, aut alterum in Procuratorem Generalem, alterum in Præsidentem Congregationis simul omnino prohibemus. Declarantes nullam, & invalidam electionem præfatam in qua prædicta omnia, & singula servata non fuerint.

10. Abbati in Procuratorem electo non deputetur Monasterium aliquod Regiminis, sed Abbatia solius tituli. Durante veto tempore suæ administrationis, eligi non possit Procurator Generalis in Diffinitorem, aut Visitatorem, quod pariter fieri prohibemus eo anno, & in eo Capitulo, quo a Procuratoria Generali quocumque modo contigerit cessare. Excludimus etiam Procuratorem Generalem omnino a Dieta, tantoque tempore a Procuratoria vacare jubemus, quanto ante in ea perduraverit; paribusque rationibus, nolumus P. Præsidentem Congregationis tum pro eo tempore, quo Præsidis munus gerit, tum pro triennio immediato, quo ab eo absolutus est, cooptari posse in Procuratorem Generalem, & viceversa Procuratorem in Præsidem.

11. Abbas qui eligitur in Procuratorem Generalem, Juramentum, ut moris est Rmo Diffinitorio exhibeat, se nullam dispensationem ad quoscumque gradus, Dignitates, Sacros Ordines, aut ad quodcumque aliud nostris Constitutionibus repugnans, impetraturum, nisi de speciali Diffinitorum, vel Patrum Regiminis mandato, & in quantum potest pro sui muneris officio dd. Dispensationes, se impediturum. Quod si ad ejus notitiam pervenerit, aliquem ex nostris Monachis id attentasse, teneatur quam primum P. Præsidi, vel Regimini denunciare, graviter eum, qui has dispensationes procuraverit, punituro. Si vero eligatur in Procuratorem Generalem Abbas absens a Capitulo, hoc idem Juramentum intra octavam diem, a qua Romam pervenerit, Abbati S. Pauli præstabit, ejusque facti authenticum testimonium Patri Præsidi transmittat.

12. Singulorum item Monasteriorum negotia curabit, & Causas defendet, & prout opus fuerit tam de rebus publicum Congregationis bonum concernentibus, Patrem Præsidem certiorem faciet, quam de privatis Monasteriorum negotiis eorum Superiores. Et si contingat, vel morte, vel quovis alio casu deficere Procuratorem Generalem, tunc, qui erit Abbas S. Pauli curam gerat usque ad futurum Capitulum Procuratoriæ prædictæ, eodem modo, quo de Procuratore Generali est diffinitum: in suo robore semper permanente Statuto prohibente ne Abbas S. Pauli, vel tunc, vel immediate post eligatur in Procuratorem Generalem.

13. Si vero ex aliqua gravi culpa (quod Deus avertat) Justitiæ rigor exposcat, ut ad ejusdem Procuratoris depositionem in pœnam deveniatur, vel pro bono Congregationis regimine contingat, ut ab officio absolvatur, ad hujusmodi provisiones per Diffinitores tantum, absque aliorum Prælatorum suffragiis, dummodo ex novem Diffinitoribus, septem consentiant, procedatur.

14. Ut denique tanti officii onus facilius sustinere valeat, deputetur ei a Diffinitoribus, aut a Patribus Regiminis Coadjutor, qui sit Decanus, cujus opera in scribendo, & aliis negotiis utatur: gravis & ipse, industrius, probitateque, & ingenio conspicuus, qui etiam ejus vices (si quando eum abesse contigerit) sine Congregationis incommodo gerere possit. Hic qui Comprocurator appellatur, præsit omnibus Decanis etiam Magistris Novitiorum, & subjaceat in temporalibus Procuratori Generali, in spiritualibus vero Abbati Sancti Pauli tantum, a quo teneatur accipere benedictionem, dum e Monasterio egreditur, & ad illud revertitur. Quod idem dicimus de Computista, qui semper sit Decanus, & teneat locum immediate post Comprocuratorem.

De

De Epistolis dirigendis, & de loco celebrandi Capitulum.

CAPUT XXIV.

Item de Capituli tempore, & expensis.

1. Expeditis omnibus, & ante Capituli absolutionem, si quæ responsivæ, vel missivæ conficiendæ sunt literæ; satisfiat huic muneri per aliquem ad hoc idoneum a Diffinitoribus deputatum. Quas literas Diffinitores diligenter videant, & si aliquas judicaverint memoria dignas registrari faciant per Cancellarium.

2. Consequenter pro futuro Capitulo celebrando idoneus in aliquo Congregationis nostræ Monasterio locus eligatur: Declaramus autem Monasteria pro celebrando Capitulo, hæc esse, videlicet: Monasterium Sancti Benedicti Mantuæ, Sancti Joannis Evangelistæ Parmæ, Sanctæ Justinæ Patavii, Sanctæ Mariæ Prataleæ, Sancti Georgii Venetiarum, S. Petri Perusii, S. Vitalis Ravennæ, & Sacrum Cassinense Cœnobium: Volentes, quod hoc ordine habeantur Comitia pro Capitulo Generali, ut ter in uno, vel altero Monasteriorum in Provinciis Veneta, & Lombarda, ut supra deputatorum, bis vero in assignatis Provinciarum Romanæ, & Neapolitanæ celebrentur de triennio in triennium, ut supra sancitum est Cap. 1. n. 1.

3. Qui locus sic electus, nisi rationabili causa, & de Præsidentis, necnon majoris partis Visitatorum consensu, mutari non possit, nec celebratio Capituli, nisi per breve tempus octo videlicet, vel ad altius decem dierum differri, a decem vero diebus usque ad Mensem, nisi de Præsidentis, omniumque Visitatorum consensu minime differri possit, & hoc nisi ex urgentissima, & inevitabili causa.

4. Quod si aliqua rationabili causa Præsidens, & Visitatores prædicti ipsius Capituli locum duxerint transmutandum, vel celebrationem Capituli prorogandam congruo tempore, omnibus Prælatis Monasteriorum per literas significare nullo pacto prætermittant.

5. Statuimus etiam, ut ad expensas, quæ in Capitulo Generali fient, omnia Monasteria, tam citra, quam ultra Alpes secundum eorum taxam, contribuere teneantur.

De publicatione, & absolutione Capituli.

CAPUT XXV.

Idest, de evulgatione eorum, quæ definita fuere in Capitulo.

1. Omnibus, quæ ad Generale Capitulum pertinent, expeditis, omnes advocentur, tam de Capitulo, quam residentes in Monasterio, ubi Capitulum celebratur, publicenturque per Scribam Capituli tanquam auctoritate Apostolica publicum Notarium: Præsidens Regiminis, Visitatores, & Prælati Monasteriorum tam administrationem habentes, quam Titulares, Thesaurarius Congregationis, Procurator Generalis in Curia, Cancellarius, Capsarius, Coadjutor Procuratoris, & Computista, & mutationes Monachorum, præsentibus testibus pro hoc actu specialiter rogatis.

2. Quibus peractis exeant omnes, qui non sunt de Congregatione, & successive per Præsidentem vel Scribam terminata in Capitulo publicentur, exceptis iis, quæ secreta Diffinitores duxerint tenenda. Quæ vero publicata fuerint, Prælati in scriptis ad sua Monasteria Monachis suis denuncianda, portent, & quæ a præfato Capitulo per duo præterita Capitula approbata fuerint, vel in futurum approbanda, emanare contigerit, secum ad sua Monasteria, vel deferant, vel deferri faciant, quamprimum commode poterunt, in libro ad hoc in modum regestri deputato, per se vel per alium fideliter exaranda.

3. Quæ quidem ordinationes in Monasteriis legantur, in reversione Prælati a Capitulo: publicentur etiam nominatim, si qui fuerint fugitivi, vel expulsi, ut ab omnibus requirantur respective, vel evitentur, secundum declarationem super Cap. Regulæ 29.

4. Et imponantur triginta Missæ pro quolibet Monasterio pro Fratribus Defunctis nostræ Congregationis, & aliæ triginta pro habentibus literas gratiosas, qui illo forte anno decesserint, quas pro debito sufficere volumus.

5. Ultimo publicetur locus futuri Capituli, & Pater Præsidens committat omnibus, ut oretur pro SSmo D. N., pro Emo Protectore, ac cæteris S. R. E. Cardinalibus, pro Principibus, Prælatis, Congregationis nostræ Benefactoribus, vivis, & defunctis.

6. Quibus peractis, Visitatores a Scriba Capituli requirant, & petant in scriptis: si quæ ordinata sunt pro Monasteriis suæ Provinciæ, quæ ad eorum officia pertineant. Et similiter quilibet Prælatus petat a Scriba Capituli, si quæ ad suum Monasterium pertinentia, ordinata fuerint in authentica forma in libro sui Monasterii, ut supra dictum est, postea adnotanda, & in specie de Monachis ad suum Monasterium tunc deputatis, an pro aliquo illorum obtenta fuerit licentia, ut ad ordines promoveatur, & quo tempore, & similiter a P. Præsidente requirat, si quæ fuerint ad suum Monasterium pertinentia. Et sic obtenta prius licentia, & benedictione percepta, facultas sit unicuique redeundi ad sua Monasteria, nisi ex aliqua causa fuerit necesse aliquos remanere. Præsidens tamen, & Visitatores ultimi recedant. Modus autem hæc omnia pronunciandi, ut ab omnibus idem ordo servetur, erit iste, videlicet:

7. Primo pronuncientur Prælati. Secundo Ordinationes confirmatæ. Tertio ordinationes novæ. Quarto admonitiones. Quinto mutationes Monachorum. Sexto numerus Professorum. Septimo fugitivi, & expulsi, ac licentiati, & a quo Monasterio, qui specifice nominentur. Octavo nominatim defuncti omnes, & in quo Monasterio. Nono numerus Defunctorum habentium literas gratiosas. Decimo triginta Missæ pro Fratribus nostris Defunctis, & triginta item aliæ pro habentibus literas gratiosas, ut supra. Undecimo impositio taxæ, sive taxarum. Duodecimo locus futuri Capituli. Tertiodecimo licentiæ admittendi Novitios ad professionem. Et postremo Thesaurarius, Procurator in Curia, ac cæteri Officiales Congregationis, ut supra num. 1.

De pecuniarum solutione pro debitis liquidis Monasteriorum.

CAPUT XXVI.

Item pœnæ contra non solventes hujusmodi pecunias.

1. Si aliquod Monasteriorum liquido debito teneatur, vel Congregationi, vel particulari Monasterio, in quacumque, sive pecuniarum, sive rerum quantitate, eique a Capitulo, vel a Visitatoribus præfixum fuerit certum solvendi tempus, & Prælatus illius Cœnobii, elapso termino, requisitus de solutione non satisfecerit intra quindecim dies, saltem per depositum reale rerum, vel pecuniarum, ad arbitrium Creditoris, privetur in Capitulo sequenti voce activa, & passiva; Si vero debitum illud fuerit ratione taxarum, solvat cum illo totum interesse, & pœniteat, prout supradictum est; si tamen in culpa ipse fuerit.

2. Si autem Cellerarius a Prælato monitus supradicta adimplere neglexerit, ab officio amoveatur &c.

Secunda pars Constitutionum Congregationis Casinensis.

De potestate Præsidentis, & Visitatorum.

Caput I.

Item de muneribus ab ipsis non accipiendis.

1. Præsidenti Regiminis tanquam principali Visitatori, & Patri Congregationis deferatur ab omnibus omnis reverentia, & loci præeminentia. Ipse solus in quocumque fuerit Monasterio omnia signa, tam particularia, quam generalia faciat.

2. Teneat penes se sigillum magnum Congregationis, quo utantur Patres, cum aliquid præcipuum nomine Capituli, vel Regiminis fieri continget. Teneat etiam Regestrum Capituli, aliæ vero Scripturæ Congregationis serventur in Archivio, & Claves Archivii semper sint apud Præsidem, vel Abbatem illius Monasterii, nec possint inde extrahi Scripturæ ullæ, nisi de ejus licentia, aut commissione, relicto etiam ibi ab extrahentibus Chirographo extractorum.

3. Ad ipsum deferantur singula Congregationis, quæ intra triennium occurrerint. Ad eumdem principaliter pertinet exequi ordinata per Capitulum. Quæ duo præmissa, aut solus, aut cum aliis Visitatoribus, secundum rerum qualitatem, & ejus limitatam potestatem faciat.

4. Possit etiam in iis, quæ intra triennium occurrerint pro evitandis scandalis, & pro pace servanda, expedire videbitur, cum uno saltem ex Visitatoribus providere. Cujus provisioni, & deliberationi, omnes, etiamsi Visitator fuerit, obedire teneantur.

5. Caveat etiam ne affectione, aut passione aliqua moveatur; Sed omnia secundum Dei timorem disponere satagat. Quod si aliter (quod absit) fecerit, sciat se per Diffinitores sequentis Capituli puniendum.

6. Titulum vero Præsidentis Generalis, nec ipse sibi arroget, nec ab aliis illi deferatur, sed simpliciter juxta primævum Congregationis ritum, vocetur Præsidens Casinensis.

7. Statuimus etiam quod P. Præsidens non possit accedere ad Curiam Romanam, nisi prius habito consensu utriusque Visitatoris illius Provinciæ, in qua fuerit deputatus.

8. Item, quod nullus Visitatorum ad eamdem Curiam accedere possit, nisi de licentia P. Præsidentis, ac Convisitatoris sui: cæteris vero Prælatis, ac Religiosis nostris prohibemus omnino, ne Romam proficiscantur, nisi accedente consensu P. Præsidentis, & utriusque Visitatoris suæ Provinciæ, vel si periculum esset in mora cum licentia Patris Præsidentis, aut unius saltem dictorum Visitatorum; Necnon Abbatis Sancti Pauli, & Procuratoris in Curia Romana.

9. Liceat præterea eidem P. Præsidenti cum aliquo ex Visitatoribus illius Provinciæ, ubi visitandum fuerit, omnia Congregationis Monasteria, quotiescumque opus fuerit visitare, excepto Monasterio, cui triennio præterito præfuit, & cui aliquis in secundo gradu illi conjunctus præest: Quod idem de Visitatoribus intelligimus.

10. Caveat tamen, ne auctoritate officii sui (quemadmodum, & quilibet Visitator) Religiosum aliquem de quolibet Monasterio Congregationis nostræ removeat, & eum in Monasterio sibi commisso deputet. Sed si aliqua Monachorum indigebit provisione, duo alii Visitatores, aut Præsidens cum uno Visitatore hujusmodi faciant provisionem.

11. Possit autem Præsidens Prælatorum consensu Monachis aliqua justa causa mutationem petentibus licentiam impertiri, quam tamen illis non concedat, quos Capitulum, vel Regimen in Dietis, aut Visitatores in actu Visitationis (cum ab ipsis mutari petiissent) rejecerunt, aut alio quam optassent, mutaverunt, nisi forte urgentissima, & necessaria causa noviter emerserit. Hortamur tamen, ut consensus hujusmodi non tam facile concedat, sed Visitatoribus quantum fieri potest, hanc curam relinquat.

12. Cæterum Præsidens cum duobus Visitatoribus, quoties necessitas postulaverit, ut propter animæ, aut corporis salutem mutatio, fiat alicujus Religiosi intra annum de Monasterio ad Monasterium, disponere super hoc possit, usque ad tempus Capituli, aut Dietæ.

13. Item Præsidens, & Visitatores, vel quilibet eorum in actu Visitationis existens, causas, & lites inter Monasteria, ac personas Congregationis audire, & summarie, facti sola veritate inspecta, terminare; nisi rei gravitas mereatur ad Capitulum, vel Regimen rem deferri. Quod vero Justitia mediante (ut præfertur) judicaverit, vel terminaverit, faciat observari.

14. Item Præsidens omni tempore absolvere potest Religiosos nostros, a casibus in Religione reservatis. Quod idem statuimus de Visitatoribus in actu Visitationis tantum, etiamsi fuerint Visitatores solum actu, non officio.

15. Possit etiam Præsidens in actu Visitationis, ubi ordo Justitiæ exigeret, Monachum aliquem in quocumque Monasterio Congregationis delinquentem corrigere, & in Domum Custodiæ detrudere, etiam (si opus fuerit) invito Prælato, & idem possint Visitatores in actu Visitationis.

16. Demum Præsidens cum omnibus Visitatoribus, quos appellatione Regiminis intelligi volumus, omnem repræsentent Congregationem, & ea exequi possint, quæ infra Cap. 3. determinantur.

17. Habeantque Præsidens, & singuli Visitatores Sigilla singula æqualis omnino formæ, & quantitatis, ejusdemque characteris scilicet *Pax*, quibus utantur in literis particularibus ad officium suum spectantibus. Nec alteri cuivis liceat sigillo simili uti.

18. Literas vero eodem Sigillo signatas, nemini de Congregatione nostra, etiamsi Præsidens, aut Convisitator, vel Prælatus esset aperire concedimus, nisi solis iis, ad quos diriguntur, vel de eorum licentia: præterquam in casu urgentissimæ necessitatis, ut in Declaratorio Cap. 54. n. 4. 5. 6.

19. Ad ipsos etiam Præsidem, & Visitatores pertinet, cum opus fuerit, vel propter scandalum evitandum ordinata per Capitulum de omnium consensu suspendere usque ad tempus Generalis Capituli: Non tamen ex toto revocare. Possint etiam, ubi necessitas urgeret aliquod universale in Congregatione constituere usque ad tempus Capituli dumtaxat servandum.

20. Ordinata etiam per prædictos pro bono Congregationis volumus observari, etiam post eorum officia, nisi revocentur a Successoribus & fuerint approbata, prout supra dispositum est in prima parte Cap. 29. n. 6.

21. Et quia sæpe munera excæcant oculos Sapientum, & subvertunt corda Justorum; Statuimus, juxta Sacrorum Canonum sanctiones, quod nec Præsidens, nec Diffinitores, nec Visitatores, etiam Monialium durante eorum officio,

ficio, accipere ullo modo possint quæcumque munera a Monachis nostris, vel Monialibus, vel ab aliis quibuscumque personis de Congregatione. Quod si contra fecerint, priventur ipsis rebus, & insuper graviter puniantur, secundum qualitatem delicti, & Personæ.

Quomodo, & qualiter fieri debeant Visitationes.

CAPUT II.

Ubi de Visitatorum officio, & potestate.

1. Ad evitanda Visitatorum incommoda, & Cœnobiorum dispendia decernimus, Visitationes Monasteriorum nostrorum tertio quoque anno peragendas, deputantes tempus prædictarum Visitationum in accessu ad Dietam, & recessu ab ea juxta Constitutionem SSmi D. N. Innocentii PP. XI. sub die 9. Septembris 1680., intra quod Visitatores, nisi ex aliqua infirmitate, vel alio legitimo fuerint impedimento detenti, teneantur suum officium expleviſſe. Quod si facere neglexerint, in sequenti Capitulo Generali, activa, & passiva voce priventur. Si vero ambos Visitatores tempore præfato, & causa legitima, ut supra impeditos esse contigerit, visitent quamprimum, cessante præfato impedimento. Si autem alter eorum fuerit pariter legitime impeditus, de consensu utriusque eligatur alius Prælatus de Regimine, vel Prior Claustralis, aut saltem Decanus Regiminis, qui actu tantum sit Visitator, & non officio, itaut intra præfatum tempus Visitatio omnino compleatur.

2. Hoc plane volentes, quod Visitator Officio semper præcedere debeat Visitatorem actu, & non officio, licet sit in Congregatione inferior.

3. Caveant ne in eorum audientiæ locis ponantur ulla ornamenta, & post primum diem comedant in Refectorio communem Conventus victum sequentes.

4. Quamprimum igitur Visitatores ad Monasterium, quod visitare intendunt, pervenerint: congruo tempore congregatis Prælatis, & Monachis ipsius Monasterii, aliquam, non in humanæ sapientiæ verbis, sed brevem, & puram in hunc modum faciant exhortationem.

5. Fratres charissimi, cum ex injuncto nobis a Capitulo Generali Visitationis munere, huc accesserimus, ut si quid in hoc Monasterio, tam in capite, quam in membris, vel contra Regularis disciplinæ normam, vel contra rectam temporalium administrationem forsan irrepserit, in spiritualibus, & temporalibus ad bonum Regimen reducatur: idcirco si aliquid correctione dignum ad nostram notitiam pervenerit, omni vigilantia, & studio, prout Nobis desuper datum fuerit, providere curabimus, apud vos per illud temporis spatium, quod suadebit necessitas, commorantes; Si vero nullus vestrum nostra indigebit opera, gratias Deo agite, charitatem continuam in hoc vinculo Pacis invicem servantes; obedientiam, & reverentiam ob Dei amorem Patribus impendentes, disciplinam Monasticam; & Regularem observantiam accensis desideriis confoventes, & si ad alia hujusmodi voluerit breviter exhortari:

6. Consequenter moneant Prælatum; & Monachos; quod si quis pro bono Monasterii sui judicaverit, aliquid insinuandum, libere illud exponat; Quoniam intentio Patrum nostrorum est, quod in Visitationibus vitia tam in Capite, quam in Membris, radicitus amputentur, cum ea tamen, qua decet humanitate, & charitate.

7. Caveat tamen quilibet, ne alicui potissime Prælato, quavis passione seductus, aliquid falsum imponat, seu aliter, quam dictum, factumque fuerit referat: aut suspicionibus, vel leviter dictis, seu factis, aliquem inculpet. Quod si fieri (quod absit) contigerit, diligenter cognita causa, hujusmodi Reus sciat se publice coram Monachis culpam dicturum, ac pœna talionis, aut aliter, prout videbitur, puniendum.

8. Postea vero Visitatores faciant absolutionem mortuorum; Mox visitent Sanctissimum Eucharistiæ Sacrarium, & Reliquias, si quæ sunt ac deinde tempore congruo sint seorsum cum solo Prælato Monasterii, illumque examinent de Seniorum suorum, & cæterorum Monachorum conditionibus, & præsertim si adhibita fuit diligentia necessaria in librorum inquisitione. Si Prior Claustralis, & Decani circa sua Officia videlicet in Divinis Officiis, in custodia Regularis observantiæ, in audiendis Religiosorum confessionibus; in communibus exercitiis, in quotidianis Monasterii Officinarum Visitationibus sint soliciti: Si sibi invicem reverentiam, ac Superioribus obedientiam præstent; Si cæremonias observari curent: Si Monachorum, & Commissorum admonitiones, ac correctiones in Capitulo culparum frequentent: Si in prædictis administrationibus, & correctionibus sint nimis rigidi, aut remissi; Si Magister Novitiorum diligenter Novitios suos instruat in oratione mentali, in spiritualibus exercitiis, in cæremoniis Congregationis, in compositione, tam interioris hominis, quam exterioris: nec non si eos in vilibus servitiis exerceat, & in aliis hujusmodi, quæ in Regula, & Constitutionibus nostris continentur.

9. Inquirant præterea de idoneitate, & conditionibus Novitiorum, ac etiam si in eorum receptione observentur præcepta Regulæ, & Constitutionum nostrarum, & si recipiantur ad professionem secundum privilegia nostra: ulterius quod recipiantur de consensu duarum ex tribus partibus Conventus, & quod profiteantur in manibus, vel in præsentia Prælati; sub Congregatione juxta formam Nobis usitatam.

10. Interrogent etiam ipsum Prælatum, si in administratione temporalium, Cellerarius suum sequatur consilium, & voluntatem: Si nostris potissime infirmis necessaria ministret: Si tam in verbis, quam in factis, & cæteris moribus eos ædificet, & cum sæcularibus sit exemplaris: Si temporalia Monasterii diligenter administret, an procuret, ut possessiones a Colonis sint suis temporibus cultæ, arboribusque consitæ, ac cæteris ad culturam necessariis convenienter instructæ: Si libros computorum, ac rationum Monasterii sui teneat ordinatos: Si Instrumenta, & alia Monasterii Jura diligenter conservari procuret: Si Inventarium omnium rerum mobilium Monasterii, & immobilium habeat: Si aliis Officialibus a Cellerario dependentibus intus, & extra Monasterium, ea, quæ ad eorum Officium spectant, per Inventarium accurate consignet, & ab ipsis expleta administratione integram, & fidelem exigat rationem. An ipse Prælatus viderit præscriptis temporibus, una cum Senioribus, computa Monasterii sui, prout decernitur in Declaratorio Regulæ Cap. 31. Et si Monasterium est debitis aggravatum, in qua summa, & quem habeat satisfaciendi modum. Propter quod volumus, ut Visitatores ante recessum, diligenter videant computa Debitorum, & Creditorum Monasterii, necnon reddituum, & expensas. Quod si viderint Monasterium notabiliter aggravatum juxta eorum providentiam, opportuna remedia adhibeant.

11. Inquirant etiam, si qui sint Monachi, sibi, aut aliis Superioribus rebelles, aut inobedientes: Si vitiosi: Si scandalosi: Si proprietarii: Si mercaturæ, & illicitis negotiationibus dediti: Et si quem per acta Visitationum, in quibus proceditur per viam Inquisitionis generalis de prædictis notorie suspectum, & diffamatum invenerint, tunc Visitatores, habita tali notitia, si

alio opportuniori modo non possunt, debent specialem contra ipsum instituendo inquisitionem, prævio Juramento Testes examinare, & processum, non per apices Juris, sed simpliciter, summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, formare, servatis de cætero iis, quæ sunt essentialia Judicii, ut sunt audire defensiones Rei, & citatio ad sententiam. Quod idem in omnibus Causis criminalibus in Congregatione nostra servandum erit, sive per viam inquisitionis specialis, sive denunciationis, aut accusationis procedatur.

12. Præterea inquirant si ea, quæ per Visitatores, aut præcedentia Capitula fuerunt ordinata (quantum scilicet ad eos pertinet) accurate observentur: Si Regularis observantia in suo vigore conservetur: Si Divina Officia ordinate, & morose dicantur: Si jejunia Regularia observentur, & silentia temporibus debitis juxta Regulam, & Constitutiones teneantur: Si invicem reverentiam Monachi sibi exhibeant, & honorem: Si sint compositi, tam in Choro, quam alibi per Monasterium, & potissime coram Hospitibus, & sæcularibus; & si cum eis se immisceant, non vocati: Si hospites cum humanitate, & charitate recipiantur; Si eleemosynæ ordinariæ, juxta facultatem Monasterii, integre, & fideliter erogentur: Si privilegia nostræ Congregationis, quæ in illo sunt Monasterio, ac etiam ipsius particularia caute, & diligenter custodiantur: & ea omnino videant, & de aliis hujusmodi, quæ per Regulam, & Constitutiones, & antiquas Congregationis consuetudines, aut alias, prout eis videbitur, concernerit. Ac denique inquirant cum Juramento de probitate, & sufficientia eorum, qui tam ad Sacros Ordines, quam ad Decanatum, Prioratum, & Abbatiam respective promovendi erunt: Et si cætera requisita habeant juxta formam superius traditam in Cap. 22. primæ partis Constitutionum, & in Declaratorio Cap. 21. num. 3.

13. Consequenter Visitatores, absoluta Prælati examinatione, in ejus absentia inquirant segregatim ab unoquoque supradictorum Seniorum de ipsis invicem, ac de supradictis omnibus, prout viderint cuilibet competere, necnon tam probitatem, & sufficientiam eorum, qui promovendi essent, quam solicitudinem, vel negligentiam promotorum diligenter examinent: Singulorum merita, vel demerita in futuro Capitulo Diffinitoribus narraturi, juxta formam superius descriptam in præfato Cap. 22. primæ partis Constitutionum, ac etiam de qualitate Prælati: Si solicitus sit circa observantiam Regularem, tam in se, quam in Monachis: Si corrigat Religiosorum excessus: Si frequentet Divina Officia, & Capitulum culparum: Si sæpius exeat de Monasterio, aut si est facilis ad dandam licentiam aliis, ut ex levi causa exeant: Si in sua conversatione tam cum Monachis, quam cum Sæcularibus sit exemplaris: Si in eo, aut in aliquo Monacho fuerit aliquis notabilis excessus, tam in vestimentis, quam in aliis quibuscumque: Si confert de agendis Monasterii cum Senioribus: Si sæpius, aut semel in prædictis defecerit: Si demum ipse, aut Cellerarius, vel cæteri Officiales intus, vel extra Monasterium absque Capituli Generalis, sive Regiminis licentia, vel cum Monasterium est ære alieno gravatum, fabricare præsumpserint: Si Regulam, & Constitutiones, ac Decreta omnia, quæ per Regimen aut præcedentia Capitula, promulgata fuerint, ad unguem observet, & observari faciat.

14. Supradicti autem Visitatores interrogent etiam Sacerdotes seniores, zelantes de prædictis; cæteros autem Monachos Juniores non curent interrogare, nisi pro indaganda alicujus rei veritate duxerint necessarium; Si autem ultro aliquid dixerint, benigne eos audiant, ac exhortentur ad obedientiam, & reverentiam erga Prælatum suum, ad fraternam charitatem, & Regularem observantiam.

15. Postea vero iidem Visitatores promovendos ad Decanatum, coram se advocari faciant; & super scientia, quam profitentur, & præsertim super pœnitentiæ Sacramentum, quod ex Officio, ut in Regula dictum est, administrare tenentur, diligenter examinent, ac separatim unicuique ipsorum, nonnullos conscientiæ casus (quibus saltem egregie instructi esse debent, prout statuitur in Brevi Clementis VIII.) in uno folio descriptos exhibeant. Qui in calce ejusdem folii, statim coram iisdem Visitatoribus, non discedendo ab eorum audientiæ loco, & prospectu (ut ex hoc eorum habilitas cognoscatur) in scriptis respondere teneantur. Caveant tamen ipsi Visitatores, ne prædictis examinandis hujusmodi casus quovis modo ante examinationem per se, vel per alios notificent: Illud serio perpendentes, quod de hujusmodi promovendorum doctrinæ sufficientia coram Diffinitoribus in Capitulo Generali attestari cum Juramento debent, prout decernitur in Declaratorio Regulæ Cap. 21. num. 3.

16. Videant insuper Visitatores Schedulam, quam a Scriba habuerunt in Capitulo præterito in examinatione ipsius Monasterii, & diligenter examinent, quæ in ea continentur, si vera fuerint, vel falsa Capitulo Generali relata.

17. Videant præterea Schedulam quam habuit Prælatus a præfato Scriba tempore Capituli, & si quæ in ea continentur executioni mandaverit. Tandem habita de omnibus prædictis prudenti, & diligenti informatione tractent apud semetipsos cum Dei timore, quæ sint monitione, quæ reprehensione, & quæ correctione digna, tam in Prælato, quam in Senioribus, cæterisque Monachis. Advertant autem, ne facile credant omni Spiritui: Sed probent Spiritus, si ex Deo sunt. Nec aliquem ex sola suspicione condemnent, sed de relatis ad eos (si de visu, vel auditu, ab homine gravi, cæterisque circumstantiis consideratis) omnino cum prudentia, & matura deliberatione dijudicent. Et si quos culpabiles, sive Reos deprehendent, simul, aut separatim moneant, increpent, & corripient, juxta excessuum qualitatem, & secundum Constitutiones nostras ordinent in præmissis, quæ fuerint opportuna, itaut suo consilio, & directione, cuncta secundum Deum bene disponant.

18. Possint autem prædicti Visitatores Prælatum, si quem in notabilem excessum, causa cognita, comprehendant incurrisse, itaut non absque manifesto scandalo usque ad Capituli Generalis tempus tolerari possit: dummodo transmissa ab ipsis notitia super qualitate excessus Patri Præsidi, duobus Visitatoribus propinquiorum Provinciarum, & duobus Prælatis item vicinioribus Monasterio, de cujus Prælato agitur, ex eorum literis, sententiæ, ita conformes perspiciantur, ut ex septem Patribus quinque consentiant, suspendere usque ad proxime futurum congressum, nisi opportunius remedium aliud eorum prudentia suggerat.

19. Possint insuper omnes, & singulos Seniores, & Officiales Monasterii ab eorum curis, & officiis suspendere, & si necessarium duxerint, ab eorum Monasteriis removere. Caveant tamen ipsi Visitatores, ut neque inordinata affectione Prælatorum, & aliorum Monachorum vitia, vel excessus dissimulent, neque, inordinata aversione plusquam, & ubi opus non fuerit, aliquem inculpent, seu reprehendant. Nam sicut ordinate, & cum prudentia factæ Visitationes sunt causa observantiæ Regularis, conservandæque Religionis munimenta; ita e contrario imprudenter, & ordinate, sive cum passione

factæ, ruinæ occasionem præbent. Idcirco si qui Visitatores in aliquo excesserint, sciant se in Generali Capitulo puniendos.

20. Plane ea quæ Visitatores repererint in suis visitationibus, alicujus ponderis, seu notatu digna, aut quæ ipsi expedire nequiverint, rediganto in folio Diffinitoribus tempore Capituli Generalis referenda, ut ea possint, prout Justitia dictabit, terminare.

21. Statuentes, quod si quis Visitatorum aliquo interveniente impedimento ad Capitulum Generale minime venire poterit, per literas significare teneatur ea, quæ gravia, & digna relatione videbuntur: quæque ipse judicaverit expedire, prout dictum est prima part. Constitut. Cap. 2. num. 3.

22. Ergo Visitatores auctoritate, qua maxima pollent in Canonum, & privilegiorum nostrorum, nostræque Congregationis, viriliter constantique animo exequantur Officium suum, corrigenda corrigant, mutandos mutent, suspendendos suspendant, & quæ leviora sunt per verbum monemus, seu hortamur: quæ vero graviora, vel quæ expedit in posterum observari, per verbum imponimus, seu mandamus, & ordinamus; annotata singula digerant in libello, quem secum deferant ad Capitulum a Cancellario inter alia acta Patrum Capituli, vel Regiminis referenda, ut Præsidens, & Diffinitores, per singula Monasteria examinare, & inquirere possint, utrum per eos ordinata Prælati, Cellerarii, & cæteri servaverint. Quod si reperti fuerint præfatis Visitatoribus inobedientes, seu eorum, quæ ab illis ordinata fuerint, transgressores, noverint se pro qualitate excessus, & inobedientiæ puniendos. Ipsi vero Patres Visitatores Dei semper timorem, & communem profectum præ oculis habentes, ita circumspecte, graviter, & religiose se gerant, ut non solum verbis, sed etiam factis ædificent Visitatos; Ideoque Visitatores eligantur Patres gravitate, doctrina, prudentiaque conspicui, ut reverentiam, & obedientiam, quæ debetur officio, merito quoque personarum sibi concilient. Ipsi vero meminerint rationem officii sui Diffinitoribus exactissime se reddituros. In quorum Diffinitorum manibus Visitatores jurent de secretis tenendis iis omnibus, quæ in Visitationibus accipient, præjudicium alicujus personæ continentia. Quod si contigerit ambos Visitatores in Capitulo ad præstandum dictum Juramentum non reperiri, ille, qui abest, priusquam Visitationes incipiantur, juret in manibus sui Convisitatoris. Et idem intelligendum erit, si absente socio, unus Visitator Convisitatorem sibi elegerit.

23. Si quis vero ex ipsis aliquid eorum, quæ in visitatione acceperit, quæ sint alicujus momenti, vel inde scandalum oriatur, aut Testem qui aliquid deposuerit, contra ejus voluntatem revelaverit: ad idem Officium per sequens sexennium continuum assumi non valeat; & insuper a Diffinitoribus pro qualitate excessus, severe puniatur: Prælati vero, & alii Superiores nullo pacto sint curiosi ad quærendum quis contra eos aliquid dixerit, vel deposuerit, graviter ipsi, si contra fecerint, puniendi.

24. Ultimo convocent in Capitulo Prælatum cum cæteris Monachis, quos breviter exhortentur ad mutuam charitatem, & pacem, necnon obedientiam, & reverentiam Prælato &c. ut supra. Et si quid voluerint monere, vel corrigere, id faciant cum omni humilitate, & charitate, & vale facientes pro se orari petant, & data pace, discedant.

25. Licentiæ vero datæ a prædictis nullius sint valoris, & momenti, nec eis ulla fides adhibeatur, nisi sint in scriptis cum affixione Sigilli *Pax*, ut in declaratione Capituli de Ordine Congregationis plenius continetur. Prædicta autem Decreta, & scripturas omnes ad visitationes pertinentes a se subscriptas, consignent Visitatores Cancellario, qui omnia registret, ut supra prima parte Const. Cap. 13. num. 6. statutum est. Sed ut secretum fideliter omnino servetur circa ea, quæ in examine visitationum deponuntur, volumus, quod illarum acta Visitatores apud se durante eorum Officio, caute custodiant, quo peracto in Archivio Monasterii, in quo celebrabitur immediate subsequens Capitulum, reponantur, ea collocando in Arca, cujus clavis semper apud Præsidem pro tempore stet, ut, in declarat. Cap. 32. num. 8. Decreta vero omnia pro singulis Monasteriis in visitatione sancita, & promulgata, describant in folio ab ipsis signato, & Successoribus Visitatoribus tradendo, ut hi possint inquirere, an executioni demandata fuerint.

De amotione, & electione Præsidentis, Visitatorum, & aliorum Prælatorum extra tempus Capituli Generalis, & de Dieta, sive Congregatione intra triennium convocanda.

CAPUT III.

1. Si Præsidens, aut aliquis Visitator (quod Deus avertat) manifestus, & voluntarius prævaricator, criminosus, ac contemptor Sanctæ Regulæ, aut Constitutionum nostræ Congregationis, aut adeo negligens, & remissus repertus fuerit, ut ipsius prævaricatione, vel negligentia, Religionis, & bonorum operum, aut observantiæ Regularis dissolutio, seu scandalum inducatur: moneatur usque quater a Visitatoribus, ut se corrigat, etsi se non emendaverit, moneatur, ut cedat officio. Si vero cedere recusaverit, claresentibus culpis, assumant secum præfati Visitatores quinque Patres viciniores Præsidenti, si ipse, de quo agitur fuerit Præsidens, vel duos tantum, si fuerit Visitator, quorum Judicio, si duæ ex tribus consenserint, & periculum esset expectare usque ad Capitulum, causa cognita, ab Officio absolvatur. Item Priorum.

2. Quia vero vacante hujusmodi Præsidentatus Officio, ex Constitutionibus Apostolicis, sine auctoritate Præsidentis, nulla provisio fieri potest. Ordinamus, quod quandocumque, & quomodocumque Officium Præsidentis vacare contigerit, antiquior Visitator, sive ille sit ex Provinciis citra, vel ultra, ipso facto remaneat, & sit Præsidens: omniaque peragere possit, & omnem habeat auctoritatem, ac si in Capitulo Generali Præsidens electus fuisset; cæteris in anterioribus Constitutionibus contentis in suo robore permanentibus. Ob nimiam vero locorum distantiam, ne propter hoc Congregationi dispendium aliquod generetur, eo casu, quo Præsidentia Visitatori Siculo, utpote antiquiori contingat, volumus, quod expensis Provinciæ Siculæ in aliquo Monasterio Provinciarum illarum Italiæ, in quibus antecessor residere tenebatur, permanere debet. Et similiter propter easdemmet causas ad Dietam, quæ intra triennium celebranda est, ut infra num. 5. decernimus, quod unus tantum ex Siciliæ Visitatoribus, prout per Diffinitores in Capitulo determinatum fuerit, venire possit.

3. Visitator autem si ob aliquam ex prædictis causis amotus fuerit, consentientibus Præsidente, & cæteris Visitatoribus, vel majori parte ipsorum, ac duobus Prælatis, adhoc ut supra in num. 1. vocatis, alius in eadem Provincia eligatur.

4. Decedente vero aliquo Prælato, administratio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, sit ipso facto, & esse intelligatur apud Priorem Claustralem; cui tamen mandamus, ut omnem adhibeat solicitudinem, (gravius si negligens fuerit puniendus) quo hujusmodi va-

catio celerius nota fiat Præsidenti, aut (si is cujus Monasterium vacare contigerit, Præsidens fuerit) antiquiori Visitatori, ut supra. Qui si forsan, ob rationabiles causas expediens illi videbitur, poterit Monasterio sic vacanti, de consensu tamen Visitatorum ejusdem Monasterii deputare aliquem Prælatum in Administratorem usque ad proximam Congregationem, quæ habebitur, vel per Capitulum, vel per Dietam. Hoc statuentes, quod si talis administrationis tempus ultra sex menses protrahatur, debeat reputari, ac si esset integer annus connumerandus cum præscriptis, tum Regimini Prælatorum unius Monasterii, tum vacationi ab eodem Monasterio, prima parte Constitut. Cap. 21. num. 1.

5. Porro, ut opportune Monasteriis omnibus provideri, & negotiis occurrentibus satisfieri, decernimus, quod elapso a Comitiis Generalibus sesqui anno videlicet ante diem festum Circumcisionis Domini in aliquo Monasterio commodo, Præsidens pro celebranda Dieta, Regimen congregare debeat. Inhibentes ne, vel alio tempore, vel similem aliam Regiminis unionem convocare possit, nisi id maxime necessarium esse, idemmet Præsidens, & quatuor saltem Visitatores judicaverint.

6. Advertant tamen, quod Prælati, qui conveniunt in Dietam, sint diversorum Monasteriorum Professi, itaut duo ejusdem Monasterii professi dictæ Congregationi interesse non possint, & non sint nisi septem, computatis omnibus, ut totum Regimen repræsentent: nempe Præsidens, Visitator ille Siciliæ, quem venire posse Diffinitores decreverint, alii quatuor Diffinitores, Prælatus Loci, nisi, ut comprofessus alicujus ex supradictis, excludi debeat, quo casu, ac etiam aliis Visitatoribus non accedentibus, per alios Prælatos viciniorum Monasteriorum numerus absentium suppleatur; ibique in omnibus expediendis, & quæ tractari contigerit, nisi ex septem quinque consentiant, nihil concluſum censeatur; excepto si (quod Deus avertat), Præsidentem, aut Visitatorem intra triennium amoveri necesse fuerit, in quo casu ordinatio, quæ supra numero primo posita est, servabitur. Ut autem electio sit libera, & legitima, possint Patres convocati pro Monasteriorum vacantium utiliori regimine in Prælatos, quos sibi placuerit, sicut & in Priores vacante tali gradu, dummodo sint habiles, nominare. Quibus in schedulam redactis, votis committantur omnes secundum professionis ordinem, & qui plures voces habuerit, dummodo quinque ex septem Congregatorum Patrum in eum convenerint, cæteris præferatur. In vocum autem paritate, professione Superior præponatur; & non solum in prædictis, sed etiam in quibuscumque aliis, de quibus per P. Præsidentem in Congregatione aliqua tractari contigerit, teneatur ipse Præsidens quæcumque proponere, super quibus ab aliquo congregatorum Patrum fuerit requisitus.

7. Si vero contingat, ut in hujusmodi provisionibus aliquis Prælatus, ejus exigentibus culpis, deponi, suspendi, vel contra ejus voluntatem mutari debeat, id nisi causa cognita, servatoque Juris ordine in Dieta fieri inhibemus. Quod idem volumus observari, ubi procedendum sit ad depositionem Priorum, illorum tamen mutationes, prout occasio exiget, prudenti arbitrio Patrum Regiminis relinquimus. Ne autem in hujusmodi Judicio ferendo, ex inordinata animi propensione erga proprium commodum a recto Justitiæ tramite devietur, districte præcipimus, ut nullus ex Patribus in Dieta congregatis ad regimen illius Monasterii, quod tunc pro Causis prædictis vacare contigerit, neque in Administratorem deputari possit. Si vero vacare contigerit per mortem, vel propter expletum sexennium, aut per voluntariam alicujus Prælati petitionem, ut a Regimine absolvatur, vel ad aliud Monasterium mutetur, tunc in Monasterio sic vacante poterunt Patres prædicti, quem maluerint, & idoneum judicaverint, tam ex eisdem in Dieta congregatis, quam ex aliis Prælatis extra, prout eorum conscientiæ videbitur expedire, servata tamen distributiva Justitia, in Prælatum deputare. Si quæ in prædictis casibus contra hujus Constitutionis formam de cætero fieri contingant, nulla, ac irrita esse decernimus, & declaramus.

8. Nullus autem Prælatus, sive Prior, aut Decanus, vel aliquis ex Monachis, præsumat hujus Congregationis tempore ad Monasterium, in quo celebratur Dieta, vel ad loca circumvicina accedere non vocatus, sub pœnis cuilibet ipsorum, si accesserint, in prima parte Cap. 2. num. 5. taxatis.

9. Ne vero ex hujusmodi vacationibus dispendium aliquod Monasteriis nostris, præsertim in spiritualibus evenire queat; statuimus, ut de cætero in locis sic vacantibus, qui vices Prælati gerunt in ipsis Monasteriis, auctoritatem habeant in spiritualibus, ac temporalibus quam dum viveret, aut præsens erat ipse Prælatus, habebat. Idem quoque censemus, cum Prælati ad Capitulum Generale accesserint; quam auctoritatem in prædictis tantum duobus casibus vices Prælatorum gerentes habere volumus, usque ad instituendi Prælati accessum ad Monasterium, vel jam instituti novam dispositionem, etiamsi talis vicesgerens interea mutatus fuerit. In aliis vero casibus, ne propter Prælatorum absentiam, Monasteria detrimentum maxime in spiritualibus incurrant, ipse Prælatus declaret, qua in ipsius absentia fungi velit auctoritate constitutos Monasterii Officiales, præsertim Priorem Claustralem super casibus reservatis, & aliis ad gubernationem Monasterii spectantibus.

10. Cellerarii, & alii, qui temporalia administrant prædictis temporibus, ad ipsos, ut præmissimus vicem Prælatorum gerentes, recurrant, & obedientes sint: consilioque, & voluntate eorum cuncta faciant, & disponant.

11. Ordinamus autem, quod Prælati ad pacem conservandam inter suos Ministros, ante recessum omnia ita ordinent, & disponant, ut Prior, & Cellerarius sciant quid agendum sit in negotiis Monasterii, & præcipue in vendendis, & emendis rebus.

De Monachorum, & aliorum Religiosorum mutatione.

CAPUT IV.

Ideſt a quibus, & ob quas causas ipsi amoveri possint.

1. Sicut Prælatorum, ita Monachorum nostræ Congregationis discreta mutatio, plerumque utilis, & necessaria est, tum ad ostendendum nostræ Congregationis individuam unitatem (Multa enim Monasteria in idem corpus, charitatis vinculo coalescere conspiciuntur) tum quia dum de Monasterio in Monasterium Monachi transferuntur, & amor mutuus in plures diffunditur, prudentia, cujus mater est experientia, perficitur, & augetur.

2. Si quando ergo, etiam extra tempus Capituli Monachorum aliquem (ipso etiam, vel Prælato suo invito) Patres Regiminis ad aliud Monasterium transferendum, & ad ibi commorandum mandaverint, eis omnino parendum jubemus. Similiter, si in visitatione, aut etiam post visitationem alicujus Monasterii, Visitatores id agendum judicaverint, volumus, ut eis obediatur, ut supra in præcedenti Capitulo.

3. Similiter si legitima, & necessaria causa interveniente, utpote pro Monasterio reformando, vel infirmitate urgente, vel propter imminens infirmitatis periculum; si citius mutatio

aeris non ſuccurrat, aut pro vitando ſcandalo, & ſimilibus, Præſidens, & duo illius Monaſterii Viſitatores, Monachum aliquem mutandum duxerint (etiam invitis Prælatis, tam mittente, quam recipiente, ac etiam ipſo Monacho) eis obediendum mandamus. Urgente vero cauſa arduæ neceſſitatis, vel ubi periculum eſſet in mora, præcipiente tantum uno illius Monaſterii Viſitatore ei omnino pareatur: prædicta autem uſque ad Capitulum, vel Dietam tantummodo ſervari debeant: quo tempore, vel firmabitur, vel revocabitur mutatio.

4. Ubi autem neceſſitas, aut manifeſta utilitas requireret, poſſint Prælati invicem tranſmittere Monachos, ac etiam ſtabilire, dummodo commoditer fiat, adjuncta tamen Præſidentis licentia, vel Viſitatorum.

5. At ſi quis Monachus intra annum ex manifeſta cauſa periculi Animæ, vel corporis mutari petierit, Viſitator ipſius Monaſterii, habita informatione a Prælato ipſius Monachi, & ſi commode fieri poterit, etiam Seniorum (& medici, ubi de corporis periculo agitur) ſi expoſita vera eſſe repererit, & neceſſarium eſſe judicaverit, Monachi petitioni annuat, illique provideat de Monaſterio idoneo, cujus Judicio omnino parendum erit.

6. Si autem prædictæ cauſæ non aderint: Ne occaſio detur, ſponte vagandi (maxime ſi importune, aut cum ſcandalo aliorum Monachorum, ſeu Monaſteriorum impendio, licentia requiratur; quia tunc hujuſmodi mutatio, tam ipſis Monachis, quam Monaſteriis experientia magiſtra, ut plurimum noſcitur eſſe damnoſa) ei licentia minime concedatur, quod ſi petere petulanter perſeveraverit, & ſua importunitate, eam extorquere conetur, non ei annuatur, ſed graviter puniatur.

De expenſis faciendis in mutationibus Monachorum.

CAPUT V.

1. Circa mutationes Monachorum, declaramus, quod Monaſteria a quibus recedunt mutati, ad omnes teneri debeant expenſas, ut ſupradictum eſt in declaratorio Regulæ Cap. 60.

2. Si vero aliquis propter gravem infirmitatem mitteretur de Monaſterio ad Monaſterium; vel ſi contingeret aliquem Monachum adeo eſſe incorrigibilem (quod Deus avertat) ut in proprio Monaſterio propter ſcandalum, aut legitimam cauſam in domo cuſtodiæ detrudi, ſeu puniri non poſſit, ſed in alio Monaſterio eſſet carceri mancipandus, in his caſibus Monaſterium, ex quo mittitur, ultra expenſas itineris, provideat Monaſterio, ad quod eſt miſſus etiam de aliis illi Monacho neceſſariis.

De Monaſteriis noviter acceptandis.

CAPUT VI.

Item de Monaſteriis dimittendis, necnon de illis Monialium in curam recipiendis.

1. Ne facilitate qualibet, ſed mature, & circumſpecte in acceptandis Monaſteriis procedatur, Capitulum Generale (ad quod ſolum hujuſmodi acceptationes pertinere decernimus) cum de acceptando Monaſterio aliquo tractatur: primo inſpiciat, an Monaſteria Congregationis abundent Patribus, qui deputari poſſint reformationi Monaſterii noviter acceptandi. Qui ſi ſuppetunt, mittantur duo graves, & experti Patres ad videndum præfatum Monaſterium, & inquirendum, ſi habet conditiones, quæ requiruntur ad Regularem obſervantiam, videlicet, quod ſit in bono aere, & ſitu ſpatioſo, ſolitario, & non tumultuoſo: & ſi in Civitate, vel extra Civitatem prope milliare, vel circa: ſi non inquietetur bellorum tumultibus: nec graventur Monachi ex itineris longitudine, & in loco, ubi non poſſint fieri turres, & propugnacula: ſi ſit ſine cura Animarum: & habeat officinas utiles, & neceſſarias ad Regularem Obſervantiam; vel ad eas facile reduci poſſit: ſi habeat libros, & Paramenta, & Calices, & cætera neceſſaria ad Divinum cultum: ſi habeat poſſeſſiones, ſive reditus pecuniarum in loco tuto, & pacifico, quæ ſufficiant pro ſexdecim ſaltem perſonis, & aliis Monaſterii oneribus portandis. Quod non ſit ære alieno gravatum, & ſi quæ ſunt hujuſmodi. Quæ omnia diligenter inſpecta, fideliter referant Capitulo, ſive Regimini, aut aliter, prout Capitulum decreverit. Quod ſi omnibus ſupradictis conditionibus (quas pro majori parte præfatum Monaſterium habere volumus) conſideratis; ac etiamſi Monaſterium ſit in Civitate pacifica, ubi veriſimiliter ſperatur Animarum fructus, decreverint acceptandum: non prius mittantur Monachi ad dictum monaſterium, quam unitum fuerit Congregationi per Bullas Apoſtolicas, & niſi officinæ, & manſiones Religioſorum antea fuerint competenter reparatæ.

2. Quod ſi Capitulo Generali videbitur hujuſmodi reformationem intra triennium fieri debere, ipſam committant Regimini, juxta prædictam formam. Quoties autem intra triennium tractandum eſſet de reformatione alicujus Monaſterii, eo quod periculoſa eſſet dilatio uſque ad Capituli tempus, habeatur recurſus ad Præſidentem, qui ſi una cum Viſitatoribus, & aliis Prælatis, ut ſupra in Cap. 3. de annotatione Præſidis de communi conſenſu judicaverint hujuſmodi acceptationem eſſe utilem, & neceſſariam noſtræ Congregationi, mittant duos idoneos Patres ad inquirendum de Monaſterii conditionibus, juxta omnia prædicta, & referant Capitulo proxime futuro, ſi differri poterit. Si autem periculum eſſet in mora, ut prædictum eſt, tunc per ipſos dictos PP. Monaſterium acceptetur, maxime ſi tale eſſet, cujus reformatio cederet in magnum Congregationis commodum, & augmentum. Advertant tamen Regimen, & Patres mittendi ad inveſtigandas Monaſterii conditiones, ne aliquid permittant, aut ſeſe cuiquam obligent verbis, ſed omnia referant Capitulo, vel Regimini terminanda, ut ſupra.

3. Cæterum ſtrictius inhibemus, ne aliquod ex noſtræ Congregationis Monaſteriis dimittatur, aut ab ipſa Congregatione alienetur, niſi ex quatuor, tres partes omnium Patrum, qui habent vocem in Capitulo Generali, conſentiant. Hoc tamen non intelligimus fieri poſſe, niſi in caſu permutationis, ſcilicet ſi dimittatur unum, ut in eadem Diœceſi aliud acceptetur, & præmiſſa Apoſtolica facultate, aliiſque circumſtantiis, de quibus Cap. 3. Regulæ.

4. Si vero de aliquo Monaſterio Monialium ſub cura Congregationis, aut particularis Monaſterii noſtri acceptando tractabitur (quod quantum poſſibile erit, omnino evitandum eſt) niſi de conſenſu duarum ex tribus partibus Prælatorum totius Congregationis, qui in Capitulo Generali intererunt, etiam ad viſitationem tantum acceptari non poſſit.

De Anniverſariis perpetuo celebrandis.

CAPUT VII.

1. Ne tantorum Beneficiorum, gratiarum, ac Privilegiorum, quorum munimine Congregatio noſtra a fel. rec. Eugenio Papa IV. non modo ſtabilita, verum etiam plurimum aucta exiſtit, videamur immemores, ſed pia grati animi officia ejus memoriæ, quantum in Dño poſſumus, rependamus, hac præſenti ordinatione ſtatuimus, ut per omnia noſtræ Congregationis Monaſteria, præſentia, & futura, ſingulis annis die 23. Februarii, Anniverſarium conventualiter pro ejuſdem Eugenii Summi Pontificis felici requie celebretur, & aliud conſimiliter die 19. Sep-

tembris pro R. P. Ludovico Barbo, noſtræ Congregationis præcipuo directore.

2. Fiant præterea annuatim tria Anniverſaria conventualiter: unum pro animabus noſtræ Congregationis: aliud pro Benefactoribus noſtris defunctis: tertium pro Benefactoribus vivis, dicendo Miſſam pro peccatis, quæ Anniverſaria celebrentur per Monaſteria noſtræ Congregationis poſt primum diem Septembris diebus, quibus habilius celebrari poterunt.

3. Poſt feſtum vero omnium Sanctorum Monachorum prima die non impedita, recitetur conventualiter integrum officium Defunctorum, & Miſſa item cantetur pro Defunctis noſtræ Congregationis.

4. Laudamus item piam eam conſuetudinem, quæ in aliquibus noſtris Monaſteriis jam recepta, & ad ea cætera quoque Monaſteria extendi jubemus; ut ſcilicet ſingulo quoque anno aliqua die non impedita menſis Decembris conventualiter recitetur integrum Officium Defunctorum, & ſimiliter cantetur Miſſa pro noſtris Religioſis in eodem Monaſterio Defunctis &c.

Finis.

§. 2. Hinc eſt, quod nos perpetuæ, atque inviolabili præinſertarum Declarationum, & Conſtitutionum firmitati, robori, & efficaciæ, quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulas declarationes ad Regulam S. Benedicti, & Conſtitutiones præinſertas tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes & ſingulos, tam juris, quam facti, & ſolemnitatum quarumcumque in ſimilibus etiam de neceſſitate obſervandarum, & alios quoslibet, etiam quantumvis formales, & ſubſtantiales defectus, etiamſi tales ſint, ut nonniſi facta de eis ſpecifica, & individua mentione ſanari poſſint, ſi qui in præmiſſis principaliter, vel acceſſorie intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi valerent pleniſſime, & ampliſſime ſupplemus, & ſanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Relatæ Declarationes in Regulam, & Conſtitutiones confirmantur.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas, ac Declarationes, & Conſtitutiones præinſertas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod dilecti filii Superiores, & Monachi dictæ Congregationis Caſinenſis, aliive quilibet in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Cauſæ propter quas ipſæ præſentes emanarint, adductæ, ſpecificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, legitima, pia, & privilegiata Cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & ſubſtantiali, individuamque mentionem, & expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

§. 4. Sicque in præmiſſis, & non aliter cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſve quoſlibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum, & Monaſteriorum, aliiſve quibuſvis etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis, quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Congregationi, ejuſque Superioribus, Monachis, & perſonis, aliiſve quibuslibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, & Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe, ac pleniſſime, & ampliſſime derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Eorum ſpecifica derogatio.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Novembris MDCLXXX. Pontif. noſtri Anno Quinto.

Mandatur, ut in toto Statu Eccleſiaſtico ſerventur ſtatuta ſucceſſiones ab inteſtato agnatis maſculis deferentia. LXXXIX.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Nov. 1680. An. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAſtoralis Officii debitum, quo univerſis, præſertim vero populis noſtræ curæ, & ſolicitudini, etiam in temporalibus creditis tenemur, exigit, ut ea provideri, ſtatui, ordinari, & declarari debeant, per quæ illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati conſultum ſit, litiumque diſpendia, & incommoda, quantum fieri poteſt, tollantur, & ceſſent.

§. 1. Cum

Præfata Statuta recenſentur.

§. 1. Cum itaque in noſtra Urbe, peneque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & locis noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Status, & ditionis temporalis Italiæ ordinata ſint, atque vigeant ſtatuta, ſeu decreta, aliæve leges, & ordinationes, Apoſtolica expreſſa, vel tacita, ſive a jure præſumpta confirmatione, & approbatione munita, per quæ, ut agnationum, & familiarum nobilitas, & decor, mediantibus bonis, & divitiis conſerventur, inteſtatæ ſucceſſiones agnatis maſculis, excluſis fœminis, aliiſque per eas cognatis intra certos reſpective gradus deferuntur. Compertum vero ſit, quod nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel reſtrictiones præmiſſorum finem a populis, juxta eorum, ac regionis antiquos, & continuatos mores, impediunt, præfataſque leges, ac proviſiones pene inanes reddunt, ſive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & diſpendia, adeout quandoque expediat potius non deferri, nec aperiri ſucceſſionis beneficium, quod ita in maleficium, propriique aſſis jucturam convertitur; unde propterea iidem populi præfati noſtri Status Eccleſiaſtici, tam immediati, quam mediati Italiæ apud nos eorum voluntatem, ac deſiderium explicantes, preces porrexerunt, ut deſuper opportune providere dignaremur, præfatorumque ſtatutorum, ac legum, ſeu proviſionum, generalem, ac indefinitam obſervantiam, prout jacent, & diſponunt, demandaremus, quibuſcumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeout univerſalis, ac uniformis in quolibet loco ſit ordo ſuccedendi ad propriorum reſpective ſtatutorum, & legum normam, ſeu præſcriptum.

Cauſa hujus Conſtitutionis.

Preces populorum Status Eccleſiaſtici.

§. 2. Hinc nos præmiſſorum populorum, qui Nobis, & Apoſtolicæ Sedi etiam in temporalibus, tam immediate, quam mediate crediti ſunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati, quantum fieri poteſt, conſulere cupientes eorumque votis, & ſupplicationibus annuere volentes. Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnium, & ſingulorum ſtatutorum, decretorum, legum, conſtitutionum, & proviſionum hujuſmodi in dicta noſtra Urbe, & univerſo noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Statu Eccleſiaſtico immediato, & mediato exiſtentium tenores pro expreſſis habentes, perinde ac ſi de illis expreſſa, ſpecialis, & individua mentio facta eſſet, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, mandamus, decernimus, & ſtatuimus, ut in ſucceſſionibus inpoſterum, & poſt præſentium publicationem aperiendis, & deferendis illa ſtatuta, decreta, leges, Conſtitutiones, & ordinationes, quæ in præfatis noſtris Urbe, & Statu Eccleſiaſtico expreſſam in forma ſpecifica, vel etiam in ſola forma communi Apoſtolicam habeant confirmationem, & approbationem, ſive illam habeant tacitam, & præſumptam, quæ ex juris diſpoſitione ob longiſſimi temporis obſervantiam inducitur, generaliter, & indefinite, prout jacent, ac diſponunt ad favorem maſculorum de agnatione, in univerſo aſſe attendi, & ſervari debeant quacumque ſublata conſideratione, vel differentia bonorum, eorumque ſituationis, intra, vel extra territorium, ubicumque exiſtant, & ſive ſint libera, & allodialia, ſeu feudalia, vel emphyteutica, ſeu livelloria, etiam de directo dominio Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, ubi lex inveſtituræ non obſtet, quæ ſalva remaneat. Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel conſideratione ſubjectionis, & reſpective exemptionis perſonarum, tam deſcendentium, quam ſuccedentium, vel excludentium, & excluſarum cujuſcumque ſint ſtatus, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriuſque ſexus, aut de Eccleſiis, & Monaſteriis, aliiſque perſonis, & locis Eccleſiaſticis, vel alias quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expreſſa, & ſpeciali nota dignis.

Præceptum ſervandi ubique, & prout jacent dicta Statuta.

Nec obſtent bonorum differentia, eorumque ſitus; bene vero lex inveſtituræ, ſi ſit contraria.

Item nec ſubjectio, & exemptio perſonarum cujuſcumque generis.

§. 3. Dum non ex ipſorum ſtatutorum, vel ſtatuentium aliqua juriſdictione, vel poteſtate, ſed ex noſtra dumtaxat Apoſtolica auctoritate hunc ſuccedendi ordinem in dicto noſtro ſtatu immediato, & mediato Italiæ, ex juſtis cauſis animum noſtrum digne moventibus ſervari volumus, ac ſtatuimus, attenta ſolum, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & ſexus pro dicto fine aſſequendo. Nullaque etiam ratione habita mixturæ perſonarum non excluſarum in medio exiſtentium, aliave qualitate, ob quam hujuſmodi ſtatutorum, & legum ceſſatio, & reverſio ad jus commune prætendi valeat, adeout unicum, uniforme, ac univerſale ſit jus, & ordo ſucceſſionis ad ipſorum reſpective ſtatutorum præſcriptum, ex præfato agnationis favore. Quodque in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili favore maſculorum de agnatione in excluſionem fœminarum, & cognatorum, tam aſcendentium, etiam matris, quam deſcendentium, & collateralium, hujuſmodi legum & ſtatutorum interpretatio facienda ſit. Ubi vero contingat non verificari ſtatutorum, perſonarum, & bonorum unionem, ſimilitudinem, & combinationem, quam attendi, ac ſervari debere decernimus, vel quod non adſint ſtatuta perſonarum, ſive illa extantia, ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, aut alias quomodolibet ſuum non ſortiantur effectum, tunc ſublata (ut præmiſſum eſt) omni differentia exemptionis, & ſubjectionis perſonarum, & bonorum reſpective, generaliter, & prout jacent, attendi, ac ſervari volumus, decernimus, & mandamus ſtatuta locorum, in quibus bona exiſtunt, ac poſſidentur, ſive agatur de bonis ſtabilibus, ſive de mobilibus, cenſibus, locis montium, officiis vacabilibus, nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis eſſe dignoſcatur, quæ loco non circumſcribuntur, ſed perſonam ſequuntur, & quamvis tam decedentes, quam excludentes, & excluſi exteri ſint, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus non ſubditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes præfata bona, & juxta in prædictis Urbe, & ſtatu cenſentur (contraria voluntate expreſſe non declarata) in animo habuiſſe hujuſmodi bonorum, & jurium ſucceſſionem regulari debere, juxta leges, & ordinationes locorum, in quibus exiſtunt, ac retinentur, prout hunc animum præſumendum eſſe decernimus, ſtatuimus, & declaramus. Quæ vero de inteſtatis ſucceſſionibus hactenus, ut ſupra, ſtatuta, & diſpoſita ſunt, in teſtamentariis quoque ſucceſſionibus attendi, & obſervari debere volumus, ac ſtatuimus, quacumque pariter bonorum, & perſonarum differentia, & conſideratione, ut ſupra, ſublatis, in iis caſibus, in quibus eadem ſtatuta, & leges locales in hac ſpecie teſtatæ ſucceſſionis maſculorum de agnatione favore diſponunt; quoties decedentium contraria expreſſa voluntas non adverſetur.

Nec pariter mixtura in medio exiſtentium perſonarum non excluſarum.

Quemadmodum nec etiã dubium.

At ſi deſit combinatio Statutorum uniuſque loci perſonarum, & bonorum, tunc ſerventur Statuta locorum, in quibus ſunt bona.

Cujuſcumque ea ſint generis.

Et perſonarum, dummodo bona habeant in Statu, nec de earum contraria voluntate conſtet.

Prædicta omnia cuſtodiantur etiã in teſtamentariis ſucceſſionibus ſi deſcendentium voluntas expreſſe contraria non fuerit.

§. 4. Non intendimus autem per præſentem Conſtitutionem, atque in ea diſpoſita, in aliquo derogare, & præjudicare Conſtitutionibus Apoſtolicis rec. mem. noſtrorum prædeceſſorum, Sixti Papæ V., Clementis Papæ VIII., Pauli Papæ V. Urbani Papæ VIII. Innocentii Papæ X., & Alexandri Papæ VII., & aliorum, ſi quæ adſunt, ſuper inhabilitatione forenſium dicto noſtro, & Apoſtolicæ Sedis dominio in temporalibus non ſubjectorum, qui ſtatutis temporibus ad habitandum non veniant, & non obſervent ea, quæ in eiſdem Conſtitutionibus diſponuntur, ac

demandantur; sed illæ salvæ, integræ, & in suo robore, ac firmitate permaneant.

Clausulæ.

Eximuntur Constitutiones pro Forensibus.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, & etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, seu Vicelegatos, aut Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, & quoscumque alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicari, & definiri, ac sententiari debere; necnon quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Ut autem præsentes ad notitiam omnium deducantur,

§. 6. Volumus, & eadem auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis manu alicujus Judicis, seu Prælati aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subscriptis, & sigillo alicujus Notarii publicis munitis, quemadmodum adhiberetur originali, si præsentaretur, ubique adhibeatur, tam in judicio, quam extra illud, plena, & indubitata fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCLXXX. sextodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Placet Motu proprio B.

XC. Confirmantur quædam Constitutiones Monachorum Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Benedicti.

Hujusmodi Constitutiones immutant antiquas, quæ etiam antea pluries immutatæ fuerunt. Vide Urb. VIII. Const. ed. 1624., Decemb. 3. Ejusdem Const. ed. 1624., Aug. 23., & Clem. IX. Const. ed. 1667. Decemb. 15.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 30. Jan. 1681. An. 5.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, & Monachi Congregationis Hispaniarum Ordinis S. Benedicti, quod dudum videlicet die 19. Decembris 1611. nonnullæ recentes Constitutiones, quæ prævia derogatione antiquarum, ex commissione ejusdem Congregationis in Capitulo Generali anno præcedenti 1610. in Monasterio Sancti Facundi de Sahagum celebrato factæ, editæque fuerant, a fel. rec. Paulo Papa V. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis Literas specifice confirmatæ, atque approbatæ fuerunt. Verum quia per rec. mem. Gregorium XIII. quarto idus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ 1572., & successive per Urbanum VIII. Romanos Pontifices prædecessores pariter Nostros tertio nonas Julii 1624. ex voto Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ tributa, & respective confirmata, ac de novo concessa fuerat facultas Capitulo Generali dictæ Congregationis Hispaniarum quotiescumque temporum opportunitas, & rerum vicissitudo exposcere videretur, vel experientia ipsa doceret, Constitutiones Capitulares hujusmodi, etiam a Sede Apostolica confirmatas immutandi, & revocandi, aliasque de novo faciendi, quas magis congruere eidem Capitulo videretur, prout in ipsorum Gregorii, & Urbani prædecessorum Literis desuper expeditis dicitur contineri. Ideo inhærendo facultati hujusmodi Capitulum Generale ejusdem Congregationis Hispaniarum nonnullas condidit Constitutiones, per quas aliquæ ex supradictis a Paulo prædecessore confirmatis immutabantur, & alterabantur, quas etiam dictus Urbanus prædecessor die 3. Decembris ejusdem anni 1624. confirmavit. Sed cum postea in sequenti Capitulo recessum fuisset ab illis, & Decretum, quod observarentur dictæ priores Constitutiones a Paulo prædecessore confirmatæ, ita tamen, ut ibi in eisdem prioribus Constitutionibus electio Abbatiarum demandabatur novem tantum Diffinitoribus, in futurum adderentur alii sex Electores, qui forent illi sex Monachi, ad quorum favorem immediate post novem supradictos ad Diffinitoratus gradum plura fuissent data suffragia; hæ pariter Constitutiones die 23. Augusti 1628. ab eodem Urbano prædecessore confirmatæ fuerunt. Cumque etiam inter cæteras Constitutiones a memorato Paulo prædecessore, ut præfertur, confirmatas statutum legeretur, quod Abbatiæ inter unum, vel aliud Capitulum intermediæ vacantes ab Abbate Generali, tribusque Diffinitoribus, una etiam cum Abbate vicinioribus loco ubi Abbas Generalis prædictus de vacatione certior factus fuisset, providerentur: verum pluries experientia Magistra, compertum fuisset, quod propter Diffinitorum distantiam, admodum difficile reddebantur, & in longum protrahebantur hujusmodi electiones: ideo utendo eisdem facultatibus per præfatos Gregorium, & Urbanum prædecessores concessis, eadem Congregatio in sequentibus Capitulis Generalibus disposuit, ac ordinavit, ut supradictæ electiones in casu magnæ distantiæ dictorum trium Diffinitorum, cum voto quatuor solummodo Abbatum loco de quo supra, proximorum, fieri possent, cum declaratione, quod in æquali distantia Diffinitores Abbatibus præferrentur; & quod in æquali distantia censeretur esse Diffinitor qui octo tantum leucis plus quam Abbas distaret; quodque absentibus a suis Monasterii Abbatibus, idem votum haberent pro electione dictarum vacationum Monachi Capitulares dictorum proximorum Monasteriorum, qui haberentur in antelationibus juxta suos gradus. Hocque etiam a piæ mem. Clemente Papa IX. prædecessore nostro per quasdam suas pariter in forma Brevis die 15. Decembris 1667. expeditas Literas confirmatum fuit. Porro in vim pariter ejusdem facultatis commutandi Constitutiones a Gregorio XIII. concessæ, & ab Urbano VIII. prædecessoribus nostris præfatis confirmatæ, pluribus in Capitulis Generalibus, comperto per experientiam, quod nonnullæ ex dictis Constitutionibus, ut supra, a Paulo prædecessore confirmatis, & quædam aliæ postmodum factæ, non erant Religioni proficuæ, nec de facili practicabiles, aliæque ex antiquis immutatæ, aliæque noviter confectæ fuerunt Constitutiones, ac etiam diversimode ab aliis, ut supra confirmatis, in eisdem Capitulis pluries fuit observatum, & præcipuè quoad infrascripta, videlicet.

A Paulo V. confirmatæ fuerunt nonnullæ recentes Constitutiones a Capitulo Generali editæ.

Capitulum jam antea receperat facultatem immutandi, & novas condendi Constitutiones a Greg. XIII. & iterum postea ab Urb. VIII.

Eadem auctoritate novæ quædam Constitutiones conditæ fuerunt a Capitulo, & confirmatæ ab Urb. VIII.

Nova immutatio circa electionem Abbatum ab eodem Urbano confirmata.

Alia innovatio circa eandem electionem Abbatum a Clem. IX. confirmata.

Rursus pluries Constitutiones immutantur, & aliæ de novo conficiuntur, ut infra.

§. 1. Primo circa numerum Capitularium statutum fuit, ut in antiquis Constitutionibus, & in Brevi Pauli V. illarum confirmatorio, quod non sint plures Capitulares, quam Generalis, qui in illo Capitulo terminat suum Officium; illi etiam, qui Generales extiterunt: qui actualiter sunt Abbates, sive Præsidentes Monasteriorum: Diffinitores immediate præcedentis quadriennii, quod in illo terminatur Capitulo: Magistri, & Prædicatores Generales: etsi aliquis fuerit Concionator Regius, & per Universitatem Salmanticensem de licentia Congregationis, & ejus sumptibus Laureati: & qui in illa fuerint, ut Constitutio disponit Cathedratici: Socius, sive Comes Generalis: ejus Secretarius: Procurator Generalis Romanæ Curiæ in solo Capitulo, quod

Quot, & qui esse debeant Capitulares,

fuerit

fuerit immediatum suo ad Hispaniam accessui: Procurator Generalis Curiæ Regiæ, electus tamen a Congregatione: Abbas denique suspensus. Per varias tamen ejusdem Congregationis dispositiones dictus Capitularium numerus auctus est, quia concessum fuit votum perpetuum iis, qui in septem Capitulis illo potiti fuerint. Qui in quaslibet Universitate approbata Primariam, aut Vespertinam Cathedram Theologiæ Scholasticæ, vel Expositivæ obtinuerint, si in Collegiis Congregationis per duodecim annos completos Theologiam legerint, dummodo tamen sponte se Cathedra non abdicaverint. Vicario etiam Monialium S. Placidi Matriti, Chronico Generali Ordinis, & aliis denique privatis Monachis.

Procurator Curiæ Regiæ votū habeat.

§. 2. Procuratori Curiæ Regiæ per Congregationem fuit etiam votum concessum, esto non sit a Congregatione electus, sed a solo Generali.

Quid agendum in morte alicujus Diffinitoris.

§. 3. Post dictas Constitutiones, & Breve earum confirmatorium, disposuit Congregatio, quod decedente inter unum, & aliud Capitulum aliquo ex novem Diffinitoribus, eo ipso succedat in Defuncti locum Elector, qui in præcedenti Capitulo, plura obtinuit suffragia, post novem, qui Diffinitores fuerunt pronunciati, & successive alii quinque Electores, si contingat totidem obire Diffinitores.

Item quid si Diffinitor ad Generalatum promoveatur.

§. 4. Disposuit etiam Congregatio post Constitutiones præfatas, quod si unus ex novem Diffinitoribus in Generalem electus fuerit, postquam talis fuerit pronunciatus, alius ex Monachis in Diffinitorem in Generalis locum per totam eligatur Congregationem.

De Lectoribus Salmanticensibus.

§. 5. Per Constitutiones, ut supra, confirmatas, fuit absolute dispositum, quod habeant votum perpetuum in Universitate Salmanticensi de licentia Congregationis, & ejus sumptibus Laureati. Per novam autem ejusdem Congregationis dispositionem, restrictum est votum ad eos solum, qui in ea duodecim annos integris legerint, & sexdecim resederint in ipsa Universitate.

De Concionatoribus.

§. 6. Absolute etiam conceditur per Constitutiones confirmatas votum perpetuum Prædicatoribus Generalibus, & per novam Constitutionem eis illud aufertur, si concionari noluerint in locis ipsis ab obedientia assignatis.

De Visitatoribus.

§. 7. In dictis Constitutionibus, & Brevi Confirmatorio Pauli V., fuit dispositum, & ordinatum, quod non sint Visitatores, nec suppletores eorum, sed quod Generalis bis visitet Congregationem in quadriennio per se ipsum, si potuerit, sive per suos Commissarios. Postea vero eadem dispositi Congregatio, ut quatuor Visitatores eligantur in quolibet Capitulo, & quod votum habeant in sequenti, in quo terminatur eorum Officium.

De Magistris, & Prædicatoribus.

§. 8. Item in Constitutionibus supradictis, & Brevi Confirmatorio Pauli V., ponuntur quatuor Magistri, & totidem Prædicatores Generales, & nunc sex Magistri, & sex Prædicatores Generales potiuntur voto perpetuo.

De ordine in electionibus Abbatiarum servando.

§. 9. In dictis Constitutionibus, & Brevi, fuit statutum, & Diffinitoribus injunctum, ut electiones omnium Abbatiarum, tam Monachorum, quam Monialium celebrent, servato ordine antiquitatis Monasteriorum. Per novam tamen Constitutionem Congregationis iste ordo alteratus est, & statutum, ut idem ordo servetur, præterquam in Abbatiis S. Martini Matriti, Salmanticæ, & Hispalis, quæ primo loco eligantur.

De silentio observando a Diffinitoribus.

§. 10. In eisdem Constitutionibus, & Brevi dispositum fuit, ut Diffinitores Electores, in secreto observent usque ad ultimam Capituli sessionem personas electas in Abbates, & Abbatissas, injunctis illis præcepto formali excommunicatione latæ sententiæ, & pœna perjurii, si quoquo modo illas revelaverint. Quam postea dispositionem alteravit Congregatio, permittens revelationem, eo quia nullum afferens præjudicium, neque inconveniens ad nihilum aliud serviebat, quam ad præbendam occasionem scrupulorum perjurii.

De electione nonnullorum Abbatum.

§. 11. In Constitutionibus per Paulum V. confirmatis dispositum fuit, omnes electiones Abbatiarum vacantium inter medium quadriennii, fieri debere per Generalem, tres Diffinitores, & unum Abbatem, ordine in illa præscripto; postea Congregatio disposuit, quod Abbates Collegiorum, & Monasteriorum tres Monachos non habentium, per solum Generalem eligantur.

§. 12. Circa electionem Generalis, statuerunt dictæ Constitutiones, & Breve illarum confirmatorium, ut illa celebretur in speciali sessione, post electiones Diffinitorum, Abbatiarum, & Secretarii Capituli Generalis, quam dispositionem postea Congregatio alteravit, disponendo, quod illa fiat, & celebretur die Dominico immediato post diem ingressus in Capitulum, & in eadem sessione, in qua eliguntur Diffinitores: & quod non regulentur vota usquedum aliæ Electiones factæ fuerint.

De electione Generalis.

§. 13. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quamvis dicta Congregatio alterationes, commutationes, novasque dispositiones hujusmodi respective facere sibi licuisse crediderit, & adhuc firmiter credat, maxime vigore facultatum a memoratis Gregorio, & Urbano prædecessoribus respective concessarum, & confirmatarum, & continue, ut supra, practicatarum, & observatarum ab eadem Congregatione; attamen nonnulli ex Monachis, & Religiosis illius habuerunt, habeantque scrupulum, dubitantes, ne in omnibus supradictis alterationibus, immutationibus, recentibusque dispositionibus ab Apostolica Sede non confirmatis, invalide processum fuerit, sub prætextu, quod facultas per dictum Gregorium prædecessorem concessa a præfato Paulo prædecessore sublata fuerit, quodque confirmatio a dicto Urbano prædecessore emanaverit in forma communi, nec se ad Constitutiones a dicto Paulo prædecessore confirmatas extendat; multoque magis in eis augeatur scrupulus ex eo, quod idem Urbanus prædecessor in alteris literis supradictis subsequenter editis, Constitutiones jam confirmatas præceperit observari. Et licet credi verisimiliter possit, quod his non obstantibus, Congregatio præfata omnia licite peregerit, attento, quod facultas per Gregorium concessa, & per Urbanum prædecessores præfatos, ut supra confirmata, ad mutationem Constitutionum jam factarum, atque confirmatarum restricta non reperiatur, atque ita ad futuras extendi videatur; quodque sicuti nemo melius, quam Religio ipsa, experientia docta agnoscere potest quænam leges sint magis proficuæ, & quarum usum temporum, atque rerum qualitas permittat, ita quoque expediat, ut ipsasmet Constitutiones, & leges ipsas, quoties expedire agnoscit, valeat in melius commutare: nihilominus ad consulendum paci, & quieti totius Congregationis prædictæ, ac ad tollendam a Monachorum mentibus quemlibet scrupulum, atque suspicionem invaliditatis electionum, aliorumque in præteritum, ut supra gestorum, omniumque exinde subsecutorum, ex quibus tota Religio involveretur, prout etiam ad effectum evitandi infinitas invaliditates, quæ oriri possent, Exponentes prædicti opportune a Nobis in præmissis provideri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut supradictas novas Constitutiones, ut præfertur observatas, tanquam legitime factas vigore dictarum facultatum confirmare, & approbare, ac omne id, quod usque adhuc ab eadem Congregatione factum, atque stabilitum reperitur,

Rationes cōtra valorem relatarum Constitutionum.

Aliæ rationes pro earum valore.

Causa Confirmationis prædictarum Constitutionum.

Preces Abbatis Generalis, & Monachorum.

legitimum declarare de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 14. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eisdem Exponentibus petitam confirmationem, quatenus Constitutiones prædictæ Sacris Canonibus, ac Decretis Concilii Tridentini non adversentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Confirmatio dictarum Constitutionum.

§. 15. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Palatii Apostolici causarum Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Hispaniarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Jan. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCI. Permittitur, ut Abbates, & Officiales omnes Congregationis Casinensis pro hac vice tantum ob immutatum Capituli, & Dietæ tempus non amoveantur statim post expletum officiorum curriculum; & Abbati S. Pauli extra Urbem committitur Procuratio Generalis, si quandoque intra triennium vacaret.

Pro secunda parte Constitutionis vide hujus Pontif. Const. edit. 1680. Novem. 22. Pont. V. Item Const. ed. 1687. Martii 21. Pont. XI. ubi confirmatur Decret. pro Ecclesia S. Germani. Necnon Inn. XII. Const. ed. 1691., Jul. 28., Pont. I. pro prima parte.

Dat. 10. Jan. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Definitum fuit, Capitulum generale, & dictam singulis triennis esse celebranda.

CUm Nos, per quasdam nostras in simili forma Brevis die 9. Septembris proxime præteriti expeditas literas motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuerimus, & ordinaverimus, ut tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, quæ quolibet biennio respective celebrabantur, in posterum quolibet triennio a proximo futuro Capitulo Generali, quod tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime venturum celebrari debet, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium continuando, celebrarentur, ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecem mensibus post celebrationem cujuscumque Capituli Generalis pro rebus, & negotiis, quibus interea consulendum fuerit, ante tamen festum Circumcisionis Domini immediate sequens, & non aliter haberi deberet, & alias prout in literis præfatis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Verum sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ex mutatione temporis celebrationis Dietæ hujusmodi, quæ tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrari solebat, necessario consequatur, ut nonnulli Abbates suas residentias sexennales, & pariter aliqui Priores, Magistri Novitiorum, Cellerarii, & alii Ministri Congregationis prædictæ sua respective Ministeria absolvant eo tempore, quo nec Capitulum Generale, nec Dieta ejusdem Congregationis celebretur; atque ita licet juxta Constitutiones ipsius Congregationis auctoritate Apostolica confirmatas a suis respective residentiis, & Ministeriis amoveri deberent, id tamen fieri nequeat, eo quod nullus tunc temporis congressus habeatur, in quo alii eis substituantur. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Mala inde provenientia. Preces Procuratoris Generalis pro opportuno remedio.

§. 1. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut tam Abbates, qui suas residentias, quam Priores, Magistri Novitiorum, Cellerarii, & alii Ministri Congregationis præfatæ, qui sua respective Ministeria sexennalia eo tempore absolvent, quo nec Capitulum Generale, nec Dieta ejusdem Congregationis celebretur, in suis respective residentiis, seu officiis, & ministeriis, usque ad tunc proxime futurum congressum Capituli Generalis, vel Dietæ hujusmodi dumtaxat constituere, suaque officia, & ministeria respective interea obire, & exercere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Præterea si quandocumque contigerit officium Procuratoris Generalis Congregationis prædictæ extra tempus celebrationis Capituli Generalis ipsius Congregationis vacare, officium ipsum per Abbatem Monasterii S. Pauli prope, & extra mœnia Urbis dictæ Congregationis pro tempore existentem juxta Constitutiones prædictas, usque ad Capitulum Generale tunc proxime futurum exerceri debere auctoritate, & tenore prædictis declaramus. Extenditur administratio Prælatorum & officialium omnium pro hac vice ultra præfinitum tempus, ut supra. Item statuitur, ut si vacaverit intra triennium Procuratio generalis, eam gerat Abbas S. Pauli extra urbem.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sor- Clausulæ.

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Januarii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCII. Extenditur Indultum Clementis X. celebrandi festa SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois in tota Hispania ad omnem Galliam.

Festo S. Joannis dies 17. Decembris, festo S. Felicis dies 4. Novem. assignati fuere a Clem. X. Const. ed. 1673., Maii 17. Ab eodem concessum fuit horum festa celebrari posse in tota Hispania ab omnibus Const. ed. 1675., Novem. 14. Dein Cong. anno 1676., Novem. 14. eis adscripsit primos dies non impeditos. Sed iterum ab hoc Pontif. pro S. Joanne dies 8. Feb., & pro S. Felice dies 20. Novemb. determinati fuerunt Const. ed. 1679., Julii 30.

Dat. 28. Maii 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Variæ mutationes circa festa dictorum Sanctorum in Hispania.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius a Sancto Antonio Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor noster die 13. Novembris 1675. indulserit, ut festa Sanctorum Ordinis prædicti Fundatorum, Joannis quidem de Matha die 17. Decembris, Felicis vero de Valois die 4. Novembris quotannis sub ritu Duplici ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in tota Hispania tantum celebrari possent, cum orationibus, & lectionibus propriis approbatis, & concessis dicto Ordini die 5. Maii 1673. a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, cujus Decretum hac super re emanatum idem Clemens Prædecessor die 17. ejusdem Mensis Maii approbavit; & quia dies præfati sunt impediti, eadem Congregatio Cardinalium die 14. Novembris 1676. ad relationem bo. me. Camilli dum vixit ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Maximi nuncupati, Ordinis prædicti apud Sedem Apostolicam Protectoris concesserit, ut in posterum festa præfatorum Sanctorum Fundatorum, tam in universo Ordine Sanctissimæ Trinitatis, quam extra illum in tota Hispania tantum primis diebus non impeditis ab officio novem lectionum celebrari valerent; Idem Ignatius Procurator Generalis, attento quod memorati Sancti Fundatores in Gallia natales habuerunt, & ibidem prædictum Ordinem fundaverunt, ac proinde illos in eo Regno non minori venerationis cultu honorari decet, indultum, & concessionem hujusmodi ad totam Galliam extendi plurium desideret:

Preces Procuratoris Generalis Galliæ pro celebratione dictorum festorum in tota Gallia.

§. 1. Nos igitur ipsius Ignatii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut festa supradictorum Sanctorum Fundatorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois annis singulis in tota Gallia pariformiter celebrari libere, & licite possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Extenditur memoratum Indultum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Maii MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCIII. Extenditur Festum S. Rosæ Limanæ ad Regna, & Dominia Coronæ Lusitaniæ.

Hoc Festum 1. extensum fuit ad universum Americæ, & Indiarum Clerum a Clem. IX. Const. ed. 1668. Septem. 14. Deinde ad Regnum Poloniæ, & Ducatum Lithuaniæ a Clem. X. Const. ed. 1670., Julii 26. ac postea ad Regna, & Dominia Regi Catholico, ac Aug. Imp., & domui Austriacæ subjecta ab eod. Clem. Const. ed. 1670. Aug. 11.

Dat. 30. Junii 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXigit injunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio, ut piis Christifidelium, præsertim orthodoxorum Principum magno in Ec-

clesiam Dei meritorum fulgore conspicuorum votis ad augendam in terris Sacrarum Virginum cum Cælesti Sponso in beata æternitate regnantium venerationem laudabiliter tendentibus favorabilem assensum paterno affectu libentissime præbeamus.

Variæ extensiones Festi dictæ Sanctæ tertii ordinis S. Dominici.

§. 1. Cum itaque dudum, postquam se. rec. Clemens PP. IX. Prædecessor noster per quasdem suas in simili forma Brevis die 12. Februarii 1668. expeditas literas servam Dei Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici in posterum Beatæ nomine nuncupari, atque de ea sub ritu Duplici recitari Officium, & Missam celebrari de Virgine non Martyre singulis annis juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 26. Augusti, & hæc quidem in quibusdam locis dumtaxat ibidem expressis, inter alia indulserat, & subinde per alias suas pariter in forma Brevis literas die 14. Septembris ejusdem anni 1668. emanatas Indultum celebrandi Missam, & recitandi officium hujusmodi de eadem Beata Rosa ad universum Clerum, tam sæcularem, quam regularem quarumcumque Provinciarum Americæ, & Indiarum charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico subjectarum extenderat, rec. me. Clemens PP. X., etiam Prædecessor noster ut de cætero perpetuis futuris temporibus ab universo Clero tam sæculari, quam regulari utriusque sexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia ubivis locorum dicto Carolo Regi, & charissimo etiam in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo, Domuique Austriacæ subjecta, Officium & Missam de memorata Beata Rosa Virgine Limana quotannis die 26. Augusti sub ritu Duplici juxta rubricas præfatas recitari, & celebrari respective valerent, Apostolica auctoritate concesserit, prout in ipsius Clementis X. Prædecessoris literis similiter in forma Brevis die 11. Augusti 1670. expeditis uberius continetur. Et sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris, Nobis nuper expositum fuit, ipse quoque, & Christiani populi Coronæ Lusitaniæ subjecti Beatam Rosam præfatam, quæ Sanctarum Virginum Catalogo juxta S. R. E. ritum a præfato Clemente X. Prædecessore solemniter adscripta fuit, peculiari devotionis affectu prosequantur, & propterea idem Petrus Princeps, ad confovendam eorumdem populorum pietatem, opportune a nobis provideri, ac ut infra indulgeri plurimum desideret:

Preces Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum.

§. 2. Nos piis, enixisque precibus ipsius Petri Principis nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac ternarum literarum præfatarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficientes expressis, & insertis habentes, universo Clero tam sæculari, quam regulari utriusque sexus Regnorum, Provinciarum, Statuum, & Dominiorum quorumcumque dictæ Coronæ Lusitaniæ annis singulis die 26. Augusti sub ritu Duplici juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani, ac servata cæteroqui supradictarum literarum forma, & dispositione, recitandi similiter, & celebrandi respective facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Nova extensio ejusdem Festi ad supradicta Regna, & Dominia.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præfatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Junii MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

---

§. XCIV.

Conceditur Rectori Collegii Fratrum Prædicatorum in Quitensi Provincia facultas conferendi publice gradus Scholasticos in nonnullis disciplinis, donec ibidem erigatur universitas Regia.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Die 23. Julii 1681. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, cura, animum nostrum solicitat, ut pia Religiosorum Virorum propriæ, alienæque saluti operam dantium studia ad Christifidelium præsertim in longinquis Regionibus degentium in Doctrina sana institutionem, atque eruditionem laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus, & gratiis, quantum Nobis ex alto conceditur adjuvemus.

Causæ erectionis Collegii.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius de Quassada Diffinitor, & Procurator Provinciæ S. Catharinæ Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologia Magister, quod cum in illis partibus plurimi sint Infideles, ex quibus multi opera Fratrum dicti Ordinis illic in Vinea Dñi strenue laborantium ad Christianæ Religionis veritatem in dies convertuntur, & longe plures Dño benedicente conversuri sperantur; verum messis quidem cum multa sit, Operarii autem pauci, qui eos in Doctrina sana instruere, & confirmare valeant: dilecti pariter filii Fratres Provinciæ prædictæ provide considerantes nullam in eadem Provincia studii Generalis Universitatem reperiri, ipsamque Provinciam nongentis a Limana, & ter mille milliaribus a Mexicana Civitatibus, in quibus ejusmodi Universitates studiorum generalium, erectæ sunt, distare, ac proinde studiosos partium illarum Juvenes Sacrarum, aliarumque bonarum Literarum studiis operam dandi, seque ad fidei Catholicæ propagationem habiles, atque idoneos reddendi, peractisque studiosis laboribus, præmium graduum literariorum consequendi gratia, longas, periculosasque peregrinationes subire debere, prævio regio consensu, Collegium sub titulo B. Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati intra, vel extra septa Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. dicti Ordinis sua impensa ædificare, in eoque Grammaticam, & Philosophiam publice docere, ac etiam quatuor Cathedras, duas quidem Theologiæ Scholasticæ, aliam Theologiæ Moralis, & quartam Sacræ Scripturæ, quas pro tempore obtinentes S. Thomæ Aquinatis doctrinam Sanctorum Patrum traditionibus, & Universalis Ecclesiæ Decretis conformem docere, erroneasque, & noxias, præsertim in materia morali opiniones, quæ in illis partibus serpere dicuntur, eorumdem Sanctorum Patrum doctrina refellere debeant, de proprio fundare decreverunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Ignatius Collegio hujusmodi, ejusque Rectori, & Cathedraticis pro tempore

Preces Procuratoris Provinciæ S. Ca-

existen-

therinæ de Quito, & causæ Constitutionis.

existentibus facultatem conferendi publice gradus Scholasticos in illis scientiis, quæ in ipso Collegio docebuntur, concedi plurimum desideret, similisque facultas aliis Collegiis dicti Ordinis in quibusdam Civitatibus Indiarum Occidentalium, quæ quadringentorum milliarium intervallo ab Universitatibus publicis remotæ sint, existentibus dudum ult. anno 1619. a fel. rec. Paulo V. ad instantiam tunc existentis Regis Hispaniarum Catholici concessa, & subinde ab Urbano VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris confirmata fuerit; ac ejusmodi prærogativa tam Clerici Regulares Societatis Jesu vigore quorumdam privilegiorum, quam Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in vim quarumdam Apostolicarum in simili forma Brevis literarum in partibus Indiarum hujusmodi de præsenti fruantur: nobis propterea idem Ignatius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio prædictæ facultatis adinstar illius Eremitarum Sancti August., & Clericorum Societatis Jesu.

§. 2. Nos ipsum Ignatium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, qui Zelum, pietatemque dictorum Fratrum Provinciæ de Quito Ordinis Prædicatorum commendarunt, consilio, Rectori pro tempore existenti dicti Collegii intra, vel extra sepia supradicti Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. jam forsan erecti, sive in posterum erigendi gradus Scholasticos in omnibus scientiis Cathedrarum in eodem Collegio jam forsan erectarum, vel in posterum erigendarum quibuscumque studiosis, qui studiorum cursum ibidem peregerint, dummodo tamen prævio rigoroso examine ad id reperiantur idonei, ad formam literarum in simili forma Brevis alias concessarum præfatis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Clericis Regularibus Societatis Jesu auctoritate nostra Apostolica conferendi facultatem donec, & quousque publica Universitas regalis, sicut Limana, & Mexicana in dicta Provincia de Quito constituatur, sive erigatur, dumtaxat duraturam, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, aliis Religionibus in ipsa Civitate Quitensi existentibus: etiam Societatis Jesu, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo etiam ultramontanis Monialibus Conversis S. Francisci de Observantia interdicitur velum nigrum, & quæcunque vox in electionibus denegatur. XCV.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 24. Julii 1681. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Petri Esporrin Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, in Capitulo Generali dicti Ordinis Romæ anno 1639. sub præsidentia bo. me. Francisci dum vixit S.R.E. Cardinalis Barberini nuncupati, ejusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectoris celebrato, quasdam Constitutiones ex antiquis compilatas, & aliquas, seu in illis aliqua de novo addita fuisse pro felici Gubernio Monialium Ordinis prædicti in familia Ultramontana, ipsumque Capitulum Generale non solum easdem Constitutiones approbasse, sed etiam intimari, & observari præcepisse; unam autem ex dictis Constitutionibus Cap. 12. inter alia disponere, quod Moniales Laicæ, seu Conversæ velum nigrum portare non possint, sed album, quodque suffragium non possint dare in electionibus Abbatissæ, Vicariæ, Discretarum, aut majorum Officiorum: & licet hæc omnia in familia Cismontana dicti Ordinis inviolabiliter observentur, aliquam tamen in altera familia notari observantiam, indeque gravissima inconvenientia, & scandala orta fuisse, & novissime maximum in quodam Conventu ex regressu cujusdam Novitiæ Conversæ ad Sæculum, expleto majori sui Novitiatus tempore, & quod cum sub observantia dictæ Constitutionis admissa fuisset, a Monialibus Laicis, seu Conversis professis tantis fuit affecta contumeliis, & minis, ut professionem emittere timuerit; ideoque per dictum Petrum Procuratorem Generalem nomine dilecti etiam filii Ministri Generalis dicti Ordinis præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut Constitutionem prænarratam confirmaret, adhoc ut in toto Ordine uniformiter servaretur, atque ita jurgia, & scandala hujusmodi vitarentur: Eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 13. Maji 1681. emanatum supplicem libellum sibi super præmissis porrectum remisit Venerabili Fratri nostro Alderano Episcopo Tusculano ejusdem S.R.E. Cardinali Cybo nuncupato, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ut veris existentibus narratis, & quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio, & prudentia impertiretur; ipse vero Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet. Alderanus Episcopus Tusculan. S.R.E. Card. Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector.

Constitutio Capituli Generalis pro Monialibus.

Decretum Congregationis.

Aliud Card. Protectoris.

§. 1. Attenta remissione supplicis libelli vigore retroscripti Decreti Nobis facta Oratoris precibus mature examinatis, atque discussis, decernimus, & declaramus, quod nisi in primæva fundatione, aut in aliquo speciali Statuto a Religione, & a Sede Apostolica approbato Monasteriorum Sanctimonialium Ordinis S. Francisci

expresse

expreſſe cautum ſit, quod Moniales Converſæ, ſeu Laicæ velo nigro, & voce activa in electionibus Superioriſſarum, ſeu officialium, & voce paſſiva in conſequendis dd. Monaſteriorum Officiis uti, frui, & gaudere debeant; Conſtitutio facta in Capitulo Generali Romæ celebrato ſub die 11. Junii 1639. executioni omnino demandetur, ſuumque integrum, & plenarium effectum ſortiatur, in quem finem eamdem Conſtitutionem extra tamen caſum præmiſſum auctoritate non ſolum, qua fungimur Protectoris, verum etiam ab eadem Sacra Congregatione Nobis attributa, & conceſſa, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, nullas, irritas nunc pro tunc omnes præfatas electiones, quas cum ſuffragiis prædictarum Monialium Converſarum adverſus præſentem noſtram, & Conſtitutionis prædictæ diſpoſitionem fieri contigerit declarantes, & decernentes. Mandamus igitur omnibus Superioribus regularibus, qui regimini, & gubernio dictorum Monaſteriorum præſunt, quatenus hæc omnia ſublato Monialibus quocumque alio prætextu, & quæſito colore etiam conſuetudinis immemorabilis, & præſcriptæ, executioni demandari faciant, & contra inobedientes, ac contumaces ſuis remediis, & quatenus opus ſit cenſuris Eccleſiaſticis animadvertant. Romæ 5. Julii 1681. A Card. Cybo Protector. Jo: Baptiſta Ruſca.

Preces Procuratoris Ordinis.

§. 2. Cum autem ſicut præfatus Petrus Procurator Generalis nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: nos ipſius Petri Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dño poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum a memorato Alderano Epiſcopo Cardinale, & Protectore editum præinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatio prædicti Decreti.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XXIV. Julii MDCLXXXI. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Erigitur Academia Sanctæ Thomæ Ord. Prædicatorum Civitatis Monilan in Inſulis Philippinis in publicam ſtudii generalis univerſitatem. XCVI.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 7. Aug. 1681. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

INſcrutabili divinæ ſapientiæ, atque bonitatis arcano ad Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Terrarum Orbem diffuſæ regimen, meritis licet imparibus, evecti, ſacrarum, eiſque ancillantium bonarum literarum ſtudia, per quæ depulſa ignorantiæ caligine, mentes veritatis luce illuſtrantur, & non minus Catholicæ Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, quam Juſtitiæ adminiſtrationi, aliiſque Reipublicæ commodis, & ornamentis, privatorumque utilitatibus conſulitur, ubique locorum, & præſertim in remotiſſimis ab hac S. Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, ac incitare, & confovere ſtudemus, ſicut omnibus matura conſideratione perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæque decus, & præſidium, ac ſpiritualem temporalemque Chriſtifidelium utilitatem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

Qua de cauſa, & forma erecta fuerit d. Academia.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Innocentio PP. X. prædeceſſori noſtro pro parte claræ mem. Philippi IV. dum vixit Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quod in Civitate Monilan in Inſulis Philippinis unum ſub denominatione S. Thomæ Collegium Ordinis Fratrum Prædicatorum exiſtebat, in quo triginta Alumni ſæculares educabantur, & Grammatica, Rhetorica, Logica, Philoſophia, ac Theologia Scholaſtica, & Moralis docebantur, ſeu legebantur, magna cum Incolarum illarum partium utilitate. Civitas vero Monilan pluſquam tribus leucarum millibus a vicinioribus ſtudiorum Generalium Univerſitatibus, nempe Limana, & Mexicana diſtabat, & propterea idem Philippus Rex in Collegio præfato Academiam erigi, & inſtitui ſummopere deſiderabat, præfatus Innocentius prædeceſſor ſupplicationibus memorati Philippi Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, in præfata Civitate Monilan in ædibus dicti Collegii, ubi tunc ſcholæ erant, ſeu forſan in ampliorem formam conſtruerentur, Academiam, in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam, & Moralem publice profiterentur, ac Juvenes quoſcumque docerentur, duraturam dumtaxat donec, & quouſque aliqua publica ſtudii Generalis Univerſitas in dicta Civitate Monilan, ſeu illius Provincia Apoſtolica auctoritate erecta fuiſſet, eadem auctoritate, ſine tamen cujuſquam præjudicio, erexit, & inſtituit; Ipſamque Academiam ſic erectam, & inſtitutam curæ, regimini, & adminiſtrationi dicti Ordinis, & illius Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, ſeu ab eo deputandi, qui totius Academiæ Rector exiſteret, præfata

auctori-

auctoritate suppoſuit, ac Rectori ipſius Academiæ, & Collegii pro tempore exiſtenti, ut donec hujuſmodi Academia, ut præmittitur, duraret, illos quos in ipſa Academia ſic erecta per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe reperiſſet, in præfatis facultatibus, quæ in dicto Collegio, ut præfertur docerentur, ſeu legerentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, ac Licentiaturæ, & Doctoratus, necnon Magiſterii gradus, ſervata in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendebat, & alias juxta laudabiles aliarum Academiarum conſuetudines promovere, & ipſorum graduum inſignia eis exhibere valeret, dicta auctoritate conceſſit, & indulſit, cum diverſis facultatibus, gratiis, & Indultis, & alias prout in ipſius Innocentii prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 20. Novembris 1645. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur.

Cauſæ erectionis hujus Academiæ in publicam Univerſitatem.

§. 2. Cum autem ſicut dilectus filius Alphonſus Sandin Procurator, & Diffinitor Generalis Provinciæ Sanctiſſimi Roſarii dictarum Inſularum Philippinarum præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, & erectione Academiæ hujuſmodi maxima in illis partibus ad Animarum ſalutem aſſidue proveniat utilitas, propoſitiſque ſtudiorum præmiis, erexerit ad ipſa amplectenda, & peragenda, præmiaque hujuſmodi promerenda ſtudiorum alacritas; itaut multiplicatæ reperiantur Perſonæ habiles, & idoneæ ad continuandas Sacras Miſſiones, quarum fructus Sancta Mater Eccleſia, Domino benedicente, in dies locupletantur: Verum propter ingentem dictæ Civitatis Monilan a præfatis ſtudiorum Generalium Univerſitatibus diſtantiam ſupradictam, moraliter impoſſibile ſit, ut Incolæ Civitatis, & Inſularum Philippinarum hujuſmodi ad eaſdem Univerſitates, ut ibidem Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, & Medicinæ ſtudiis incumbant, ſe conferant; ac proinde plurimum expedire videatur, ut Academia præfata in publicam ſtudii generalis Univerſitatem, adhoc, ut in ea Sacri Canones, & Leges Civiles, ac Medicina hujuſmodi, quorum ſcientia ad bene ornatam Rempulicam etiam neceſſaria eſt, publice doceri, harumque facultatum Cathedræ a Perſonis ſæcularibus peritis regendæ Benefactorum impenſa ibidem erigi, & gradus ſcholaſtici earumdem facultatum ſtudioſis poſt peracta ſtudiorum curricula conferri valeant, ad inſtar Limanæ, & Mexicanæ Univerſitatum præfatarum erigatur. Nobis propterea dictus Alphonſus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis, opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Prioris Provinciæ SS. Roſarii Ord. Prædicat. in Inſulis Philippen.

§. 3. Nos igitur Incolarum Civitatis, & Inſularum præfatarum commodis quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictumque Alphonſum ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, & attento, quod præfati Alphonſi inſtantia hujuſmodi a dilecto filio nobili viro Gaſparo de Haro y Guſman Marchione de Carpio Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratore ejuſdem Caroli Regis nomine commendata fuit, Academiam in ſupradicto Collegio

Accedit commendatio Regis Catholici.

S. Thomæ Civitatis Monilan Ordinis Prædicatorum a memorato Innocentio prædeceſſore ad ſupplicationem præfati Philippi Regis erectam, ut præfertur, in publicam ſtudii generalis Univerſitatem, in qua etiam Sacri Canones, ac Leges Civiles, & Medicina, publice prælegi, & doceri, harumque ſcientiarum, ſive facultatum Cathedræ a perſonis ſæcularibus habilibus, & idoneis regendæ, & obtinendæ fundari, & inſtitui valeant, ad inſtar præfatarum Univerſitatum Limanæ, & Mexicanæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſine cujuſcumque alterius Univerſitatis ſtudii Generalis præjudicio erigimus, & inſtituimus: Ita tamen, ut Univerſitas hujuſmodi ſic erecta, & inſtituta, donec, & quouſque alia publica Univerſitas Apoſtolica, & Regalis ad formam modo dictarum Univerſitatum, & non aliter aut in eadem Civitate Manilan, aut in aliis Regnis vicinioribus conſtruatur, ſeu erigatur dumtaxat durare debeat; ac eidem Univerſitati ſtudii Generalis ſic per præſentes erectæ, & inſtitutæ, illiuſque Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, cæteriſque Officialibus, Miniſtris, & perſonis, quibuſcumque pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus præfatæ Univerſitates ſtudiorum Generalium Limana, & Mexicana, illarum Rectores, Magiſtri, Doctores, Lectores, Præceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, cæterique Officiales, Miniſtri, & perſonæ quæcumque reſpective tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æque principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia, uti, frui potiri, & gaudere; Rectori autem ipſius Univerſitatis per præſentes erectæ, ut quamdiu Univerſitas hujuſmodi ſicut præmittitur duraverit, illos, quos in eadem Univerſitate per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererit in præfatis facultatibus, ſive ſcientiis, quæ in ipſa Univerſitate docebuntur, ſeu legentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magiſterii gradus, ſervata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum præfatorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles ſupradictarum Limanæ, & Mexicanæ Univerſitatum ritus, & conſuetudines promovere, ſolitaque graduum hujuſmodi inſignia eis conferre, & exhibere; Ipſis vero ad eoſdem gradus per illum ſic promotis, ut poſtea publice, privatimque etiam in omnibus aliis Univerſitatibus ſtudiorum Generalium facultates, ſive ſcientias prædictas reſpective alios docere, & interpretari, de eis diſponere, alioſque actus quoſcumque eorum gradibus, convenientes exercere libere, & licite poſſint, & valeant reſpective, auctoritate, & tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Erectio d. Academiæ in publicam ſtudii generalis Univerſitatē donec alia inſtituatur Apoſtolica, & Regalis.

Ei cōcēduntur privilegia, & jura Univerſitatū, Limanæ, ac Mexicanæ.

§. 4. Decernentes ipſas præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Collegii, Provinciæ, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVII. Conceduntur Tertiariis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum intra claustra viventibus Indulgentiæ, quibus gaudent Fratres ejusdem Ordinis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 8. Aug. 1681. An. 5.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum dd. Tertiariorum.

Cum sicut dilectus filius Josephus Linas Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magister, Nobis nuper exponi fecit, multi in eodem Ordine reperiantur Tertiarii, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra Claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero sit quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant, & propterea idem Josephus Prior Generalis illorum spirituali consolationi, & animarum saluti opportune a Nobis provideri plurimum desideret: Nos ipsius Josephi Procuratoris Generalis Urbis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatis Tertiariis præsentibus, & futuris intra claustra, ut præfertur, viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis Indulgentiis seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus, quibus Fratres Ordinis prædicti utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere, illasque consequi, & lucrifacere libere, & licite possint, & valeant, dummodo tamen ea, quæ pro consequendis Indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac peccatorum relaxationibus hujusmodi præscripta sunt, seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concessio Indulgentiarum Fratrum d. Ordin. Tertiariis facta.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVIII. Declaratur, Tertiarios B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum extra Claustra viventes frui posse Indulgentiis Confraternitatum ejusdem Ordinis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 22. Aug. 1681. An. 5.

Refertur Breve præcedens, quo concessæ fuerunt Tertiariis intra claustra viventibus indulgentiæ Fratrum Ordinis.

Nuper pro parte dilecti filii Josephi Linas Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magistri, Nobis expositio, multos in eodem Ordine reperiri Tertiarios, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero esse quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant. Nos supplicationibus dicti Josephi Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati prædictis Tertiariis præsentibus, & futuris intra claustra, ut præfertur viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus ad instar Fratrum Ordinis prædicti frui valeant sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica indulsimus; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 8. currentis mensis Augusti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut prædictus Josephus Procurator Generalis Nobis subinde denuo exponi fecit præter supradictos, alii reperiuntur memorati Ordinis Tertiarii, & Tertiariæ, seu Bizzochæ, qui, & quæ licet sub Regula Tertiariorum, & habitu prædictis quoque pie, & laudabiliter vivant, votaque simplicia prædicta emiserint, non tamen intra claustra hujusmodi commorantur; Incertum vero pariter sit quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus hi quoque Tertiarii, & Tertiariæ frui valeant; Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum Tertiariorum & Bizzocarum extra Claustra viventium.

§. 1. Nos igitur ipsius Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter quoque annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatos Tertiarios, qui vota supradicta emiserunt, & extra Claustra vivunt, Confraternitatibus Ordinis prædicti adscribi, & adscriptos gratiis, & indulgentiis Confraternitatum hujusmodi frui posse d. auctoritate tenore præsentium declaramus.

Declaratur dd. Tertiarios frui posse Indulgentiis Confraternitatum Ordinis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore

pore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, quod earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

XCIX. Conceduntur Fratribus Oblatis Tertii Ordinis S. Franciſci Provinciæ Franciæ poſt decennium a Profeſſione jura omnia antiquorum Fratrum Laicorum.

Oblatis in ſtatu Laicorum conſtitutis conceſſum fuit ſuffragium in ſolis Profeſſionibus a Clem. X. ed. 1672., Maji 12., Pont. 3. ſed poſtea Conſt. ed. 1675. Maji 28. tributa fuerunt Oblatis jam admiſſis ante primam Conſtitutionem jura omnia Laicorum. Et ab hoc Pont. confirmatæ fuerunt eorum Conſtitut. Conſt. ed. 1688. Martii 13., Pont. 12.

Dat. 27. Aug. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur prædictæ binæ literæ Clementis X.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores Provinciæ Franciæ Tertii Ordinis Sancti Franciſci; quod dudum fel. rec. Clem. PP. X. prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis anno 1672. emanatas literas pro bono Regimine Fratrum Oblatorum, ſeu ſervientium, & Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanæ dicti Ordinis inter alia ſtatuit, ut Fratres præfati, tam Oblati, quam alii, qui ad ſtatum laicalem aſſumerentur, nullo unquam tempore ſuffragiorum jure gauderent, niſi in receptione Novitiorum ad profeſſionem ejuſdem cum eis ſtatus; verum earundem literarum executio ſuſpenſa fuit per tres annos, quibus elapſis Superiores dictæ Provinciæ Franciæ recurſum ad eumdem Clementem prædeceſſorem habuerunt, & ab eo alias pariter in forma Brevis die 28. Maji 1675. expeditas literas obtinuerunt, per quas omnibus Fratribus Oblatis, ſeu ſervientibus, qui in eadem Provincia habitum Religionis ante emanationem primodictarum literarum ſuſceperant, juribus Fratrum Laicorum juxta Ordinis prædicti Conſtitutiones gaudendi privilegium indultum fuit, dummodo tamen per decennium in ſtatu Oblatorum hujuſmodi permanerent, & alias prout in binis literis prædictis uberius dicitur contineri. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Superiores prædicti per hoc temporis ſpatium uſque ad præſens maximam in dicta Provincia tranquillitatem, & pacem ex conceſſione præfati Indulti, illiuſque obſervantia animadverterint, & hujuſmodi praxim pro conſervanda inter Fratres quiete obſervare peroptent: nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Superiorum memoratæ Provinciæ.

§. 1. Nos igitur eorundem Superiorum votis, quantum cum Dño poſſumus favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, ut omnes Fratres Oblati præfatæ Provinciæ Franciæ, tam de præſenti exiſtentes, quam in poſterum in eadem Provincia recipiendi, poſtquam tamen, completo novitiatus anno, in ſuo oblatorum ſtatu per decennium remanſerint, juribus antiquorum Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanæ, & Ordinis præfatorum gaudere poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, ac concedimus, & indulgemus.

Conceſſio dd. jurium oblatis facta.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obſtantibus primodictis Clementis prædeceſſoris literis, aliiſque Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit Provinciæ præfatæ, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

§. 4. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XXVII. Aug. MDCLXXXII., Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua viſitantibus aliquam ex Eccleſiis Monachorum Cæleſtinorum die feſto S. Petri Cæleſtini Papæ V. eorum Inſtitutoris. C.

Dat. 30. Aug. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut cæleſtium munerum Theſauros, diſpenſationi noſtræ a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in Cælis cum Chriſto regnantium Venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Cæleſtinorum nuncupatorum, Ordinis S. Benedicti, nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, ac ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Commu-

Conceſſio dictæ Indulgentiæ.

nione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum dictæ Congregationis Cælestinorum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die Festo S. Petri Cælestini ejusdem Congregationis Fundatoris, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula. §. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXX. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CI. Conceduntur quædam Indulgentiæ Perpetuæ Confraternitatibus Septem Dolorum B. M. V. in Ecclesiis Fratrum Servorum ejusdem B. M. V. erectis.

Concessa fuit Indulgentia Plenaria Confraternitatibus Habitus Servorum B. M. V. ab hoc Pontifice Const. ed. 1678., Janu. 30., Pont. 1. Et Const. ed. 1683., Octobris 24., Pont. 8. confirmatum fuit Summarium Indulgentiarum Confrater. Septem Dolorum.

Dat. 1. Sept. 1681. An. 5. INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. COmmissæ Nobis a Domino dispensationis ratio exigit, ut cælestium munerum thesauros prudenti, fidelique liberalitate erogemus, cum id ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Preces Prioris, & Procuratoris Generalis. §. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Servorum Mariæ Virginis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus Confraternitatum sub titulo Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, tam hactenus in Ecclesiis dicti Ordinis erectarum, quam deinceps quandocumque erigendarum, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui suæ respective Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium Dominica Passionis a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem Dominicæ annis singulis devote visitaverint, ibique pias considerationes septem Dolorum Beatissimæ Virginis, & præcipue Passionis Domini Nostri Jesu Christi fecerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer concedimus.

Indulgentia Plenaria die Dominica Passionis.

Indulgentia 100. dierum per annum. §. 2. Eisdem vero Confratribus, & Consororibus per annum exercentibus se hujusmodi considerationibus, ac meditationibus, ac precibus præsertim, Oratione Dominica, & Salutatione Angelica cum Cantico, *Stabat Mater dolorosa &c.* in Ecclesiis prædictis recitari, aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac ut præfertur, orantibus, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Indulgentiæ Stationum. §. 3. Præterea Confratribus, & Consororibus prædictis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium suæ respective Confraternitatis diebus Stationum Almæ Urbis nostræ in Romano Missali descriptis devote pariter visitantibus, & orantibus, ut supra, quod omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si Ecclesias, tam intra, quam extra eamdem Urbem positas ad id destinatas diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitassent.

Facultas eas applicandi per modum suffragii. §. 4. Utque iidem Confratres, & Consorores tam prædictas, quam alias quascumque Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes dictis Confraternitatibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam forsan a Nobis quomodolibet concessas Fidelium Defunctorum Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, concedimus similiter, & indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ. §. 5. Non obstante nostra, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

CII. Confirmatur Decretum particularis Congregationis, quo declaratum fuit, Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem, diversam ab ea SS. Salvatoris, seu S. Brigittæ.

Dat. 24. Oct. 1681. An. 5. INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum prædictæ Congregationis. EManavit nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotio Fratrum Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Congregatio particularis nonnullorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super negotio Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata ex noviter deductis, & specialiter visis, & mature consideratis Constitutionibus Summorum Pontificum, censuit recedendum esse a Decreto alias die 5. Maji 1677. emanato, ac propterea declaravit Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem sub Regula Sancti Augustini a Sancta Sede Apostolica in Congregationem erectam, diversam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ ab Urbano VI., Martino V., Eugenio IV. erectam, & respective approbatam, & dictæ Religionis Novissimorum professos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos. Romæ 2. Julii 1681. ~ G. Cardinalis Carpineus Archiepiscopus San. Secr.

Preces Prioris Generalis. §. 1. Cum autem sicut dilectus filius Guisle-

nus ab Assumptione Prior Generalis Congregationis dictorum Fratrum Brigittanorum Novissimorum Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Guisleno Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio d. Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Octobris MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CIII.

Componuntur a Pontifice variæ lites ortæ inter Archiepiscopum Mechlinien., & ejus Diœcesis Regulares exemptos.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 20. Maji 1682. An. 6.

Lites hujusmodi pluries examinatæ fuerunt.

CUm inter Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Mechlinienſem ex una, ac dilectos filios Regularium Ordinum Professores Civitatis, & Diœcesis Mechlinienſis, qui ab Ordinaria Jurisdictione exempti sunt, ex altera partibus, nonnullæ controversiæ exortæ, & in particulari Congregatione desuper a Nobis deputata pluries ventilatæ fuerint; Ipsæ vero partes, paternæ charitati nostræ ad concordiam inter eas stabiliendam benigne propensæ, humili obsequio morem gerentes, de controversiis hujusmodi inter se amicabiliter convenerint, Nobisque humiliter supplicaverint, ut opportune desuper providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Hinc est, quod Nos specialem Archiepiscopo, & Regularibus præfatis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac controversias prædictas ad Nos harum serie avocantes, omnemque litem super illis, seu earum occasione emanatam extinguentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut in posterum dictus Archiepiscopus non possit exigere a præfatis Regularibus exemptis, & Apostolicæ Sedi immediate subjectis, in eorum promotione ad Ordines, in benedictione Abbatum, & in licentiis prædicandi, & confessiones audiendi, ac in alia quacumque occasione, obedientiam cum juramento fidelitatis, sed tam ab Archiepiscopo, quam a Regularibus debeat accurate in similibus actibus observari forma, & dispositio Pontificalis Romani in Alma Urbe nostra novissime impressi: licitum autem sit iisdem Regularibus gestare in publicis processionibus cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Reliquias, & Imagines Sanctorum, hoc tamen servato, ut dictæ Reliquiæ, & Imagines portentur in principio processionis inter prima lumina, itaut inter ipsas, & Sanctissimum Sacramentum sit rationabilis, & competens distantia. In ipsis vero processionibus procedatur cum omni debita modestia, & devotione, nec illæ fiant per plateas, & vias mercatuum, ac ubi Populus in profanis cœtibus occupatus sit, non tamen liceat dictis Regularibus facere processiones hujusmodi extra Claustra suorum Conventuum, nisi duabus tantum vicibus in anno, una intra Octavam festivitatis Corporis Domini, & altera in una die Dominica, vel festiva de præcepto tantum, determinanda ab iisdem Regularibus, cum approbatione præfati Archiepiscopi, intra terminum unius mensis; cum expressa tamen declaratione, quod quidquid supra stabilitur circa prædictas processiones, non intelligatur suffragari illis Societatibus, & Confraternitatibus, quæ in Ecclesiis ipsorum Regularium erectæ, aut illis adscriptæ sint. Occurrente autem aliqua publica, & gravi causa, quæ reiterationem similium processionum requireret, non possint Regulares eas facere absque præcedente expressa licentia præfati Archiepiscopi, qui eo casu poterit providere secundum dictamina propriæ prudentiæ, & pietatis. Porro liceat iisdem Regularibus exemptis in eorum Ecclesiis absque alia memorati Archiepiscopi licentia, horis vespertinis exponere venerationi Populi præfatum Sanctissimum Sacramentum in Ostensorio, diebus, & festis infrascriptis: Videlicet, in omnibus Dominicis anni, in festis Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Circumcisionis Domini, secundo, & tertio diebus Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, in festo Ascensionis Domini, in Octava Corporis Domini, in omnibus Beatissimæ Virginis Mariæ festivitatibus de præcepto, in festis Sanctorum Apostolorum, in die Omnium Sanctorum, in die Dedicationis Ecclesiæ, in festivitate Protectoris ejusdem, intra mensem a Regularibus eligenda, si Ecclesia plures uno habuerit, in diebus Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, ac Sanctorum Petri, & Pauli, & in festivitate Fundatoris Ordinis. Ac pariter licitum sit, ut supra præfatis Regularibus exemptis exponere iisdem horis vespertinis, sed in Ciborio, præfatum Sanctissimum Sacramentum singulis quintis feriis, aut alio die feriato intra terminum unius mensis, ut supra eligendo; licita quoque sit, ut supra expositio in Ostensorio mane tempore Missæ principalis, in iis tamen locis tantum ubi hactenus consuetum est, in diebus festivis tantum infrascriptis; Nempe Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Domini, & matutino tempore illius diei intra Octavam Corporis Domini, qua processio supra

Preces partium pro compositione dd. litium.

A Pontifice nonnullæ fiunt Ordinationes circa Obedientiam cum juramento.

Circa gestationem Reliquiarum.

Circa Processiones.

Circa expositionem SS. Sacramenti.

enuntiata fiet, ac in festivitatibus Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum. In omnibus autem expositionibus supradictis non possit populo dari nisi una tantum benedictio cum Sanctissimo Sacramento; nec idem SSmum Sacramentum possit eodem die publice exponi in pluribus Altaribus ejusdem Ecclesiæ, nec postquam in uno Altari expositum fuerit, ad aliud Altare, ut ibi pariter exponatur, transportari valeat. Quod si Sacra Communio eodem tempore quo Sanctissimum Sacramentum expositum sit, administranda fuerit, id fiat in Altari diverso, sumendo Sanctissimum Sacramentum ex Ciborio, & finita Communione reponatur in Tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit. Denique circa idem Sanctissimum Sacramentum dum expositum fuerit, debeant ardere ante illud continuo saltem decem Candelæ ex cera candida, & pariter ibidem assistere absque intermissione duo Religiosi genuflexi.

Clausulæ. §. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXII., Pontificatus nostri Anno Sexto.

CIV. Confirmatur Pontificis Decretum, quo vetita fuit Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanæ electio Sociorum ad Generale Capitulum mittendorum.

Dat. 12. Julii 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Electio dictorum Sociorum juxta Constitutiones Congregationis.

CUm Nobis innotuisset, in Congregatione Mantuana Fratrum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo ex præscripto Constitutionum ipsius Congregationis servari, ut quilibet Conventus, in quo sex Fratres in Sacro presbyteratus ordine constituti de familia residerent, suum eligeret socium, qui ad Capitulum Generale d. Congregationis accederet in eoque voti, sive suffragii prærogativam haberet. Verum ejusmodi Sociorum electionem, & ad Capitularia comitia accessum non solum præfatæ Congregationi, ejusque Conventibus multum adferunt dispendii, sed etiam prorsus inutiles esse, cum finis, cujus gratia introducta fuerat hujusmodi Sociorum electio, aut cessasset, aut variis artibus eluderetur, aut aliunde melius obtineri valeret, quin etiam eorumdem Sociorum in Capitulis Generalibus interventum electionibus, aliisque actibus ibidem fieri solitis, quo minus recte, atque ordine fierent, multum impedimenti, atque perturbationis invehere. Nos die 16. Martii proxime præteriti, attentis præmissis, aliisque justis de causis animum nostrum moventibus, expresse mandavimus, ut occasione tam Capituli Generalis tunc de proximo, quam aliorum quorumcumque in perpetuum celebrandorum, nullatenus a Conventibus dictæ Congregationis Mantuanæ deveniretur ad electionem Sociorum & quatenus pro tunc imminenti illorum electio secuta fuisset, sic electi non possent ad illud se transferre, & si qui ad locum pro eodem Capitulo destinatum jam se contulissent, in eo suffragari minime valerent, sub pœnis contra facientibus privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrio nostro imponendis, & alias, prout in Decreto desuper jussu nostro die prædicta expedito; cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causæ non permittendi hanc electionem.

Decretum S. Pontificis eam reprobans.

Utilitas hujus Decreti. §. 1. Cum autem (sicut accepimus) novissime præteritum Capitulum Generale præfatæ Congregationis Mantuanæ subinde absque dictorum Sociorum interventu juxta dispositionem dicti Decreti nostri celebratum fuerit, indeque experientia cognitum sit ipsius Decreti observationem eidem Congregationi multum emolumenti, atque utilitatis attulisse, ac proinde facile sperari possit, eam in futurum quoque non minus utilem, atque proficuam fore.

Illud confirmatur a Pontifice Motu proprio sub certis pœnis. §. 2. Hinc est, quod nos firmiori ejusdem Decreti stabilimento ex commissæ nobis cœlitus dispensationis munere providere, ac memoratæ Congregationis commodis, & utilitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero cujuscumque Capituli Generalis dictæ Congregationis Mantuanæ pro tempore celebrandi occasione, ejusmodi Socii a Conventibus ipsius Congregationis ullo modo eligantur, nec ad Capitulum Generale hujusmodi pro tempore celebrandum accedere, in eoque suffragari audeant quovis modo, seu præsumant, sub privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, aliisque nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis pœnis, tenore præsentium perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & audiri, nec causa propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata Causa, prætextu, colore, vel capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi.

fringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris, seu Constitutionum Congregationis præfatæ reduci, seu adversus illas oris aperitionis, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Ordinis, & Congregationis Mantuanæ, ejusque Conventuum quorumcunque, & aliis quibuslibet, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, & Conventibus, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CV. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ord. Carthusien., quo statuitur, ne quis utatur privilegiis aliorum Regularium in nonnullis casibus sine consensu Rev. P., aut Capituli Generalis.

Privilegia aliorum Regularium d. Ordini concessa fuerunt a Greg. XV. Const. ed. 1623., Febr. 3. P. 2. ab Alexandro III. confirmatus fuit Ordo Constit. ed. 1176., Sept. 2., P. 17., & ab hoc Pontifice approbata fuere illius nova statuta Constit. ed. 1688., Martii 27. P. 12., item extat confirmatio alterius Decreti Capituli pro quadam Taxa Constit. ed. 1682. Aug. 24. P. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 31. Julii 1682. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

Causa d. Decreti extitit abusus Privilegii a Greg. XV. concessi.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Carthusien., quod cum fel. rec. Gregorius PP. XV. prædecessor noster eidem Ordini Privilegia aliis Regularibus concessa gratiose communicaverit, Capitulum Generale dicti Ordinis anno 1679. celebratum, ut statuta ipsius Ordinis, quæ præcipue ob solitudinem, & silentium, specialia, & strictiora, quam aliorum Ordinum sunt, illibata servaret considerans, ex communicatione privilegiorum hujusmodi aliquos ejusdem Ordinis Monachos inveniri, qui sibi placentia licere putarent, & prætextu opinionum quorundam Theologiæ moralis Doctorum de hujusmodi privilegiis nimis large sententium, atque etiam quorundam verborum in ipsis Literis Apostolicis contentorum, quæ pro suo captu interpretabantur, statuta prædicta penitus evertere conarentur, illaque per privilegia hujusmodi abrogata esse censentes, se iisdem privilegiis frui debere pertinaciter assererent, ad præcludendam tot erroribus viam, prævertendamque animarum perniciem, quæ inde potuisset exoriri, decretum, seu Statutum edidit tenoris, qui sequitur videlicet. Ex Sedis quidem Apostolicæ gratia Ordo gaudet communicatione Privilegiorum aliorum Regularium Ordinum, ut patet ex Bulla Gregorii PP. XV. sed ne ullus unquam abusus ex tam amplis privilegiis irrepat inter nos contra mentem Ordinis, & ipsius Sedis Apostolicæ, quæ juxta exigentiam temporum, privilegia ipsa explicat, aut restringit, statuimus, & ordinamus, ne ulla persona Ordinis possit uti privilegiis aliis Regularibus concessis circa casus, censuras, & dispensationes, quæ in nostris Statutis expressa non habentur, absque scitu, & consensu Rev. Patris, aut Capituli Generalis, ad quod pertinet privilegiorum istorum dispensatio. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis Statutum, seu Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nobis propterea dilecti etiam filii Superioris Generalis dicti Ordinis, ac Capituli Generalis prædicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum Capituli Generalis.

Preces Superioris, ac Procuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur Superiorem Generalem, & Procuratorem Generalem præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, præinsertum Decretum, seu Statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio supra relati Decreti.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit dicti Ordinis, aliiſve quibuſvis etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur; quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XXXI. Jul. MDCLXXXII. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

CVI.

Transfertur Indulgentia Plenaria perpetua in Feſtis SS. Placidi, & Mauri ad Feſta SS. Zoili, & Felicis in Monaſterio S. Zoili de Corrion Palentinæ Diœceſis.

Prædicta Indulgentia in Feſtis SS. Placidi, & Mauri conceſſa fuit a Clemen. X. Conſtitut. ed. 1671. Dec. 19. P. 2.

Dat. 24. Aug. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas, & Monachi Monaſterii Sancti Zoili Loci de Carrion Palentinæ Diœceſis Ord. Sancti Benedicti, quod inter alias Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Chriſtifidelibus Eccleſias Ordinis ejuſdem S. Benedicti viſitantibus, a diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſas, fel. recor. Clemens Papa X. Prædeceſſor pariter Noſter, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Monaſteriorum, tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium, eatenus erectis, & in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus in Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ, ac Placidi, & Mauri feſtis diebus, necnon die decima tertia Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti Commemoratio ibidem fieri ſolet a primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, quo die ex prædictis id egiſſent plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino in perpetuum conceſſit, prout in literis Apoſtolicis deſuper in ſimili forma Brevis die decima nona Decembris 1671. expeditis uberius continetur.

A Clemen. X. conceſſa fuit præd. Indulgentia in feſtis S. Benedicti, Scholaſticæ, Placidi, & Mauri.

Preces Abbatis, & Monachorum.

§. 1. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat præfata Eccleſia Monaſterii S. Zoili de Carrion a Chriſtifidelibus illarum partium, diebus feſtis Sanctorum Placidi, & Mauri, minus frequentetur, majorque ad illam confluat Fidelis Populi multitudo in diebus Feſtis Sanctorum Zoili, ac Felicis Martirum quorum Corpora (ut pie creditur) in eadem Eccleſia honorifice collocata ſunt. Nobis propterea d. Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Tranſlatio præfatæ Indulgentiæ.

§. 2. Nos igitur ſupplicationibus eorumdem Abbatis, & Monachorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam plenariam diebus feſtis Sanctorum Placidi, & Mauri conceſſam, ut præfertur, quoad Eccleſiam Monaſterii S. Zoili de Carrion dumtaxat in diebus feſtis eorumdem Sanctorum Zoili, & Felicis Martyrum; itaut Chriſtifideles vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, qui de cætero eamdem Eccleſiam in diebus feſtis memoratorum Sanctorum Zoili, & Felicis a primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi, ut ſupra oraverint, quo die prædictorum id egerint eamdem plenariam Indulgentiam omnium peccatorum ſuorum, & remiſſionem conſequantur, quam conſequerentur ſi in ipſis feſtivitatibus Sanctorum Placidi, & Mauri Eccleſiam prædictam viſitarent, ſervata tamen cæteroqui ſupradictarum literarum forma, & diſpoſitione, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo transferimus; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcator. die XXIV. Aug. MDCLXXXII. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

CVII.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de electione S. Ignatii de Loyola in Patronum Regionis Cantabriæ.

Similem electionem S. Joſephi habes Conſtit. ad 1671. Apr. 19. P. 3.

Dat. 7. Sept. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præpoſitorum emanavit ad favorem dilectorum filiorum Communitatum, ac Univerſitatum, & hominum, Civitatum, & Locorum, Regionis illius Cantabriæ, quæ Hiſpanice Vizcaja nuncupatur Decretum tenoris, qui ſequitur: videlicet. Sacra Rituum Congregatio ad relationem Emi, & Rmi Dñi Cardinalis Columnæ, cognita cauſa, quod Regio illa Cantabriæ, quæ hiſpanice Vizcaja nuncupatur per omnium Civitatum, & Locorum ſuffragia elegit ſibi Patronum unicum Sanctum Ignatium de Loyola Societatis Jeſu Fundatorem ob præſtantem ejus Sanctitatem, & ſpecialem omnium propenſionem in eum, utpote illius dominatus originarium, & hujuſmodi electio facta fuit ſervatis ſervandis juxta Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos ab eadem Sacra Congregatione juſſu fel. rec. Urb. VIII. ſub die 23. Martii 1630. emanatum, prædictam electionem approbavit, & confirmavit: Et de præfato S. Ignatio, ut præfertur in unicum Patronum principalem ſic electo, prærogativas omnes eiſdem

Decretum præd. Congregationis.

unicis Sanctis Patronis principalibus competentes decrevit, juxta tamen Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, & ad formam Constitutionis ejusdem Urbani VIII. super observatione festorum die 13. Septembris 1641. edit. hac die 22. Augusti 1682.-- Cæs. Card. Fachenettus -- Bernardus Casalius Sacr. Rituum Congregationis Secretarius.

Preces Populorum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Communitatum, ac Universitatum, & hominum præfatorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Dat. Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCLXXXII. Pontificatus nostri anno Sexto.

CVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum quo declaratur, licere Monachis Carthusien. Papiæ instituere Processionem in Festivitate Corporis Christi apertis Januis intra Claustra.

De Privilegiis Carthusianorum vide Const. ed. 1682. Julii 31. P. 6. Item Constit. ed. 1688. Octob. 18. P. 6.

Dat. 11. Sept. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Congr. prædictæ contra Promotorem Fiscalem Mensæ Episcopalis Papiæ.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris qui sequitur, videlicet. In Congregatione Sacrorum Rituum proponente Emo, & Rmo D. Cardinali Ludovisio, discussa causa controversiæ processionis fieri solitæ solemnitatis SSmi Corporis Christi verten. inter Monachos Carthusianos Papiæ, & Promotorem Fiscalem Mensæ Episcopalis ejusdem Civitatis, eadem Sacra Congregatio utraque parte hinc inde audita, & informante, declaravit licere Patribus Carthusiæ Papien. facere Processionem in festivitate Corporis Christi apertis Januis intra Claustra, & ita decrevit die 22. Augusti 1682. -- Cæs. Cardinalis Fachenettus -- Bernardus Casalius Sac. Rit. Congregationis Secret.

Preces Prioris, & Monachorum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Monachorum Monasterii Papien. Ordinis Carthusien. Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent, Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CIX. Confirmatur Summarium Indulgentiarum, & facultatum Confraternitati Servorum, sive Septem Dolorum B. M. V. concessarum.

Aliæ Indulgentiæ huic Confraternitati concessæ fuerunt Constit. ed. 1681. Septem. Pont. 5.

Dat. 24. Oct. 1682. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Plures Indulgentiæ, & facultates concessæ fuerunt d. Confraternitati.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti filii Vicarius Generalis, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quod nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri quasdam Indulgentias, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes Confratribus, & Consororibus Confraternitatis sub titulo Servorum, sive Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis erectæ, & institutæ, sub certis modo, & forma tunc expressis concesserint, ac Priori Generali, eoque absente Vicario Generali dicti Ordinis similes Confraternitates erigendi, & instituendi, illisque Indulgentias, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes hujusmodi communicandi facultatem tribuerint; Summarium earumdem Indulgentiarum, aliarumque gratiarum confectum, ac de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ a quodam ipsius Congregationis Consultore eum originalibus Literis Apostolicis concessionum hujusmodi collatum, & recognitum fuit, tenoris, qui sequitur.

Summarium Indulgentiarum recognitum.

Indulgenze della Compagnia di S. Maria de' Servi, detta de' Sette Dolori.

Indulgenza Plenaria nel giorno, che si veste l'abito.

I.

La Sa. me. di Paolo V. rivocando tutte l'Indulgenze concesse da' suoi Predecessori, concede ad ogni fedel Christiano dell'uno, e dell'altro sesso, che pigliaranno il solito Abito della Beata Vergine de' Servi, & entraranno nella predetta Confraternità nel primo giorno del loro ingresso, se veramente pentiti, e confessati, si comunicaranno, Indulgenza plenaria.

Nel giorno della Principale Festa.

II.

Alli Confrati, e Sorelle di detta Confraternità, che nel giorno della Festa Principale di detta Confraternità dalli primi Vespri, sino al tramontar del Sole, veramente pentiti, confessati, e communicati divotamente visitaranno la Chiesa, dove è eretta detta Confraternità, & ivi pregaranno Iddio con devote Orazioni per la concordia de' Prencipi Cristiani, estirpazione dell'Eresie, esaltazione della Santa Madre Chiesa Indulgenza plenaria.

Nel punto di morte.

III.

In articolo di morte alli detti Confratelli, e Consorelle, che pentiti, e confessati, e communicati, ò non potendo ciò fare, almeno veramente pentiti invocaranno divotamente il nome di Gesù con la bocca, se potranno, ò col cuore, Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati.

Altre Indulgenze in alcune Festività.

IV.

In oltre alli Fratelli, e Consorelle parimente pentiti, confessati, e communicati, che similmente visitaranno la Chiesa, Cappella, ò vero Oratorio della detta Confraternità nella Natività, Annunciazione, Purificazione, & Assunzione della Beata Vergine da primi Vespri, sino al tramontar del Sole di dette Feste, e pregaranno Iddio, come sopra; sette anni, e tante Quarantene.

Nella Processione del Mese.

V.

A quelli, che interverranno alla Processione da farsi per detta Confraternità in una Domenica del mese con licenza dell'Ordinario, se saranno pentiti, confessati, e comunicati, come sopra; trè Anni, e tante Quarantene.

Nel giorno di Venerdì.

VI.

A quelli, che ogni Venerdì in memoria, & onore della Passione di Gesù Cristo Signor Nostro recitaranno cinque Pater, e cinque Ave, pregando Iddio per l'esaltazione di Santa Madre Chiesa, se nel medesimo giorno, si saranno confessati, e communicati, sette anni, & altrettante Quarantene.

Nell' accompagnamento del SS. Sacramento.

VII.

A quelli, che accompagneranno il Santissimo Sagramento dell' Eucaristia all' Infermi, pregando Iddio per loro salute, ogni volta cinque anni, e tante Quarantene.

Nella recitazione dell' Offizio.

VIII.

A quelli, che insieme recitaranno l'Offizio della Beata Vergine nella Chiesa, ovvero Oratorio di detta Confraternità; cento giorni d'Indulgenza.

Nella presenza alle Messe, e Divini Uffizj &c., e nel fare opere pie.

IX.

A predetti Fratelli, e Consorelle, che saranno presenti, & interverranno alle Messe, & altri Divini Offizj da celebrarsi, e recitarsi da detti Confratelli nella Chiesa, ovvero Oratorio di detta Compagnia, o interverranno alle Congregazioni publiche, o private di detta Confraternità in qualsivoglia luogo si faranno, ovvero accompagnaranno i corpi de loro Defonti Confratelli, o di qualunque altro alla Sepoltura, ovvero faranno qualunque altra opera pia, o caritatevole ogni volta sessanta giorni d'Indulgenza.

X.

Con facoltà al Padre Generale dell'Ordine de' Servi *pro tempore* erigere, & instituire dette Compagnie de'Laici dell'uno, e l'altro sesso nelle Chiese dell'Ordine, dove sia Convento almeno di sei, o cinque Frati professi Sacerdoti del suo Ordine con licenza, e consenso dell'Ordinario del Luogo, e di comunicar loro tutte le sopradette Indulgenze, e grazie spirituali servata la forma della Costituzione di Clemente VIII. *Quæcumque &c.* Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Februarii 1607.

Il Generale dell'Ordine puole fondare altre Confraternità, secondo il Breve di Paolo V.

XI.

L'istesso Sommo Pontefice concede Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati a i Fratelli, e Consorelle delle dette Confraternità canonicamente erette nelle Chiese dell'Ordine, che interverranno divotamente alla Processione solenne solita farsi dalla Confraternità ogni terza Domenica del mese nelle Chiese sudette veramente pentiti, confessati, e comunicati divotamente pregando per la concordia de' Prencipi Christiani, estirpatione dell'Eresie, & esaltazione della Santa Madre Chiesa. Dat. Romæ die decima Martii 1611.

Indulgenza Plenaria nella Processione d'ogni terza Domenica.

XII.

E perche non in tutti i luoghi è solito farsi detta Processione nella terza Domenica del mese, l'istesso Sommo Pontefice concede Indulgenza plenaria alli Fratelli, e Consorelle della detta Compagnia, che interverranno divotamente alla detta Processione in una qualsivoglia Domenica del mese, che si farà nelle Chiese dell'Ordine, conforme alla consuetudine delle Città, e Luoghi, se veramente pentiti, e comunicati, e pregaranno Iddio, come sopra sub Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1611.

XIII.

L'istesso Sommo Pontefice da facoltà al Generale *pro tempore*, & in assenza al di lui Vicario Generale dell'Ordine de' Servi d'eriggere, & instituire nelle Chiese dell'Ordine Confraternità conforme alla forma prescritta di sopra, e comunicar loro dette Indulgenze, ancorchè non vi abitino almeno cinque Frati Sacerdoti professi, & in oltre concede, che i Fratelli, e Sorelle delle Compagnie sudette, innanzi li 14. Febraro 1607. instituite in Chiesa, dove non fossero almeno cinque Sacerdoti professi godano tuttavia l'Indulgenze della Compagnia, facendo l'opere prescritte. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris 28. Julii 1607.

Facoltà data al Padre Generale, o Vicario Generale da Clemen. VIII.

XIV.

La Sa. me. d'Urbano VIII. concede al Prior Generale dell'Ordine de' Servi, facoltà anco di erigere la sudetta Compagnia nelle Chiese de' Secolari, con il consenso però espresso dell'Ordinario del Luogo, e Rettore di dette Chiese, e conforme alla prescritta forma di Paolo V. ne' Brevi sopradetti, e di comunicarle tutte l'Indulgenze da detto Paolo V. concesse alla medesima Confraternità, & inoltre di poter il Prior Generale per una sol volta destinare nelle dette Chiese Secolari li Sette Altari, che divotamente visitati dalli Confratelli, e Sorelle di queste Confraternità da eriggersi in virtù di tal facoltà conceduta da Urbano VIII., e osservando essi l'altre cose per guadagnare le dette Indulgenze, e grazie spirituali, che questi le conseguischino, come nel Breve dato li 18. Settembre 1628.

Altra facoltà conceduta da Urb. VIII.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Vicarius Generalis, & Procurator Generalis præfati, præmissa, quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos

Preces Vicarii, & Procuratoris.

specialem

specialem ipsis Vicario Generali, & Procuratori Generali gratiam facere volentes; & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Summarium præinsertum, cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Summarii.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Octobris MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CX.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris circa abrogationem Commissariorum Generalium pro Provinciis Indiarum Orientalium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

De Commissariis Generalibus Indiarum, vide Urbani VIII. Const. ed. 1625., Novem. 20. P. 3.

Dat. 23. Dec. 1682. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX debito pastoralis officii, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ altitudo humilitati nostræ, viribus licet, & meritis longe impari, imponere dignata est, paternam Christifidelium qui e fluctibus sæculi in portum vitæ religiosæ confugerunt, curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur libenter corroboramus.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ambrosius ab Assumptione Frater expresse professus, ac Procurator Provinciarum S. Thomæ Apostoli, & Matris Dei in Indiis Orientalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod Venerabilis Fratrer Noster Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybus nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector inhærendo quibusdam patentibus literis a dilecto filio Petro Marino Sormano Generali ejusdem Ordinis die 21. Maji proxime præteriti emanatis, easque opportune declarando, & quæ deerant supplendo, decrevit, & mandavit, ne de cætero Commissarii Generales ad dictas Provincias amplius deputentur, variasque ordinationes fecit, tam circa deputationem Præsidum, & Conjudicum; qui Causas appellationum in eisdem Provinciis cognoscant, & fine debito prout juris fuerit terminent, quam circa Commissarios ad visitandas Provincias hujusmodi, celebrandaque illorum Capitula Provincialia deputari solitos; necnon circa præcedentiam dictis Præsidibus decernendam, & alias, prout uberius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Literis patentibus desuper expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum Card. Protectoris cum altero Ministri Generalis.

§. 2. Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector.

§. 3. Dilectis Nobis in Christo Patribus Provincialibus, Provinciæ Patribus, Custodi, Diffinitoribus, cæterisque aliis Patribus, & Fratribus Provinciarum nuncupatarum S. Thomæ Apostoli, & Matris Dei in Indiis Orientalibus salutem, & divinorum Chrismatum incrementum. Fr. Ambrosius ab Assumptione Provinciæ Matris Dei Pater, & Commissarius Generalis Terræ Sanctæ, quem procuratorio nomine ad Capitulum Generale, & ad Romanam Curiam pro utriusque vestræ Provinciæ negotiis ablegastis, exhibuit Nobis quasdam Literas patentes Patris Petri Marini Sormani Moderni Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci datas in Conventu S. Joannis Regum Toleti sub die 21. Maii 1682. quarum tenor est, quod attenta petitione per dictum Procuratorem nomine vestro ei oblata, visis, & prævia consultatione nonnullorum Patrum graviorum mature perpensis rationibus per vos, Procuratoremque vestrum præfatum exhibitis, ne imposterum ob maximam paupertatem, & angustiam, qua vestræ Provinciæ premuntur, Commissarii Generales ad easdem Provincias deputentur, prælatus Minister Generalis tum ad evitandos maximos sumptus in deputatione, & Missione dictorum Commissariorum, fieri consuetos, tum etiam ut electiones vestræ majori cum pace, ac fine alicujus præpotentia perfici possent, statuit atque decrevit dictas Provincias vestras ab hujusmodi onere, & dispendiis eximere, ac proinde tales Commissarios Generales non amplius deputare, nec ab aliis imposterum deputandos fore, prout in dictis Literis patentibus expresse, & latius continetur. Cumque idem Fr. Ambrosius ab Assumptione easdem literas patentes auctoritatis, protectionisque nostræ robore muniri, & confirmari humiliter postulaverit. Nos firmo permanente ipsarum literarum tenore, quem hic pro inserto habere volumus, aliquibus tantummodo pro majori claritate, & faciliori executione immutatis, atque ordinatis, decernimus pariter, & mandamus præfatos Commissarios Generales ad dictas vestras Provincias non amplius deputari debere, & præsentem determinationem a moderno, & pro tempore existente Magistro Generali inviolabiliter observandam fore. Ne autem earundem Provinciarum Religiosi, quoties a proprio Provinciali, vel Diffinitorio per sententiam se injuste gravari sentirent, Appellationis beneficio careant, inhærentes dispositioni dictarum literarum patentium, volumus, & præsentium tenore præcipimus, ut in Capitulis utriusque Provinciæ per Diffinitorium noviter electum deputetur unus ex maturioribus, & doctioribus Provinciæ Patribus, qui tanquam Præses appellationum

Interdicta fuit missio dd. Commissariorum, & permissa electio Præsidis, ac judicum appellationum.

Item post Octavam Fidelium Defunctorum tres Missæ cantatæ de Anniversario cum tribus Officiis trium lectionum, una pro defuncta, reliqua pro defuncto juxta intentionem quondam D. Roderici Alvarez Castelbranco in diebus non impeditis.

Die 12. hujus, Missa cantata solemnis de Sancto Martino Episcopo: applicabitur pro Anima Dom. Doctoris Martini Navarro de Aspilqueta cum uno Responsorio.

Die 21. Missa cantata de Anniversario pro Anima Juliani Georgii; obiit hac die: habent Cappellani pro eleemosyna scutum unum.

Die 23. Missa cantata de Anniversario pro anima D. Doctoris Gasparis de Silveira, obiit hac die.

Die 25. Missa solemnis de S. Catharina Virgine, & Martyre, applicabitur pro anima D. Antonii de Bivar.

Die 30. Missa cantata solemnis de S. Andrea Apostolo.

DECEMBER.

Die 8. hujus Mensis, Missa cantata solemnis de Immaculata Conceptione Beatæ M. V. Patronæ Regni Portugalliæ.

Die 13. Missa cantata solemnis de S. Lucia Virgine, & Martyre.

Die 21. Missa solemnis de S. Thoma Apostolo.

Die 25. In Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, dicentur tres Missæ cantatæ solemnes horis consuetis, quarum una in honorem ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis de Bethlehem; applicabitur pro anima D. Guiomaræ hujus Ecclesiæ, & Hospitalis Fundatricis.

Tribus sequentibus diebus post Nativitatem Domini Nostri Jesu Christi, dicentur Missæ cantatæ solemnes de Festis in illis occurrentibus juxta Rubricas Breviarii Romani.

Die 31. Missa cantata solemnis de S. Silvestro.

De obligationibus Cappellanorum.

In omnibus anni Dominicis debent assistere Missæ decantandæ cum Diacono, & Subdiacono de ipsa Dominica non impedita majori Festo.

In omnibus Festis mobilibus uniuscujusque anni, debent etiam celebrare Missam cantatam solemnem de ipso Festo.

Item in singulis anni Sabbatis debent cantare Missam de Beata Maria Virgine, quæ Missæ, & omnes aliæ de Dominicis, & Festis liberis applicabuntur pro anima D. Guiomaræ hujus Ecclesiæ Fundatricis loco Missæ privatæ eo die celebrandæ a suo Cappellano.

Item debent assistere omnibus Festis Ecclesiæ, & Divinis Officiis, ac mortuorum suffragiis in ea faciendis, absque alia mercede, quam impertiri solita.

Item in omnibus Festis tam primæ, quam secundæ Classis, & aliis de obligatione Ecclesiæ debent cantare primas, & secundas Vesperas.

Item die Jovis majoris Hebdomadæ debent communicare in nostra Ecclesia.

Cappellaniæ quotidianæ perpetuæ.

Missa quotidiana pro animabus D. Guiomaræ hujus Ecclesiæ, & Hospitalis Fundatoris, & aliorum Benefactorum cum orationibus. Quæsumus Domine, & Deus veniæ largitor, & Fidelium, *excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.*

Missa quotidiana ad Altare S. Antonii Abbatis pro animabus EE., & RR. DD. Cardinalium Antonii de Chaves, & Georgii de Costa, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.

Missa quotidiana pro animabus D. Didaci de Carnaluaes, & suorum Amicorum, cum Orationibus, Præsta quæsumus Domine &c. Deus cujus misericordiæ, & Fidelium &c.

Missa quotidiana pro anima Antonii Lopez Nabo, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada, dicenda in Altari privilegiato.

Missa quotidiana pro anima Mariæ das Nives d. Antonii Uxoris, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada, dicenda in Altari privilegiato.

Missa quotidiana pro animabus Antonii de Almeida Borges, & Joannis Vieira ejus Fratris Germani, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.

Missa quotidiana pro anima Ferdinandi Nunez, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.

Missa quotidiana pro anima Antonii de Bivar, excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.

Missa quotidiana pro anima D. Melchipris Barbosa Sacerdotis Brachaven. excepta una vacantia in qualibet Hebdomada.

Missæ perpetuæ de Mortuis.

Tres Missæ privatæ in singulis anni Hebdomadis pro anima D. Doctoris Gasparis de Silveira, dicenda per Sacerdotem Diœcesis Colymbrien., & in ejus defectum Diœcesis Egitanien.

Tres Missæ privatæ in singulis anni Hebdomadis pro anima Roderici Alvarez de Castelbranco.

Una Missa privata in singulis anni Hebdomadis pro anima Joannis del Conto.

Quatuor Missæ privatæ singulis mensibus pro anima Antonii Almeida Benefactoris Ecclesiæ.

Prima die cujuslibet mensis una Missa pro animabus Joannis Droet, & Antonii de Abreu.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima Antoniæ Christallinæ.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima Francisci Pauli.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima D. Philippi Diaz Sacerdotis.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima D. Doctoris Emmanuelis de Quintal Sacerdotis.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima D. Joannis Martini Sacerdotis.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima Georgii Peixotto de Guerra.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima Juliani Georgii Cappellani.

Una Missa privata singulis mensibus pro anima Didaci de Villalobos Buttafogo.

Duæ Missæ privatæ singulis mensibus pro anima Oratii Batolhæ Bonon.

Quinque Missæ privatæ in tot mensibus singulis annis pro anima Illmi Dñi Emmanuelis de Meneres; prima 21. Maji die obitus; cæteræ vero per subsequentes menses.

Duæ Missæ privatæ singulis annis, una mense Augusti, altera die 17. Decembris pro anima Balthasaris de Jesu Maria.

Quatuor Missæ privatæ singulis annis, in octava Defunctorum pro anima Antonii Lopez Nabo.

Quatuor Missæ privatæ singulis annis in octava Defunctorum pro anima Mariæ das Nives dicti Antonii Uxoris.

Una Missa privata singulis annis, die 4. Novembris pro anima Joannis Moreno.

Una Missa privata singulis annis ad Honorem S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ in ejus Festivitate juxta intentionem D. Antonii Paraiva.

Duæ Missæ privatæ singulis annis, una Sancti Antonii de Padua, altera in Angeli Custodis Festivitatibus pro anima D. Didaci Lopez de Francia.

Duodecim Missæ privatæ singulis annis in mense Novembris, incipiendo a die 13., & sequen. usque ad Festivitatem S. Catharinæ Virginis, & Martyris pro anima Antonii de Bivar.

Duæ Missæ privatæ singulis annis, una in Assumptionis B. Mariæ Virginis, altera in S. Josephi Festivitatibus pro anima d. Antonii de Bivar.

Tres Missæ privatæ pro defuncto singulis annis die 21. Martii, in qua obiit D. Gaspar de Francia, juxta illius intentionem.

Alia Missa privata singulis annis in octava S. Antonii de Padua pro anima ejusdem D. Gasparis de Francia.

Alia Missa privata singulis annis in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ juxta intentionem ejusdem D. Gasparis, cum duabus candelis accensis ad illius Altare, quod est Altare Pietatis, durante celebratione Missarum.

Qualibet Hebdomada recitetur una Missa pro anima Ferdinandi Rodriguez Botelho Presbyteri.

Item quolibet menſe tres Miſſæ pro anima ejuſdem.

Die 18. *Octobris obitus ejuſdem Sacerdotis, duæ Miſſæ cantatæ in Anniverſario.*

LIBRO TERZO.

Degli Statuti della Chieſa, ed Oſpedale di S. Antonio.

Capitolo Primo.

Dell' Offizio di Oſpidaliere, e ſuoi obblighi.

1. Eſſendo la principal cura del Cappellano che pro tempore ſerve d'Oſpidaliere di ricevere con benigna affabilità i Pellegrini, mentre ſopra di eſſo ſi appoggia tutto il governo di tutto l'Oſpedale, ſe gl'ordina, che la perſona quale avrà da eſercitar tal carica, ſia di buona vita, coſtumi, e caritativa, acciò poſſa intieramente ſoddisfare a' peſi ſeguenti.

2. Primieramente non riceverà Pellegrino alcuno, ſenza haver' eſpreſſo ordine del Governatore, ſalvo arrivando di notte, perchè nell' altro giorno glie la portarà. Averà particolar' attenzione di preparare l'acqua calda, acciò i Pellegrini ſi lavino i piedi ſubito arrivati, come anche i vaſi, e tovaglie neceſſarie, e dentro tre giorni farà confeſſarli, e coſtandoli ciò per le Cedole del Confeſſore ſottoſcritte per il Governatore, darà l'elemoſina ſolita di tre giulj, e ciaſcuno per una volta ſolamente, e delle dette Cedole darà conto al Governatore del denaro ſpeſo, ed eſſo portarà nuovo mandato, acciò il Camerlengo paghi la ſomma di ſc. 5. moneta, acciò ſi ſpenda nella forma ſopraddetta.

3. Averà un Libro, dove ſcriva i nomi di tutti i Pellegrini, di che Terra ſono, e nel giorno, in cui giunſero, acciò non ſe le dia elemoſina duplicata, ne' dimorino nell' Oſpedale più tempo di quello ſi è conceſſo.

4. Il Governatore li conſegnarà per Inventario tutta la robba, letti de' Cappellani, e tutte le altre robbe, che ſervono nell' Oſpedale del medeſimo modo quelle ſervono nella Cucina, e nel fine di detto Inventario, ſi obbligarà pagare qualſivoglia coſa, che manchi, e per eſſo darà la conſegna al Governatore ogni volta, che la domanderà. Conſegnarà al Coco tutte le ſorti di ferro, legnami, ed altro appartenente alla Cucina, li darà Sale, Legna nella quantità neceſſaria, il che terrà tutto ben cuſtodito.

5. Item conſegnarà d'ordine del Governatore a ciaſcun Cappellano una ſtanza col ſuo letto, due Matarazzi, e d'un pagliaccio, un Capezzale, e due Coperte, e quattro tavole, e due banchi, ed ogni 15. giorni due lenzoli lavati, un tavolino, due ſedie di legno, e nella medeſima maniera ſiano trattati li Cappellani eſtranumerarj, dando a ciaſcuno una ſtanza, e tutte le coſe ſi torneranno a conſegnare, quando qualſivoglia Cappellano ſi partirà dall' Oſpedale.

6. Item nell' Oſpedale terrà dieci Letti, ed anche più, ſe ſarà di biſogno per dormirci li Pellegrini, quali terrà netti, e politi, mettendo i lenzuoli lavati quando li parerà. E di mattina ordinarà che li alzino, ed a ciaſcuno aſſegnarà il giorno, acciò ſcopino il detto Oſpedale, Dormitorio, Corridori, e Scale dell' Oſpedale, il che terminato, ſerrarà la porta e non aprirà, ſe non di notte, quando i Pellegrini ſi vorranno ripoſare, e ſubito li manderà accendere una lampada nell' Oſpedale, che ſarà avanti un' Immagine di noſtra Signora tutta la notte acceſa, nella forma, che inſtituì la Signora D. Guiomar Fondatrice di queſt' Oſpedale, ed in niun modo conſentirà, che di giorno Pellegrino alcuno vada all' Infermeria, ſalvo, o per indiſpoſizione, o per viſita di alcuno Infermo, nè che tra matarazzi mettano coſa alcuna commeſtibile.

7. Item all'ora dell'Ave Maria ordinarà, ſi accenda un'altra lampada alla Scala principale, che va per le ſtanze de' Cappellani, che durerà acceſa ſino alle due ore di notte per l'Inverno, e per l'Eſtate ſino una, ch' è il tempo, ſin quando ha da ſtar aperta la porta dell' Oſpedale, la quale ſerrata non ſi aprirà a perſona alcuna, o ſia Cappellano, o Pellegrino ſenz' eſpreſſo ordine del Governatore, e ſe ſuccedeſſe caſo coſì urgente, che obbligaſſe uſcir fuori di Caſa qualche perſona, che nel detto Oſpedale ſtaſſe, li potrà aprire con condizione, che ſubito alla mattina, ne dia parte al Governatore, e la cauſa motiva per averli aperto.

8. Quello s'ordina nel ſerrar la porta la ſera, s'intende nell'aprir alla mattina, quando ſi apre la Chieſa, e ſapendo, che qualſivoglia de' Cappellani, o Offiziali dorme fuori, lo dirà ſubito al Governatore.

9. Item non conſentirà, che Pellegrino alcuno habbia liti, o burlando, o da dovero con altro, nè meno con perſone dell' Oſpedale, o di dentro, o di fuori, e ſe haverà, ſi farà avviſato prima e ſeconda volta, e non emendandoſi la terza lo mandarà fuori, ed il medeſimo ſeguirà s'eſſo giocaſſe; ma ſe alcuno de' ſopraddetti daſſe in altro con le mani, o armi, o offenda con parole ingiurioſe, ſubito incontinente ſia buttato fuori.

10. Item ogni due anni mandarà a lavare, ed empire li matarazzi di lana, ed ogn'anno empirà i pagliaricci di paglia nova, ed a minuto cuſcirà i lenzuoli, e perciò domanderà al Governatore quello, che ſia biſogno.

11. Item riſcuoterà ogn' anno la propina del Sale, che queſt' Oſpedale ha, e terrà appreſſo di ſe la chiave del Giardino, il quale ſarà ſerrato, e non laſcierà entrar niuno, e levare da eſſo coſa alcuna, e ſolamente eſſo potrà cogliere quello li biſognerà per ſervizio dell' Oſpedale, ma non impedirà i Cappellani, che poſſano ivi andare a ricrearſi. Ed uſando male di queſta libertà, avviſarà il Governatore, acciò provveda, come conviene, ed averà cura ch' il detto Giardino, e Fontana ſiano aggiuſtati, e politi, mandando a potare gl' Alberi, e pergole a ſuo tempo, e far quello, che ſarà neceſſario.

12. Non darà robba d' Infermeria a neſun' altra perſona, ſenz'ordine eſpreſſo del Governatore, e quando queſto la mandi dare, avendo giuſte cauſe, averà cura di farla lavare un' altra volta, e riportarla all' Infermeria.

13. Farà ſempre, che l'Infermiere compri tutto il biſogno per l'Infermeria, e che facci la Liſta delle ſpeſe ogni meſe per pigliar i conti delle ſpeſe, che ha fatte, e che reſti con chiarezza, acciò coſti in ogni tempo.

14. Benchè nel §. 7. ſi dice, che la porta dell' Oſpedale ſia ſerrata, à due ore d' Inverno, e di Eſtate à una, perchè potrà ſuccedere eſſer neceſſario per alcuna convenienza della Caſa, che ſtia qualche poco più tempo aperta la porta della ſtrada. L'Oſpedaliere ſaprà dal Governatore l'ora, che li aſſegna per ſerrarla, ed in tal caſo farà, che ſtia acceſa una lampada nel Corridore della detta porta.

15. Avendo ſerrate tutte le porte interiori, come ſi dice nel §. 7. ſubito, che ſerrarà la porta interiore, farà ſonare la Campanella, e col Sacchetto, ed Iſopo il Cappellano di ſettimana, ſe non il Cappellano più antico col Sottoſagreſtano anderà benedicendo i Corridori, ed i Cappellani uſciranno alla ſua porta a ricevere l'Acqua Benedetta, e dirà le Orazioni ſeguenti.

Aſperges me Domine &c., vel *vidi aquam &c.* poſtea dicitur.

Noctem quietam, & finem perfectum concedat

nobis

nobis Dominus Omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. *Amen.*

Dignare Domine nocte ista. Sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine. Miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos.

Quemadmodum speravimus in te.

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*

℣. *Dominus vobiscum &c.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum &c.

Capitolo Secondo.

Delle Persone, che saranno ricevute in quest' Ospedale, e per quanto tempo.

1. Essendo l'origine, ed Instituto di quest' Ospedale il ricevere i Pellegrini Portogheſi, si ordina, che nè l'Ospedaliere, ne Cappellano alcuno possa ricevere persona alcuna nel detto Ospedale, che non sia nata nel Regno di Portogallo, senz'ordine del Governatore, e solamente saranno ammessi i Portogheſi nella forma seguente.

2. Se alcuno Sacerdote verrà per negozj, o pretenzione, starà due mesi, ne'quali si potrà provvedere d'abitazione, e se sarà Frate di Religione, che qui non vi sia, starà un mese.

3. Il Pellegrino, che verrà a visitare i luoghi Santi, o per seguire qualche lite, starà un mese, e se sarà dispensante, in quanto spedisce la sua dispenza.

4. Item venendo alcuno a litigare per un altro, starà 15. giorni, e se sarà causa d'Impetra di Benefizio di uomo vivo, o sia propria, o aliena, otto giorni, e tutti i sopraddetti, che nell'Ospedale saranno ricevuti di qualsivoglia qualità, condizione, che siano, devono dormire, nell'Ospitalità, e non in Stanze particolari, salvo, se parerà al Governatore, che la persona è tale, che se le debba dar stanza, perche allora glie la potrà dare, avendola libera, e non incomodando Cappellano alcuno.

5. Item perche anticamente anche s'alloggiavano Donne in quest'Ospedale, e per alcuni inconvenienti, si levò questa consuetudine, ed a quest'effetto, si usa dargli uno scudo di moneta per ciascuna Donna, che sarà nata ne' Regni di Portogallo, o suoi Dominj, per pagar la Casa, cosi anche un testone, ch'è l'elemosina solita, s'ordina all'Ospedaliere, che segua il medesimo ordine, portando essa Donna cedola sottoscritta dal Governatore, come a gl'altri Pellegrini.

6. Tutti quelli, che saranno ricevuti in quest'Ospedale, averanno grandissimo rispetto all'Ospedaliere, e saranno obbligati a far tutto quello gli comanderà in servizio dell'Ospedale, e quello, che in questi statuti gli è ordinato, e non lo facendo, saranno due volte ammoniti, ed alla terza l'Ospedaliere gli licenziarà.

Capitolo Terzo.

Dell' Infermeria, e come l'Infermiero si deve portare cogl'Infermi.

1. Se nell'Ospedalità de' Pellegrini v'è necessaria un'eccessiva carità, come sopra s'ordina: con più ragione, si deve esercitare cogl'Infermi che in quest'Ospedale si medicaranno, che devono essere solamente quelli, che sono nati ne' Regni di Portogallo.

2. Item subito, che qualsivoglia Infermo sarà ricevuto con parere del Medico, ed ordine del Governatore, l'Ospidaliere gli piglierà la consegna di tutta la sua robba, denaro, lettere, ed altre cose, ed avanti due Cappellani farà di tutto Inventario, e nel Libro degl'Infermi, che terrà a quest'effetto, scriverà i nomi di tal' Infermo, e de' suoi Padri, ed essendo morti, de' Parenti, Patria, giorno, mese, ed anno in che entrò nell' Infermeria, ed il negozio, a che venne in questa Corte, e di tutto darà conto al Governatore, acciò disponga, conforme se gli ordina nel suo reggimento.

3. Item doppo, che l'Infermo sarà ricevuto l'Ospidaliere farà che si confessi dal Confessor di Casa, o qualche altro, che vorrà, ed il giorno seguente si comunicherà, il che lo farà il Sagrestano accompagnato da sei Cappellani con Cotte, e sei torce, cantando in voce bassa quelch'è solito con tutta la decenza dovuta. E se l'Infermità sarà tale, che sia necessario dargli subito l'Olio Santo, cosi l'ordinarà al medesimo Sagrestano, o in qualche ora, che gli parerà sia necessario, e sarà in questo sì vigilante, che non muora alcuno senza Sagramenti, e similmente gli avvertirà, se hanno da aggiustare cos' alcuna ne loro Paesi, faccino testamento; e per quest' effetto chiamerà il Notaro della Casa, come anche avvisarà tutti li Cappellani numerarj, ed extranumerarj, che vengano ad assistere si di notte, come di giorno, distribuendo a ciascuno la sua ora, acciò sempre vi sia chi gli dica l'offizio di agonia, e chi l'ajuti a ben morire, e nella detta Infermeria sarà un' Oratorio con un Crocifisso, ed un' Immagine di Nostra Signora, ed una lampada accesa tutta la notte.

4. Item tutti gl'Infermi, che si medicaranno nell' Ospedale, l'Ospidaliere, ed Infermiero assisterà con ogni cura, e carità, facendoli tutto quello, che il Medico gl'ordinarà, e l'Infermiero quello gl'ordinarà l'Ospidaliere l'osservarà, e glie lo farà osservare. Il regimento in particolare della spesa ordinaria di ciascun giorno toccante il mangiare, e senza ordine del Medico non passarà quel che in detto reggimento è stabilito.

5. Item nell' Infermeria averà un' Armario con suoi spartimenti, e negl' alti si metteranno le medicine, e ne bassi la robba bianca dell' Infermeria, che terrà molto polita, e le coperte, e materazzi gli spanderà ogni mese facendoli portare nelle Loggè da' Pellegrini.

6. Item nel medesimo modo vi saranno due casse a modo di banco, e ciascuno con due, o tre ripartimenti, e sue chiavi per metterſi li vestiti degl' Infermi separatamente acciò non si scambino.

7. Item in niun modo saranno ammessi gl' Infermi di mal Francese, Etica, Rogna, o altri simili contagi, nè si medicaranno feriti, ma solamente quelli, che averanno febre, o febri acute, ed a quest' effetto saranno dal Medico veduti, e di suo parere coll' ordine del Governatore saranno ricevuti, e di altra forma nò; nè l'Infermiero, nè l'Ospidaliere si ardiranno da se soli ammettere niuno, ed essendo per la buona cura degl' infermi necessaria la quiete, si ordina all' Ospidaliere, o Infermiero, che nell' Infermeria non consentano circoli, nè modo alcuno di contravenzione, poichè si è sperimentato il grave danno, che da queste ne risulta.

8. Item se alcune persone mandaranno dolci, o robba commestibile per gl' Infermi, l'Ospidaliere le riceverà, e li partirà ad' essi all' ore di pranzo, dando a ciascuno quello gli sarà necessario, e se sarà qualche galanteria, lo farà sapere al Governatore, acciò lo scriva nell' Inventario, e se in particolare si mandasse presente ad alcuno Infermo, ad esso si darà, acciò faccino quello gli parerà.

9. Item il Medico sarà obbligato visitare gl' Infermi due volte ogni giorno, e quella della mattina sarà il più presto, che sia possibile, acciò più commodamente, se gli diano i medicamenti, che ordinerà.

10. Item il Barbiero dovrà andare à cavar sangue, ed altre cose, che al suo officio toccano alle ore, che il Medico gli ordinarà.

11. Item lo Speziale darà i medicamenti freschi, e buoni, e se altrimente, non gli saranno messi in conto; gli darà sempre per ricetta del Medico, e quando l'Infermiero l'anderà a pigliare, portarà il Libro, che deve stare nella detta Infermeria con le dette ricette, ed esso le metterà in suo Libro, e per ambedue i Libri, se gli farà pagamento nel fin dell'anno, come parerà al Medico.

12. Item tanto che cesserà la febre agl' Infermi, staranno in convalescenza i giorni, che parerà al Medico, ed in essi, si darà tutto il necessario, e dopo l'Ospidaliere li licenziarà, dandogli uno scritto contrasegno di convalescenza nella forma solita.

13. Item morendo alcun' Infermo, l'Ospidaliere lo farà saper subito al Governatore, acciò disponga quello, che nel suo reggimento si è detto. Ed essendo tempo, che se gli possa dir Messa, se gli dirà nell'Altare Privilegiato, e quando nò, nel giorno prossimo seguente. E si ordina a' Sacerdoti, che nel momento specialmente lo raccomandino, ed a' Pellegrini nelle loro Orazioni, di tutto che averà cura l'Ospidaliere, acciò si facci osservar, conforme in questi Statuti si dispone, e doppo d' esser serrata la porta della Chiesa all' ora, che parerà più conveniente, il detto Ospidaliere chiamerà tutti i Cappellani, ed essi con le Cotte, e torce, ed il Sagrestano colla Stola, e tutti in voce bassa cantando il solito, accompagnaranno il Defonto fino alla Sepoltura, dove sarà portato da quattro Pellegrini involtato in un lenzuolo, ed avanti di seppellirlo, se gli raccomanderà l'anima a Dio nella forma del Rito Romano.

14. Item l'Ospidaliere non consentirà, che Pellegrino alcuno, o qualsivoglia altra persona dorma ne' letti dell'Ospedale, benchè non abbia Infermi, e siano tanti li Pellegrini, che non entrino nell'Ospizio.

15. Item nel fine di ciascun mese l'Ospidaliere farà la lista di quello si è speso nell' Infermeria, ed altro, che appartiene ad esso, e la portarà al Governatore, acciò gli facci passar mandato in Congregazione, acciò il Camerlengo li paghi. E nella detta lista metterà l'elemosina straordinaria, che la Congregazione gli mandò dare in quel mese, dicendo la quantità, e a chi persone, tutto con chiarezza, e distinzione.

16. Item nel fine del mese portarà al Governatore la lista delle salte, che fecero i Cappellani nell' assistenza degl'Infermi, acciò siano multati nella forma del *Capitolo* 8. *del lib.* 2.

Capitolo Quarto.

Dell' Infermeria, e suoi Obblighi.

1. Si fa intendere all'Infermiero *pro tempore* che non può fare opera più grata a Dio, ed a S. Antonio, che trattare i suoi Infermi colla maggior diligenza, e carità possibile, consolandoli ne'loro mali, soffrendo le loro prolusità, assistendoli con tutto l'allegerimento, e rimedio, che determinerà il Medico, e l'Ospidaliere.

2. Sappia ch'esso è suddito, e soggetto all' Ospidaliere, ed in tutto quello, che appartiene al suo Offizio, e che deve rispettarlo, ed obbedirlo prontamente, comandandogli qualche cosa in servizio dell'Infermeria, ed Ospedale, e che ha da stare in luogo di detta Ospidaria, quando esso uscirà fuori di Casa, o sarà occupato, in modo, che senza suo ordine non disponga cosa alcuna di rilievo, e non molto necessaria, ed in caso, che la facesse, dopo venuto subito gli darà conto, e similmente gli consegnarà qualche regalo, che nel medesimo tempo fosse mandato agl'Infermi.

3. Non applicarà rimedio alcuno agl'Infermi, ne gli darà cosa in cui possa aver dubbio gli faccia male, senza ordine del Medico, o Ospidaliere, e senza licenza di questi non uscirà dall' Ospedale, essendovi Infermi.

4. Ogni volta, che il Medico, Chirurgo, o Barbiere, che verranno all'Infermeria gli accompagnerà in quanto in essa staranno, ed avvertirà quello ordinano agl'Infermi, per eseguirlo, appartenendogli principalmente nel mangiare, al quale darà ordine, ed avviserà il Coco con tempo, acciò sia fatto alle sue ore.

5. Alle ore competenti, ed ordinate dal Medico vada a pigliare il pranzo alla Cucina, e portandolo agl'Infermi, gli assisterà in quanto mangiaranno, e doppo torni a riportare i piatti, e non potendo assistere a tutti gl'Infermi, l'Ospidaliere lo provederà di chi l'ajuti.

6. Sempre dormirà nella stanza vicino l'Infermeria, ed essendovi Infermo di pericolo, dormirà dentro l'Infermeria, e gli assisterà il più tempo del giorno, che potrà, ed anche in quello della notte.

7. Abbia gran cura della polizia così nella Casa dell' Infermeria, come nella robba, e Stanza, essendovi Infermi, la scoparà, e farà scopare almeno due volte la Settimana, ed ogni volta, che sarà necessario. Farà, che la robba si lavi a suo tempo, consegnandola per Lista a chi la lava, e non permetterà, che una cosa, che serve ad un' ammalato serva all'altro, durante l'Infermità.

8. Serrarà insieme coll'Ospidaliere all'ora solita, ed aprirà la mattina la porta dell'Ospedale, ma mai la serrarà, nè aprirà solo.

9. Quello, che serve d'Infermiero, ha anche da servire di Spenditore, e ha da comprare tutto quello, che sarà necessario agl'Infermi, con ordine, che gli darà l'Ospidaliere, facendo la Lista della spesa d'ogni Mese, acciò in ogni tempo si possa vedere.

10. La principal rimunerazione delle sue fatiche riceverà da quel Signore, che accetta, e soddisfa il servizio, che per suo amore si fa agl'Infermi, come se fosse fatto al medemo Signore. Con tutto ciò l'Ospidaliere averà stanza, e letto, e domanderà al Governatore gli dia ogni giorno quel, che sarà giusto, avendo riguardo al suo travaglio, e quantità degl'Infermi, e sappia, che sarà castigato, o licenziato mancando in quel che tocca al suo offizio, secondo la qualità della mancanza.

11. In tutto quello, che appartiene all'esempio della vita, e buoni costumi, osservarà gli Statuti nell'Ospidaliere, ed almeno in tutte le Festività principali dell'anno, ed in quella di S. Antonio, si confessarà, e communicarà nella nostra Chiesa, in modo che possa esser noto al Sagrestano.

Capitolo Quinto.

Del Cuoco, e suoi Obblighi.

1. Essendo giorno anderà alla Cucina, e procurerà, che così i Cappellani, come gl'altri Offiziali della Casa gli diano in tempo quello si ha da dare da cucinare.

2. Usarà tutta la polizia nella Cucina, e farà ogni cosa con gran carità, ed all'ore suo specialmente per gl'Infermi, di maniera che possano mangiare ad ora, che gli dirà l'Infermiero, e sarà determinata dal Medico.

3. Finita l'ultima Messa, avendo il P. Sagrestano, o Sottosagrestano portato via quello gli hanno ordinato per pranzo, serrarà la porta della Cucina. La sera farà la cena all'ore solite, e nell'estate serrarà la porta ad un'ora di notte, e d'inverno a due, nè l'aprirà senza ordine dell' Ospidaliere, quando fosse necessario per alcuna cosa dell'Infermeria.

4. Averà gran cura, che si consumi il meno, che sarà possibile, principalmente di legna, ed acciò più liberamente possa attendere alle cose del suo Offizio non consentirà circoli nella Cucina nè anche d'Inverno, sotto pretesto di scaldarsi, ed essendovi alcuni, che ivi si trattengano, o sia gente di Casa, o Pellegrini, che non osservino questo Statuto, darà conto al Governatore, ed Ospidaliere.

5. Intenda, che deve obbedire immediatamente all'Ospidaliere, ed eseguirà quello, che in nome di questo l'Infermiero gli ordinerà in tutto quello apparterrà al suo Offizio, ed averà a PP. Cappellani il rispetto, si deve al loro stato.

6. Avvertisca, che vive in Casa specialmente dedicata a Dio, procuri dar buon esempio della sua vita, e si confessi, e communichi nella nostra Chiesa in modo, che il P. Sagrestano lo sappia, almeno in tutte le Feste principali dell'anno, e nel giorno di S. Antonio.

7. Avendo da uscire fuori di Casa, domandi all'Ospidaliere se ha bisogno di lui, o se in quel tempo abbia da fare cosa alcuna per gl'Infermi.

8. Così come deve avere giusto premio, e salario di ogni giorno, che li assegnarà il Governatore, a quello, che in questo suo reggimento se gl'ordina sarà multato, ed anche secondo la gravezza della colpa commessa sarà licenziato.

Preces Deputatorum.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Statuta, & Capitula hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, omnia, & singula Statuta, & Capitula præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas, ac Statuta, & Capitula præinserta semper firma, valida, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit aliis quibusvis Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Martii MDCLXXXIII., Pontificatus nostri Anno Septimo.

Declaratur, cessionem loci Exprovincialibus debiti in Capitulo Provinciali S. Ludovici in Gallia Ordinis Prædicatorum Strictioris Observantiæ factam, non esse admittendam. CXIII.

Ad majorem hujus Constitutionis intelligentiam vide Greg. XIII. Const. ed. 1574., Martii 6. P. 4., ubi quamplurima habentur Statuta. Et Pii V. Const. ed. 1567., Maji 16., P. 2. de privilegiis, ab Urban. VIII. irritum declaratum fuit quoddam Capitulum Generale Const. ed. 1643., Apr. 8., P. 20. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690. Jan. 7. P. 1. confirmatæ fuerunt nonnullæ ordinationes Generalis Ord. circa quosdam abusus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 7. Apr. 1683. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nuper fecit dilectus filius Josephus Martel Prior Conventus Rothomagen. Provinciæ S. Ludovici in Gallia Strictioris Observantiæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod jam a pluribus annis dicta Provincia Juribus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, & immunitatibus, quibus in aliis Provinciis uti solent Graduati, aut titulo Prædicatoris Generalis insigniti sponte renunciavit in favorem Observantiæ Regularis, & noviſſime in Capitulo Provinciali anno 1678. Cathalauni celebrato etiam prærogativæ loci juxta Constitutiones dicti Ordinis Exprovincialibus debiti cessit; sed hæc ultima cessio, licet videatur esse majoris humilitatis, multum tamen officit Observantiæ Regulari, cujus Exprovinciales, una cum Priore Provinciali debent esse promotores, & protectores. Cum enim in eis nullam agnoscunt Fratres speciem auctoritatis, parum, aut nihil curant de illorum monitionibus, & maximum periculum est, ne tempore Provincialatus molliter se gerant in corrigendis excessibus ipsi Priores Provinciales, qui eodem expleto nullum habent distinctivum quo possint ordinata pro vita Regulari fortiter manutenere, & insultus dyscolorum evitare. Et propter has rationes, ac alias quæ conferunt ad observantiam Regularem, in Capitulo Generali Ordinis prædicti anni 1501. Romæ celebrato illi, qui sub specie quadam humilitatis parum attendentes ad bonum commune Religionis, loco Exprovincialibus debito renunciaverant, reprehensi fuerunt per declarationem, quod Constitutio ejusdem Ordinis circa locum, quem

tenere

tenere debent Fratres, qui fuerunt Provinciales, omnino deberet obſervari, itaut ſi alicubi propter abuſum non obſervaretur, omnino deinceps executioni mandaretur, non obſtantibus conſuetudinibus particularibus in oppoſitum introductis, quibus eo Statuto derogatum fuit. His autem promorus unus ex duobus, qui ſoli in ſupradicta Provincia jus ad locum illum habebant, huic ceſſioni ſe oppoſuit, & dilectus filius Antonius de Monroy Magiſter Generalis dicti Ordinis eam noluit approbare, cum eſſet contra Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, & cederet, ut conſtat experientia in præjudicium obſervantiæ Regularis.

Preces Prioris Rothomagen.

§. 1. Quare præfatus Joſephus, qui (ut aſſerit, ad ea, quæ pacis ſunt ejuſdem Provinciæ, & obſervantiæ Regularis, poſtulanda miſſus ad Romanam Curiam venit) ut eadem obſervantia magis, ac magis creſcat, & confirmetur, ac in præfata Provincia nulla ſit in poſterum occaſio litigandi, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut renunciationem omnium jurium, privilegiorum, immunitatum, gratiarum, & exemptionum quoad gradus, quam ſponte, & nemine reclamante fecit præfata Provincia S. Ludovici in favorem obſervantiæ Regularis, gratam, & ratam habere; circa locum vero Exprovincialibus debitum, cum eorum numerus vix ternus, aut quaternus eſſe poſſit in eadem Provincia ubi quadriennales ſunt Priores Provinciales, hocque cedat omnino in bonum obſervantiæ, ut Conſtitutiones, & acta Capitulorum Generalium dicti Ordinis ea maxime, quæ in Capitulo Generali anno 1670. Romæ celebrato facta fuerunt circa præfatam Provinciam pro manutentione vitæ Regularis exacte obſerventur, ordinare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipſius Joſephi votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, ceſſionem loci ad præſcriptum Conſtitutionum dicti Ordinis debiti illis, qui functi ſunt Officio Provincialatus, non eſſe admittendam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, prout illam non admittimus.

Improbatio prædictæ ceſſionis.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcat. die VII. Aprilis MDCLXXXIII. Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Conceditur Bibliothecæ Archigymnaſii Sapientiæ de Urbe facultas retinendi quæcunque opera prohibita ac damnata. CXIV.

De aliis hujus Archigymnaſii privilegiis vide Leonis X. Conſt. ed. 1513., Novem. 5. P. 1. Quæ ab Urb. VIII. conceſſa fuerunt Collegiis Illyrico, Pragenſi, Viennenſi, & Fuldenſi Conſt. ed. 1627. Jun. 1. P. 4., & Conſtit. ed. 1628., Decem. 19. P. 6. Conſtit. ann. hujus Pontif. ed. 1684., Februarii 20. P. 8. habentur privilegia Univerſitatis Oppidi Zamoſki Chelmen. Diœceſis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 21. Apr. 1683. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Cauſa Conſtitutionis.

CUM fel. rec. Alexander Papa VIII. prædeceſſor noſter publicæ utilitatis ſtudio, celebrem, atque copioſam in Gymnaſio ſapientiæ de Urbe Bibliothecam, in eaque Bibliothecarium, quem ex numero Advocatorum Aulæ conſiſtorialis aſſumi voluit, & duos Cuſtodes cum competenti ſtipendio, qui ſtatutis diebus, & horis illic præſto eſſe, & libros ſtudioſis ad illam venientibus præbere deberent, Apoſtolica auctoritate inſtituerit, in ipſa vero Bibliotheca multi reperiantur libri, quorum retentio, atque lectio per Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas prohibentur; Et propterea dilectus filius Magiſter Marcus Antonius Burattus in utraque Signatura Referendarius, Aulæque Conſiſtorialis prædictæ Advocatus, & dictæ Bibliothecæ Bibliothecarius opportune in præmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſideret: Nos publicæ commoditati, atque utilitati, quantum cum Domino poſſumus conſulere cupientes, dictumque Marcum Antonium a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum conſilio, ut in Bibliotheca præfata quorumvis hæreticorum, & hæreſiarcharum, aliorumque reprobatorum Authorum cujuſcumque Sectæ, & Claſſis, etiam primæ, & ex quacumque cauſa, etiam ob falſi dogmatis ſuſpicionem a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu in quibuſvis Conciliis Generalibus, ac etiam a Nobis, & Sede prædicta quomodolibet prohibiti, & damnati, & a nobis, ſucceſſoribuſque noſtris Romanis Pontificibus, & dicta Sede in futurum forſan prohibendi, & damnandi libri, manuſcripta, & opera tam hactenus in lucem edita, quam in poſterum edenda, ſeu ſcribenda quæcumque etiamſi ex profeſſo, & in capite de Religione, & Fide Catholica, ſeu contra Religionem, & fidem eaſdem tractent, in ipſa Bibliotheca collocati, & collocata, ac in futurum quandocumque collocandi, & collocanda, retineri, haberi, & aſſervari libere, licite, & impune, ac abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, & quarumcumque Eccleſiaſticarum ſententiarum, & cenſurarum, vel

Preces Bibliothecarii.

Conceſſio prædictæ facultatis.

Quomodo custodiendi a quibus accipi, & legi possint dd. libri.

aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incursu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera præfata, quæ de religione, seu fide, vel contra Religionem, seu Fidem orthodoxam tractant, seu tractabunt, secreto, & sine aliorum scandalo, aut periculo retineantur, nec a studiosis accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum præfatorum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere possint, nisi sibi prius constiterit, quod illos, seu illa petentes, opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concedi obtinuerint, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores præsentes hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Aprilis MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXV. Statuitur, ut Debitores Banci Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe teneantur ei satisfacere, vinculo obligationis Cameralis.

Idem statutum fuit pro Monte Pietatis a Clem. X. Const. ed. 1670., Octob. 3., P. 1., & ab Alexandro VIII. edita fuit Constitut. 1690. Aug. 5., P. 1. circa onera solvi solita Hospitali S. Joan. Hierosolymitani.

Dat. 16. Maji 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquitatis, & Justitiæ ratio exigit, & plurimæ, quæ ex mensa nummularia, seu Bancho Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe in publicum assidue proveniunt, utilitatis, suadent, ut illius indemnitati, quantum cum Dño possumus, consulere studeamus.

Causa Statuti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ministri dicti Banchi, quod ex dispositione quorundam fel. rec. Pauli PP. V. prædecessoris nostri literarum in simili forma Brevis expeditarum bona dicti Archihospitalis ad favorem illorum, qui pecunias in Bancho prædicto deponunt pro restitutione Depositorum efficaciter obligata sunt, perinde ac si cum unoquoque illorum Cameralis obligatio intercessisset. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, interdum eveniat, ut dicti Banchi Debitores remaneant aliqui privati, ac etiam nonnulla loca pia; æquum vero videatur illos, & illa ad satisfaciendum eidem Bancho pari Cameralis obligationis vinculo adstringi: nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut Archihospitali, & Bancho prædictis in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ministrorum.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulos memorati Banchi ex quacumque causa Debitores præsentes, & futuros, cujuscumque status, gradus, Ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, ac etiamsi Ecclesiæ, Monasteria, Conventus, Collegia, Hospitalia, Archihospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, & alia loca pia quæcumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna existant, ad satisfaciendum eidem Bancho de eorum debitis respective efficaciter obligari, ac obligatos, & obligata existere, & fore, in omnibus, & per omnia perinde acsi ab eorum singulis Cameralis obligatio ad favorem ipsius Banchi facta fuisset, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum prædictum etiam pro locis Piis.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Bancho, & Archihospitali prædictis, illorumque Ministris, & Officialibus, seu aliis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ Generales Auditores, necnon Vicarium, Gubernatorem, & Senatorem dictæ Urbis, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ, Præsidentes, Clericos, Thesaurarium Generalem, aliosque Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore quandocumque existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Urbis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, habeatur; quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXVI.

Confirmatur Decretum Miniſtri Generalis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia circa abrogationem Commiſſariorum Europæorum, & Judices appellationum pro Provinciis S. Antonii, & Conceptionis B. M. V. in Braſilia.

De quibuſdam controverſiis in Provincia S. Antonii vide Clem. X. Conſt. ed. 1672., Maji 18., P. 3. a quo Pontifice erecta fuit Provincia Immaculatæ Conceptionis Conſt. ed. 1675., Julii 15., P. 6., abrogati fuerunt Commiſſarii Generales pro Provinciis Indiarum Oriental. Conſt. ed. 1682., Decemb. 23., P. 7., & Conſt. ed. 1683., Decem. 3., P. 8. recenſentur nonnullæ Ordinationes pro Provincia S. Antonii.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 13. Maji 1683. An. 7.

Exordium.

ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis Catholicæ Eccleſiæ per Univerſum Terrarum Orbem diffuſæ, ut paternam Chriſtifidelium Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum curam gerentes ea, quæ pro felici, proſperoque illorum regimine, & gubernio, ac religioſa quiete ab eorum Superioribus Regularibus provide, prudenterque ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio corroboremus.

Cauſæ inſequentis Decreti.

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum S. Antonii in Braſilia, & Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ ad flumen Januarium Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quod dilectus etiam Filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis dicti Ordinis, ut incommodis, graviſſimiſque moleſtiis, quæ ex deputatione Commiſſariorum Europæorum ad viſitandas Provincias præfatas, illarumque Capitulis præſidendum mitti ſolitarum, ſimulque vagationibus Fratrum, qui propter cauſas appellationum longiſſimis itineribus ſe committere cogebantur, opportunis rationibus occurreret, nonnullas ordinationes in dictis Provinciis ſervandas fecit per quaſdam ſuas patentes literas deſuper expeditas tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Decretum Miniſtri Generalis.

§. 2. *Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano totius Ordinis Seraphici Patris noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Servus &c.* Muneris noſtri debitum indeſinenter expoſcit, ut commiſſorum ſolicitudini noſtræ Religioſorum quieti, conſolationi, & commodo quantum in Domino poſſumus ſedulo conſulamus: quapropter cum certam habuerimus notitiam ex deputatione Commiſſariorum Viſitatorum Europæorum ad viſitationes, & Capitulorum celebrationes Provinciarum noſtrarum S. Antonii in Braſilia, & SSmæ Conceptionis ad flumen Januarium (vulgo de Rio de Janeiro) multa incommoda, moleſtias, graviſſimaſque expenſas provenire. Nos tot, tantiſque malis pro viribus obviare volentes præſentium virtute cenſemus, atque decernimus hujuſmodi Commiſſarios Viſitatores in poſterum ex Europa non mittere, neque mittendos eſſe, ſed ex iiſdem Provinciis aſſumi debere ſequenti modo. In quolibet Capitulo Provinciali Provinciæ S. Antonii a Diffinitorio noviter electo deſignentur tres Patres ex Provincia Conceptionis, qui habeant conditiones per Statuta generalia requiſita, ad hoc, ut poſſint viſitare præfatam S. Antonii Provinciam, quorum quidem trium Patrum nominatio mittatur ad Miniſtrum Generalem per primam Navium in Europam venientium opportunitatem, in quo ſi vel Provincialis, vel alii negligentes reperti fuerint, puniantur ſuſpenſione a ſuis Officiis per annum, aliiſque pœnis arbitrio Miniſtri Generalis infligendis. In Provincia quoque Conceptionis ſimilis deſignatio, & nominatio fiat trium Patrum Provinciæ S. Antonii, itaut Viſitator unius Provinciæ ex altera ſemper deſumatur. Miniſter autem Generalis habita hujuſmodi nominatione, unum ex tribus iiſdem eligat quem maluerit, ejuſque electionem quantocitius potuerit Provinciæ viſitandæ ſignificet, quod ſi, vel ob locorum diſtantiam, vel naufragium, aliudve impedimentum, Patentes Miniſtri Generalis non comparuerint uno anno ante tempus Capituli celebrandi, tunc Diffinitorium Provinciæ illius quæ viſitari debet, poſſit ſibi eligere unum ex tribus jam nominatis, qui Provinciam viſitabit, & Capitulo præſidebit, cum voto, & omnibus aliis, quæ præſtare ſoleret, & deberet ille, qui a Miniſtro Generali deputaretur, quod etiam intelligendum eſt, ſi ille, quem Miniſter Generalis elegiſſet, jam eſſet defunctus, tunc enim Diffinitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad viſitationem præfatam vocare; caſu vero, quo poſtquam Diffinitorium Viſitatorem advocaverit, perveniant Patentes Miniſtri Generalis, ſi jam ille, qui vocatus fuit a Diffinitorio Provinciam fuerit ingreſſus, proſequatur munus ſuum, & Capitulum celebret, ut ſupra: ſi vero nondum in Provinciam intraverit, omnino abſtineat, & Deputatus a Miniſtro Generali officium ſuum aſſumat: dummodo tempus ſuppetat, ut poſſit ad Provinciam viſitandam accedere quinque integris menſibus ante Capitulum. Et quia ad navigandum ex una in alteram Provinciam quibuſdam tantummodo menſibus venti ſpirant ſecundi, huic etiam tum Provinciarum, tum Viſitatorum commoditati conſulere volentes, ſtatuimus tempus præfigere pro Capitulorum celebratione, quod quidem nullo modo prorogari debeat abſque ſpeciali, & expreſſa Miniſtri Generalis facultate. Capitulum igitur Provinciæ S. Antonii, non differatur ultra diem Sabbati præcedentis feſtum Sancti Patris noſtri Franciſci. Et Capitulum Provinciæ Conceptionis, non tranſgrediatur Sabbatum immediatum poſt feſtum Aſcenſionis D., denique Viſitatores non ingrediantur Provincias viſitandas, niſi quinque menſibus ante Capituli celebrationem, & poſt illam ſtatim ad propriam redire debeant, quod ſi facere non potuerint poſt viginti a tali celebratione Miniſtro Provinciali electo ſigilla omnia renuncient, & Provinciæ gubernio nullatenus ſe immiſceant, cum tali tempore ex Statutis Ordinis Generalibus, eorum auctoritas omnino ſpiret. Aliud quoque eiſdem Provinciis proviſione dignum Nobis viſum eſt, nempe, ut evitentur incommoda, & vagationes Fratrum, qui vel cauſa, vel prætextu appellationis, maximis cum periculis, ac expenſis, longiſſimis ſe itineribus exponunt: qua propter præſentium noſtrarum virtute in unaquaque prædictarum Provinciarum deputamus, & deputatos eſſe volumus tres Patres digniores extra Diffinitorium, qui appellationum Judices ſint, & ad quos appellantes a Sententia ſui Diffinitorii licite, ac libere recurrere poſſint, petita prius a proprio Provinciali facultate; ita tamen, ut illi, qui ſunt ex Provincia Sancti Antonii judicent cauſas Provinciæ Conceptionis, & e contra. Ille autem, qui cæteros præcedit, erit illorum Præſes ut illos convocet, & congreget quando opus fuerit, uno vero ex iſtis per mortem, vel aliam legitimam cauſam, deficiente, alius Pater ſecundum Ordinem præcedentiæ intelligatur ipſo facto ſubſtitutus, durabuntque in eodem Officio per triennium, id eſt de Capitulo ad Capitulum, & ſuper appellationes præfatas definitive, & terminative

De Commiſſariis Viſitatoribus.

De Judicibus appellationum.

intra ordinem noſtrum auctoritate noſtra ſecundum Religionis praxim, & leges judicabunt, & ſententiabunt, omnia vero ſupradicta, ſcilicet nominatio Viſitatorum, nominationis tranſmiſſio ad Miniſtrum Generalem, ejuſque reſponſio, ſeu Parentes, & Judicium appellationum ingreſſus ad officium ſecundum tempus, quo contigerint, in libro actuum Provinciæ fideliter notentur. Præcipimus tandem in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis Provinciarum prædictarum Patribus, & Fratribus; Superioribus, & ſubditis, quatenus præfatis noſtris Ordinationibus, & Decretis pro bono, pace, & quiete eorumdem factis, nullatenus ſe opponere audeant, ſed ea, qua par eſt promptitudine pareant, & obediant. Datum in Conventu noſtro S. Franciſci Matriti die 29. Menſis Julii 1682. -- Fr. Petrus Marinus Minorum Generalis. De mandato ſuæ Reverendiſſimæ -- Fr. Sebaſtianus de Arroyo Secretarius Generalis Ordinis. Regiſtrat. Fit. Provæ &c.

Preces Provinciarum.

§. 6. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares Perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, præinſertas memorati Petri Marini Miniſtri Generalis patentes literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & Facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clauſulæ.

§. 7. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, aliiſque noſtro, ſeu pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio imponendis pœnis, omnibus, & ſingulis dictorum Ordinis, & Provinciæ Superioribus Fratribus, & perſonis, cæteriſque ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque fideliter executioni demandent, ſeu demandari curent, & faciant; Ac decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Maji MDCLXXXIII., Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Confirmatur erectio Congregationis Presbyterorum Sæcularium B. M. V. Aſſumptæ Civitatis Portugallen., eique Privilegia, & Indulgentiæ conceduntur. CXVII.

Ab hoc Pontifice Conſt. ed. 1680., Jun. 7. P. 4. approbatum fuit quoddam Inſtitutum Clericorum Sæcularium. Et Conſt. ed. 1684., Aug. 17., P. 8. confirmatæ fuere novæ eorumdem Conſtitutiones. Conſt. vero ed. 1674., Novem. 15., P. 9. approbata fuit quædam Congregatio Presbyterorum S. Joſephi. Et ab Alexandro VIII. Conſtit. ed. 1690., Septem. 13. P. 1. confirmata fuit erectio d. Congr. B. M. V. in Civitate Bracaren.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 20. Maji, 1682. An. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

AD Paſtoralis dignitatis faſtigium meritis licet imparibus, ineffabili Divinæ bonitatis abundantia evecti, divini cultus, & animarum ſalutis incremento, ac fidei Catholicæ propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, intendimus, & propterea Clericorum Congregationes id operari cupientes propenſis ſtudiis promovemus, & inſtituimus, favoribuſque, & gratiis proſequimur opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Dicta Congregatio inſtituta fuit ab Epiſcopo ad inſtar illarum Sancti Philippi Nerii, & ejuſdem Beatæ M. V. in Civitate Ulyſſiponen.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Sæculares Congregationis ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptæ in Civitate Portugallen. ordinaria auctoritate canonice (ut aſſeritur) erectæ, quod alias tunc exiſtens Epiſcopus Portugallen. eandem Congregationem in dicta Civitate pro Presbyteris Sæcularibus, qui ſub clauſura voluntaria abſque votorum obligatione propriæ, alienæque ſaluti ſtudere, Miſſionibus, & verbi Dei prædicationi operam dare, ac ſacramentales Chriſtifidelium confeſſiones audire, aliaque pietatis, & chriſtianæ charitatis opera exercere deberent, ad inſtar Congregationum Oratorii S. Philippi Nerii in Eccleſia Sanctorum Mariæ in Vallicella, & Gregorii de Urbe dudum auctoritate Apoſtolica erectæ, & Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptæ Ulyſſiponen. a fel. rec. Clemente Papa X. Prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas in ſimili forma brevis die 6. Maji 1671. expeditas literas confirmatæ, ſub Conſtitutionibus, ſive Statutis particularibus pro eadem Congregatione Ulyſſiponen. editis, & a præfato Clemente Prædeceſſore per alias pariter in forma Brevis die 24. Auguſti 1672. emanatas literas approbatis, illorumque appendice, erexit, & inſtituit.

Preces Presbyterorum Congregationis.

§. 2. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes præfata pietatis, & charitatis opera exercere hactenus ſtuduerint, illiſque in futurum quoque juxta pium dictarum Congregationum inſtitutum, adjuvante Domino operam dare intendant: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipſos Exponentes, ut ad pia, & ſacra opera hujuſmodi promptiores reddantur, ubereſque in vinea Domini fructus incrementum dante Deo, proferre ſatagant, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis

a Jure,

a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, veris existentibus narratis, & quatenus dicta Congregatio Portugallen. alias canonice erecta, & institutta fuerit, erectionem, & institutionem ipsius Congregationis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Et nihilominus in Ecclesia dictæ Congregationis unam præfatorum Presbyterorum, & Clericorum Sæcularium in eam pro tempore recipi volentium Congregationem sub memorato titulo Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ adinstar supradictarum Congregationum Oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe, & Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ Ulyssiponen., dummodo tamen iidem Presbyteri, & Clerici Ordinationes, & Instituta dictarum Congregationum alias a rec. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter Nostro, ac præfato Clemente Prædecessore respective confirmata receperint, seu recipiant, & illa pro viribus observare intendant, sub Constitutionibus, sive Statutis, illorumque Appendice prædictis, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuo erigimus, & instituimus.

Confirmatio, & nova erectio Congregationis sub Statutis præfatarum Congregationum.

§. 4. Ac modernis, & pro tempore existentibus Præposito, & aliis Presbyteris ejusdem Congregationis sic de novo erectæ, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, illisque pœnitentia debita pro modo culpæ, & aliis, quæ injungenda fuerint, injunctis, absolutionem impendere salutarem possint, & valeant; Sacerdotes vero, & Clerici in eadem Congregatione recepti, eorumque Ministri pro tempore, quo ibidem permanserint, Parochis, eorumve jurisdictioni minime subjaceant, ipsique Sacerdotes sibi invicem, ac Clericis, & Ministris præfatis, etiam Laicis, quæcumque Ecclesiastica Sacramenta, quovis, etiam Paschatis Resurrectionis Dominicæ tempore, vice, & loco Parochi ministrare; Superiores autem ipsius Congregationis per præsentes erectæ per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam approbatis suos Subditos a censuris (non tamen in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, neque in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis) absolvere, illisque debitam pœnitentiam similiter injungere; iidemque Superiores receptos inobedientes, & ipsius Congregationis Constitutionum transgressores punire, & pœnitentia pro modo culpæ, servata tamen forma Ordinationum, & Institutionum hujusmodi afficere, & si sibi videbitur, cum consensu majoris partis dictæ Congregationis culpabiles ejicere, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis, libere, & licite similiter possint, & valeant, dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus. Presbyteris, & Clericis in eamdem Congregationem pro tempore receptis, ne ipsa Congregatione, etiam ex justissima causa, nisi prius illam Superiori Congregationis hujusmodi pro tempore existenti manifestaverint, egredi audeant quovis modo, vel præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contra facientes eo ipso incurrenda auctoritate, & tenore prædictis prohibemus, & interdicimus. Ac demum quod præfata Congregatio perpetuo sit, & esse intelligatur, præsertim quoad Missiones, subjecta omnimodæ Jurisdictioni Episcopi Portugallen. pro tempore existentis, a quo nihilominus Ordinationes, & Instituta ipsius Congregationis immutari, aut alterari minime possint, auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium pariter perpetuo statuimus, & ordinamus.

Et jura, & privilegia conceduntur.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 6. Ut autem Ecclesia Congregationis sic erectæ in majori veneratione habeatur, & a Christifidelibus congruis frequentetur honoribus aliique Presbyteri, & Clerici Sæculares ad ipsam Congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis, qui eandem Congregationem de cætero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, ac ipsis nunc, & pro tempore existentibus Presbyteris, & Clericis, aliisque conviventibus ejusdem Congregationis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam; Necnon tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui ejusdem Congregationis per præsentes erectæ Ecclesiam die festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ a primis Vesperis, usque ad occasum Solis visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino etiam perpetuo concedimus, & elargimur. Necnon tam Presbyteris, & aliis ejusdem Congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus eisdem exhortationibus interessentibus decem annos, & qui Ecclesiam dictæ Congregationis in Purificationis, & Annunciationis, ac Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festorum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ut præfertur, oraverint, septem annos, & totidem quadragenas, eisdem vero Presbyteris, & aliis dictæ Congregationis quoties Divinis Officiis in sua Ecclesia, vel Oratorio more ejusdem Congregationis celebrandis, aut Congregationibus particularibus, vel privatis, & secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut Infirmos consolati fuerint, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitum eant examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam, tam pro animabus Presbyterorum, & aliorum dictæ Congregationis, quam aliorum in Christi charitate Defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Item conceduntur Indulgentiæ.

Indulgentia plenaria.

Indulgentia 10. annorum.

Indulgentia 7. annorum, & totidem quadragenarum.

Indulgentia sexaginta dierum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit Regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis

Alia Clausula.

etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXVIII. Confirmantur duo Decreta Congregationis Concilii decernentia Professiones Brigittanorum Novissimorum esse validas, eosque denominandos esse Brigittanos.

De origine Brigittanorum Novissimorum, ac causa horum decretorum vide Pontificum Constitutiones, & Congregationum decreta infra laudata, sed præcipue hujus Pontificis Constitut. 1681., *Octobris* 24., *Pont. VI.*

Dat. 16. Junii 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Variæ mutationes circa cohabitationem virorum, & mulierum d. Ordinis factæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Religiosi Brigittani *Novissimi* nuncupati, quod dudum Ordo Regularium utriusque sexus sub nominatione Sanctissimi Salvatoris, itaut illius Monasteria deberent esse duplicia, virorum scilicet, & mulierum intra eadem septa, sub diversis tamen clausulis degentium a Sancta Brigitta institutus, & a fel. rec. Urbano PP. VI., aliisque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatus fuit; verum cum subinde compertum fuisset, hujusmodi virorum cum mulieribus cohabitationem suspicionibus, & scandalis occasionem præbere rec. mem. Martinus PP. V. etiam prædecessor noster eorumdem Monasteriorum duplicitatem dissolvit, illaque simplicia, & ab invicem separata esse voluit, licet postea ad preces clar. mem. Henrici Regis, & Catharinæ ejus Genitricis Reginæ Angliæ dissolutionem hujusmodi revocaverit, & Monasteria ad priorem duplicitatis statum reduxerit; in Regnis tamen Angliæ, Daniæ, & Norvegiæ, aliisque ditionibus dictorum Regnorum dumtaxat, prout in ejus literis decimo octavo Kalendas Januarii, & quarto nonas Februarii Pontificatus sui Anno Septimo, & octavo respective desuper expeditis, plenius dicitur contineri. Porro accepto per piæ mem. Eugenium PP. IV. prædecessorem pariter nostrum, quod ex dissolutione præfata, dissentiones, & inconvenientia plura surrexissent, & majora in dies emersura essent, idem Eugenius prædecessor, prævia Constitutionis dicti Martini prædecessoris revocatione, nec ulla illius moderationis quoad Regna Angliæ, & alia supra enunciata emanatæ, mentione facta, Fratrum, & Sororum cohabitationem, juxta primævum Ordinis institutum generaliter, & ubique licitam declaravit, quinimmo Fratres extra priora Monasteria dum-

Ab Urba. VI.

A Martino V.

Ab Eug. IV.

plicia degentes ad illa regredi, si omnimode ibi locari valerent, alioquin ad Carthusien. Sancti Benedicti, Canonicorum Regularium, Sancti Augustini, Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordines, in quibus benevolos inveniissent Receptores transire voluit: statuens, nihilominus ne de cætero Fratres, & Sorores hujusmodi, vigore cujuscumque privilegii, locum aliquem acceptare, seu tenere audeant, ubi aut propter ineptitudinem loci, aut penuriam facultatum loca ipsa non viderentur ad perfectionem reduci posse juxta Regulam Sanctæ Brigittæ. Sed postmodum ex Decreto Capituli Generalis dicti Ordinis a Sede Apostolica confirmato cautum fuit, ne alias ipsius Ordinis Monasteria sine speciali ejusdem Sedis auctoritate deinceps erigi possent, quo tamen non obstante similis rec. Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster supplicationibus bon. mem. Isabellæ Infantis Hispaniarum dum vixit Principissæ Flandriæ inclinatus, commisit tunc existenti suo, ac dictæ Sedis in Belgicis ditionibus Nuncio, & Ordinariis locorum, ut Constitutionibus dicti Ordinis examinatis, atque inventis licitis, & honestis, & per Sedem Apostolicam approbatis, facultatem impertirentur fundandi nova Monasteria, & in illorum fundatione statuendi quæcumque pro eorumdem prospero regimine necessaria esse judicassent. Nonnulla itaque Monasteria erecta fuere, simplicia tamen virorum, nempe a Monasteriis mulierum separata, editæque successive Constitutiones in formula emittendæ professionis, & plerisque aliis minime conformes regulæ primitus traditæ a Sancta Brigitta, quas etiam piæ mem. Gregorius Papa XV. similiter prædecessor noster confirmavit. Unde isti *Novissimi*, *Priores* vero illi *Brigittani* vulgariter appellati sunt.

A Clemente VIII.

A Greg. XV.

Contentiones inde exortæ, & varia Decreta Cardinalium Congreg. Episcop. & Regul.

§. 1. Contentione autem postmodum hinc exorta, an Monasteria Novissimorum essent vera Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ Monasteria, ex quo secundum illius institutionem non erant duplicia, Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita declaravit dicta Monasteria vigore literarum dicti Clementis prædecessoris erecta, & erigenda, esse, ac fore vera membra dicti Ordinis, non secus, ac si essent duplicia, & Religiosi una cum Monialibus cohabitarent, quam declarationem similis mem. Urbanus Papa VIII. etiam prædecessor noster, salva prædictæ Congregationis auctoritate, confirmavit. Cum vero nihilominus Capitulum Generale Priorum Brigittanorum præfatorum anno 1675. celebratum inter cætera decrevisset, se non agnoscere Novissimum Ordinem pro vero, & legitimo, hocque Decretum a nobis de Congregationis memoratorum Cardinalium consilio approbatum fuisset, & his intellectis nonnulli ex dd. Brigittanis Novissimis se a Religione, illiusque votis penitus exemptos esse prætenderent: Congregatio particularis ex dd. Cardinalibus deputata die secunda Julii 1681. decrevit illorum Congregationem esse veram Religionem sub regula Sancti Augustini a Sede Apostolica in Congregationem erectam, diversam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ a supradictis Urbano VI., Martino V., & Eugenio IV. prædecessoribus erecta, & respective approbata, & dictæ Religionis Novissimorum Professos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos, ac neque huic Decreto acquiescentes dicti Brigittani Novissimi exposuerunt, se eatenus in dicta Religione professos fuisse, quatenus crediderunt unam, & eandem esse cum vera, & Priori Religione Sanctæ Brigittæ, ideoque nobis pro opportuna desuper declaratione humiliter supplicarunt. Illorum autem precibus per nos ad Congregationem Venerabilium etiam Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ

Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum remissis, propositoque in ea dubio, an eorum professiones censendæ essent invalidæ, vel potius validæ? emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet -: *Die 19. Septembris 1682. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum utraque parte informante, censuit professiones, & esse validas, & Religiosos Novissimos vocandos esse* Brigittanos *ad formam Constitutionis, seu Brevis sa. mem. Urb. VIII. F. Cardinalis Columna Præfectus -- Loco ✠ Sigilli A. Altovitus Sac. Congregationis Concilii Secretarius* -- Porro reclamantibus adversus hoc Decretum supradictis Brigittanis *Prioribus* nuncupatis, ipsa Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re ad trutinam revocata, alterum edidit Decretum tenoris sequentis, videlicet -- *Professiones Brigittanorum, qui* Novissimi *nuncupantur fuisse, & esse validas, ipsosque Religiosos* Novissimos *vocandos esse Brigittanos ad formam Constitutionum, seu Brevis sa. mem. Urbani VIII. incipientis.* Exponi Nobis nuper fecerunt sub Datum die 9. Octobris 1643. Pontificatus sui anno 21. -- *decrevit hæc Sacra Congregatio sub die 19. Septembris proximi præteriti. Cum autem adversus hujusmodi Decretum reclamaverint cæteri Brigittani* Priores *nuncupati, Sanctissimus Dominus Noster mandaverit illud ad trutinam revocari, non gravabuntur Eminentissimi Patres folium, & informationes tunc datas, & nunc dandas perpendere, an sit standum, vel recedendum a decisis? Die 8. Maji 1683. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum utraque parte ore, & scriptis informante, stetit in decisis, & facta de præmissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua ejusdem Sacræ Congregationis sententiam benigne probavit -- F. Cardinalis Columna Præfectus Loco ✠ Sigilli. A. Altovitus Sac. Congregationis Concilii Secretarius.* Quare præfati Brigittani Novissimi nuncupati Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Primum Decretum Congregat. Concilii.

Alterum Decretum.

Hisce Decretis standum esse decernitur ab eadem Congregatione.

Preces Brigittanorum Novissimorum.

§. 2. Nos igitur ipsos Brigittanos Novissimos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta duo Decreta a prædicta Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum edita, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relatorum duorum Decretorum.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non supradicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium approbans alternativam inter Hispanos, & Criollos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in Indiis Occidentalibus. CXIX.

De hac alternativa vide Const. ed. 1677., Junii 26. Pont. I. Et Const. ed. 1683. Octob. 4. Pont. VIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 7. Sept. 1683. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum causa Alternativæ inter Fratres nativos Hispanos Provinciarum Limanæ, & delas Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis ex una, & Fratres Criollos nuncupatos earumdem Provinciarum ex altera partibus jamdudum vertens a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita acerrime discussa fuisset, emanavit desuper ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. In causa Peruana Alternativæ vertente inter Patres nativos Hispanos professos Provinciarum Sanctorum duodecim Apostolorum Limæ, & S. Antonii Carcarar. Ordinis Minorum Observantium Sancti Francisci in Indiis Occidentalibus ex una, & Patres Criollos nuncupatos professos earumdem respective Provinciarum Partibus ex altera de, & super validitate, & respective confirmatione ac executione Decreti prædictæ Alternativæ emanati in Capitulo Generali anni 1664. & per hanc S. Congregationem, & Breve sa. mem. Alexandri VII., ac per subsequens Capitulum Generale anni 1670. confirmati rebusque aliis &c. -- Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Partibus hinc inde in binis causæ propositionibus pluries informantibus; reque mature discussa, referente Eminentissimo Columna, declaravit, atque decrevit, præfatam Alternativam esse confirmandam, prout præsentis Decreti tenore confirmavit, omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui intervenerint sanando. Contrariis quibuscumque minime obstantibus &c. Romæ 9. Julii 1683. -- G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum Congregationis pro Provinciis Limana, & de las Charcas.

Preces Ministri Generalis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Petrus Marinus Minister Generalis Decretum hujusmodi, quo promptius executioni mandetur, atque ita multis incommodis, inquietudinibus, & relaxationibus, quibus duæ Provinciæ prædictæ, occasione diutinæ ventilationis causæ hujusmodi, quæ multis annis tam in Capitulis Generalibus Ordinis præfati, quam in Romana Curia agitata fuit, multipliciter vexantur, finis tandem imponatur, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsius Petri Marini Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & deffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vei ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCLXXXIII., Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXIX.

Conceduntur Congregationi Suevicæ Ordinis Sancti Benedicti privilegia omnia spiritualia ceterorum Monachorum.

Similia privilegia concessa fuerunt Monachis Congregationis Bavaricæ ab Inn. XII. Const. 1691., Aug. 11. Pont. I.

Dat. 13. Sept. 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidentes, Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi Monasticæ vitæ jugo mancipatorum, uberesque in Ecclesia Dei fructus adspirante superni favoris auxilio proficere jugiter satagentium commodis, & felicibus in via mandatorum Domini progressibus libenter consulimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, & animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Causæ Constitutionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Alphonsus Abbas Monasterii Weingartensis de præsenti Præsidens, ac cæteri Abbates, & Monachi Congregationis Suevicæ in Germania Ordinis Sancti Benedicti, quod cum in Monasteriis dictæ Congregationis studia continua literaria, zelus animarum, & labores in vinea Domini, qui non tantum ad concionandum, & fidelium confessiones assidue excipiendas, obeundaque passim onera Parochialia, sed etiam ad hæreticos, qui non raro se offerunt, ad fidem Catholicam convertendos se extendunt, benedicente Domino vigeant, ipsi Exponentes, ut in hujusmodi piis, & salutaribus operibus ferventiores, & alacriores, ad Divini nominis laudem, & Gloriam, hæresum extirpationem, & S. Matris Ecclesiæ exaltationem, de cætero persistant, plurimum cupiunt, pro majori ipsorum Monasteriorum splendore, & decore, privilegia Congregationis Cassinen., alias Sanctæ Justinæ de Padua, & aliarum Congregationum dicti Ordinis ejusdem Monasterii ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ indulgentia communicari. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, quatenus Monasteriis præfatis, ac aliis dictæ Congregationi Suevicæ in futurum aggregandis, illorumque Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Monachis, & personis præsentibus, & futuris, ut omnibus, & singulis privilegiis, & Indultis spiritualibus præfatæ Congregationis Cassinen. alias Sanctæ Justinæ de Padua, & aliis Congregationibus ejusdem Ordinis, ac illarum Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Superioribus, & Monachis, ac Personis quibuscumque, illarumque Ecclesiis, & Monasteriis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos concessis, & in futurum concedendis, ac quibus earumdem Congregationum, Abbates, Superiores, & Monachi, necnon Ecclesia, & Monasteria hujusmodi de jure, usu, & consuetudine, privilegio aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub ullis revocationibus comprehensa existant, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent, pari modo uti, frui, potiri, & gaudere valeant perpetuo concedere, & indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Precesi Præsidentis, & Abbatum.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui dilectum filium Procuratorem generalem dictæ Congregationis Cassinen. audiverunt, consilio, præfatæ Congregationis Suevicæ, ejusque Præsidenti, Abbatibus, & Monachis, cæterisque personis dictæ Congregationis, ut omnibus, & singulis privilegiis, & gratiis spiritualibus tantum, quibus potiuntur, & gaudent Congregationes Cassinen-

Concessio prædictor. privilegiorum.

sis,

sis, & aliæ dicti Ordinis S. Benedicti, potiri, & gaudere possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu Exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Septembris MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXI.

Confirmantur Literæ Patentes Ministri Generalis Ord. Minorum S. Francisci de Observantia, & Decretum Cardinalis Protectoris circa executionem alternativæ in Provinciis Limana, & de las Charcas.

De hac alternativa vide Constitutiones, & Decreta laudata in ipsis Patentibus, & præcipue Constit. ed. 1683., Septemb. 7., P. 7. Constitutione vero ed. 1684., Apr. 20. P. 8. habetur Reformatio alternativæ pro Provincia Sancti Jacobi in Hispania.

Dat. 4. Oct. 1683. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Decretum in Causa Alternativæ inter Fratres nativos Hispanos, & Fratres Criollos nuncupatos Provinciarum Limanæ, & de las Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis vertente a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum confirmassemus, ipse Petrus Marinus Minister Generalis executionem Alternativæ, ac Decreti, & literarum nostrarum hujusmodi dilectis etiam filiis Commissariis suis Generalibus tam Indiarum in Curia Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici residenti, quam Provinciarum Peruntinarum Ordinis prædicti cum nonnullis præceptis, & Ordinationibus demandavit per quasdam suas patentes literas desuper expeditas, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Seraphici Patris Nostri Francisci Minister Generalis, & Servus &c.*

§. 2. Exigit a Nobis muneris nostri debitum utque pro felici concreditæ Nobis Religionis Seraphicæ gubernio, vel a Prædecessoribus nostris, vel a Capitulis Generalibus, sive etiam ab Apostolica Sede sancita sunt omnimodam sortiantur executionem, & observantiam, eaque præ ceteris, quæ pro eliminandis discordiis, & concordia, ac pace inter Religiosos tuenda, ac manutenenda ordinata sunt. Hujus præcipue finis intuitu in Capitulo Generali hic Romæ celebrato mense Junii 1664. instantibus Custodibus, & Ministris feptem nostrarum Observantiæ Provinciarum Regni Peruani in Indiis Occidentalibus, utroque annuente Diffinitorio, partibusque auditis, fuit Decretum sub die 5. ejusdem mensis, ut in ipsis fieret Alternativa inter Religiosos Hispanos dictarum Provinciarum filios, & Religiosos nationales vulgo Criollos nuncupatos, eo modo, quo introducta fuerit in Provinciis Mexicanis, seu novæ Hispaniæ. Huic decreto annuentibus cæteris, solum se opposuit Limanæ Provinciæ Prominister, qui cum auditus ab eodem Capitulo Generali, nihil relevans deduxisset, prodiit secundum dicti Capituli Decretum, quo præcipiebatur dictam Alternativam omnino stabiliri, ac successive iidem Custodes, & Ministri non solum sub die 6. ejusdem mensis obtinuerunt a Sacra Congregatione super Episcopos, & Regulares præposita præfati Capituli Generalis Decreti approbationem, & confirmationem cum executionis Mandato; sed etiam pro majori sancitæ legis firmitate a SSmo D. N. Alexandro PP. VII. Apostolica auctoritate muniri, ac roborari supplicaverunt, & obtinuerunt per Breve datum die 20. ejusdem mensis Junii 1664. Verum dicto Decreto, una cum præfatis confirmationibus, necnon schedula majestatis Regis nostri Catholici in Limanæ Provinciæ Diffinitorio exhibitis, parere renuentibus Religiosis Criollis, iterum fuit habitus recursus ad Capitulum Generale anno 1670. Vallisoleti celebratum, in quo iterum partibus auditis, perpensaque dictæ Alternativæ necessitate, ipsam confirmavit novo Decreto, cujus executionem, & observantiam Rmo Patri Commissario Generali Indiarum in Curia Catholicæ Majestatis residenti serio inculcavit. Cum autem Criolli dictæ Provinciæ Limanæ, quibus tunc primum adhæsit Charcarum Provincia iterum opposuissent, se hactenus opportune non potuisse contra præfatum Decretum rationes pro ipsis facientes adducere, Congregatio Generalis Toletana de anno 1673., ad quam dicti Criolli provocaverant, mandavit, ut dictarum Provinciarum Diffinitoria in proximo Capitulo Generali desuper informarent, suspensa interim Alternativæ executione: Capitulum igitur Generale anno 1676. Romæ congregatum, ut omnem imposterum controversiarum præcideret occasionem, hujusmodi causam In Rmos Patres tunc temporis Ministrum Generalem prædecessorem nostrum, ac Commissarium pariter Generalem Indiarum in Curia Catholicæ Majestatis residentem compromisit, ut Matriti, habitis eorum, quæ desiderabantur notitiis, providerent, ac disponerent, prout in Domino magis censuissent expedire. Quo quidem compromisso a partibus acceptato, ne contingeret de illius validitate aliquando dubitari, quasi obstaret Decretum suspensivum, quod præfato anno 1664. ex recursu solius Ministri Provinciæ Limanæ ab hac Sacra Congregatione prodierat, proinde Criolli utriusque Provinciæ Limanæ scilicet, & Charcarum unitim eidem Sac. Congregationi supplicaverunt, quatenus hoc Decreto de medio sublato, totius negotii Alternativæ decisionem prædictis Patribus Compromissariis remittere dignaretur; annuitque

Patentes Ministri Generalis, in quibus referuntur ortus, & progressus controversiæ d. Alternativæ.

Decretum Capituli Generalis pro alternativa anno 1664.

Aliud simile Decretum dicti Capituli a Congreg. & ab Alexandro VII. confirmatum.

Decretum Capituli Generalis anno 1670.

Decretum Compromissariorum.

Decretum Congregationis Reg.

eorum votis Sacra Congregatio per ſuum Decretum expeditum die 12. Junii 1676. Hujus Decreti vigore, & præfati compromiſſi per Capitulum Generale facti, iidem Rmi Patres Compromiſſarii, auditis in Curia Matritenſi partibus hinc inde Informantibus, per quaſi unius anni ſpatium, ponderatiſque utriuſque allegatis, ordinaverunt, & ſtatuerunt, non ſolum in utraque Provincia ſtabiliendam, ac ſervandam eſſe Alternativam inter Religioſos natos in Indiis, & natos in Hiſpaniis; ſed etiam formam ipſam practicandi in Limana Provincia decreverunt; ut ſcilicet Provincialis uno triennio eligatur ex una parte, adeo ut ſi obierit, vel alia de cauſa durante Triennio, vacaverit Miniſter, Vicarius Provincialis uſque ad celebrationem Capituli ſit, & eligatur ex eadem parte: Alio vero triennio eligatur, & ſit ex altera, ſervata eadem forma; Cuſtos vero ſi adfuerit, eligatur, & ſit ex illa parte, ex qua non eſt Provincialis, in dicta forma; Et ex quatuor Diffinitoribus, duo ſemper ex una, & duo reliqui ex altera parte ſint, & eligantur. Quo vero ad Guardianos, & alia officia de voto, eligantur indifferenter, & ex utraque parte ſecundum qualitatem meritorum, & idoneitatem Perſonarum, itaut Guardianus Domus principalis ſemper alternetur ex utraque parte de triennio in triennium; Et omni tempore (præter Provincialem, aut Cuſtodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adſint ex minori parte ſaltem decem ad Guardianatus, & officia de voto, adhoc ut ex illis majori libertate poſſint eligi duo Diffinitores. Quoad lecturas autem, & alia officia tam honoris, quam oneris eligantur indifferenter, ſervata Juſtitia diſtributiva, & habito reſpectu majorum meritorum, & majoris idoneitatis juxta Conſtitutiones Generales Ordinis, onerantes in hoc Electorum conſcientias. Idem pariter decreverunt pro Provincia Sancti Antonii de las Charcas, cum hac ſola differentia, quod attento minori numero Officiorum de voto, ordinaverunt, quod decem officia de voto, quæ pro Provincia Limana mandarunt dari minori parti in Provincia de las Charcas dentur tantum ſex ut latius in decreto per dictos Patres Compromiſſarios dato, & publicato in Conventu S. Franciſci Matriti 26. Aprilis 1677. Quod quidem Decretum, ut firmius ſubſiſteret, ac debitæ mandaretur executioni, Religioſi Hiſpani duplex Breve a SSmo D. N. Innocentio XI. impetrarunt, alterum ſub die 26. Junii 1677. præfati Decreti confirmativum, alterum vero ſub die 6. Julii ejuſdem anni, in quo committitur Archiepiſcopo Limano, ut ad proxime recenſiti Brevis confirmativi executionem procederet, procedique faceret, atque inobedientes, & refractarios, non ſolum cenſuris, verum etiam invocato brachii Sæcularis auxilio compeſceret, & ad parendum compelleret. His omnibus Religionis, Summi Pontificis, imo etiam, & Regiis mandatis, ac diſpoſitionibus quomodo reſtiterint dictarum Provinciarum Religioſi Criolli, ſicuti dolentes accepimus, ita modeſte uti notorium reticemus. Obtinuerunt tandem Menſe Januarii præteriti anni 1682. ab hac Sacra Congregatione Mandatum, ut hujuſmodi negotium toties diſcuſſum, ac diffinitum, iterum proponeretur in Capitulo Generali, quod in Menſe Maii ejuſdem anni Toleti congregandum erat, pro voto conſultivo tantum; ad cujus Mandati executionem, partibus pluries auditis, emanavit votum, quod d. Alternativa, non ſolum conducat, imo ſit omnino neceſſaria, ex rationibus in eo productis. Comparuerunt demum in hac Romana Curia dilecti filii noſtri Pr. Fr. Antonius Fernandez, & Pr. Fr. Martinus Moreno cum procurationis Mandato ex parte Criollorum utriuſque Provinciæ Limanæ, & de las Charcas pro cauſæ terminatione apud Sacram Congregationem EE. RR. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, in qua auditis in Cauſa propoſitionibus, partibus pluries informantibus, emanavit tandem Decretum pro dictæ Alternativæ confirmatione, quod SSmus D. N. Innocentius PP. XI. confirmavit ſuis literis in forma Brevis expeditis, tenoris ſequentis videlicet -- Innocentius PP. XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis -- (*reliqua vide ſuo loco*). Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Septembris 1683. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

§. 2. Nos igitur ex præfatæ Apoſtolicæ confirmationis decreti, in pleno Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium congreſſu facti, lectura conſiderantes attente, nullum dilectis filiis noſtris dictarum Provinciarum Limæ, & delas Charcas Religioſis Criollis relinqui ſubterfugium ad prompte non obediendum Religionis determinationibus. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, & Apoſtolicis Decretis, necnon Majeſtatis Regis noſtri Catholici piæ voluntati in dicta Alternativa admittenda, & exequenda, eo vel maxime, cum omnes juris, & facti defectus, ſi qui forte in præfatis ſanctionibus irrepſerint, fuerint per Sacram Congregationem, & Apoſtolicam auctoritatem in præinſerto Decreto, & Brevi ſanati, ac contrariis quibuſcumque non obſtantibus, dicta Alternativa confirmata, cupientes propterea utriuſque antedictæ Provinciæ quieti, ac paci conſulere, ac diſſentiones, & diſcordias ex hujuſmodi cauſa exortas, de medio tollere, & prædictæ Alternativæ executione ac ſtabilitate omnibus ſcandalorum occaſionibus obviare. Hinc plurimum nobis dilectis Reverendiſſimo Patri Commiſſario Generali Indiarum in Curia Majeſtatis Catholicæ reſidenti, ac Commiſſario pariter Generali, in Provinciis de el Perù (qui pro tempore fuerit) per præſentes committimus, ac ſerio inculcamus, ut dictam Alternativam modo quo ſupra expreſſam in præfatis Provinciis Sanctorum duodecim Apoſtolorum Limæ, & Sancti Antonii delas Charcas, in executionem Religionis, ac Sacræ Congregationis, imo, & Apoſtolicorum Decretorum, omnibus juris, & facti remediis adhibitis, introduci, acceptari, practicari, ac impoſterum formiter ſervari mandent, & pro viribus ſatagant, prout Nos præſentium vigore, & officii noſtri auctoritate, introduci, acceptari, practicari, ac impoſterum formiter ſervari mandamus, ac diſtricte præcipimus, dilectos filios noſtros utriuſque Provinciæ Religioſos Criollos, uti ſervus rogantes, uti Frater hortantes, uti Pater commonentes, ac uti Superior, & legitimus (licet indignus) Sancti Patris noſtri Franciſci ſucceſſor ipſis in virtute Spiritus Sancti, ac ſub diſtricto præcipientes S. Obedientiæ merito, & ſub pœnis contra inobedientes ſancitis, ut d. Alternativæ tandem acquieſcentes, necnon Religionis, S. Sedis, Majeſtatis Regis noſtri Catholici, ac noſtris obtemperantes Mandatis, ſe veros ac legitimos S. Patris noſtri Franciſci filios oſtendant. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ apud Aram Cœli die 10. Septembris anno 1683. -- Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis &c. De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ -- Fr. Sebaſtianus de Arroyo Secretarius Generalis Ordinis.

§. 3. Et ſubinde Venerabilis Frater noſter Alderanus Epiſcopus Portuen. ejuſdem S. R. E. Cardinalis Cybus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protector, memoratis Commiſſariis Generalibus commiſit, ut præinſertas patentes literas fideliter exequerentur, & obſervari facerent, cum facultate procedendi adverſus inobedientes, & rebelles ad cenſuras

Alterum Compromiſſariorum Decretum anno 1677.

Duplex Breve Innoc. XI. pro confirmatione, & executione d. Decreti.

Decretum Congr. pro novo examine.

Decretum Capituli Gener. an. 1682.

Decretum Congreg., & Breve Innocent. XI. pro alternativa.

Mandatum Miniſtri Gen. ut omnino ſervetur dicta alternativa.

Eccleſia-

Ecclesiasticas, aliasque pœnas in Statutis Ordinis præscriptas, etiam appellatione remota, & alias, prout plenius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decreto desuper edito, tenoris sequentis, videlicet. *Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protector.* Attenta narratorum veritate, quæ ex documentis Sacræ Congregationi exhibitis Nobis constat, cupientes, tam pernicioſæ liti finem, & perpetuum imponere silentium, præfatis PP. Commissario Generali Indiarum in Curia Matritensi, & Commissario Generali Indiarum in Provinciis Peruanis respective residentibus, committimus, & districte mandamus, ut supra scriptas literas patentes P. Ministri Generalis, quarum tenorem præsenti nostro Decreto approbamus, & confirmamus, fideliter exequantur, & ab omnibus ad quos spectat in obsequium prædictæ Sacræ Congregationis, exequi, & inviolabiter observari faciant cum facultate procedendi adversus inobedientes, & Rebelles ad Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas in Statutis Ordinis præscriptas, nulla eis suffragante appellatione, quam pariter in obsequium ejusdem Sacræ Congregationis ab ejus Decreti executione juxta formam in dictis literis parentibus expressam ex nunc interdicimus, cassamus, & annullamus. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Romæ die 18. Septembris 1683. A Cardinalis Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca.

Decretum Cardin. Protectoris pro confirmatione, & executione relati Mandati.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Petrus Marinus Minister Generalis præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ munimine corroborari summopere desideret: Nos specialem ipsi Petro Marino Ministro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodoliber innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, patentes ejusdem Petri Marini Ministri Generalis literas, & memorati Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decretum præinserta, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Ministri Generalis.

Confirmatio dd. Patentium Ministri Generalis, & Decreti Cardin. Protect.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Octobris MDCLXXXIII. Pontif. nostri Anno Octavo.

CXXII.

Confirmatur Decretum Congreg. Concilii, quo injungitur Ordinariis Regni Peruani conservatio Decreti Concilii Tridentini de Regularibus reclamantibus adversus eorum professionem elapso quinquennio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 13. Oct. 1683. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Francisci de Rossellon Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Indiis Occidentalibus degentium Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concili Tridentini Interpretum expositio, quod quamvis vigore Decretorum dicti Concilii sess. 25. cap. 19. de Regularibus Religiosi prætendentes se professionem emisisse pervim, aut ante debitam ætatem, aut demum ex alia causa professionem irritante, non sint audiendi, nisi intra quinquennium a die professionis computandum, nihilominus in Regno Peruano invaluerat hæc corruptela, seu abusus, ut etiam lapso quinquennio passim audirentur, signanter vero Religiosi præfati Ordinis, inter quos ab anno 1664. citra obtinuerant declarari nullam eorum professionem Fratres mox recensendi, nempe dilecti filii Petrus Merca transacto jam quinquennio suæ professionis sub prætextu, quod quadam infirmitate habituali laboraret, Nicolaus Roderiguez XVIII. suæ professionis anno, cum allegasset sibi a Matre incussum metum, Franciscus de Quiros suæ professionis anno decimosexto, Alphonsus Quintana professionis anno vigesimo, & Didacus de Torres longe elapso quinquennio, cum deduxissent sibi illatam vim a Parentibus: Et in eadem expositione subjuncto, quod de præsenti instabant pro simili declaratione dilecti etiam filii Marcellus Crespo actualis Custos, Bartholomæus Tibero anno trigesimosexto suæ professionis, Isidorus de Zepedefanno trigesimo, Franciscus Magaburu anno vigesimosecundo, ac demum Antonius de Requena, & Franciscus dela Rea, pluresque alii Fratres expresse professi Ordinis prædicti. Quoniam vero plurimum Religionum interest omnium, ne illi, qui eis nomen dederunt, tam facilem exitum a Religione inveniant, pro parte dicti Francisci Procuratoris præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, quatenus decerneret, ut in posterum nullatenus audiantur, seu admittantur transacto quinquennio, nisi obtenta prius ab hac Sancta Sede in integrum restitutione, ac retento Religionis habitu: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet die 28. Augusti 1683. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit servandam esse dispositionem ejusdem Sacri Concilii cap. 19. sess. 25. de Regularibus, & proinde injungendum, prout Decreti præsentis tenore districte injungit omnibus Ordinariis locorum Regni Peruani, quatenus dispositionem præfatam omnino servent, F. Cardinalis Columna Præfectus A. Almictus Secretarius.

Causa Decreti Congregationis.

Decretum prædictum.

§. 1. Cum autem sicut idem Franciscus Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos

Preces Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Ordinis

S. Francisci de Observantia.

ipsius Francisci Procuratoris votis hac in re quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXIII. Mandatur pro Fratribus S. Francisci, ut in Belgio servetur Constitutio Clem. VIII. circa erectionem novorum Cœnobiorum.

Literæ, quæ hic annunciantur, scilicet Clem. VIII. habentur Constit. 99. tom. 3., & Urbani VIII. Constit. 49. tom. 4.

Dat. 18. Jan. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Corselius Frater expresse professus, & in Romana Curia Agens, sive negotiorum Gestor Provinciarum Germano-Belgicarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum quod juxta dicti Ordinis statuta per fel. rec. Urbanum PP. VIII. prædecessorem nostrum confirmata Cap. 3. §. 8. de Ædificiorum constructione decretum sit, ut singulæ Provinciæ circa incommoda, sive damna sibi de aliorum Conventuum nova ædificatione imminentia omnibus remediis opportunis, & licitis in Curia Romana sese defendant. Provinciæ vero Belgicæ ejusdem Ordinis ob introductionem novorum Conventuum diversorum Ordinum paucis abhinc annis plurima incommoda, & gravia damna sint passæ, ac plura immineant, si denuo alii ædificentur, ut diversis in locis plurimi attentant, eum in finem sibi ruri, in pagis, & Oppidulis per instantiam, & favorem Magnatum loca deligentes, ex quibus, utpote vicinioribus undique, jam stabilitorum Ordinis præfati Conventuum consuetas eleemosynas soli Fratres Conventuum hujusmodi ex sui Instituti rigore vivere coguntur, conquirunt, & stationes invadunt, itaut plurimi Conventus ad summam indigentiam redigantur, & modo infinitis propemodum exponantur difficultatibus, & molestiis, ut suo Instituto insistere possint. Ipse Philippus provide considerans, propter præmissa pluribus in locis, habitationis plurimorum Religiosorum capacissimis, eorum numerum notabiliter esse diminutum, cumque Patria, ob continua Belli tempora, sit adeo devastata, ut in extremis miseriis homines vix subsistant, diminuendum fore iterum non sine gravi Divini Officii, & regularis disciplinæ præjudicio, si plures Conventus admittantur, cum juxta Concilii Tridentini Decreta is tantum Religiosorum numerus in Conventibus esse possit, qui ex consuetis eleemosynis commode ali potest, adeout dictæ Provinciæ Belgicæ ab ulteriori irreparabili damno præserventur, plurimum cupit, auctoritate Apostolica præcipi, ut Decretum rec. me. Clementis PP. VIII. prædecessoris pariter nostri hac in parte latum, quod in illis partibus, vel hactenus fuit ignoratum, vel neutiquam observatum, accurate, sive punctualiter ibidem observetur.

Causæ mandati.

Preces Agentis Recollectorum.

§. 1. Nos igitur ejusdem Philippi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione Ven. etiam Fratris nostri Alderani Episcopi Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybi nuncupati, dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, præfatis Cardinalibus super præmissis facta, Constitutionem memorati Clementis prædecessoris, quæ incipit, *Quoniam ad Institutum &c.* circa præmissa servari, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Mandatum prædictum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Januarii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXIV. Confirmantur Literæ Innocentii X. una cum aliis Clementis VIII., & Pauli V. super erectione, & privilegiis Academiæ, sive Universitatis Oppidi Zamoski Chelmen Diœcesis in Regno Poloniæ.

Alia Universitas studii Generalis in Civitate Vilsi Regni Poloniæ erecta fuit a Greg. XIII. Const. ed. 1579., Octob. 29., P. 8. de Privilegiis Universit. vid. notata Const. ed. 1683., Apr. 21., P. 7., & Constit. ed. 1687., Jun. 18., P. 11. habetur Confirm. cujusdam Universitatis in Indiis Occidentalibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 20. Februarii 1684. An. 8.

Exordium.

QUÆ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad excitanda, promovendaque in Catholicis Universitatibus bonarum literarum, & laudabilium disciplinarum studia, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes veritatis luce illustrantur, sapienti consilio ordinata esse noscuntur, ea nos propensa charitate, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, noviſque præsidiis corroboramus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Orthodoxæ Religionis incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Alias siquidem emanarunt a fel. recor. Innocentio Papa X. prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur videlicet. *Innocentius PP. X. Ad perpetuam rei memoriam.* Alias a fel. rec. Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanarunt literæ in simili forma Brevis, tenoris sequentis, videlicet *Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.* Sedes Apostolica, quam studiorum Matrem, & Altricem esse decet, Catholicas Universitates studiorum generalium, ad studiosorum commoditatem institutas privilegiis, & gratiis libenter exornat, prout temporum, & locorum ratio postulat, ac alias in D. salubriter conspicit expedire. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius nobilis Vir Joannes Zamoschi Magnus Regni Poloniæ Cancellarius, ad studiosæ juventutis commodum in ejus Oppido novo Zamoſciæ Chelmen Diœcesis, Universitatem studii generalis Hypechomen nomine, illi impoſito instituerit, ac annuos perpetuos mille florenorum redditus illi assignaverit, & jam quinque Professores præclaris ingeniis, & non vulgari eruditione præditos ex Cracovienſi Academia, advocaverit, pluresque Professores convocare, & uberiores fructus assignare, cum literis in ea operam dantes, majores facient progressus, intendat. Nos Universitatem prædictam ex speciali nostra, & Sedis Apostolicæ beneficentia privilegiis, & gratiis exornare volentes, singulari ipsius Joannis Institutoris pietate, ac animi magnitudine, ac præcipua in Nos, & Apostolicam Sedem observantia adducti, Universitati prædictæ, sicut præfertur erectæ, ac illis pro tempore Rectori, Magistris, Professoribus, Scholasticis, & aliis quibuscumque Personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, Indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, favoribus, & facultatibus, etiam circa Doctores in artibus Philoſophiæ, ſcientiaque civili, & utroque Jure, ac Medicina, ac Notarios creandos, alioſque ſtudiorum gradus conferendos, & aliis quibuſlibet, quibus aliæ ſimilium ſtudiorum generalium Univerſitates ubivis locorum, & Gentium inſtitutæ, illorumque Rectores, Magiſtri, Profeſſores, Scholaſtici, & aliæ perſonæ de jure, uſu, & conſuetudine, aut alias quomodolibet tam ex Apoſtolica, quam Imperiali, ſeu Regali auctoritatibus utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, valeant, & debeant, utque in ipſa Univerſitate pro tempore ad gradus quoſcumque promoti, pari auctoritate, facultate, & dignitate præfulgeant, iiſdemque privilegiis, gratiis, honoribus, & prærogativis perfruantur, atque alii in aliis Univerſitatibus promoti, itaut nulla inter eos fiat differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus; ipſiuſque Univerſitatis Rectori, & Adminiſtratoribus, ut pro ipſius Univerſitatis felici Regimine, quæcumque Statuta, licita, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Trid. Decretis conformia condere valeant, facultatem impartimur. Eidem autem Academiæ Venerabilem Fratrem modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Chelmen, loci Ordinarium, perpetuo præficimus, ipſumque Epiſcopum in ejuſdem Academiæ perpetuum Cancellarium conſtituimus, & deputamus: Utque eadem Academia, ejuſdem Lectores, Officiales, & Scholares Univerſi, eidem Epiſcopo Chelmen tanquam eorum Præfecto, & Cancellario perpetuo ſubeſſe, ac parere. & in omnibus obedientiam præſtare debeant, & teneantur, neque Succeſſores dicti Joannis Zamoski Cancellarii in eodem Oppido in adminiſtratione dictæ Academiæ, & illius bonorum quoquo modo ſeſe ingerere poſſint, & valeant, ſed illius gubernium, cura, & adminiſtratio ad dictum Epiſcopum Chelmen privative quoad dictos Succeſſores perpetuo ſpectet, & pertineat, idem vero Epiſcopus, & ejus in dicta Eccleſia Succeſſores, in primis teneantur omni ſtudio curare, ut in eadem Academia Catholica Religio, & obedientia Sedis Apoſtolicæ conſervetur. Quodque ſi dicta Academia, vel illius Officiales, Lectores, & Scholares a dicta fide Catholica, & Sedis Apoſtolicæ Obedientia (quod Deus avertat) aliquo tempore defecerint, bona omnia a dicto Joanne Zamoski Cancellario eidem Academiæ data, ad prædictam Eccleſiam Chelmen eo ipſo devolvantur, & devoluta eſſe cenſeantur, & ex tunc de cætero in perpetuum ſpectent, & pertineant ſtatuimus, & ordinamus, & cum expreſſa hac conditione privilegia, & gratias ſupraſcriptas, & non alias, nec alio modo nos conceſſiſſe declaramus. Sicque in præmiſſis omnibus per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere decernimus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, & Synodalibus, ac Provincialibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumcumque Univerſitatum, ſtudiorum generalium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodocumque conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Octobris MDXCIV. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Literæ Innocentii X., in quibus referuntur

Literæ Clem. VIII.

§. 2. Et poſtmodum à recolendæ mem: Paulo Papa V. emanarunt aliæ literæ in eadem forma Brevis tenoris, qui ſequitur videlicet, *Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.* Sacri Apoſtolatus Miniſterio meritis licet imparibus, Divina diſpoſitione præſidentes, ea, quæ pro Catholica-

Item Literæ Pauli V.

rum, & Collegiatarum Ecclesiarum, ac bonarum artium, disciplinarum, & scientiarum propagatione, personarum quoque in his studium, industriam, & operam navantium, congrua sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, necnon Ortodoxæ fidei conservatione, cum Divini cultus incremento, per viros generis nobilitate pollentes, & de fide Catholica optime meritos, provide facta, & ordinata fuisse dicuntur, ut firma, & illibata perpetuo subsistant, libenter cum a Nobis petitur Apostolico præsidio communimus, ac desuper Pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout locorum, temporum, & personarum ratio postulat, & Nos conspicimus in D. salubriter expedire. Sane dilectus filius nobilis Vir Thomas Zamoski Dominus in temporalibus Oppidi de novo Zamoshio Chelmen Diœcesis, nobis nuper exponi fecit, quod quondam etiam Joannes Zamoski ejus Genitor, & Regni Poloniæ dum vixit, Supremus Cancellarius, provide perpendens Universæ Reipublicæ uberiores, & multiplices fructus ex literarum studiis provenire, ac cupiens studia hujusmodi in ejus Patrio solo vigere, necnon pro amplissimis gratiarum donis, & muneribus sibi ab Omnipotenti Deo, bonorum omnium largitore benigne collatis, ex devoti, & grati erga illum animi testimonium Divinæ suæ majestati debita laudum præconia, & Salutaris Hostiæ Sacrificia jugiter offerri, & persolvi, habita desuper cum tunc existente Episcopo Chelmen loci Ordinario consultatione, & matura deliberatione, ac de illius licentia, & assensu omni meliori modo, & forma, quibus potuit, & quantum in se fuit, ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Gloriam, ac salutiferæ Resurrectionis Dñi N. Jesu Christi memoriam, & S. Thomæ Apostoli ejusdem Resurrectionis præclari testis honorem, dictique Oppidi decorem, & ornatum in eodem Oppido unam Academiam publicam pro illius, ac aliorum Oppidorum, & locorum, tam temporali suo Dominio Subditorum, quam aliorum quorumcumque in pietate, morumque probitate, ac doctrina Christiana, & literis humanioribus, tam Græcis, quam Latinis, necnon Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Logicæ, Philosophiæ naturalis, & Moralis, Physicæ, Metaphysicæ, utriusque Juris prudentiæ, Theologiæ, cæterisque artibus, disciplinis, scientiis, & facultatibus licitis erudien., imbuen., & instruenda. Unam quoque Collegiatam Ecclesiam cum Capitulo, Decano, Custode, Scholastico, ac certo Canonicorum, Vicariorum, & Ministrorum, qui eidem Ecclesiæ in divinis laudabiliter deservirent fundavit, & instituit, ac sumptuosis, & magnificis ædificiis, structuris, Cathedris, Scholis, suppellectilibus Sacris, & profanis, aliisque rebus ad Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi respective usus necessariis luculenter instruxit, & ornavit, congruisque redditibus annuis, & perpetuis ad ipsum Joannem, tunc legitime spectan. dotavit, necnon super prospero, & felici statu, directione, progressu, & stabilitate, tam Academiæ, quam Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi, illarumque præcipue Rectoris, Lectorum, Professorum, Magistrorum, Præceptorum, Scholarium, Decani, Custodis, Scholastici, Canonicorum, Vicariorum, Officialium, & Ministrorum qualitatibus, oneribus, obligationibus, functionibus, mercedibus, Salariis, cæterisque rebus in præmissis, & circa ea necessariis, & opportunis, plurima Statuta, Constitutiones, ordinationes, & Decreta condidit, & præscripsit. Quare dictus Thomas Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus fundationi, Institutioni, dotationi aliisque prædictis pro illorum firmitate, subsistentia, & observantia, nostræ confirmationis robur adjicere, ac alia infrascripta concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet votis præsertim Divinum cultum, & publicam utilitatem, & commoditatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prædictum Thomam a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon reddituum, & bonorum per dictum Joannem pro fundatione, Institutione, & dotatione prædictis donatorum, & assignatorum, qualitates, & quantitates præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, easdem fundationem, institutionem, & dotationem, ac prout illas concernunt omnia, & singula, licita tamen, honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti, ac quarumcumque Solemnitatum, etiam substantialium defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque omnia, & singula perpetuo valida, & efficacia esse, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici Auditores, dictæq; Sedis Nuntios, ac locorum Ordinarios, judicari, & definiri debere decernimus. Insuper Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ prædictis, earumque respective Rectori, Cancellario, Professoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Magistris, Scholaribus, Capitulo, Decano, Custodi, Scholastico, Canonicis, Vicariis, Ministris, Officialibus, & personis, nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, indultis, facultatibus, & gratiis, quibus aliæ similes Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ in dicto Regno, & ubicumque locorum constitutæ, & illarum Rectores, Cancellarii, Professores, Lectores, Magistri, Præceptores, Scholares, Capitula, Decani, Custodes, Scholastici, Canonici, Vicarii, Ministri, Officiales, ac personæ de jure, usu, consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate, & tenore præsentis perpetuo concedimus, & indulgemus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Gnesnen., & Leopolien. Archiepiscopis, ac Episcopo Præmislien. per præsentes committimus, & mandamus; quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ipsius Thomæ, necnon Rectoris, Cancellarii, Professorum, Lectorum, Præceptorum, Magistrorum, Scholarium, Capituli, Decani, Custodis, Scholastici, Canonicorum, Vicariorum, Ministrorum, Officialium, & Personarum hujusmodi nunc, & pro tempore existentium, fuerint requisiti solemniter publicantes, necnon Thomæ, & aliis prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, Thomam, aliosque prædictos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permitten. illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite

molestari.

molestari. Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii Sæcularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Constit. Generali, & ita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, necnon in Synodalibus, Provincialibusque, & Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac literis piæ mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, per quas statuit, & ordinavit, quod cura, gubernium, & administratio dictæ Academiæ, illiusque bonorum ad pro tempore existen. Episcopum Chelmen., uti loci Ordinarium spectet, & pertineat, quibus quidem literis dicti Clementis Prædecessoris, quoad particulare Statutum, & Ordinationem hujusmodi dumtaxat (eisdem literis in reliquis omnibus quæ fundationi, Institutioni, & dotationi Academiæ hujusmodi non adversantur, in suo robore permansuris) specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Professores, Doctores, Lectores, Magistri, Præceptores, & quicumque alii in dicta Academia docentes in primis, & ante omnia Catholicæ fidei professionem juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos in manibus pro tempore existentis Rectoris, seu Cancellarii dictæ Academiæ, aut persona ad id ab eo deputandæ emittere ac etiam jurejurando interposito, quod nihil quidquam ab ipsa fide Catholica devium, seu alienum docebunt, interpretabuntur, promittere omnino debeant, ac teneantur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscaroris die 6. Junii 1617. Pontificatus nostri anno 13.

Literæ ipsius Innoc. X.

§. 3. Cum autem sicut pro parte dilecti filii nobilis Viri Joannis Baptistæ Zamoski Principis dicti Oppidi Zamoski nobis nuper expositum fuit, ipse Joannes Baptista Princeps literas præinsertas per nos confirmari, & quia in Academia prædicta ultra supra expressas, etiam Sacræ Theologiæ lectiones assidue legantur facultatem promovendi ad Magisterii, aliosque gradus, etiam in eadem Sacra Theologia illos, qui ad id idonei reperti fuerint concedi summopere desideret: Nos eumdem Joannem Baptistam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, præinsertis Clementis, & Pauli Prædecessorum prædictorum literas cum omnibus contentis in illis, Apostolica auctoritate tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, & insuper dilecto filio Rectori, nunc, & pro tempore existenti prædictæ Academiæ, ut illos quos per debitum tempus Sacræ Theologiæ studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse repererit in prædicta facultate Theologiæ ac Baccalaureatus, etiam Formati licentiaturæ laureæ Doctoratus, & Magisterii gradus, servata in omnibus forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, ac alias juxta præscripta Statuta, & aliarum Academiarum consuetudines promovere, ac solita graduum hujusmodi insignia eis exhibere, utque ad dictos gradus, ac per illum promoti, postea publice, & privatim, etiam in omnibus aliis Academiis, seu Universitatibus Studiorum Generalium prædictam Sacræ Theologiæ facultatem interpretari, & alios docere, ac de ea disputare, graduique, seu gradibus per eos susceptis hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & Indultis quibus alii in prædictis Academiis, seu Universitatibus, & alibi juxta illarum mores, & consuetudines ad gradus hujusmodi promoti, de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia perinde ac si gradus ipsos in Academiis, seu Universitatibus hujusmodi, juxta illarum mores, & consuetudines rite suscepissent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite respective possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, quos illa concernunt plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis quæ in præinsertis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1648. Pontificatus nostri anno Quarto.

Preces Rectoris, & Administratoris Universitatis.

§. 4. Cum autem sicut dilecti filii Rector, & Administratores Universitatis, seu Academiæ præfatæ, ac dilectus filius modernus hæres Institutoris ejusdem Universitatis, seu Academiæ nobis nuper exponi fecerunt, ipsi præinsertas Innocentii Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate nostra Apostolica confirmari plurimum desiderent: Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, præinsertas dicti Innocentii Prædecessoris literas cum aliis Clementis, & Pauli pariter Prædecessorum nostrorum literis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatarum literarum Clemen. X., Pauli V., & Innoc. X.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorantes contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 6. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ iidem Clemens, Paulus, & Innocentius Prædecessores in dictis suis literis præinsertis

voluerunt non obstare: cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Februarii MDCLXXXIV. Pontificatus noſtri Anno Octavo.

CXXV. Confirmatur Decretum Congreg. Epiſc., & Reg. quo declaratur Clericos Regulares Pauperum Matris Dei eſſe exemptos a juriſdictione Ordinariorum, & gaudere omnibus privilegiis Mendicantium.

Literæ Greg. XV. hic laudatæ editæ fuere 1621. Novemb. 18. P. 1., & 1622., Octob. 15., P. 2. aliæ vero Clem. IX. datæ ſunt 1669., Octob. 23. de exemptione ab Ordinariis vid. Clem. X. Conſt. ed. 1670., Octob. 18., P. 1., & de aliis privilegiis hujus Pontific. Conſtitut. ed. 1686., Septem. 3., P. 10.

Dat. 13. Martii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. NUper pro parte dilecti filii Præpoſiti Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod licet dudum, videlicet die 18. Novembris 1621. fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor Noſter dictam Congregationem Clericorum in Religionem cum emiſſione trium Votorum ſolemnium erexerit, illique ſubinde nempe die 15. Octobris 1622. communicationem omnium privilegiorum Ordinibus Mendicantibus conceſſorum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed etiam pariformiter, & æque principaliter cum ampliſſimis clauſulis conceſſerit, prout in binis Literis ipſius Gregorii prædeceſſoris deſuper expeditis plenius dicitur contineri, & poſt aliquos ſtatus mutationis, quas eadem Congregatio Clericorum ſucceſſive paſſa fuerat rec. mem. Clemens Papa IX. etiam prædeceſſor noſter ipſam Congregationem ad ſtatum Regularem, & Titulum Religionis cum emiſſione trium Votorum ſolemnium, & ad fruitionem omnium, & ſingulorum Privilegiorum, Immunitatum, Facultatum, Exemptionum, aliarumque Gratiarum, & Indultorum Ordinibus Mendicantibus hujuſmodi quomodolibet conceſſorum in omnibus, & per omnia ad limites ſupradictarum binarum Gregorii prædeceſſoris Literarum, & juxta illarum ſeriem, diſpoſitionem, & tenorem auctoritate Apoſtolica reſtituerit, & reintegraverit. Nihilominus a nonnullis ſpargebatur opinio, quod non ideo dicta Congregatio, ejuſque Clerici Regulares ab Ordinariorum Juriſdictione exempti eſſent, ſub prætextu, quod hujuſmodi exemptionis conceſſio in dictis privilegiis individualiter expreſſa non eſſet: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod ex hujuſmodi opinione multa naſcebantur incommoda, ideoque cum notorium ſit, omnibus Regularibus, quibus privilegia Ordinum Mendicantium communicata ſunt, exemptionem ab Ordinariorum Juriſdictione hujuſmodi competere, ipſe Præpoſitus Generalis de opportuna in præmiſſis declaratione provideri plurimum cupiebat; emanavit ad ejus ſupplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, ac declaravit *Religionem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum gaudere exemptione a Juriſdictione Ordinariorum locorum, ac omnibus Privilegiis Regularibus Mendicantibus conceſſis. Romæ 14. Januarii 1684.* -- G. Cardinalis Carpineus Loco ✠ Sigilli -- B. Panciaticus Secretarius.

Dubium.

Decretum S. Congregationis Epiſc. & Regul.

§. 1. Cum autem, ſicut præfatus Præpoſitus Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſius Præpoſiti Generalis votis, hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Card.

Preces Præpoſiti Generalis.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Clauſulæ.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſc. die XIII. Martii MDCLXXXIV., Pontificatus noſtri Anno Octavo.

CXXVI. Confirmantur Conventiones initæ inter Fratres Minores de Obſervantia, & Conventuales Ordinis Sancti Franciſci circa primatum in Proceſſionibus, aliiſque functionibus.

Dat. 15. Apr. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum quod cum in Civitate Averſan. ejus Patria Fratres Minores Ordinum ejuſdem Sancti Franciſci tam de Obſervantia, quam Conventuales nuncupati in publicis proceſſionibus inſimul, uno quidem Fratre de Obſervantia ad dextram, altero vero Conventuali ad ſiniſtram, & ita deinceps, præcedentibus eorum reſpective Crucibus, Fratrum de Obſervantia ſimiliter ad dextram, Fratrum autem Conventualium ad ſiniſtram, incedere ſolerent, iſque incedendi modus nonnullis incommodis, ſive inordinationibus cauſam præbuiſſet, ipſe Miniſter Generalis di-

lectum

lectum pariter filium modernum Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum amicabiliter requisivit, ut incommodis hujusmodi opportuna aliqua provisione occurrere vellet, unde cum approbatione, & consensu amborum Ministrorum Generalium præfatorum, dilecti etiam filii Procuratores Generales dictorum Ordinum respective ad amicabilem inter se conventionem devenerunt, ut de cætero in processionibus hujusmodi, quæ in dicta Civitate Aversan. sive intra sive extra illius muros fient, & quibus Fratres amborum Ordinum præfatorum interesse debebunt utriusque Ordinis hujusmodi Fratres non amplius conjunctim, sed seorsim, quilibet sub propria Cruce incedant, & quoad præcedentiam servetur inter eos alternativa, itaut uno quidem anno Fratres de observantia sub propria Cruce, altero autem Fratres Conventuales itidem sub propria Cruce respective præcedant, hicque ordo præcedentiæ, servari etiam debeat in associatione Cadaverum ad Ecclesias, ad quas processionaliter portabuntur; Si autem aliquod Cadaver in Ecclesia Fratrum alicujus ex dictis Ordinibus sepeliendum fuerit, honor præcedentiæ Fratribus exteris tribuatur, in omnibus vero aliis functionibus quæ formam processionis non habeat, & quibus Fratres utriusque Ordinis non processionaliter, sed alio titulo interfuerint, sive publicæ, sive privatæ fuerint, Fratres Conventuales primum locum Fratribus de Observantia semper dare teneantur, adjecta declaratione, quod hæ Conventiones alibi in exemplum, seu pro lege adduci nequeant, nec per eas ulli ex præfatis Ordinibus, sive in communi, sive in particulari, ullum præjudicium illarum intelligatur, & alias prout uberius continetur in Syngrapha desuper Italico vulgari idiomate confecta, ac ab omnibus Procuratoribus Generalibus prædictis subscripta, tenoris, qui sequitur videlicet.

Summa Conventionis initarum inter Procur. Generales cum consensu Ministrorum Generalium.

Convenzioni sudette.

Nel nome del Signore. Nella Città d'Aversa Provincia di Napoli, o sia Terra di Lavoro li PP. Minori Osservanti, e Conventuali costumano d'andare uniti nelle pubbliche Processioni, cioè la Croce de' PP. Conventuali ed un Religioso Osservante alla destra d'un Conventuale: E perche si è veduto, che dall' essere li PP. Osservanti sempre in maggior numero, è convenuto alli PP. Conventuali graduati il più delle volte accompagnarsi, o con i Laici, o con Giovani professi Osservanti, questo modo d'andare ha dato occasione a molti disordini nel pubblico, e precise al Secolo d' interrompere la devozione, ed appoggiarvi qualche vilipendio. Questi inconvenienti rappresentati dal P. Rmo Generale de' Conventuali nativo di quella Patria, al P. Rmo Generale degl' Osservanti con amichevoli istanze per qualche provvedimento, con l'approvazione, e consenso de' medesimi PP. Rmi Generali sono venuti li PP. Procuratori Generali dell' una, e l'altra Religione ad un' amichevole convenzione nella forma, che siegue.

1. Primieramente dichiarano, e concordano, che in tutte le Processioni da farsi nella Città d'Aversa dentro, o fuori le Mura d'essa, o siano d'obbligo, o di devozione, nelle quali doveranno intervenire le due Religioni, s'osservi l'alternativa di precedere un' Anno li PP. Osservanti, ed un' Anno li PP. Conventuali, cioè, che un' Anno vadino li PP. Osservanti uniti sotto la propria Croce nel primo luogo, e li PP. Conventuali sotto la loro Croce nel secondo luogo, e l'anno seguente vadano li PP. Conventuali nel primo luogo, e li PP. Osservanti nel secondo luogo, ciascheduna Religione sotto la propria Croce respettivamente, con questo però che li PP. Osservanti debbano prima cominciare l'anno della loro precedenza, che dovrà principiare dal giorno di S. Marco dell' anno corrente 1684. e li PP. Conventuali dovranno cominciare l'anno della loro precedenza nel giorno di S. Marco dell' anno 1685. così successivamente in futurum.

2. Che lo stess' Ordine di precedenza debba osservarsi ancora nella associazione de' Cadaveri alle Chiese, dove si portano processionalmente, ed in caso, che uno si dovesse sepellire in una delle Chiese delle due Religioni si dia l'onore della precedenza dentro la propria Chiesa alla Religione forastiera.

3. Che in tutte l'altre funzioni, che non hanno forma di Processione, e non v'intervengono le due Religioni processionalmente, ma alio titulo, siano tenuti li PP. Conventuali nelle dette funzioni, o siano pubbliche, o private, dare sempre il primo luogo alli PP. Osservanti.

4. Si dichiara in oltre, che queste convenzioni non si fanno per riparare, o sfugire alcuna lite, che sia stata mossa dall' una, o dall' altra Religione sopra tal' affare, ma semplicemente per li motivi detti di sopra, e per il mutuo amore, e religiosa corrispondenza che passa tra li Reverendissimi Generali de ambe le Religioni, e per il desiderio di compiacere l'uno, e l'altro. Onde questo concordato non potrà portarsi per esempio, o per legge in altri luoghi fuori di quello d'Aversa, nè per esso s'intende fatto minimo pregiudizio ad alcune delle due Religioni nè in comune, nè in particolare cedendo in questo sol caso l'una all' altra ogni jus, e pretensione, che potesse avere in contrario.

5. E così dichiarano, e s'obbligano gli sudetti Procuratori Generali d'offervare, e far offervare respettivamente da' loro Religiosi di detti Conventi d'Aversa esistenti adesso, ed in futuro. E per maggior corroborazione di dett' amichevole concordato hanno fatta la presente Scrittura, quale vogliono, che abbia lo stesso vigore, e forza d'astringere l'una, e l'altra parte, come se fosse pubblico Istromento d'accordato fatto con le clausole giuridiche, ed obliganti. Promettendo parimente detti PP. Procuratori Generali di mandare ciascheduno un originale di questa pubblica Scrittura, e concordato al Convento de' suoi Religiosi in Aversa, con incaricare loro la puntual osservanza, e così dichiarano, concordano, e promettono, etiam medio juramento *d'esservare in questa, ed in ogni altra forma più giuridica, ed obligante. Data in Roma li 18. Marzo* 1684.

Fr. Antonio de Campobasso Procuratore Generale dell' Ordine Minore Osservante.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Vincenzo Maria de Bari Procuratore Generale dell' Ordine Minore Conventuale.

Locus ✠ Sigilli.

Preces Ministri Generalis Conventualium.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Minister Generalis exponens præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsius Ministri Generalis exponentis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas conventiones, confectamque desuper Syngraphan præinsertam, cum omnibus, & singulis in ea contentis, & expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relatarum Conventionum.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in

Clausulæ.

præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinum præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Apr. MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXVII. Reformatur Alternativa in Provincia S. Jacobi in Hispania Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

Similem Alternativam statuit hic Pontifex supra Constit. Illius qui 17. *Constit. Pro parte* 30. *Constitut. Cum* 58. *Constitut. Exponi nobis a* 127., *& 130.*

Dat. 20. Apr. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, quieti, & felici directioni jugiter invigilans, ea, quæ justis ex causis statuit, si quid inde exoriri novit incommodi, interdum reformat in melius, sicut æquitatis, & Justitiæ rationi consentaneum esse in Domino arbitratur.

Species facti.

§. 1. Alias siquidem Nos supplicationibus tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in Provincia Sancti Jacobi in Hispania dicti Ordinis, Alternativa circa electionis ad Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ hujusmodi officia inter ejusdem Provinciæ Fratres Gallæcos ex una, & Fratres Legionenses, Asturienses, & Castellanos Castellæ Veteris ex altera partibus servari deberet, auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis, statuimus, & ordinamus, prout plenius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis tenoris, qui sequitur videlicet.

Innocentius PP. XI. Ad perp. rei mem.

§. 2. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus cura animum nostrum solicitat ad ea peculiari paternæ charitatis studia statuenda, per quæ Christifidelium Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum quieti, & felici regimini opportunis rationibus salubriter consulatur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum Provincia S. Jacobi in Hispania dicti Ordinis quadraginta tribus constet Conventibus, quorum viginti duo in Regno Gallæciæ consistunt, & a Fratribus Gallæcis obtinentur, reliqui vero viginti (unus enim tempore bellorum Lusitanicorum destructus fuit) in Regno Legionis, ac principatu Asturiarum, & Castellæ Veteris positi sunt, & proinde ad Fratres ex his statibus oriundos pertinent, itaut ex omnibus simul formentur duo corpora, unum quidem ex Fratribus Legionensibus, Asturiensibus, & Castellanis, alterum vero ex Gallæcis qui religiositate, observantia, literatura, & numero non cedunt dictis Fratribus Legionensibus, Asturiensibus, & Castellanis, sed illis saltem pares sunt. His tamen non obstantibus Fratres Gallæci prædicti a multis, & quidem saltem viginti quatuor annis excluduntur ab honore Provincialatus, & Vicariatus Provincialis dictæ Provinciæ, quinimo frequenter ad minora officia ægre perveniunt; Unde, & Justitia distributiva læditur, & Personarum meritum offenditur, & vitiosa personarum acceptio inducitur, cum inter eosdem Fratres Gallæcos multi floruerint, & etiam nunc florent probitate, doctrina, & gubernandi artibus insignes, qui poterant, & possunt officia majora, & minora æque bene exercere, ac Fratres Legionenses, Asturienses, & Castellani prædicti illa sustinuerint, & sustineant de præsenti. Quia vero propter exclusionem hujusmodi inter duo corpora præfata graves contentiones, odia, & scandala frequenter, & præsertim occasione celebrationis Capitulorum, & Congregationum dictæ Provinciæ oriuntur, non sine notabilissimo religiosæ disciplinæ, fraternæque charitatis detrimento; Ideo dilectus filius modernus Minister Generalis Ordinis prædicti, qui in multis Capitulis, & Congregationibus hujusmodi inordinationes pluries animadvertere potuit, animi sui sensum protulit, ad occurrendum hujusmodi incommodis, expedire, ut Alternativa in electionibus dictæ Provinciæ stabiliatur, ita scilicet, ut uno quidem triennio Minister Provincialis, & duo Diffinitores ex corpore Fratrum Gallæcorum, ac Custos, & alii duo Diffinitores ex altero corpore; subsequenti autem triennio e converso, Minister Provincialis, & duo Diffinitores ex corpore Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellanorum, ac Custos, & alii duo Diffinitores ex corpore Fratrum Gallæcorum hujusmodi respective eligantur; Guardianatus autem, Lectoratus, & alia officia totius Provinciæ prædictæ, in singulis illius Capitulis, & Congregationibus pro æquis portionibus inter Fratres utriusque corporis, nempe Gallæcos ex una parte, & Legionenses, Asturienses, & Castellanos ex altera distribuantur, atque ita de triennio in triennium serventur, quod quidem eo facilius procedere potuerit, quod per Alternativam, & æqualem distributionem officiorum hujusmodi nulli libertati Electorum præjudicium inferetur cum unumquodque ex præfatis duobus corporibus adeo amplum sit, ut ex se solo valeat Provinciam constituere majorem multis, quæ in ordine prædicto reperiantur. Quare dictus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus ad suprascriptas preces examinandas specialiter deputatorum consilio, ut in posterum in præfata Provincia S. Jacobi Alternativa supra narrata fideliter observetur, itaut uno triennio Minister Provincialis, & duo Diffinitores eligantur ex Fratribus Gallæcis; Custos, & alii duo

Describitur Alternativa eaque statuitur inter Fratres Gallæciæ ex una, & illos Legionis, Asturiæ, ac, Castellæ Veteris ex altera parte.

Diffini-

Diffinitores ex aliis: altero vero subsequenti triennio e converso Minister Provincialis, & Custos eligantur: Guardianatus autem per partes æquales inter Gallæcos ex una, & alios, ex altera partibus in singulis Capitulis, & Congregationibus dictæ Provinciæ, prout etiam Lectoratus, aliaque officia eadem omnino paritate, servata tamen semper canonicæ electionis forma, distribuantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & mandamus. Mandantes propterea, & districte præcipientes omnibus modernis, & pro tempore existentibus Superioribus, & Commissariis Visitatoribus præfatæ Provinciæ, ut prædictam Alternativam executioni demandent, & ab iis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, observari faciant, sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis, necnon nullitatis omnium actuum Capitularium, quos contra præfatam dispositionem fieri contigerit, aliisque arbitrio Venerabilis Fratris Alderani Episcopi Tusculan. ejus S.R.E. Cardinalis Cybi nuncupati moderni, & pro tempore existentis dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris adversus contra facientes, & contradictores infligendis. Ac Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Maji 1681. Anno Quinto.

Causa reformationis Alternativæ.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, Fratres quidem ambarum partium præfatarum publicationi, & stabilimento Alternativæ hujusmodi consenserint, contra vero protestati sint ejusdem Provinciæ Fratres ex aliis Hispaniarum Regnis, nempe Castellæ Novæ, Aragoniæ, Navarræ, Bethicæ, Extremaduræ, aliisque Regionibus respective oriundi, quippe quorum in distributione officiorum Provinciæ hujusmodi nulla ratio haberetur, tametsi præteritis temporibus ex his Regnis, & Regionibus exteris orti fuerint ii Fratres, qui eamdem Provinciam maxime illustrarunt, & adhuc de præsenti multi reperiantur Fratres exteri, qui habitum Regularem in dicta Provincia susceperunt, idemque posthac quoque futurum esse merito existimari potest, cum ex omnibus Regnis, & Regionibus exteris hujusmodi adolescentes studiorum causa ad celeberrimam Hispaniæ Universitatem Salmanticen. confluant, ubi Religionis statutum Deo vocante, in præfata S. Jacobi amplectuntur: Ac proinde idem Petrus Marinus Minister Generalis, cui præter dictam protestationem ex subscriptionibus graviorum Fratrum, quas penes se habet, vere constat Fratres exteros prædictos in honorum distributione defraudatos reperiri, æquum, ac quieti, bonoque publico ejusdem Provinciæ conducibile fore existimat, si ipsi quoque pro eorum meritis, & laboribus, quos in obsequium Religionis sustinent, eorumdem honorum præmia pariter consequantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Petri Marini Ministri Generalis de religiosa Subditorum suorum tranquillitate, animarumque servitute soliciti desiderio favorabilem assensum hac in re quantum cum Domino possumus præbere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, exquisita super præmissis sententia memorati Alderani Episcopi nunc Portuen. Cardinalis, & Protectoris, cui dictus Petrus Marinus Minister Generalis, & dilectus etiam filius Commissarius Generalis Curiæ dicti Ordinis desuper consulti, ex documentis authenticis constare fecerunt, præfatam S. Jacobi Provinciam componi non solum ex prædictis duabus Nationibus Fratrum Gallæcorum ex una, & Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, ex altera; sed etiam pro altera tertia parte ex Fratribus forensibus (nempe ex cæteris Hispaniarum, Portugalliæ, & Hiberniæ Regnis) religiositate, doctrina, & meritis cæteris non imparibus. Attentis his omnibus pro bono pacis, & tranquillitatis ejusdem Provinciæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus pariter, ac decernimus & ordinamus, ut in ipsa Provincia Alternativa, & distributio officiorum fieri debeat æqualiter in tres partes, scilicet ut uno triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore Fratrum Gallæcorum, Custos, & alius Diffinitor ex corpore Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, & cæteri duo Diffinitores ex corpore Fratrum forensium: Subsequenti triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, Custos, & alius Diffinitor ex corpore forensium, & reliqui duo Diffinitores ex corpore Gallæcorum: Altero vero triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore forensium, Custos, & alter Diffinitor ex corpore Gallæcorum, reliqui duo Diffinitores ex corpore Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris respective eligantur. Guardianatus autem, Lectoratus, & alia officia totius Provinciæ prædictæ in singulis Capitulis, & Congregationibus pro æquis portionibus inter dictas tres partes distribuantur, atque ita de triennio in triennium servetur, servata tamen in reliquis omnibus canonicæ electionis forma.

Preces Ministri Generalis.

Reformatio Alternativæ in tres partes, duas videlicet prædictas, & Fratres Forenses.

§. 4. Quapropter harum serie mandamus, & districte præcipimus omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus superioribus, & Commissariis, Visitatoribus prædictæ Provinciæ, ut Alternativam, & distributionem officiorum hujusmodi sic per præsentes a Nobis stabilitas executioni demandent, & ab illis ad quos spectabit, observari faciant sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ ad illa inhabilitatis, nec non nullitatis omnium actuum Capitularium, quos contra earumdem præsentium dispositionem fieri contigerit, aliisque arbitrio præfati Alderani Episcopi, & Cardinalis moderni, & pro tempore existentis dicti Ordinis Protectoris adversus contra facientes & contradictores infligendis.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes similiter eadem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus literis nostris præinsertis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. April. MDCLXXXIV., Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXVIII. Statuitur, ut in Provincia Lugdunensi Fratrum Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis Sancti Francisci executioni mandetur Breve Clementis X. circa Fratres Oblatos, sive Servientes.

De hisce Oblatorum Indultis vide Clem. X. Constit. ed. 1672., Maji 12., Pont. III. Et hujus Pontificis Const. ed. 1681., Augusti 17., Pont. V. De Constitutionibus vero vid. Const. ed. 1688., Martii 13., Pont. XIII.

Dat. 20 Maji 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. DUdum fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor noster supplicationibus tunc existentium Superiorum Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus circa Fratres Oblatos, seu Servientes, ac Fratres laicos dictæ Congregationis nonnulla concessit, & statuit, prout continetur in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet. *Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Injuncti Nobis.* (*Reliqua vide supra laudato loco*). Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1672., Pontificatus nostri Anno Tertio.

Literæ Clem. X., quibus extenduntur Indulta ab Urb. VIII. Oblatis tunc existentibus concessa ad quoscumque alios etiam futuros.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Nicolaus Lugdunensis Provincialis, aliique Superiores, & Fratres Provinciæ Sancti Ludovici, seu Lugdunen. præfatæ Congregationis Gallicanæ Nobis nuper exponi fecerunt, præinsertarum executio in eadem Provincia hactenus suspensa fuerit, quia perpauci in ea reperiebantur Fratres Oblati, seu Servientes, qui haberent conditiones requisitas, adhoc, ut ad statum Fratrum laicorum admitterentur, qui vero eas habebant, suo statu contenti, in eoque permanere velle videbantur; verum modo Fratres Oblati, seu Servientes dictæ Provinciæ hujusmodi sint inquieti, & ad statum Fratrum laicorum præfatorum admitti plurimum desiderent. Nobis propterea dicti Exponentes de eorumdem Fratrum Oblatorum, seu Servientium quiete soliciti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa Statuti.

Preces Provinciæ Lugdunensis.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis præfati audiverunt, consilio, præinsertas Clementis prædecessoris literas, tametsi earum executio suspensa fuerit, ut præfertur, nihilominus deinceps in supradicta Provincia Sancti Ludovici, seu Lugdunen. executioni mandari, ac perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia posse, & debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium, statuimus, & ordinamus.

Statutum exequendi relatas Clementis literas in dict. Provincia.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præmissis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXIX. Confirmatur statutum Capituli Provincialis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci in Gallia de regula servanda in morte Provincialis, & vacatione Diffinitoriatus.

Hujus Tertii Ordinis Regulam confirmavit, & approbavit Leo X. Constit. Inter cætera 42. *Tom.* 1. *& ibi vide, quæ notantur.*

Dat. 12. Junii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Parisinus Frater expresse professus, ac Procurator Provinciæ Franciæ seu S. Francisci Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci strictioris Observantiæ in Gallia, quod cum in statutis, seu Constitutionibus dicti Ordinis a Sede Apostolica approbatis non fuisset sufficienter provisum in eventum, quo mors Ministri Provincialis, ac mors pariter, seu vacatio Diffinitoris Provinciæ hujusmodi, antequam sua respective officia expleviſſent, accideret; ideo ad tollenda quælibet inconvenientia, quæ exinde oriri possent, propositum fuit, & a toto Capitulo Provinciæ præfatæ unanimi consensu receptum, & admissum statutum tenoris, qui sequitur videlicet:

Causa Statuti.

Statutum.

Quid agendum in morte Provincialis.

§. 1. Si Provincialem Ministrum in officio suo mori contigerit, Guardianus Conventus, in quo vel propior loci ubi obierit, & Secretarius Defuncti scripturas quascumque ad Provinciam & ejus, sive totius Ordinis negotia, & interesse quovis modo spectantes, illas non legendo minoribus Provinciæ, & Conventus sigillis bene munitas ad Provincialem ultimo absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Provincialatus, vel eo deficiente, qui Vicariatus Provinciæ, vel utriusque defectu qui Diffinitoriatus officium functus fuerit una cum Sigillis Provinciæ deferant, & consignent. Prædicta autem qui receperit, statim Ministrum Generalem de tali obitu admonebit, qui si intra trium dierum itinerationis spatium constat, con-

sulendus

sulendus erit supra electione Vicarii Provincialis, & ejus responsio expectanda, velit an per se eidem præesse nec ne, si autem longius absit, eo inconsulto intra quinque hebdomadarum spatium ad summum, & citius si fieri potest is ad quem prædictæ scripturæ delatæ fuerint, convocabit Diffinitorium ex omnibus omnino Diffinitoribus tam actualibus, quam absolutis, necnon ex quibuscumque Exprovincialibus componendum. Si autem casu evenerit, ut hi omnes ad decem votorum numerum non accederent, tunc antiquiores ex actualibus Guardianis subrogarentur usque ad præfixum hunc decem votorum numerum, sicque ad dictam Vicarii Provincialis electionem procederent. In qua quidem electione præfati omnes hujusmodi Diffinitorii convocati votum activum habebunt, passivum vero omnes, qui juxta eadem statuta ad Provincialatum habent. Si tamen residuum tempus ab obitu Ministri Provincialis ad proxime futuri Capituli per dicta statuta præscriptum tempus celebrandi, septem mensium spatium non excedat, tum Exprovincialis, vel alius, in cujus manibus consignatæ fuissent dictæ scripturæ cum Sigillis Provinciæ, Vicarius Provincialis ipso facto censeretur, & sub hoc titulo Provinciam cum omnimoda, & ordinaria Provincialatus auctoritate gubernaret. In Capitulo autem proxime sequenti si Vicarius Provincialis electus biennio integro, seu in duobus Diffinitoriis consecutivis Provinciæ Vicariatus officio functus fuerit, ad Provincialatum eligi minime poterit, sed toto triennio integro sequenti Exprovincialatus juribus gaudebit, si vero infra biennium rexerit, tunc ad Provincialatum, aut alia quæcumque officia eligi poterit, nullo proinde Exprovincialium jure gaudens. Si quis autem Diffinitor actualis moriatur, aut alia ratione juridica vacaverit, ejus loco subrogetur, & pro subrogato habeatur ipso facto in Provincia antiquior Pater, qui Provincialatus, vel ejus defectu Vicariatus Provincialis, & utriusque defectu qui Diffinitoriatus munere alias functi sunt. Si vero hi omnes defuerint, suffragetur antiquior in religione Guardianus actualis. Sic autem quivis subrogatus, ultimum locum in consessu habeat inter reliquos Diffinitores: in Capitulo proxime sequenti ad Diffinitorium minime assumi valeat, si biennio integro exercuerit, sin autem minus, ad omnia officia poterit assumi.

In vacatione Diffinitoriatus.

Preces Procuratoris Provinciæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Benedictus Procurator statutum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Benedictum Procuratorem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, consilio, præinsertum statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Statuti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XII. Junii MDCLXXXIV., Pontificatus nostri Anno Octavo.

Confirmantur Privilegia, Indulgentiæ, & Gratiæ locis Terræ Sanctæ concessa, & Fratribus Minoribus S. Francisci de Observantia Interpretibus Indulgentia Plen. conceditur. CXXX.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Junii 1684. An. 8.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Piis Christifidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, & illa quantum nobis ex alto conceditur favoribus Apostolicis confovemus.

Preces Commissarii Gen. Terræ S.

§. 4. Cum itaque sicut dilectus filius Joannes Maria de Canvizarii Frater expresse professus Provinciæ Granaten. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissarius Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipse ad ejusdem Terræ Sanctæ subsidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, Sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum, omnia, & singula, gratias, privilegia, & indulgentias hucusque sacris ejusdem Terræ locis Apostolica auctoritate concessa, & confirmata per Nos eadem auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret: Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsumque Joannem Mariam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula privilegia, concessiones, facultates, Indulta, Indulgentias, cæterasque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revoca-

Confirmatio dd. Privilegiorum, Indulgentiarū, aliarumque gratiarum.

tionibus

tionibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini Decretis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet in eis intervenerint supplemus. Nec non insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœniten., & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Item concessio Indulgentiæ plen. in articulo mortis Fratribus interpretibus facta.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Junii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXXI. Extenditur Constitutio Urbani VIII. ad Melitenses, itaut ex iis ordinati cum falsis, vel sine Dimissoriis Fori Privilegio gaudere nequeant.

De hisce Clericis vide Pii II. Const. ed. 1461., Nov. 17., P. 4., quæ innovatur in regul. 24. Cancell. Item laudatam Urb. VIII. Const. edit. 1624., Decem. 11., P. 2. quæ reformatur quoad Melitenses ab hoc Pontif. Constit. ed. 1686., Jan. 30., P. 10.

Dat. 1. Julii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

CUM dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster per quamdam suam Constitutionem, cujus initium est: *Secretis æternæ providentiæ consiliis &c.* inter alia voluerit, Italos si quos ex tunc in posterum Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis Dimissoriis contigisset, etiamsi qualitatibus per Concilii Tridentini Decretum Cap. 16. Sess. 23. requisitis præditi essent, nihilominus secuta tamen prius desuper Judicis Ecclesiastici declaratione, Fori privilegio minime gaudere, sed Sæculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere, & subjectos esse. Et sicut pro parte dilecti filii Magni Magistri Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani nobis nuper expositum fuit, ut incommodis in Insula Melitensi in dies insurgentibus occurreretur, Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 8. Maii 1677. declaraverit, Melitenses ordinatos, seu ordinandos cum falsis, seu absque dimissoriis, non gaudere privilegiis Clericalibus, sed posse præfatam Urbani prædecessoris Constitutionem per nos ad Insulam Melitæ extendi: nobis propterea dictus magnus Magister humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces M. Magistri S. Joannis Hierosolymitani.

§. 1. Nos igitur ipsum Magnum Magistrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, supra expressam præfatæ Congregationis Urbani prædecessoris dispositionem ad Insulam Melitæ, itaut Melitenses, quos cum falsis Dimissoriis, vel sine Dimissoriis contigerit ab alieno Episcopo Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoveri, servata prius Judicis Ecclesiastici declaratione, Fori privilegio minime gaudere, sed sæculari jurisdictioni in omnibus subjacere debeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, seu ampliamus: salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium.

Extenditur Const. Urbani VIII. ad Insulam Melitæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Julii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXXII. Confirmantur novæ Constitutiones Instituti Clericorum Sæcularium in communi viventium.

De hoc Instituto, & ejus primis Constitutionibus vide hujus Pontif. Constit. ed. 1648. Jun. 7. P. 4. Const. ed. 1683., Maii 20., P. 7. approbatæ fuerunt Congreg., & Constitutiones Presbyt. Sæcul. B. M. V. assumptæ. Et Const. ed. 1685., Febr. 9, P. 9. declaratur, hos Clericos capaces esse Beneficiorum.

Dat. 17. Aug. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet, & viribus longe impares, divina dispositione præsidemus salubriter exequi auxiliante D. jugiter satagentes, pia Presbyterorum, & aliorum Clericorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium Instituta paterno favore libenter prosequimur, & illis, quæ pro felici eorum directione provide, prudenterque constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Fit mentio laudati Brevis, quo ab eodem Pontifice approbata, & confirmata fuerunt hoc Institutum, & ejus Constitutiones.

§. 1. Alias siquidem pro parte dilectorum filiorum Clericorum Sæcularium in communi viventium nobis exposito, quod anno 1640. opera tunc in humanis agentis Bartholomæi Holtzhauser inchoatum fuerat eorum Institutum, quod Deo opitulante in dies adeo excreverat, ut non tantum a bo. me. Joanne Philippo dum vixit Archiepiscopo Moguntin. Sac. Romani Imperii Principe Elector, sed etiam ab aliis pluribus Archiepiscopis, & Episcopis in eorum Diœceses receptum, & expresse approbatum extitisset; & in eadem expositione subjuncto, quod Institutum

prædictum

prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, ac directione unius supremi Præsidis, prout dicti exponentes eisdem suberant, salubriter ordinatum, ac pro felici ipsorum exponentium, & Instituti hujusmodi directione, rectaque juventutis institutione nonnullæ Constitutiones factæ fuerunt. Nos supplicationibus eorumdem Clericorum Sæcularium, & aliorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Institutum prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, & directione unius Generalis Præsidis, ac Constitutiones præfatas, toto illarum tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus. Ac eisdem Clericis Sæcularibus alias Constitutiones, prædictis non contrarias, pro spirituali, temporalique dicti Instituti directione ab hac Sancta Sede postmodum approbandas condendi facultatem impertiti sumus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 7. Junii 1680. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut Clerici Sæculares in communi viventes prædicti denuo nobis nuper exponi fecerunt, aliæ Constitutiones hujusmodi pro felici, prosperoque tam in spiritualibus, quam temporalibus Instituti præfati, & sub illo nunc, & pro tempore Deo militantium regimine, & gubernio conditæ, & in tres partes distributæ fuerint, quarum tenor a prima primæque partis, quæ ad directionem studiosæ juventutis, & Seminariorum pertinet, Constitutione incipiendo, est qui sequitur videlicet.

Conduntur novæ Constitutiones in tres partes distinctæ.

I.

Prima Pars de directione juventutis, & Seminariorū.

Superiores in susceptione singulorum Adolescentium provide attendant, ut tam innocentia integros, quam ingenio, & indole præstantiores, servatis servandis, admittant; in hunc finem ad Puerorum ingenia in Oppidis, & aliis locis a Sacerdotibus circumspiciatur, qui ex omnibus ad propositum hujus Clericalis vitæ habiliores videntur.

II.

Deinde aliqui bonæ indolis Pueri ad Domum Sacerdotum in Parochiis cum consensu parentum recipiantur, & in certis locis, tam hi, quam alii Adolescentes a Sacerdotibus in rudimentis, & Grammatica informentur, ut pro receptione ad Seminaria qualificentur.

III.

Ut exclusis ineptis, aut indignis talis delectus fiat: Superiores studeant accuratam suscipiendorum notitiam præhabere, ne dimissio post facienda damno, aut cuiquam oneri sit.

IV.

Suscipiendi quantum fieri potest, habeant vehemens quoddam desiderium studendi, præstantis, aut saltem mediocris sint ingenii, pietate in Deum, ac devotione erga Deiparam, speciem filiorum Dei de se præbeant, naturalis eorum indoles ad virtutum viam facile flexilis sit.

V.

Animo ita sint composito, & supra Sæcularia desideria humiliter elato, ut modestiam, submissionem intellectus, & voluntatis flexibilitatem practicam ostendant, moderata quoque iræ, & aliarum passionum temperies, filialis quidam affectus erga hoc Institutum ita in illis elucere debet, ut prudenter conjici possit, quod fructuose, & filialiter hunc Clericalem statum suo tempore sint exornaturi.

VI.

Priusquam ad Seminaria suscipiantur Superiores notitiam Parentum, educationis puerorum, aliarumque circumstantiarum, item testimoniales studiorum, & natalium habeant, fiat examen practicum studiorum, & alia omnia observentur, quæ pro Seminariis præscribi solent. Quibus peractis, admittendi Superioribus hujus Instituti simplicem promissionem faciant, quod in hac Clericali vita, quantum fieri potest, ad dies vitæ vivere intendant, ita tamen, ut si in progressu temporis sub studiis a proposito ex rationabili causa recederent, solummodo sumptus eorum sustentationis causa factos refundere obligati sint, nisi paupertas excuset, aut qui ditiores sunt ob morbum, vel aliam rationabilem causam, & non ex culpa, aut propria voluntate eorum dimittantur.

Adolescentes in Seminariis in tres studiorum classes distribuendi, eorumdemque obligatio ad hoc Institutum.

VII.

Ut Juventutis educatio debito ordine instituatur illa in tres classes studiorum distribuatur, per quas tanquam per gradus Juvenilis animus ad scientiarum, & virtutum viam in ordine ad Clericalem statutum sursum ducatur.

VIII.

In prima classe erunt Adolescentes tonsura Clericali insigniti a Syntaxi usque ad Rhetoricam inclusive, & hæc prima classis pro qualitate mediorum ordinanda erit. Secunda classis complectitur Philosophos a principio usque ad finem Philosophiæ, qui susceptа tonsura Clericali se dignos reddiderint, ut jam solidius in disciplina, & scientiis adolescant.

IX.

Ut prædicti Adolescentes sic admittantur, requiritur primo, ut singulis annis graduum ad altiorem scholam fecerint, & in summo, vel saltem mediocri gradu docti, ex Rhetorica ad Philosophiam sint promoti. Secundo, ut quantum fieri potest sint in æquali ætate. Tertio, ut illud specimen morum maximæ fraternæ concordiæ, modestiæ, & obedientiæ dederint, quod solidam spem faciat eos strenuos hujus Clericalis vitæ, & Ecclesiæ Catholicæ milites evasuros. Quarto, ut revelationem sui hominis interioris filiali candore eos fecisse judicetur. Quinto, ut zelum Animarum, pietatem erga Deum, & Sanctos, & affectionem erga res cælestes habere agnoscantur. Sexto, ut nullum Canonicum impedimentum, vel corporis deformitatem, ac defectum contraxerint, quæ huic Clericali statui damnosa esse possint: in defectu autem prædictarum qualitatum potius mature dimittendi erunt: prædictis vero concurrentibus, & promissione Superioribus hujus Instituti facta, quod in hac Clericali vita constanter vivere velint, ad secundam Classem admittentur.

X.

In tertia classe continentur Theologi, Canonistæ, aliique a fine Philosophiæ usque ad Sacerdotium, qui tales vita, & moribus extiterint, ut de illorum Clericali vocatione rationabiliter dubitari non possit: & hi, susceptis Minoribus Ordinibus, juxta studia publica in Universitatibus, domi, sive in Seminariis, potissimum in iis, quæ ad Salutem Animarum procurandam necessaria sunt, informabuntur.

XI.

Priusquam vero ad eam admittantur, per Juramentum ad hoc Institutum se obligabunt, ita quidem ut qui alumni simul fuerint in Seminario cujusdam Ordinarii, vel alterius Patroni, Instituto concredito, adinstar illorum ab Archiepiscopo Moguntino, & Episcopo Herbipolensi, & Augustano Instituto concreditorum, utroque respectu, tam erga Ordinarium loci, quam erga Institutum sequenti formula id præstent.

XII.

Ego N. Filius N. Diœcesis N. Seminarii N. Alumnus, plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium, & hujus Seminarii Statutorum notitiam, legibus, & Con-

ſtitutionibus utriuſque me ſponte ſubjicio, eaſque quantum in me erit, obſervare promitto. Inſuper ſpondeo, & juro me ſub juriſdictione Rmi (vel Emi) Domini Ordinarii mei, ſecluſa omni exemptione in ſupradicto Inſtituto Clericorum, qui ſecluſo fœminarum conſortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona ſua ex Beneficiis, & functionibus Eccleſiaſticis provenientia in communes pios uſus juxta Conſtitutionem 19. Sacerdotum, conferunt, atque ſub privata, & œconomica unius Superioris directione vivunt, ſive intra, ſive extra Seminarium ſemper victurum, & morituram. Inſuper ſpondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, ſi urgens neceſſitas a Superioribus hujus Inſtituti approbata mutationem ſtatus poſtularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, vel etiam quemcumque ſtatum ſine ſpeciali ejuſdem Rmi Dñi Ordinarii mei licentia ingrediar. Denique ſpondeo, & juro me prædictum juramentum, ejuſque obligationem intelligere, & obſervaturum. Sub die N. menſis N. Anno N. ſic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.

XIII.

Qui vero Alumni in Seminariis Ordinariorum non fuerint, & in Seminariis huic Inſtituto propriis educantur, Juramentum in formula ſequenti præſtabunt.

Ego N. Filius N. Diœceſis N. plenam habens Inſtituti Clericorum Sæcularium in commune viventium notitiam, legibus, & Conſtitutionibus ipſius, me ſponte ſubjicio, eaſque quantum in me erit, obſervare promitto; inſuper ſpondeo, & Juro, me ſub directione privata, & œconomica Præſidis Supremi, ejuſque in hoc munere legitimis Succeſſoribus, ſalva per omnia Rmi D. Ordinarii mei auctoritate, & juriſdictione, in ſupradicto Inſtituto Clericorum, qui ſecluſo fœminarum conſortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona ſua ex Beneficiis, & functionibus Eccleſiaſticis provenientia in communes pios uſus juxta Conſtitutionem 19. Sacerdotum conferunt, ſemper victurum, & moriturum. Inſuper ſpondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, ſi urgens neceſſitas a Superioribus hujus Inſtituti approbata mutationem ſtatus poſtularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem, vel etiam quemcumque ſtatum, ſine ſpeciali Supremi Præſidis hujus Inſtituti licentia, ingrediar. Denique ſpondeo, & juro, me prædictum juramentum, ejuſque obligationem intelligere, & obſervaturum. Sub die N. menſis N. Anno N. ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

XIV.

Juramento prædicto non obſtante, facile ante ſuſceptos majores Ordines circa finem ſtudiorum ſuſcipiendos, ob rationabilem cauſam Adoleſcentes ad Sæcularem ſtatum habita debita licentia a Superioribus hujus Inſtituti, & inſuper ſi Alumni ſint, a Rmo Ordinario tranſire poterunt, ne inviti, aut gravem difficultatem ſentientes ad Statum Clericalem trahantur, in quo poſtea ad ſcandala declinent, ſolutis prius ſumptibus ſuſtentationis, niſi illis in hoc caſu pro parte, aut ex integro condonentur.

De rebus ſpiritualibus, & aliis, in quibus Adoleſcentes juxta curſum ſtudiorum in Seminariis informandi ſunt.

XV.

Juxta claſſium prædictarum diſtinctionem, Juventus etiam tres vias ſpirituales tenebit: videlicet viam purgativam, in qua ad vitæ innocentiam, ad moderandas paſſiones, ad fugienda peccata pro cujuſque ætate, & data gratia ſedulo impellantur: viam illuminativam, in qua dogmata Fidei noſtræ Catholicæ, univerſæque doctrinæ Chriſtianæ principia, & proprii ſui hominis interioris cognitio, una cum facilioribus recte vivendi regulis, ipſis ex propoſito mature inſtillentur: viam denique perfectivam, in qua ad conſequendam perfectionem Status Clericalis, ſibi poſſibilem, & Eccleſiæ ſalutarem conabuntur.

XVI.

Ut Adoleſcentes in prædictis inſtituantur, ſaltem ſingulis diebus Dominicis, a meridie per horam, in loco cujuſque claſſis Pater ſpiritualis certam materiam ita ſuccincte, & clare tractabit, ut ſinguli terminorum ſeriem memoriæ tradere, & prædictarum viarum ſcientiam ſucceſſive facili negotio aſſequi valeant.

XVII.

Ante omnia Magiſtri virtutum Adoleſcentes primæ claſſis inſtruant de recta intentione, in examine, aliiſque exercitationibus ſpiritualibus perſolvendis, quomodo ſub Sacrificio Miſſæ ſpiritualiter communicare poſſint: in ſcientia quoque rerum cæleſtium ex profeſſo a Patre Spirituali probe perito informentur. In Doctrina Chriſtiana principia fidei uberius, quam in communi parvulorum Catecheſi fieri ſolet, ex Catechiſmo Romano per ordinem iiſdem traduntur, uti, & ſignificatio Sacrarum Cæremoniarum, virtus Sacramentalium, & ſimilium.

XVIII.

Contra inſidias hoſtium ſpiritualium caute roborentur per inſtructionem cognitionis ſui ipſius, & diverſarum tentationum notitiam; in quem finem inſerviet libellus Beati Saleſii Philothea dictus, & ille, qui de Imitatione Chriſti inſcribitur, ex quibus Pater Spiritualis, uti etiam ex materia de diſcretione ſpirituum, clientes ſuos prudenter informabit.

XIX.

Pariter Magiſtro Spirituali cura ſit, ut ex cognitione Dei, & beneficiorum ejus clientes ſuos ad Divinum, & filialem amorem, ex præſtantia, & benignitate Beatæ Virginis Mariæ ad ejuſdem devotionem; Ex cuſtodia Sanctorum Angelorum, & meritis Sanctorum ad eorum cultum, ac Patronorum electionem; Ex quatuor noviſſimis, & pœnis impiorum, ad timorem Domini; Ex notitia Paſſionum, ad propriam cognitionem; Et ex hac ad ſui ipſius contemptum, & diffidentiam; Atque ex aliis virtutibus ſpiritualibus ad ſtudium rerum Cæleſtium impellantur; Super quæ tanquam rudimenta, ſolidæ virtutes, ſucceſſu temporis ædificantur.

XX.

Ut Adoleſcentes ſecundæ claſſis in via ſpirituali progrediantur, a Patre Spirituali in modo meditandi inſtruantur, & non tantum præcepta meditandi tradat, verum etiam in praxi oſtendat, quomodo ex particulari themate meditatio ordinanda ſit; Materias quoque ſubinde eiſdem deſignet, easque in puncta dividat; peracta quoque meditatione examen deſuper inſtituat, in quo ſucceſſus examinetur, & errores per utilia documenta oſtendantur; Ea vero materia pro hac Claſſe Studiorum, ex doctrina, & vita Chriſti, & Sanctorum deſumatur, quæ ad extirpationem vitiorum, & ſolidarum virtutum implantationem ordinata viſa fuerit.

XXI.

Poſt inſtructionem de modo meditandi Pater Spiritualis ad tradendam Chriſtianarum virtutum, & oppoſitorum vitiorum doctrinam progredietur, quam ex materia de Chriſtiana Clericorum perfectione deſumet, inſtruendo clientes ſuos, primo in virtutibus Theologicis, ex quibus Deum timere, & diligere addiſcant; Deinde naturam, & finem virtutum Cardinalium, quæ ſunt veluti columnæ ſalutis noſtræ,

eosdem instruat, non minus de vera humilitate, patientia, & abnegatione propriæ voluntatis, earumque oppositis defectibus informentur; & denique in omnibus aliis virtutibus, quibus homo interior in ordine ad salutem æternam perficitur; medium quoque discretionis in omni virtute perspicuis rationibus, & exemplis practice edoceantur, ne ad extrema deflectant.

XXII.

In hunc finem inserviat libellus, qui inscribitur pugna spiritualis a Sancto Francisco Salesio summopere commendatus, accedente practica instructione Patris Spiritualis ad pugnandum contra passiones, & vitia per virtutes oppositas, præsertim contra vitium quoddam particulare, super quo, ejusque virtute oppositа exercenda, etiam particulare examen frequentius instituendum erit, in quibus, & in omni alia congrua occasione Pater Spiritualis clientibus suis practicum exercitium ad manus dabit.

XXIII.

Ex singulis erroribus occasio erudiendi, & contra vitia pugnandi propositumque in posterum formandi, Adolescentibus a Patre Spirituali ad manus detur, ea practica instructione, qua virtutis via, & ipsum exercitium congrua perspicuitate pateat, & animus ingenuus cum facilitate, & jucunditate ad illud inducatur. In quem finem Pater Spiritualis cum clientibus suis toties colloquium particulare instituet, quoties singulorum indigentia propria requirat, exercitia quoque spiritualia annua statuto tempore eidem præscribet.

XXIV.

Adolescentes tertiæ classis vocationis suæ Clericalis scopum mature cordi habentes viæ perfectivæ se accingant, ut eorum homo interior, & exterior in omnibus iis qualitatibus perficiatur, quæ in ordine ad salutem proximorum imprimis ordinantur, ut jam non solum sibi, verum etiam aliis vivere, & studere incipiant.

XXV.

Postquam in reformatione hominis sui interioris rite instructi fuerint, viæ regiæ virtutum insistentes ad reformandum suum hominem exteriorem convertentur, eas virtutes, & qualitates sub directione Patris Spiritualis sibi comparando, quæ in statu Clericali ad vitam activam in hoc Sæculo necessaria sunt, in quem finem informabuntur per ordinem in exercitio externarum virtutum, qualiter se erga omnis generis homines Christianæ exhibere debeant, similiter de discretione spirituum, & universo officio Pastorali, in multa charitate præstando, practice erudiantur, ut in singulis actionibus secundum unam, uniformemque normam se moderari sciant.

XXVI.

Primum locum in ordine doctrinæ discretio obtinebit, tanquam moderatrix humanarum actionum; Et cum duo hominem exteriorem in ordine ad vitam activam perficiant; Primo ipsæ virtutes; Secundo modus operandi ad extra, Adolescentes in utroque informandi sunt. Inter virtutes quo ad modum instruendi Juventutem prima est mansuetudo hominis Christiani, consistens in verbis, & actionibus, quæ erga omnes omni occasione superabundare debet; Deinde humilitas, conjuncta tamen cum decore vestium, actionum, verborum, & totius hominis venustate, personæque Sacræ gravitate.

XXVII.

Tertium locum affabiles sibi vendicat, ut cum Christiana suavitate ad ædificationem conversatio fiat: Cujus comes est modestia, plurimarum rerum moderatrix, quæ effusionem nimiam sui ipsius coercet: Sequitur eutrapelia, ut cum jucunditate recreationi locus detur: Deinde charitas externa, quæ præ se aliis cædit, in multis condescendit, pacem cum omnibus habet, & alios obsequiis prævenire gestit, neque est sensitiva, aut apprehensiva.

XXVIII.

Præterea modum recte operandi ad extra, aliæ quædam virtutes principales discretum reddunt, quæ sunt prudentia, fortitudo spiritus, justitia, temperantia, & circumspectio.

XXIX.

Inter objecta operandi ad extra conversatio utilis in omni occasione, & quæstione proposita cum omnis generis hominibus, primum locum obtinet, cui succedit modus catechizandi parvulos, cum ratione, & dexteritate: Item modus docendi Scholas particulares, ut Adolescentes ingenio præstantes in doctrina proficiant: Item discretio spirituum, ingeniorum, & naturarum.

XXX.

Præsertim vero modus audiendi Confessiones, juvandi animas, agendi cum ægrotis, scrupulosis, & desperabundis, pusillanimibus, melancholicis, & aliis hominibus, qui vel corpore, vel sensu, vel anima periclitantur, qui scilicet dexteritate ad eorumdem medicinam salutarem, & ædificationem sit agendum, cui succedit modus concionandi, & perorandi, ut animæ utiliter, ac nervose sale verbi Dei condiantur. Sequitur modus administrandi res temporales, ut cum debita dexteritate, & discretione sine nota avaritiæ, & prodigalitatis, in omnibus agatur. Denique modus regendi sibi Subditos, tam Sæculares in beneficiis Curatis, quam ipsosmet hujus Instituti Clericos, cum moderatione, dexteritate, charitate ad ædificationem.

De quotidianis exercitationibus, frequentatione Scholarum, & repetitione domestica.

XXXI.

Superiores enixe laborent quatenus Adolescentes omni tempore honesta aliqua occupatione a vago mentis intuitu, & otio revocent. In quem finem distributio diurni temporis in quovis Seminario ordinetur, quæ hujusmodi (mutatis mutandis) esse poterit.

XXXII.

Mane surgentes statuto tempore ea observent, quæ in stationibus sunt præscripta, quibus finitis Adolescentes inferiorum Scholarum per quadrantem horæ lectionem spiritualem instituant: Studiosi vero secundæ, & tertiæ Classis per mediam horam meditentur, deinde omnes simul Sacrificio Missæ devote interfint, reliquo tempore studiis invigilent usque ad tempus frequentandi scholas; post scholas, si tempus supersit, studia continuabunt, uno quadrante ante prandium Litanias omnium Sanctorum juxta stationes persolvant; sub prandio, & cœna Studiosi tertiæ Classis per ordinem legent scripturam Sacram, Constitutiones, aliosque libros ascéticos, juxta Superiorum dispositionem: Studiosi vero secundæ classis per ordinem ad secundam mensam legent.

XXXIII.

Post prandium recreatio uniformiter ab Adolescentibus observetur, finita recreatione aliquid temporis addiscendo cantui tribuant: Theologi vero maturiores pro illo tempore in cæremoniis, & ritibus sacris exerceantur; postea rursum studiis invigilabunt; ita tamen, ut Theologi per quadrantem horæ ante studia in Sacræ Scripturæ explanatione se exerceant; finita frequentatione scholarum, assignato tempore studia, vel repetitiones fient; uno quadrante horæ ante cœnam pro meditatione sequentis diei se præparabunt, post cœnam, diebus Veneris, & Sabbati, breve colloquium spirituale paulo ante Rosarium instituetur.

XXXIV.

Diebus festis, & Dominicis tam Sacrum solemne, quam concio captui, & fructui Adolescentium accommodata in Seminariis pro Adolescentibus trium harum Classium habeatur, reliquum tempus pro Superiorum ordinatione utiliter impendent.

XXXV.

Prædictis his diebus, finita schola spirituali, & Vesperis cantatis, exercitia reliqua, ut diebus aliis perficient. Cæterum ad divina officia, aut conciones foris frequentandas non facile emittantur: sub cœna loco lectionis Theologi per ordinem succinctum sermonem per modum concionis in lingua vulgari habebunt.

XXXVI.

Ad scholas publicas, ubi adsunt, cujusque loci audito prius domi Sacro, mittentur servato a Rectoribus Gymnasiorum, & Universitatum præfixo tempore. Ad scholas per Plateas bini modeste incedant, ac finitis scholis, sic revertantur, prudentiore semper Directore constituto. In scholis seorsim ea modestia sedeant, ut aliis majorum exemplum præbeant.

XXXVII.

Ut Adolescentes primæ Classis solidius in studiis progrediantur, iis Pædagogos quosdam domesticos pro repetendis lectionibus, & conficiendis argumentis Superiores adjungant, qui eisdem pariter in disputationibus domesticis præsint, & in studiis suis per omnia ad debitum profectum, sedula diligentia eos excolant.

XXXVIII.

Philosophi, præter privatas inter se repetitiones singulis Septimanis determinata die, repetitionem omnibus præsentibus per ordinem habebunt, & in fine studiorum suorum prævio examine domestico, nisi ad publicas in Universitatibus defensiones fuerint admissi, saltem in Seminario ex universo studio suo Theses defendent.

XXXIX.

Adolescentes tertiæ Classis, ex Theologia speculativa, statuto die una hora repetitionem instituant: Similis repetitio saltem singulis mensibus semel distinctis diebus instituetur ex Theologia morali, Jure Canonico, & studio controversistico, juxta particularem superiorem ordinationem: uti & Scripturæ Sacræ expositio, repetitio pastoralis; pro quibus utiliter expendendis, universo Studiorum negotio præficiatur unus Sacerdos, qui in singulis studiis aptior adhoc præstandum judicabitur.

De Oeconomica Ordinatione Seminariorum, victu, & vestitu Adolescentium.

XL.

Universim Superiores pro viribus laborabunt, ut Seminaria bene sint ordinata, eorumque debita cura habeatur. Pro custodia Domus, ac Januæ homo laicus fidelis, & maturus constituatur, qui sine expressa Superioris licentia extraneos ad Adolescentes in Domum non intromittat, aut Adolescentes exire permittat: Coqui, & alii domestici pariter sint fideles, maturi, patientes, & charitativi.

XLI.

In communi Oratorio, & Refectorio suas consuetas preces omnes persolvant, ac refectionem sumant; Cætera in tres consignationes distinguantur, & in singulis singularum Classium Juvenes in uno amplo musæo, vel duobus cohabitent, ibique repetitiones solitæ peragantur.

XLII.

Pariter unum, vel duo Dormitoria in quavis consignatione cum annexa Camera Magistri Spiritualis constituantur; itaut in Dormitorio, cum certa interdistinctione, secundum debitam honestatem, extra conspectum mutuum seorsim dormiant.

XLIII.

In victu, vestitu omnes æqualiter habeantur, & ingenue eatenus tractentur, quatenus animorum ingenuitas, ad superandos studiorum labores, magis jucunditate, quam servili timore excitetur.

XLIV.

Unde mensa quotidiana frugalis erit, ut non solum temperantiam, una cum vera ingenuitate, ab adolescentia imbibant, sed etiam bonam corporis complexionem, animumque alacrem acquirant. Color vestium perpetuo niger sit; qualitates autem cæteræ nullam vanitatem, aut inæqualitatem, vel luxum, sed magis honestatem, & modestiam demonstrent.

XLV.

Pro servando debito in omnibus ordine, sit in quovis Seminario Horologium, & Campanula exactæ temporis distributioni serviens. Sit item Infirmaria, ex qua ad Oratorium fiant fenestræ, per quas Infirmi quotidianum Sacrum, ac preces reliquorum valeant percipere.

XLVI.

Superiores debite attendant ad Bibliothecam, Vestiarium, Dormitoria, Cellam, Culinam, & similia: Claves ad Portam Seminarii noctu Director habeat.

De distinctione, receptione, & fundatione Seminariorum.

XLVII.

Seminaria Juventutis possunt esse Pontificia, & alia his similia pro Clericis, & animarum curatoribus ad quosvis mundi partes mittendis, vel Regum, ac Principum, pro certis Regnis, & Provinciis, vel Archiepiscopalia, & Episcopalia pro Archidiœcesi, aut ampliore Diœcesi; Et denique Seminaria propria hujus Instituti erecta, & fundata per Patronos, & per media Communitatis, præcise pro hoc Instituto; quorum ultimorum, quo ad media Fundationis, plenum dominium penes idem Institutum erit: Quoad reliqua Seminaria, quorum dominium vi fundationis, ad Patronos spectat, vel Patroni certa media pro fundatione stabili huic Instituto, aut tantum certos annuos proventus Directoribus Seminariorum consignare poterunt, ex quibus certus Studiosorum numerus sustentetur.

XLVIII.

Adolescentes, qui vi alumnatus ad certas Diœceses, aut Provincias obligantur, non nisi ex speciali favore Patroni, in casu alicujus specialis necessitatis, alio mitti possunt; substituta tamen, si ita Patronus requirat, altera persona qualificata. Educati quoque in Seminariis huic Instituto propriis, etsi ad certam Diœcesim non obligentur, regulariter tamen in territorio, ubi Seminarium situm est, manebunt, & quando illa Diœcesis indiget, eidem inservient; ita tamen, ut in casu necessitatis ad quæcumque loca ex ordinatione Superiorum hujus Instituti mitti possunt.

XLIX.

Media pro fundandis Seminariis eidem Instituto propriis haberi possunt, vel ex collatione reddituum Ecclesiasticorum, juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, aut ex bonis hæreditariis ex libera voluntate sic applicandis, aut demum ex illis, quæ a Patronis sponte conferuntur: Ita tamen, ut personæ particulares hujus Instituti ex redditibus suis primo propriæ Parochiæ, seu Beneficii oneribus sufficienter prospiciant, & superiores ex mediis in massa communi jam collectis alii Instituti æque, vel magis necessariis communibus oneribus similiter prospiciant.

L.

Ubi Seminaria jam fundata existunt, quæ directioni Superiorum hujus Instituti ejusdem fini conformiter tradere placebit; si media fundationis non sufficiant, pro integritatis exigentia media Communitatis, (si ad manum fuerint) ea conditione authentico instrumento adjecta applicari poterunt, ut casu quo ejusdem Seminarii directio a Clericis Instituti non continuaretur, supremus Instituti Præses, bona illa, quæ Institutum de suis adjecit, libere alio transferre possit, & valeat.

LI.

In acceptandis Seminariis, traditio fini hujus Instituti non sit contraria, reliquæ conditiones Fundatoris arbitrio manent subjectæ. Ut inhabiles excludantur, Adolescentium susceptio, & eorundem directio, vel plene a patronis Superioribus Instituti concedatur, vel saltem, ut iisdem a Patronis jus, & potestas fiat ipsis idonea subjecta nominandi, prævio accurato examine, & probatione sufficiente, quatenus sic digniores a Patronis recipiantur, qui recepti in Instituto vivere tanquam vera ipsius membra postmodum obligati maneant.

LII.

Quod si Ordinarii locorum annua ratiocinia a Directoribus Seminariorum petant, uti, & per se, aut per alios visitando domesticam gubernationem, juxta dispositionem S. Concilii Tridentini Sess. 23. de Refor. Cap. 18. inspicere voluerint, id Constitutionibus a S. Sede Apostolica confirmatis conformiter fiet; ita tamen ut de redditibus Seminarii nihil alienare possint, & in alios usus convertere.

LIII.

Superiores cujuscumque Seminarii, præter mensam certum aliquod salarium habeant, si aliter de competente beneficio Ecclesiastico provisi non fuerint, cætera vero, quæ ex communi massa per annum restabunt, in iisdem Seminariis pro futuris eventibus, ac necessitatibus asservabuntur, quod intelligitur, si modo continua talis Seminarii administratio hujus Instituti Clericis relinquatur; Cæteroqui enim talia dispositioni Superiorum hujus Instituti reservabuntur, quorum proinde calculus eisdem quoties visum fuerit per modum ratiocinii exhibendus erit.

LIV.

In casu dimissionis alicujus e Seminario, si restitutio sumptuum facienda sit, fiet Seminariis Patronorum in quibus tantum certa portio pro sustentatione Adolescentum per annum assignatur; in aliis vero Seminariis, in quibus bona fundationis ad Institutum spectant, talia ad massam communem illius Seminarii tradantur, ut alii Juvenes exinde sustententur. Ratiocinia in præsentia Patronorum Ordinariis exhibenda juxta Constitutionem 52.

Ubinam Seminaria esse debeant, & cujus nationis Adolescentes in iis sint educandi.

LV.

Ordinarie in quavis ampliore Diœcesi, ac a potiori in quavis Archidiœcesi unum Seminarium, & (quantum fieri potest) juxta eas Academias, & Universitates habeatur, vel erigatur, ubi studia, & disciplina abundantius florebunt, ita tamen ut Seminaria ultra necessitatem non multiplicentur; quod si in tali districtu nulla Universitas esset, in qua Scholæ majores ab iis doceantur, qui docere solent, tunc Sacerdotes hujus Instituti, in tali casu tam Sacras, quam profanas literas docebunt.

LVI.

Cum Sacerdotes, & Clerici hujus Instituti sub Jurisdictione Ordinariorum, tanquam veri & simpliciter, proprieque dicti Clerici parati sint in toto Terrarum Orbe curam Animarum administrare, mediantibus mediis temporalibus ab Ordinariis locorum, vel aliunde pro formandis Seminariis deputatis, & collatis: (ad quod præstandum dictos Clericos sumptibus suis impares esse per se constat:) ut per bonam instructionem juventutis ad Seminaria ordinarie Adolescentes propriæ patriæ assumantur, qui sint ad omnem laborem impigri, ac patrio solo assueti, ut sub hac ipsa disciplina usque ad mortem subsistant.

LVII.

Cum solida, & stabilis disciplina pro bonis Clericis, & Curatis formandis in Domo, in qua diversæ conditionis, status, ordinis, & vocationis Adolescentes commorantur, servari non possit; Ideo ad Seminaria hujus Instituti propria, vel Ordinariorum Presbyteris hujus Instituti concredita nullus suscipiatur, qui in hoc Instituto non velit, vel actu vivere, vel animum saltem sic vivendi habeat. Quod si tamen ex gravissima causa Convictores quidam suscipiendi forent, iidem expressa hac conditione, & non aliter suscipiantur, ut in Seminario disciplinæ per omnia, & in omnibus absque ulla prorsus exemptione se accommodent.

LVIII.

Non obstante, quod Adolescentes ad Seminaria suscipiendi ordinarie (nisi excellentia talentorum, & circumstantiæ graves contrarium suadeant) ejus nationis esse debeant, in quo loco suscipiuntur; inter Adolescentes tamen sub studiis transplantatio, quoad diversas nationes sic fieri poterit, ut finitis studiis ad Seminaria in Terris propriis revertantur. Excipiuntur quoque Seminaria fundata ea intentione, ut sic educati ad quasvis mundi partes, vel ad loca hæretica mittantur cum Ordinariorum consensu, si ea in eorundem Diœcesibus sunt, vel ad alia cum Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia: ad hæc enim diversæ nationis juvenes insignes, præsertim, qui sub disciplina hujus Instituti alibi in Seminariis jam vixerunt, suscipi possunt.

Quis curam Seminariorum habeat, & quinam singulis sint præficiendi.

LIX.

Si Seminarium amplioris Diœcesis sit a cæteris Diœcesibus unius Archiepiscopatus independens, principalem curam ejusdem habebit Præses Diœcesanus: Si vero pro tota Archidiœcesi inserviat, in qua etiam quo ad Domum Emeritorum, & bona Communitatis, mutuus sit usus, Præses Archidiœcesanus ejusdem curam habebit, singulis annis bis visitando, diligenterque illius politiam domesticam tam in spiritualibus, quam in temporalibus inspiciendo, & cuncta ad debitam formam reducendo, aut in ea conservando, mediorum quoque temporalium, & emolumentorum incrementum, mediante Œconomo sibi adjuncto, rationem habebit in Seminariis propriis Directores, aliosque Magistros, tam virtutum, quam Studiorum præficiet, & pro rei utilitate, aut necessitate amovebit; in Seminariis vero Episcopalibus huic instituto ab Ordinariis concreditis, personas capaces Reverendissimis Dominis Ordinariis nominabit, ut ab iisdem auctoritate ordinaria Seminariis præficiantur.

LX.

In quovis Seminario erit, primo Director, sive Regens totius Seminarii, qui prudentia, gravitate, doctrina, & solicitudine charitatis inter alios emineat. Secundo Pater Spiritualis pariter pietate, & doctrina, & cæteris qualitatibus insignis, qui exercitationibus consuetis præsit. Tertio Confessarius, qui toti Domui ordinarie: Confessionibus assistat, cum facultate confitendi

alii, vel aliis Confessariis extraordinariis per Superiores deputatis, & approbatis ab Ordinariis: Quarto Œconomus qui dependenter a Directore rerum temporalium curam habeat.

LXI.

Promotiones ad diversos gradus in Theologia, & jure non prius fiant, donec constet, quod taliter promovendi perfecte juxta normam hujus Instituti in pietate, subjectione, ac fervore sint victuri, & insuper capaces pro gerendo tali officio, ad quod gradus ejusmodi sunt necessarii.

Juramentum omnibus, qui huic Instituto adscribuntur commune.

LXII.

Omnes, & singuli, in quibuscumque Seminariis educati, finitis studiis, suscepto Sacerdotio, uti illi qui in majoribus ordinibus constituti, adhoc Institutum fuerint suscepti prævia debita informatione in Domo Emeritorum, vel alibi facta, Juramentum ad manus Superiorum hujus Instituti præstabunt: A quo Juramento sic præstito, per quod pactum inter membra hujus Instituti ultimato roboratur, nemo ex post facto nisi a solo Summo Pontifice absolvi potest, cui desuper prævio maturo causarum, & circumstantiarum examine supremus hujus Instituti Præses per se, vel alium debitam relationem faciet.

Formula autem Juramenti sequens est.

LXIII.

Ego N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium notitiam, legibus, & Constitutionibus ipsius me sponte subjicio, easque quantum in me erit, observare promitto: Insuper tibi N. N. hujus Instituti Præsidi supremo, tuisque in hoc munere legitimis successoribus, spondeo, & juro me sub directione tua privata, & œconomica, salva per omnia Rmi Dni Ordinarii mei auctoritate, & Jurisdictione in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum, & moriturum. Denique spondeo, & juro me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum, a quo non possim nisi a solo Summo Pontifice absolvi. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

LXIV.

Prædictis non obstat, quominus quispiam post Juramentum prædictum, majoris perfectionis gratia ad ordinem Religiosum transire possit, ita tamen, ut non omni spiritui credatur, sed prius bene probetur, & non tam proprio Judicio, quam Superiorum hujus Instituti vere Dei vocatio esse approbetur. Tenebitur tamen talis (si ex novitiatu iterum discesserit) vi hujus Juramenti ad hoc Institutum redire.

LXV.

Qui præstito sæpedicto Juramento ad dignitates Ecclesiasticas Episcopales, & ad quoscumque his similes promoti fuerint, etsi sub actuali directione Præsidis, ob respectum status, non sint, tenebuntur nihilominus præstare ea, ad quæ cæteri hujus Instituti communiter obligantur.

Quomodo Sacerdotes noviter ordinati ad curam Animarum applicari debeant.

LXVI.

Clerici recenter ordinati ad curam Animarum ordinarie non statim exponantur, sed prius in Domibus Sacerdotum Beneficiatorum, & Parochorum, ubi strictior Custodia, & disciplina urget, pro tempore vivant, & cum præscitu, & consensu Rmi Dni Ordinarii provisorio modo officia administrent, ut sic non solum disciplinam Clericalem magis imbibant, & in superioritate libertatis suæ pie, sobrie, casteque vivere, etiam extra talem Custodiam postmodum expositi addiscant, verum etiam ritus, & cæremonias Ecclesiasticas circa curam Animarum cum debita dexteritate, & experimentali praxi solide comprehendant, & tunc demum utiliter, ac secure commodis occasionibus ad Cappellanias, Parochias, aliaque officia pastoralia cum consensu Ordinariorum exponi poterunt.

PARS SECUNDA.

CONSTITUTIONES

Pro directione spirituali, & temporali Presbyterorum, & Clericorum hujus Instituti, qui actualiter in cura animarum, Beneficiis Ecclesiasticis, aliisque officiis quibuscumque existunt.

De vigilantia Superiorum, ut exercitia quotidiana tam pietatis, quam studiorum, & alia rite ubique observentur.

I.

Quilibet Superior particularis, qui unius Domus Clericos dirigendos habet, invigilet, ut decursus totius diei cum debita distributione temporis, ab omnibus sedulo observetur, atque inprimis, ut preces tam matutinæ, quam meridianæ, & nocturnæ cum debita pietate ab omnibus simul in loco ad orandum deputato persolvantur, similiter horæ Canonicæ ab omnibus alicubi cohabitantibus, & legitime non impeditis, determinatis ad id horis simul recitentur.

II.

Statutis quoque horis, cuique loco accommodatis, Sacrificium Missæ celebretur, itaut reliquum tempus cum certa pariter distributione pro Studio tam Scripturæ Sacræ, quam Theologiæ, præsertim moralis lectionis Ascеticæ, & similium relinquatur, in quantum cura Pastoralis, visitatio Infirmorum, administratio Sacramentorum, ac actualis præparatio ad conciones & catecheses necessaria id patitur, quæ dum actu instant, cæteris præponenda sunt.

III.

Superioris quoque cujusque loci est ordinare, quidnam præter Scripturam Sacram, quovis tempore ad prandium, & cœnam per mediam circiter horam utiliter legi possit, ex quo utiles deinde discursus formari debent: recreatio post mensam ea semper esse debet, quæ honestatem & modestiam cum pace perpetuo sibi junctas habeat, ad quod pariter Superiori invigilandum erit.

IV.

Generalem ordinationem prædictorum omnium Superiores tempore visitationis facient, juxta quam postmodum quilibet particularis Superior directionem suam practice instituat.

V.

Quilibet Superior alicujus Decanalis, vel in vicini districtus singulis sibi commissis Clericis, & Sacerdotibus annuum determinabit tempus, quo opportune recollectioni mentis in sua, vel alia ad hoc deputanda Domo insistant, sedulo que curabit, ut apud omnes debitum dicta recollectio sortiatur effectum: ad quam etiam extra hoc præscriptum illos disponet, quorum spiritualis infirmitas, aliæque Causæ rationabiles id prudenter postulaverint.

VI.

Ejusdem Superioris Domus in quovis districtu, refugii, & medicinæ spiritualis locus existet,

ut

ut spiritualem convalescentiam ibi percipiant illi, qui in Parochiis aliquod vulnus spirituale acceperunt, vel periculum passi sunt; quibus alii ad tempus, & tamdiu succedent, usque dum eorum infirmitas per media spiritualia correcta fuerit: Quod etiam de illis observandum, qui in spiritus desolatione versantur, aut in melancoliam, vel aliam afflictionem lapsi sunt, ut remediis spiritualibus adjuti fortiores ad stationis suæ vigilias regrediantur.

VII.

Idem Superior alicujus Decanalis districtus aliquoties in anno tot Clericos, & Sacerdotes huic Instituto addictos, ac privatæ suæ directioni assignatos in certum locum convocabit, & ad certum diem, quo fine detrimento Animarum cura commode comparare poterunt, ad assignatas materias in scriptis Thesibus proponendas, ac more Scholastico, a constitutis ad id per vices oppugnandas, ac defendendas, ut singulorum ingenium, ac diligentia palam exinde fiat. Materiam, circa quam hæc exercitatio utiliter institui poterit, suppeditabunt Scriptura Sacra, casus conscientiæ, Theologia speculativa, & polemica, seu controversistica, ac Jus Canonicum. Directorium totius negotii penes prædictum ejusmodi districtus Superiorem erit.

VIII.

Præses hujus exercitationis a Superiore constituetur aliquis ex eodem districtu, qui in prædictis facultatibus præ reliquis eminere, atque ad hoc officium habilis esse videbitur.

IX.

Ad meliorem hujus rei successum in singulis Parochiis assignatas materias, certis per hebdomadam diebus, per unam, vel sesquihoram, mutatis vicibus, defendendo, & oppugnando sic elucident, ut deinde in publica concertatione, cum honore, & aliorum ædificatione defendens stare possit.

X.

Tempus ad privatum hoc exercitium magis commodum per se loquendo, erit post meridiem, ita quidem, ut prima media hora in recollectione, & præparatione, reliquum vero tempus in ipsa exercitatione, & colloquio insumatur.

XI.

Domi particulares casus discutiendi caute Junioribus Sacerdotibus proponantur, ex quorum resolutione addiscant, quomodo sua principia Scholastica ad particularia applicare, & prudenter practicare debeant.

XII.

Ut quilibet districtus Decanalis a corruptione defectuum, qui paulatim, nisi vigiletur succrescunt, mature semper expurgetur, observandum erit, ut non tantum singulis octiduis, certo determinato die, in quovis loco particulari, colloquium aliquod Constitutioni 45. Sacerdotum conformiter instituatur; verum etiam, ut singulis mensibus, finito supradicto Scholastico studiorum exercitio, priusquam, qui præsentes erunt, domum repetant, in Domo Decanali simili modo quoddam colloquium, ac conferentia spiritualis pro toto districtu Decanali instituatur; eaque in medium proferantur, quæ ad conservationem bonæ disciplinæ, & perfectionis incrementum in D. videbuntur Parochi, & Beneficiati alii ex dicto colloquio domum reversi, fideliter ea executioni demandare satagant, quæ in particulari ipsos attingunt.

Quid Superioribus circa substantialia hujus Instituti puncta sit sciendum, & observandum.

XIII.

Ut substantialia hujus Instituti puncta, quæ sunt Communitas Bonorum, cohabitatio fraterna, separatio Mulierum, & obedientia erga Superiores præsentis Clericalis Instituti, omnibus sufficienter innotescant; Superiores eorumdem practicam notitiam perfecto quodam modo habere oportet, ut omnes circa eadem, tam per se, quam per alias personas idoneas, recte informare sciant; eaque notitia præhabita ad eorumdem observantiam sedulo inducant. Prædicta substantialia puncta, ne Præses Generalis, nec Conventus qualiscumque ullo unquam tempore immutare, aut relaxare poterit, cum sint veluti cardines, ac fundamenta, per quæ veluti per quosdam vectes in se sufficienter munitos, præsens Institutum, absque dissolutione in generatione & generationem per Dei gratiam subsistat.

XIV.

Ut vero prædicta hujus Instituti puncta substantialia tanto certius inconcussa semper maneant, omnes, & singuli dicto Instituto se se aggregare volentes illa Juramento firmabunt, ea jurandi formula, quæ habetur supra in Constitutionibus de directione Juventutis numero 63., vi cujus omnes, & singuli obligantur, non quidem ad particulares dictorum punctorum actus, itaut quoties aliquis quippiam contra illa, vel illorum aliquod admiserit, perjurus fieri censendus sit, sed solum ad constanter in hoc Instituto, in quo prædicta quatuor puncta observanda sunt, usque ad mortem perseverandum, ita, ut juxta Constitutionem 46. Sacerdotum ille solus perjurus fieri, censeri debeat, qui proprio motu, se ab hujus Clericalis vitæ, & disciplinæ statu separaverit.

XV.

Censentur autem Motu proprio se ab Instituto separare, qui sine legitima Juramenti sui facta relaxatione discedunt, aut verbis, factisque in Instituto deinceps vivere detrectant: uti etiam, qui per frequentatos actus graviter contra supradicta substantialia excedunt, & prævia trina monitione, præfixo a Supremo hujus Instituti Præside termino peremptorio, quod nisi monitioni pareant, ab Instituto separandi sint, si in contumacia perseverant, tales enim se ipsos suo facto ob incorrigibilitatem separare censendi sunt. Licet hic casus ibi, & tum solum accidere possit, quando alia ratio Delinquentem ad meliorem frugem Beneficio Domus Emeritor., vel alia via reducendi, & scandalum tollendi pro isto tempore Instituto non suppetierit.

De Communitate Bonorum in specie.

XVI.

Finis communitatis Bonorum est, ut a Clericis hujus Instituti, omnia ex Beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus, quibuscumque provenientia, in usus pios, Ecclesiæque Dei salutares, ac præfixo scopo hujus Instituti convenientes, debito modo, & ordine conferantur, & applicentur; eorumque bonorum abusus tollatur, sepositа omni avaritiæ, & prodigalitatis specie, singuli sedulo curabunt, ut huic Instituto Clericali vere fideles dispensatores se exhibeant, in omnibus sincere expectantes commune bonum, tanquam proprium Jesu Christi D. Nostri patrimonium.

XVII.

Superiores mature considerare debent quidnam in dispensatione bonorum communium jam in massa communi collectorum potissimum sit observandum, & primo quidem invigilare debent, ut Sacerdotibus senibus, aliisque inhabilibus sufficienter provideatur. Deinde si Sacerdotes Curatos, & Beneficiatos, casu aliquo extraordinario, subsidio egere contingat, ex bonis communibus illis succurrendum erit: similiter quando aliquis ex hoc Instituto recenter ad Parochiam, vel Beneficium aliquod promotus, novam alicubi œconomiam instituere, & rebus necessariis instruere debet, suppellectilia, & alia maxime necessaria, vel pecunia pro iisdem com-

parandis suppeditanda erunt; ea tamen lege, ut sive pecunia sic subministrata, sive pretium, quo suppellectilia fuerint æstimata, medio, vel infimo pretio ordinata conscribantur, traditaque desuper obligatione successive, prout potuerit, commode Superioribus ex proventibus annuis restituantur, ut aliis quoque in simili necessitate constitutis succurri possit. Tertio subveniendum quoque est Pauperibus Sacerdotum hujus Instituti Parentibus, Fratribus, & Sororibus juxta Constitutionem 22. Sacerdotum.

XVIII.

Post hos magis necessarios communium hujus Instituti bonorum usus ingenuis Adolescentibus ad hanc Clericalem vitam educandis applicanda erunt.

XIX.

Postquam Domibus Juventutis, & Emeritorum in quadam Archidiœcesi, vel Diœcesi ex mediis Communitatis, vel Patronorum sufficienter provisum fuerit, tunc ad ædes Parochiales convenienter ad præscriptum Instituti vivendi modum accommodandas, ubi necesse fuerit, vel ex mediis ipsorummet Parochorum, præter id quod forte juxta morem Diœcesis in conservationem illarum annuatim ab illis impendi debet; vel ex collectis ipsiusmet Communitatis mediis, si aliunde haberi nequeant, quantum necesse fuerit, applicari poterit.

XX.

Similiter ordinari poterit, ut si desint media pro cohabitatione duorum Clericorum, in loco quodam particulari ob curam Animarum, aut alia de causa ordinanda, Superiores hujus Instituti, tamdiu media necessaria pro altero Sacerdote subministrent, quamdiu hujus Instituti Sacerdotes in tali loco curæ Animarum præfuerint; & quia aliorum est similibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus, vivendi media subministrare, ideo speciatim, & authentice cavendum, ne ex hac gratuita alimentorum subministratione, pro quocumque futuro tempore Instituto quædam obligatio imponatur.

XXI.

Eleemosynæ pro varietate, vel Religiosis, vel aliis faciendæ ex mediis huic Communitati obligatis, a Clericis beneficiatis, juxta Leges Christianæ charitatis, & juxta dictamen prudentiæ fieri possunt; specialiter tamen suadetur, ut Parochianis suis indigentibus, pro ratione redditus suorum præ aliis benigne subvenire studeant.

XXII.

Bona Communitatis in una Archidiœcesi correspondente quoad domum Emeritorum, & Juventutis, cum quibusdam Diœcesibus ejusdem Archidiœcesis, uti etiam media Diœcesis populosæ, quæ propriam Domum Emeritorum, & Juventutis habet, in eadem applicari debent, nec possunt per se loquendo, etiam pro parte aliqua transferri, in casu extraordinario, ubi ob gravem necessitatem Christiana charitas suadet, ut aliis membris hujus Instituti ad bonum Ecclesiæ Catholicæ succurratur; ordinatio desuper fiet a Præside Diœcesis cum consilio Superiorum Decanalium ex una, & ex altera parte a Præside Supremo; quod si rei gravitas postulaverit, Reverendiss. D. Ordinario loci quoque desuper referendum erit, ut cum ejusdem præscitu, & consensu, ad evitandas quascumque suspiciones res tota peragatur.

XXIII.

Ubi communes sumptus faciendi sunt in negotiis, totum Institutum concernentibus, Supremi Præsidis erit, proportionaliter ex collectis mediis particularium Diœcesium illud exigere, quod ad ejusmodi negotia pertractanda necessarium fuerit.

XXIV.

Communitas bonorum mutuam infert obligationem singulorum membrorum ad Institutum, & Instituti ad membra; itaut singuli ad omnia bona sua ex Beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus, ac officiis quibuscumque provenientia in pios communitatis usus conferenda, vi conventionis mutuæ, pactique ultro citroque obligatorii adstricti; ipsi quoque Superiores nomine Instituti, singulis membris fideliter in necessitate subvenire teneantur.

XXV.

Si quis Sacerdos, vel Clericus animo sese Instituto aggregandi aliquandiu cum ejusdem Instituti Clericis habitaverit, dein vero, antequam consuetum Juramentum præstet, mutata mente recedat, præter sumptus ipsius causa factos, nihil persolvere teneatur; & si vero post præstitum juramentum ad Ordinem Religiosum transire voluerit, vel proprio motu se ab Instituto separaverit, vel ab eodem ob incorrigibilem morum pravitatem, aliamve quamcumque causam dimissus fuerit, ex illis, quæ in Instituto acquisivit, etiam tum, vel ad cassam communem contulit, vel apud ipsum adhuc existunt, de Jure nihil prætendere, vel secum auferre potest; contrarium si fecerit sine prævio habito Superiorum Instituti consensu, id restituere tenebitur.

XXVI.

Si qui Sacerdotes, aut alii Clerici existentes, bona quædam ex beneficio, officio, vel functionibus Ecclesiasticis acquisita jam habeant; ac postmodum ad Institutum suscipi petant, libere de iis, quæ extra Institutum acquisiverunt, disponere possunt, vel in usitatos hujus Instituti, vel in alios licitos, & honestos usus, nisi ob imminentem ex senectute, aut alio capite ad officia, & functiones Ecclesiasticas inhabilitatem æquitatis ratio postulare videatur, ut Instituto consignetur, cui per susceptionem talis Personæ onus eam honeste sustentandi accrescere dignoscitur.

XXVII.

Omnes vero, & singuli, qui per Juramentum se huic Instituto obligarunt, de bonis suis, sive Ecclesiasticis extra Institutum acquisitis, sive patrimonialibus, de quibuslibet disponere habent, mature ita disponant, ut casu, quo dominium eorum penes se retinere voluerint, tota, vel potiorem saltem eorum curam aliis committant, cum nec Instituto, ejusque disciplinæ, nec ipsismet Sacerdotibus in officiis, & functionibus Ecclesiasticis occupatis conveniat multum ejusmodi rerum curis occupari, quæ a susceptio vitæ statu valde sunt aliena.

XXVIII.

In quovis loco particulari ratiocinia acceptorum, & expensorum ab uno Œconomo fiant, qui juxta diversas rubricas, cujuscumque personæ in eadem Domo habitantis, redditus ex Beneficiis, & salariis districte annotet, ne aliqua colluvio sequatur. In Seminariis, aliisque Domibus, ubi communes redditus pro illa Domo sunt, nullam personam particularem spectantes, & simul alii redditus sint ad particulares personas in illa domo ex Beneficiis, vel officiis obvenientes, tum ne confusio oriatur, fieri debet commune ratiocinium, & aliud particulare super accepta, & expensa redditus particularium istarum personarum.

XXIX.

Cum non solum Instituti hujus interest, sed etiam Diœcesium, ne Bona communia minus fideliter administrentur, aut ad supradictos Ecclesiæ Dei utiles usus non expendantur; Ideo Reverendissimi Domini Ordinarii, quoties defectus notabiles in administratione a Præside commissus innotuerit, desuper liberam acquirendi, & ratio-

nes

nes super bonis Instituti in commune collatis exigendi, defectusque, interposita auctoritate sua ordinaria, corrigendi potestatem habeant: Defectus vero, a Superioribus Præsidentis subordinatis commissi, a Præside corrigantur, salva tamen, ut in præmissis, Ordinariorum Jurisdictione; ut hac ratione per debitam eorum administrationem, ac dispensationem fiat, quod juxta approbatam hujus Instituti Constitutionem fieri solet, ac debet.

XXX.

De reliquo cum singuli hujus Instituti Clerici intuitu beneficiorum suorum Reverendissimis DD. Ordinariis ea præstare debeant, ac re ipsa præstent, quæ alii Clerici extra Institutum viventes, juxta cujusque Diœcesis consuetudinem, intuitu eorumdem beneficiorum præstare debent, bona ab eisdem in commune ad massam communem jam collata, alio insuper onere, seu exactione gravanda non sunt, cum æquitatis ratio non permittat, ut ab hoc, quod superflua sua in communes pios, & tum statui Ecclesiastico, tum ipsimet Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ valde proficuos usus conferant, amplius, quam alii Clerici sæculares graventur: Cum enim eorum onera, ac obligationes quæ redditus beneficiorum suorum communiter cum illis sine ulla exemptione ferant, merito iisdem etiam cum illis juribus, privilegiis, atque immunitatibus gaudent. Hinc & particularis dispositio circa temporalia hujus Instituti bona ad capsam jam collata, eorumque dispensatio in usus præscriptos ad ejusdem Instituti Superiores spectat.

XXXI.

Vi Communitatis bonorum, sive pacti Jurati, nemini liceat ex hujus Instituti Sacerdotibus, & Clericis testamentum sæculare condere, aut consanguineis suis bona sua temporalia ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis, ac officiis quibuscumque provenientia pro quacumque voluntate, voluntatem ultimam relinquere. Ideo omnes, & singuli quibuscumque dignitatibus Ecclesiasticis non obstantibus obligantur, ut quocumque de rebus suis disponendi modo Clericis concesso, & consueto, bona sua prædicta Superioribus hujus Instituti ad fundandas Domos educandæ juventutis, & Emeritorum Sacerdotum, aliosque fines huic Clericali Instituto conformes, dispensanda relinquant, memores omnia, quæ possederunt, esse propria Domini Nostri Jesu Christi, in cujus infinitam gloriam, profectumque animarum hoc Institutum omni tempore ea impensurum sit, nihilque æquius esse, quam illorum, etiam commoda sentire, quorum onera in vita, & morte suscipiuntur.

XXXII.

Donationes Ecclesiæ, cui quis deserviit, vel parentibus, Fratribus, & Sororibus indigentibus fieri possunt; ea tamen fieri debent cum præscitu, & consensu Præsidis alicujus Diœcesis, vel Territorii, vel itaut juxta ratihabitionem ejusdem valere debeant: Superioribus vero ejusmodi denegare, vel immutare non licebit, nisi manifeste videant, adhibito consilio aliorum, aut habita etiam in re gravi sententia Reverendissimi Domini Ordinarii, quod irrationabiliter ea facta sint.

XXXIII.

Legata, & donationes, quæ ipsismet membris hujus Instituti ab aliis fiunt, intuitu officii, vel cujuscumque respectus ad statum Clericalem aut quodcumque officium, & spectant ad bona huic Communitati obligata, quæ vero dantur intuitu consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ mere naturalis, bonis patrimonialibus annumerantur. In casu dubio donationis factæ standum juri communi, ea tamen lege, ut si a consanguineis, & affinibus usque ad quartum gradum inclusive donationes fiant, eæ censeantur factæ personis, in cæteris vero casibus dubiis censeantur factæ intuitu Instituti, sive officii.

XXXIV.

Debita passiva, in vita, aut post mortem alicujus ex Instituto solventur ex mediis ab eodem relictis: Ubi vero ea non sufficerint, Communitas ad satisfaciendum iisdem obligata non erit, nisi cum expresso consensu Superiorum Instituti, & authentica ex scriptura eadem facta esse comprobentur: Idque ideo, quia cæteroquin gravia incommoda huic Instituto accrescerent, & ipsum Institutum, quod curam talis personæ in vita, & morte in se suscepit, non tantum commodum pro membris suis non sentiret, verum etiam grave damnum pateretur.

XXXV.

Quando per Parochi, vel Beneficiati decessum, vel mortem ex gratiosa Reverendissimi Domini Ordinarii, vel Patroni concessione, successor ex hoc Instituto fuerit, mobilia, quæ successori ad ducendam œconomiam necessaria sunt, non distrahentur; Cum antecessor, si hujus Instituti fuerit, sine detrimento nunquam vendat, successor vero maxima cum incommoditate, & difficultate coemat, ac de novo familiæ de mobilibus prospiciat: proinde a Superioris ordinatione, & prudentia in tali casu rerum temporalium dispositio, aut translatio, quæ ex rationabili necessitate, vel utilitate fieri subinde debere videbitur, dependebit. Ita tamen, ut pro iis, quæ successori relinquuntur, honestum, & moderate taxatum pretium certo, & præfixo termino in casu mutationis ab una ad aliam Parochiam, sive beneficium solvatur antecessori, in casu vero mortis Instituto.

XXXVI.

Quod vero, & quantum ex annuis hujusmodi Beneficii redditibus, tum antecessori, tum successori competat, pro illa parte temporis, quo quisque illorum illud possidet, juxta Capitularia statuta, vel alias cujusque Diœcesis leges, & consuetudines determinetur, & ordinate adnotetur, idque præsente, ac confirmante eo, cui de jure, vel consuetudine competit, & si opus fuerit præsente uno ad id ex Instituto deputato, ut omnis confusio evitetur, & charitative singula disponantur.

Observanda de fraterna Charitate.

XXXVII.

Cum hoc Institutum pro fine suo habeat in salutem Populi ita dispersim vivere, ut tamen quantum possibile fuerit, ubique duo, tres, vel plures ejusdem Instituti Clerici, & Sacerdotes in eadem Domo fraterne cohabitent; Superiores diligenter invigilabunt, ut ex speciali favore Reverendissimorum DD. Ordinariorum, ac Patronorum, liceat etiam Ruri fraternam duorum, vel plurium hujus Instituti Clericorum cohabitationem instituere, ac continuare.

XXXVIII.

In Oppidis, ubi subinde plura partim curata, partim simplicia existunt beneficia, quorum possessores seorsim habitare consueverunt, Sacerdotes Instituti, ubi duo, vel plura ejusmodi beneficia obtinuerint, quantum fieri potest fraterne, cohabitare obligantur, in magnis tamen Civitatibus, nisi commode, & sine periculo Animarum curæ suæ commissarum, possint, non uno loco omnes simul, sed in diversis bini, vel plures cohabitent.

XXXIX.

Quod si in Pagis, & Oppidis Parochialis Ecclesia Cappellanum hactenus non habuerit, interim tamen redditus adsint, quibus duo Clerici congrue ad onus pastorale ferendum sustentari posse videntur, Superiores cum consensu Reverendiss. Domini Ordinarii Parocho Sacerdotem

non tam in subsidium animarum curæ, quam in subsidium continentiæ, & disciplinæ, securius servandæ adjungent.

XL.

Porro si Parochialis Ecclesia Cappellanias, seu filiales Ecclesias distantes sub se habuerit, Reverendissimi Domini Ordinarii locorum rogandi erunt, quatenus permittant, ob bonum disciplinæ Clericorum cohabitationes ita divisas ad unam socialem contrahere, dummodo per excussionem, citra neglectum animarum, humanitus prædicta loca provideri possint, in quo ex judicio Reverendiss. DD. Ordinariorum determinatio fiet; dictæ Ecclesiæ filiales, vel Parochiæ à se invicem ultra horam non distent.

XLI.

Cæterum hi Sacerdotes tam Divina officia, quam Conciones, & Catechismos diligenter in Ecclesia propria peragant, non secus, ac si in loco residerent, Parochianos de baptizandis, & de providendis ægrotis provide admoneant, & semel saltem, præter festa, & Dominicas in septimana quisque ad Ecclesiam suam certo die ad sacrum celebrandum exeat, ut Parochiani, id præscientes, suis, & suorum necessitatibus spiritualibus facile consulere possint, ad sacramentorum administrationem evocati, in omni casu sine mora promptos se exhibeant.

XLII.

Casu quo tanta Ecclesiarum distantia foret, quæ positam mensuram notabiliter excedat, atque ob defectum redditum duo habitare nequeant, qui tunc solitarie exponendus erit, sit solitudinis amans, & provectioris ætatis, ejusque constantia in castitate, & sobrietate probe perspecta habeatur; insuper singulis septimanis ad domum Decanalem, vel Parochiam aliquam ad Sacerdotes hujus Instituti pro facienda Sacramentali confessione veniat, ei Superiori de vitæ suæ statu frequentius rationem reddat, acceptaque spirituali exhortatione, & consolatione novo cum fervore domum revertatur; in eundem finem sæpius etiam talis a superiore Decanali, vel Parocho quodam visitetur, pro administranda culina, & familia famulum habeat, observeturque, quod infra de separatione Mulierum statutum habetur.

Quid respectu cohabitantium Clericorum observandum.

XLIII.

In primis omnes studeant se tales in conversatione suæ vitæ exhibere, ut suis affectibus ex sincero corde sic dominentur, quatenus cuivis cum animi jucunditate cohabitare sciant, firmiter etiam sibi persuadeant in omni familia quantumvis bene ordinata imperfectiones, ac inordinationes quandoque contingere; hinc apud se omnino statuant, defectus aliorum in vera, & Christiana patientia tolerare, ac ejusmodi tam in temporalibus, quam in spiritualibus supportare.

XLIV.

Superiores in conjunctione Clericorum prudenti circumspectione ex notitia geniorum, & indolis attendant, ut tales semper combinentur, ne vel contemptus, vel nimia familiaritas inde sequatur: pro directione universim tales constituantur, qui non modo passionibus suis sufficienter dominari posse noscantur, verum etiam illos, qui ipsis subjiciuntur in omni genere virtutum, & scientiarum, quantum fieri potest superent, vel saltem adæquent; contemptum enim parit, si qualitates subditi qualitatibus superioris præstent.

XLV.

Ubi duo, vel plures cohabitant, unus semper sit ex iis, qui officio Œconomiæ cum debito rerum temporalium emolumento fungi sciat, qui in rebus spiritualibus ferventior, & in servanda disciplina exactior esse noscatur.

XLVI.

Ubicumque hujus Instituti Sacerdotes simul habitant, superioribus curandum est, ut neque omnes Juvenes, sed ita potius senes conjungantur junioribus, ut seniorum cautela juniorum libertatem custodiat, & juvenum fervor seniorum imbecillitatem in perferendis laboribus sublevet, universim combinatio Sacerdotum ea circumspectione semper fiat, ut in quocumque unus, vel alter deficere noscitur, tertius oppositus, qua eminet virtute, defectum proximi sui, quoad fieri posset, corrigat, atque emendet.

XLVII.

Præterea, non indignum quilibet arbitretur, si in proximo suo custodem habeat, a quo charitative corrigatur, & moneatur, idque tam quoad actiones quæ domi, quam quoad ea, quæ foris peraguntur: Quapropter semper conari debent, ut duo simul, etiam foris existant, qui sibi invicem sint tam conversationis, quam innocentiæ testes, ac monitores.

XLVIII.

Hospitales ad invicem, & ad omnes charitative cum omni humilitate se exhibeant, & servitia necessaria omnibus præstari a suis curent; itineris enim molestiis defatigati, refrigerio hospitalitatis sublevari debent: erga personas vero cujuscumque status, servata proportione, se taliter habeant, ut ab omnibus bonum testimonium Charitatis Christianæ reportare mereantur.

XLIX.

Denique ut, qui in hoc Instituto vivunt, in morte minime deserantur: singulorum locorum superiores disponent, ut exequiæ Christiano modo statui Clericali conformiter peragantur, & in loco depositionis præmissa semper vigilia Defunctorum, tam primus, quam septimus, & trigesimus pro Defunctis celebretur. Insuper omnes Sacerdotes hujus Instituti juxta Constitutionem Sacerdotum 28. pro salute animæ ejusdem tria sacra celebrabunt, qui in illa Diœcesi existunt, ita tamen, ut in cæteris Diœcesibus, quæ uni alicui Archidiœcesi, more in Ecclesia consueto, subjiciuntur, unusquisque si non tribus, saltem uno sacro animam Defuncti divinæ misericordiæ commendet.

Quid Superiores in puncto separationis Mulierum observandum habeant.

L.

Eam Mulierum separationem Clerici omnes communiter observare tenentur, in conscientia adhoc adstricti, quæ requiritur, & sufficit ad vitandum scandalum, & ad proximam occasionem peccandi tollendam. Ad tollendam vero omnem Clericorum cum mulieribus cohabitationem, in Cap. *Inhibendum extra de cohabit. Clericorum, & mulierum*, ita statuitur -- *Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse retineat, sed neque illas quas SS. Canones concedunt, Matrem, Amitam, Sororem, quia instigante Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur.* Unde præsens Institutum eo collimat, ut Clerici, in eodem viventes, in instituendis hinc in familiis timorem Dei custodem, castitatem Dominam, amorem vero Rectorem totius Domus suæ habeant.

LI.

Proinde nemini licebit, ex sexu muliebri, sive Matrem, sive Sororem, sive aliam in quocumque gradu consanguineam, aut alias quantumvis piam, & Sanctam mulierem, sub eodem

tecto,

tecto, quo Clerici duo, vel plures congregati habitant, habere, cum sit vel periculosum, vel scandalosum, aut saltem non deceat, aliaque viro Clerico inde incommoda emergant.

LII.

Si quo casu substantialis hæc Constitutio per se loquendo inviolabiliter servanda, in praxi, & casu particulari nulla ratione observari posse videretur, eo quod familia de novo incipienda, in qua ob prædia rustica, vel aliam ob causam similem pecora sint alenda, & incontinenti fieri non possit per habitationem diurnam, nocturnamque distinctam sufficiens separatio: ea quamprimum ordinetur, sive ex favore Reverendissimi Domini Ordinarii, sive ex mediis ipsiusmet Communitatis.

LIII.

Media porro, quibus generalis ista Constitutio inoffenso pede in familia Clericorum constanter decurrere possit, erunt sequentia. In locis in quibus prædia rustica annexa esse non solent, culina, & tota familia virorum, sive famulorum opera instituatur, qui omnia ministeria domus præstent; in locis vero, sive Parochiis, quibus rustica prædia annexa esse consueverunt, quorum ratione, & inevitabili quadam necessitate similis culina, & familia propter emolumentum, fructusque agrorum, & decimarum, institui necessarium est, mulierum servitia tolerabuntur, ut sic non solum culinæ, verum etiam toti reliquæ familiæ melius prospiciatur.

LIV.

In dictis servitiis, Sacerdotum Parentes, & consanguinei, quantum fieri poterit, constituantur, quibus deficientibus, aliæ honestæ provectioriſque ætatis personæ assumantur, ita tamen ut a Clericorum tam diurnis, quam nocturnis habitationibus, intercedente sufficiente clausura, sejungantur, quod proinde Superiores hujus Instituti constantissime æmulabuntur.

LV.

In hunc finem Parochialibus ædibus domus rusticæ in loco quodam vicino annectantur, vel pars in ipsa Sacerdotali, si amplitudo id patiatur per murum interjectum separetur, in quibus Matres familias degentes, subordinatum quoddam super totam familiam rusticam regimen habebunt: Parochus vero hanc inferiorum directionem culinæ, & totius familiæ in prædictam matrem familias immediate rejiciat, ut ita Clerici negotiis inferioribus sepositis a Mulieribus penitus separati, in vitæ sanctitate Deo servire, & saluti animarum liberius invigilare valeant.

LVI.

Porro, ut prædicta separatio commodius observari queat, & ne ejus occasione, aut Parochus necessariam inspectionem in familiam negligat, aut in cibis, aliisque requisitis pro Clericis ad Domum Sacerdotalem deferendis, difficultas, aut incommoditas sit inter utrasque ædes aditus, ac porticus intercedat, quo ita Domus, & familia rustica ædibus Parochialibus annexa, & approximata accommodetur, ut ex eadem cibi inde ad Clericalem mensam commode deferri, & inspectio necessaria haberi possit. Aditus ergo in inferiori, vel media contignatione ædium Sacerdotalium usque ad Domum rusticam traductus, & patens in fine clausuram habebit, cujus beneficio prædicta separatio fiat, itaut nemo Clericorum per illum aditum ex ædibus Sacerdotalibus ad Domum rusticam, neque ex familia, & domo rustica ad domum Clericorum unquam transire valeat.

LVII.

Ut major cautela adhibeatur, quantum locorum constitutio patitur, domus Clericorum contra omnem accessum, (vel januas non necessarias obstruendo, vel muro circumvallando) ita muniatur, ut relicta solummodo unica ad Clericalem Domum Janua ordinaria, omnis utriusque familiæ domesticorum ad invicem accessus perpetuo discludatur, cujus rei melior accommodatio, pro locorum Constitutione Superiorum discretioni relinquitur. Denique fenestræ cubiculorum, & totius Domus Sacerdotalis bene ferreis clathris obseratæ, & munitæ sint, noctu occlusis diligenter foribus claves ad Superiorem deportentur, ita ut neque intrandi, neque exeundi ulla occasio, ac suspicio esse possit, & sic tota Domus in timore Dei, & apud prudentes in bona æstimatione stabit.

LVIII.

Pariter Domus Clericorum (etiam ubi familia rustica non est) ubique tam in Parochiis, quam in loco Decanali, & alibi, sic accommodetur, ut Sacerdotes, & Clerici omnes cum Superiore Domus in congressu communi habitare possint; Domus universim seris tectis muniantur, & cautelæ supradictæ ubique adhibeantur.

LIX.

Parochus, vel Beneficiatus (assumpto socio Sacerdote, vel hoc deficiente, alio innocentiæ suæ teste) ad minimum semel in septimana visitet Domum familiæ rusticæ (quod in aliis quoque œconomiis universim observandum) videatque num ea, quæ in domo sub cura retinentur, illæsa conserventur, & bene expendantur, atque advertentes aliquid non ut oportet conservari, aut expendi, sic corrigant, ut in posterum recte, & solide omnia fiant: negotiis cum debita gravitate, imperio, & modestia expeditis, ad Sacerdotalem Domum revertentur.

LX.

Quod si cum fœmina ratione pastoralis officii, vel alia rationabili causa, necessario loquendum fuerit, in Domum Clericalem non introducatur, & quæ consilii, & necessitatis, & salutis animarum gratia loqui oportuerit, Clerici paucis, cum gravitate, & modestia in loco patenti absolvant. De cætero Superiores, mulierum consortia, absque dispensatione, strictissime præscindant omni etiam pio prætextu excluso, mulierumque visitationes, extra casum gravioris ægritudinis, nulli unquam permittant.

LXI.

Ut ministerium, ad eos famulos, qui ad dies vitæ in hoc Instituto servire volunt, felicius succedat: Superiores providebunt, ut ad hujusmodi munus juvenes morigeri suscipiantur, qui mature a Mundo abstracti in culinæ ministerio, aliisque operibus domesticis probe aliquot annis instruantur, hosce famulos pietate pollentes Institutum ad dies vitæ, sanos, & vegetos retinebit, & omnia necessaria ipsis subministrando, ex debito obligationis amanter sustentabit: Iisdem nihilominus certa merces annua constituetur, ut quod ultra vestitum, & alia necessaria exinde restat, pro eorundem sustentatione a Superioribus in senio, vel alia necessitate expendatur, priusquam ad communia Instituti bona pro sublevandis eorum necessitatibus recurratur. Casu vero, quo in necessitatem talem non inciderint, id quod ex hujusmodi famulorum mercede restat, penes Institutum manebit, pro aliis similibus occasionibus expendendum.

LXII.

Invigilabunt quoque Superiores, ut etiam cæteri famuli, qui ad tempus tantum inserviunt, sint fideles, & experti, quatenus hac ratione debitum servitium omnibus præstetur, ac necessitati singulorum sufficienter prospiciatur. Ad omne periculum tam in spiritualibus, quam temporalibus excludendum, Parochi, cæterique Beneficiati, & Clerici quicumque circa susceptionem, & dimissionem domesticorum, Superioribus ad nutum obtemperabunt.

De superioritate directiva, ejusque necessitate, ac principiis practicis, ut hoc Institutum perpetuo in Clero conservetur.

LXIII.

Ut hoc Institutum feliciter subsistat, debitam inter membra, respectu Superiorum, inferiorum subordinationem requirit. Unde, præter publicam Reverendissimis Ordinariis præstandam obedientiam, quædam directiva morum, ad disciplinæ vigorem in Clero servandum, statuitur, per quam singulorum, qui de hoc Instituto sunt, vita in via charitatis immediate inspiciatur, & sic Clerici cum suo legitimo capite, quod sunt Summus Pontifex, & Reverendissimi Domini Ordinarii, perfectius, quam unquam coadunentur.

LXIV.

Porro hæc Superiorum ejusdem Instituti directio, privata solummodo, & œconomica, eo potissimum spectat, ut a Clericis eidem addictis omnia, & singula, tam in spiritualibus, quam temporalibus, juxta ejusdem Constitutiones fiant; qui contra eas deliquerint, paterne moneantur; quin, & inter domesticos parietes, levioribus pœnis medicinalibus potissimum, si res ita postulare videatur, corrigantur: Ii denique, qui a Reverendissimis DD. Ordinariis ob graviores excessus publica auctoritate puniti fuerint, subsequenter in domibus emeritorum per exercitia spiritualia, exempla, & monita piorum virorum, solide emendentur. In reliquis vero, una cum omnibus Instituti hujus membris, quivis Superior Summo Pontifici, & Reverendissimi DD. Ordinarii sui Jurisdictioni sic subest, ut non tantum ad ea, quæ a Clericis sæcularibus communiter præstanda sunt, etiam ad Constitutionem hujus Instituti, ac debitæ disciplinæ observationem a Reverendissimis DD. Ordinariis adstringi possint.

LXV.

Quamobrem omnes, & singuli, non solum Dei mandata, divinaque consilia fideliter observent, & mandatis, ordinationibusque Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Reverendissimorum DD. Ordinariorum debite sese subjiciant; verum etiam Constitutionibus, & disciplinæ hujus Instituti, tam Supremus Præses, & Superiores reliqui, quam cæteri Clerici obtemperent, prout uniuscujusque conditio requirit, ut sic totus status, undequaque perfectus in sua compage conservetur. Cæterum obedientia respectu Superiorum hujus Instituti, nulla specialis ex obligatione juramenti, sed solummodo ea est, quæ ex jure naturali in quovis statu Superiori legitime mandari debetur.

LXVI.

Superiores se ipsos exemplum præbentes in quotidianis exercitiis, & observatione statutæ disciplinæ primi existentes, per prudentiam, & discretam moderationem ad sui amorem omnes trahentes, ea suavitate regnent, qua ab omnibus libenti animo, rationabile obsequium disciplinæ, obedientiæque præstetur, unde quamdiu per solas admonitiones, paternasque ordinationes subditos ad ea, quæ præstanda sunt, inducere valent, potestate sibi tradita, mandando sub obedientiæ vinculo, uti non debent, sed solummodo dum subditos suos, alia ratione in rebus gravioris momenti ad observantiam rerum præscriptarum inducere nequeant, præ primis vero attendere debent ad debitam punctorum substantialium communitatis bonorum, cohabitationis fraternæ, & mulierum separationis practicam observantiam.

LXVII.

Ordinarie autem hic ordo in correctione alicujus, qui contra Instituti Constitutiones, ac præcipue contra puncta substantialia delinquit, conformiter præcepto de fraterna correctione a Christo Domino Nostro Math. 18. exposita, servandus erit. Primo moneatur fraterne ab immediato superiore suo, vel alio quocumque. Secundo, si hæc fraterna monitio nihil proficiat, recurratur ad mediatum superiorem Diœcesanum, vel alium: quod si vero superiorum Instituti charitativas admonitiones, & correctiones contempserit, deferatur ad Ecclesiam videlicet ad competentem Judicem Ecclesiasticum, qui pro sua Jurisdictione ad parendum talem compellat; in delictis autem publicis personarum hujus Instituti, si Rmus D. Ordinarius a se statuendas pœnas potius in domo Emeritorum, quam alibi persolvi a Reo voluerit, in eo superiores Instituti stricte obediant.

LXVIII.

In specie vero quilibet superior ea fideliter exequatur, quæ sui sunt muneris, nec in officium alterius majoris, aut minoris superioris inordinate se immiscеat, ne confusio suboriatur, neque etiam rerum Cælestium contemplationi, ac spirituali quieti in tantum se tradant, ut reliqua fastidientes, suorum curam, vel obiter tantum gerant, vel omnino negligant; quæ omnia in homine privato virtutis, in superiore verò maxime vitiositatis esse merito censenda sunt.

LXIX.

Divinis promissionibus innixi, viam regiam confidentiæ in Deum in quibusvis negotiis, adversitatibusque constantissime teneant, certissime sibi persuadentes, omnipotentem Dei bonitatem semper plura nobis dare paratam esse, quam nostra necessitas requirat. Insuper regimen suum solida, & constanti probitate, ac pietate in Deum ita firmare satagent, ut inter suos, tanquam sol a mane usque ad vesperam, sancto quodam virtutum fulgore lucere conspiciantur, Apostolo monente: *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum.*

LXX.

Constitutionum observationi sedulo invigilent majorum placitis inhærendo, novitates fugiant, ad externam quoque disciplinam solide observandam magno zelo incumbant, ut subditi facile intelligant, transgressionem, etiam minimorum Superiori suo displicere. Conferentias spirituales suis temporibus instituant, & cum suis privatim, etiam sæpius loquantur, ut sciant in quo statu quisque versetur, & quas necessitates tam in spiritualibus, quam temporalibus patiatur.

LXXI.

In omnibus tales se subditis exhibere satagant quales ipsi libenter etiam alios erga se habere vellent, si subditi essent, & maxime sibi curæ habeant, ut sine suæ personæ exceptione uniformem aliis cohabitationibus in humili mentis, ac spiritus submissione vitam degant, & nec minimum talis eminentiæ signum edant, quod proprium amorem, aut suæ personæ honorem, fastumque animi sapiat, sed in omnibus actionibus, ac mandatis mansuetudinem verborum, suavitatem morum, modestiam, & charitatis affectum demonstrent, ut sic subditi in obsequium obedientiæ captiventur.

LXXII.

Erga omnes humanitate, comitateque utantur faciles aures eorum honestis postulatis præbendo, & pro diversitate nationum gravitatem, severitatemque ita conjungant, ut qui amore regi malunt, filios se esse experiantur, qui verò secus fecerint, imperium sentiant superioris; beneficiis quoque domesticæ charitatis omnes sibi in obsequium amoris devincire conentur, & eorum delicta virga severitatis, ac justitiæ ita corrigant, ut tamen simul oleum consolationis ad exemplum Samaritani vulneribus infundant; insuper diligenti circumspectione ad suorum necessitates

attendant,

attendant, & tempestive easdem sublevare studeant; omni etiam hora promptam benefaciendi voluntatem accedentes experiantur.

LXXIII.

Simplicem veritatem, ut pupillam oculi custodiant, ut ficut os loquitur, ita & cor sentiat, animique candorem, & sinceritatem tam in verbis, quam in factis excluſa omni politica simulatione, sic præseferant, ut subditi de contrario nullam suspicionem habentes vere sentiant tuto se illis fidere posse. Datam fidem erga omnes fideliter custodiant, & si quid secretorum subditi illis crediderint, silere sciant.

LXXIV.

Ad animi fortitudinem in adversis in omni vita sua magis conentur, qua domesticorum, & propriis malis possint resistere, atque æquo animo ad exemplum Christi, & Sanctorum ejus tolerare. Pondere fortitudinis caveant, ne nimia animi facilitate ad omnem subditorum propensionem, precesque, propositam ante sententiam mutent. In rebus agendis deliberationes serias præmittant, ad quas tam experientia quam natura prudentiores adhibeant, proponant res discutiendas absque inclinationis suæ manifestatione in utramque partem: interim tacite secum rationum momenta discutiant, concedantque Consultatoribus sufficiens pro rei gravitate tempus deliberandi, ut sic in ferendis sententiis prudenter procedant.

LXXV.

In sententia, quam semel consilio elegerunt, fortissime persistentes, etiam non obstantibus quibuscumque contrariis, ad executionem rerum constantissime provehantur, si tamen propter circumstantias primum ex post facto supervenientes, aut prius ignoratas, moralis impossibilitas rerum exequendarum, aut majora damna ab executione proventura conspiciantur, providentiæ erit cum consilio seniorum aliam viam ingredi: præterea innatum animi teporem viriliter corrigant, matureque malorum initiis obsistant, medicinas oppositas non ad extrema conjiciant laborum pertæsi.

LXXVI.

Justitiam diligant, eamque indifferenter erga omnes observent, suorumque delicta impunita non relinquant, in horum tamen vindicatione pro rei gravitate, & personarum qualitate, ita se gerere studeant, ut omnes medicinam potiùs quam vindictam sentiant, insuper prudentia utantur, qua in delictis quædam dissimulare sciant, quæ tempore magis congruo corrigantur, graviora priùs corrigant, & gradatim ad minora sic descendant, cognoscantque cujusque naturam quibus potissimum singuli facilius corrigi posse videantur.

LXXVII.

In rebus agendis extrema devitentur; proinde rigidiorem partem nunquam facile amplectentur quamdiu per mitiorem viam se obtinere posse correctionem sperant; neque interim per neglectum, aut contemptum minorum, solis gravioribus invigilandum esse sibi falso persuadeant, aut in hisce errantes admonere, & punire negligant. Memores quoque potestatis superioritatis sibi factæ humilitatis studio, sua mandata, seque ipsos subjiciendo contemni non permittant, multo minus subditorum judicia suis ita anteponant, ut malint ex illorum sententia errare, quam ex sua prudenter aliquid ordinare.

LXXVIII.

Ut in perpetua quadam erectæ mentis statione suo officio invigilare valeant, temperantiæ fulgore omnibus, tam domi, quam foris præluceant, & convivia devitent; neque spreto domesticorum suorum commercio, externorum conversationem, & amicitiam ambiant; sed libenter cum suis esse, conversari, & convesci satagant: erga quos etiam, uti erga omnes alios liberales cum debita tamen moderatione existant. In conversatione se suis ridendos nunquam exhibeant, nec rebus illis se immisceant, quas ignorant, aut in quarum scientia non excellunt, inde enim dedecus potius, atque contemptus, quam auctoritas in eos redundare solet.

LXXIX.

Venerationis, aliarumque prærogativarum obsequia sibi a subditis præstita, mutuo honore, & charitatis officio omnibus grati repetant; quin & tametsi ejusmodi venerationum stipendio subinde priventur, a charitativo tamen eorum obsequio minime recedant; hoc namque animos mire devincire, ac quasi captivare consuevit. Animi motus sibi subjectos, moderateque suspensos habeant, maxime vero iracundiæ frœnum injiciant, & ubi subnascentes illius stimulos senserint, vincant se ipsos, & cum tranquilla mens fuerit, quid agendum sit judicent.

LXXX.

Caveant se respectibus humanis induci, ut horum intuitu ea inferioribus permittant, quæ cum instituti disciplina, felicibusque ejus progressibus pugnent. In omnes intentos habeant oculos, & in eos etiam, quorum virtuti atque industriæ multa committuntur, caveantque ne in eos nimia, vel confidentia, vel diffidentia ferantur, quia utrumque felicem familiæ gubernationem non nunquam labefactat. Similiter uni nimium addicti tantum nunquam tribuant, ut alii se neglectos, contemptos sentiant, quæ omnia æmulationes, & contemptus, aliaque ingentia mala in gubernationem domesticam invehere solent.

LXXXI.

Detractionibus non solum fidem, ac aures non præbeant, sed veluti pestem hoc vitium proscribant. Adulatorum assentationes fugiant, neminemque in sua consilia admittant, quem hujus vitii reum habuerint, quæ talenta unicuique Deus, natura, experientia, ætasque concesserit superiores solerter observent, & ex eorum cognitione munera domestica singulis dividant.

LXXXII.

Seniores, ac laboribus fractos ex animo colant, & venerentur, illorumque necessitatibus sedulo occurrant, paterneque habeant. Paternam infirmorum curam gerant, ex animo illis condolendo, sæpius visitando, verbis aliisque tam spiritualibus, quam temporalibus mediis consulendo. Cognoscere quoque domesticorum suorum egressum, & ingressum, quibusque in occasionibus, & cum quibus conversentur, quid a singulis domi fiat, omnesque domestici ordinis, ac disciplinæ perturbationes pro viribus eliminare conentur.

LXXXIII.

Ut officio suo eo magis satisfaciant in diariis omnia notabiliora consignabunt, eo ordine, & modo, ut si necesse sit omnibus rationem reddere valeant. Sic Juramenta a singulis præstita, & manu propria subscripta, aliqua ejusmodi particularia certo loco asservabunt, & ut has ordinationes perpetuo observent, singulis diebus tacite se compensent, quid in officio sibi commisso neglexerint, & si quid deprehenderint serio proponant, cum Divina gratia in humilitate Spiritus emendare.

De regressu ad Superiores.

LXXXIV.

Uni cuivis subdito recursus ad Superiores majores conceditur, ut si quandoque quispiam a suo immediato Superiore, sive in spirituali, sive in temporali necessitate indebite gravaretur, &

de illis Superior humiliter rogatus remediari nollet, in eo casu ad mediatum, & altiorem Superiorem eo amoris, & confidentiæ filialis affectu accedat, quo filius ad Patrem necessitate pressus accedit; servandus tamen erit in ejusmodi recursu debitus ordo, ut saltem regulariter, & sine speciali causa ab infimo Superiore, omisso remedio, ad supremum non recurratur, excepto recursu ad Summum Pontificem, qui semper etiam omisso medio adiri potest.

LXXXV.

Quod si ob quamcumque difficultatem a Superioribus hujus Instituti per privatam, & œconomicam directionem, servato prædicto ad Superiores regressu, non correctam, ad forum publicum in rebus hoc Institutum concernentibus a gravato deferenda foret, decisio talis difficultatis, juxta hujus Clericalis Instituti Constitutiones a S. Sede Apostolica approbatas, & SS. Canones reguletur ab eo Rmo D. Ordinario in cujus Diœcesi ejusmodi difficultas occurrit.

LXXXVI.

Prædictus regressus in vera, bene considerata, & rationabili necessitate quæ vel personam, vel œconomiam, vel statum concernat, ita fiat, ut interim de pristino, ac debito amoris affectu, aut de subjectionis voluntate, ac promptitudine nihil remittentes, omnia æquo animo, sedatis prorsus passionibus cum debita humilitate, suæ voluntatis resignatione, ac prompto, & indifferenti ad omnia animo, Superiori aperiant, & ejusdem judicio tanquam filii obedientiæ acquiescant. Modum denique eum in prædicto regressu ad Superiorem observent, ut inde nulla incommoda, aut disciplinæ domesticæ detrimenta consequi possint.

De revelatione Hominis interioris Superiori facienda.

LXXXVII.

Medium in primis necessarium ad conservandos status spirituales in debita sua perfectione, & perenni felicitate, est revelatio hominis sui interioris, cujus beneficio notitia acquiratur, qua propriis quarumlibet tentationum, & supplantationum diaboli (quibus ipsam status substantiam, & genuinum vocationis Spiritum paulatim in singulis membris infringere, enervare, & pessundare conatur) principiis mature obvietur, ac resistatur, insidiæque mundi, ac carnis mature deprehensæ detegantur, ac declinentur, aut futuræ, imminentesque præcaveantur.

LXXXVIII.

Proinde singulis annis unusquisque semel tempore exercitiorum Spiritualium Patri suo Spirituali totum hominem suum Spiritualem, & internum fideli sinceritate revelet, & detectis ea ratione diabolicæ supplantationis insidiis, & salutaribus ejusdem consiliis contra easdem munitus interim de novo pie, sancteque vivere, & in viam salutis, ac perfectionis progredi incipiat; Confessario quoque suo proprio suum internum hominem tam ad bona, quam ad mala aperiant, instinctusque, sive bonos, sive malos revelent: præterea per modum familiaris colloquii Superiori in districtu Decanali omnes Clerici, qui sub ipso degunt, tempore visitationis fideliter statum, in quo pro tempore, quoad suum hominem spiritualem fuerint, aperient; cujus etiam spiritualibus, mediis, & piis monitis, quæ præscripserit diligenter, acquiescent.

LXXXIX.

Idem observabunt Superiores Decanalium districtuum respectu Præsidis Diœcesani sub visitatione annua ejusdem, aperiendo eodem modo statum hominis sui spiritualis candida fidelitate: Pari ratione Præsides Diœcesani, quoad suas personas, uti, & illi, qui eisdem Præsidibus cohabitant observabunt, respectu majoris Superioris, sive tempore visitationis, sive alio tempore convenienti, singulis annis hominem suum interiorem, pari ratione revelantes, & sic per ordinem Superiores omnes usque ad Supremum Præsidem id observabunt; denique ipsemet Præses Supremus in annuis exercitiis eamdem revelationem hominis sui interioris Patri suo Spirituali faciat, pari quoque ratione negotium animæ suæ in humilitate, & fidelitate cum Confessario suo proprio omni tempore vitæ suæ pertractabit; porro dexteritas in Superioribus requiritur, ut revelantem ad sectandam majorem perfectionem in fortitudine spiritus excitatum cum consolatione dimittant.

De notitia personarum habenda.

XC.

Quantum fieri potest Superiores hujus Clericalis Instituti notitiam de singulis, & de totius status Constitutione provide omni tempore callere oportet; qua ratione singuli ad obtinendam æternam salutem, & status totus ad debitam suam perfectionem, quam congruentissime dirigatur. In hunc finem quilibet Superior tam pro spiritualium rerum, quem temporalium directione constitutus, notabit ea, quæ consideratione digna fuerint: deinde totius Instituti Præses pro felici gubernatione nosse debet singulorum districtuum statum, uti, & alii Superiores districtus sui notitiam habebunt: in hunc finem Superiores inferioris Ordinis majoribus Superioribus de personis sibi subditis debitam informationem certis temporibus dabunt; scilicet Superiores Seminariorum de suis studiosis, uti, & Superiores Domuum Emeritorum de personis ibidem existentibus, Superiores districtuum Decanalium de personis sui districtus, & sic per ordinem.

Ordinationes pro Oeconomis.

XCI.

Ut Communitas bonorum cum majori fructu Ecclesiæ Catholicæ ac præsertim Cleri executioni dari possit, & ut omnia hujus Instituti membra videant, ac re ipsa experiantur, quod præter bonum in rebus, & exercitiis spiritualibus ordinem, etiam temporalium administrationem in omnibus quoad fieri potest, ordinate procedat, singulorum locorum Œconomi eam in administrandis rebus temporalibus adhibeant curam, ut merito singuli propter bonum in rebus omnibus ordinem ex animo lætentur.

XCII.

In hunc finem tam superiores, quam Œconomiarum administratores, & quicumque aliquo modo rerum temporalium curam habent, magna cura, providentiaque circumspicientes attendant, tam ad Subditos suos, quam ad universæ Œconomiæ administrationem, eumque in eadem ordinem constanter observare satagant, ut ex illa unicuique omnia non solum ad necessitatem, sed etiam ad convenientem commoditatem ministrentur; itaque omnes, qui simul habitant, exinde satisfactionem habeant.

XCIII.

Ad obtinendam prædictam administrationem domesticam spectat, ut singularum hujusmodi rerum administrationes ita dividantur, quatenus mediante subordinatione officiorum a summo usque ad infimum singuli in ordine, ac munere suo rite præstando, omni tempore contineantur, & ordinationis suæ directionem a Superioribus capiant.

XCIV.

Œconomi seipsos aliis non præferentes, ac potius in omnibus per abnegationem sui exemplum præbentes ita cum aliis uniformiter per

omnia

omnia vivant, ut intra omnes ab infimo usque ad summum amoris, pacis, mutuæ dilectionis, & unitatis vinculum integerrime conservetur, dum omnes (cæteris paribus) ex prædicta rerum omnium uniformitate se vere pro filiis, & domesticis haberi manifeste deprehendunt.

XCV.

Quod si contingat aliquem esse debilioris complexionis, Superiores illius infirmitati paterne condescendentes eumdem cum consensu Rmi Ordinarii in Parochia, vel conditione aliqua, ubi cum Socio secundum aliquas commoditates sibi necessarias commodius vivere possit, exponi curabunt. Universim erga suos in infirmitatibus, & aliis casibus humanæ necessitatis austeri non existant, sed magis per omnia iisdem compatientes se vere, & cordialiter charitativos exhibeant.

XCVI.

Ob gravissima damna, quæ tam ex parte domesticorum, quam externorum evenire solent, æs alienum non contrahant; proinde familiam suam ea circumspectione instituant, ne facile unquam annui sumptus redditus excedant, ex oppositio namque cumulata debita debitis accrescunt.

XCVII.

Pro domestica politia debite conservanda, omni possibili conatu, diligentia, ac providentia curent rerum omnium munditiem servare; non minori soliditate studeant, ut omnia, & singula in suis locis sint dispositia in quovis loco particulari vestiarium ordinetur, in quo sicut omnia vestimenta asservari, ita etiam ex eodem omnia, & singula cuilibet submistrari oportebit: debita quoque Bibliothecæ, & librorum cura habeatur, talesque libri procurentur, qui potissimum pro meditationibus, lectione spirituali, concionibus, catechesibus, & similibus usibus necessarii erunt, Catalogus quoque librorum in eodem loco asservetur.

XCVIII.

Quemadmodum abjectio, aut nimius luxus externæ speciei, atque habitus Clericorum apud omnes vituperare, & contemptibilem reddere, ita modestia, & honestas maxime semper commendare consuevit; inde enixe laborandum est qua ratione utrumque conjungatur: in vestitu ergo uniformitatem, & honestatem longarum togarum sive talarium cum collaribus, prout honestos Clericos decet, ubique terrarum omnes diligenter observabunt. Cura autem hujus penes dispensatorem rerum temporalium cujusque loci erit, ut suos honeste, & mature vestiri faciat, & uniformitas quantum fieri potest, perpetuitate quadam ubique, & in omnibus observetur. Materia togarum talarium universim ea erit, quæ, & honestatem, & modestiam in homine exteriori præseferens, individua quadam societate conjungit, qualis omnis illa materia esse potest (servata dispositionis proportione aliquo modo ad officium, & dignitates externas) quæ splendore, forma, aliisque qualitatibus vanitatem, luxum, & mollitiem minime præseferat.

XCIX.

Similiter in victu, aliisque quibuscumque rebus eam cæteris paribus, æqualitatem, & uniformitatem erga omnes observent, qua debita animorum unio inter domesticos foveatur; ejusque providentiæ Superiores, & Œconomi esse debent, qua singulorum necessitates solicite respiciant, & præveniant, aliorum quoque consilio, præsertim in rebus gravioribus, familiam suam in via charitatis fideliter administrent.

C.

Quod attinet ad rationem administrandæ œconomiæ ad extra studiose caveatur, ne avaritiæ nota huic Clericali vitæ, Œconomorum, sive aliorum culpa merito imputari possit: Hinc si legata quædam pia huic Instituto advenirent, in iis magna cum moderatione, & quarumcumque personarum satisfactione, quantum prudenter fieri poterit, procedi debet; pari modo in vendendo, & emendo, Œconomi æquitatis sint memores; Opificibus quoque, & operariis satisfactionem sine morositate præstent: idem etiam observetur quoad famulos, aliosque domesticos.

CI.

Circa jura stolæ, oblationes annuas, funeralia, ac similia accidentalia, omnes omnino tam prudentiæ, quam discretionis memores, liberum illis, qui talia solvere tenentur, relinquant, dare ex bono, & libenti animo, quod justum, & æquum ipsimet judicabunt, & sine gravi difficultate dare poterunt: quod si vero bonitate, & discretione illa subditos abuti videant, tum merito, quæ sibi ex jure Parochiæ, & Ecclesiæ ordinatione debentur ad jura parochialia manutenenda postulare poterunt, & subinde debebunt.

CII.

Unusquisque Sacerdos beneficiatus ad distribuendum Pauperibus aliquid habeat, ut pro iisdem convenienter expendatur. Ordinariæ tamen eleemosynarum elargitiones non ab omnibus passim fiant sed ab Œconomo, aut alio ab eo deputato.

CIII.

Juxta Constitutionem 20. Sacerdotum super redditibus omnibus tam fixis, quam accidentalibus, uti & super expensis tam Ordinariis, quam extraordinariis justus, & exactus calculus ab omnibus Œconomis in manuali, sive libello quodam ubique teneatur, ordinatumque quoddam ratiocinium quotannis ab uno quoque Œconomo de omnibus acceptis, & expensis conficiatur, ac certo loco, ac tempore præscripto exhibeatur. Ut vero ordinatius in hoc puncto procedatur, particularia ratiocinia asserventur in quovis loco particulari, Decanalia in loco Decanali, extractus eorumdem apud Capsam Diœcesanam, sicque usque ad calculum generalem omnium rerum hujus Instituti procedendo, quatenus Superioribus convenienti tempore ubique exhiberi possint.

CIV.

Archivium particulare in quovis loco, & aliud in loco Decanali, uti & in quavis Diœcesi, & Archidiœcesi, generale denique pro toto Instituto ordinari debet, itaut in particularibus documenta Parochialia, specificatio reddituum, inventaria rerum domesticarum, una cum inventariis librorum, & similia: in generalibus vero Archiviis generalia documenta asserventur eo ordine, & modo, ut pro quavis occasione statim ad manum haberi possint.

De Officio, & directione Superiorum in specie.

CV.

Superiorum hujus Clericalis Instituti sequens subordinatio statuitur, uti, & Œconomorum, qui dependenter a Superiorum directione rerum temporalium curam gerunt, ut ita ab infimo usque ad summum tam Superiores, quam Œconomi inter se connexionem, & debitam dependentiam habeant, ultimaque dispositio hujus Instituti a Præside Supremo derivetur, ut sic mutuo consilio, & directione ordine suo peragantur, ac dispensentur.

CVI.

Tota vero subordinatio tam Superiorum, quam Œconomorum in quinque gradibus personarum consistit. In primo sunt Superior cujusque loci particularis: in secundo Superior alicujus districtus Decanalis, & Œconomus: in tertio Præses, & Œconomus Diœcesanus: in quarto

ubi Diœceſes quædam correſpondentiam habent Præſes Archidiœceſanus, & Oeconomus; in quinto denique Supremus totius Inſtituti Præſes cum ſuo Oeconomo; Qui omnes quatenus à Rmis DD. Ordinariis ſuis dependeant habetur ſupra num. 86., & in ſequentibus clarius exponitur.

De Parochiali, & cujuſque loci particularis directione.

CVII.

Quia Clerici, & Sacerdotes hujus Inſtituti per pagos, & oppida in ſalutem Populi diſperſi, bini, terni, vel plures cohabitare ſolent, diviſim in ſingulis locis ſuperioritas, & inferioritas conſtituatur neceſſe eſt, ut diſciplinæ debitum obſervationis effectum ſortiatur, dum omnes uni, in quovis particulari loco obediunt, quam Superioritatis directionem perpetuo is habebit, qui Parochus, ſive principalis Beneficiatus cujuſcumque loci pro tempore extiterit.

CVIII.

Cui proinde non ſolum tota familia, verum magis Clerici cohabitantes in omnibus, quæ rationabilia ſecundum Deum fuerint, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, ſecundum præſcripta hujus Clericalis Inſtituti obedient, qui tamen non omnia proprio motu diſponet, ſed ſuorum conſilium in omnibus, quæ alicujus momenti fuerint, adhibebit.

CIX.

Singuli locorum particularium Superiores ſuorum maxime domeſticorum curam ex animo gerant, diligentique circumſpectione attendant, ut timor Domini, & animorum unitas perpetuo in ædibus ſuis vigeant: tam in gubernatione Domus, quam adminiſtratione œconomiæ dirigi ſe ſinent a ſui Decanalis diſtrictus ſuperiore, & quæ in viſitatione, vel alias fuerint mandata, diligenter obſervabunt.

CX.

Inſpiciant frequenter in anno res, quæ poſſidentur, ut quæ reparatione indigent mature reparentur; aut quæ ſervando ſervari non poſſunt, de illis mature diſponatur. Vigilanti etiam cura ad ſuppellectilia, libros, cellam, & loca frumentis deputata attendant, ne quid intereat furto, prodigalitate, aut alio modo male diſtrahatur; quare claves diligenter penes ſe, vel (ſi ratio particularis ita poſtulari videatur) Clericos ſibi cohabitantes retinebunt.

CXI.

Originalia Decimarum, aliorumque proventuum Inſtrumenta in Archivio cujuſque loci diligenter aſſerventur, cum annotatione temporum, quibus quæque pendi ſolent, juxta quorum normam ſingulis annis fiant duo Libelli, ut in unum referantur per ordinem Prædiorum perceptæ Decimæ, in alterum vero annui Canones, ſive hi in certa pecunia, ſive in alia re pendantur; ſine præſcitu Superioris diſtrictus Decanalis fructus Decimarum in agris non vendantur, nihilque quoad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aliaque ſimilia ſpectat, ſine ejuſdem conſilio, aut conſenſu faciant, cui tamen rationes ſuas in contrarium, ſi quas habuerint, modeſte proponant.

CXII.

Inventarium ordinatum ſecundum certas rubricas omnium mobilium, quæ in Domo ſunt, vel ad ipſam ſpectant, habeant, illudque annuatim tempore viſitationis revocent, adſcribendo ea, quæ noviter advenerunt, & expungendo, quæ abſumpta, vel vendita fuerint. Referant quoque ſummatim in codicem lites, & acta, quæ alicujus momenti circa res temporales contigerint. Si quæ utenſilia ab extraneis commodato acceperint, annotent omnia ſpeciatim, & calculo rerum domeſticarum, ſpecificationem adjungant, donec ſingula reſtituantur.

CXIII.

Nullos notabiles in ædificia, aut alias extra ordinarias cauſas exponent, ſine præſcitu Superioris Decanalis, & expreſſo illius conſenſu, & quod in uſus quotidianos oportebit neceſſario impendi, curent, ut id cum debita utilitate, & induſtria fiat.

CXIV.

Conſcribent de die in diem ſecundum certas rubricas in libro, ſive manuali adhoc deputato, tam, quæ in frumentis, quam quæ in pecunia, & aliis acceperint, & expenderint, reddantque deſuper rationem Superiori diſtrictus Decanalis ſaltem ſemel, vel bis in anno quando viſitabit, cui etiam debita, & credita Parochiæ aliaque majoris momenti negotia, & acta ſua indicabunt, ut ita totius familiæ ſtatum plene intelligere poſſit.

CXV.

Pecunias, quæ ad quotidianos uſus non fuerint neceſſariæ ſeorſim reponant, prompto, paratoque animo conſignandi Superioribus ſuis quantum ex iis in aliqua particulari neceſſitate ab bonum hujus Inſtituti Superioribus neceſſarium viſum fuerit.

CXVI.

Tenentur certo ſtatuto tempore facere relationem Superioribus diſtrictus Decanalis, non ſolum de vita, & moribus Clericorum, ſibi cohabitantium, & domeſticorum, verum etiam in quo ſtatu, familia, tam circa temporalia, quam ſpiritualia verſetur, & quæ pericula, incommodaque emergere poſſe videantur. Ad Conventum in diſtrictu Decanali habendum, annuatim quoque debent comparere, Scientiarum exercitationes frequentare, aliaque media arripere, quæ ad conſervationem Inſtitutæ diſciplinæ a Superioribus ſalubriter fuerint ordinata.

CXVII.

Clericos ſibi cohabitantes ad nutum Superiorum (poſtquam a Rmis DD. Ordinariis id petitum, & conceſſum fuerit) ſuſcipient, vel dimittent, prout commune Parochianorum, vel Clericalis hujus Inſtituti, aut particulare, ipſorummet Clericorum bonum requiſiverit. Qui vero Canonice inveſtiti Parochi, vel Beneficiati fuerint, non niſi ex rationabili, & gravi Cauſa à Rmis DD. Ordinariis cognita, & approbata (ſervata SS. Canonum, & S. Conc. Trid. diſpoſitione) mutabuntur. Ad vacantia Beneficia non pro arbitratu ſuo aſpirabunt, ſed expectabunt donec a Superioribus Inſtituti ordinariis ad ea aſſequenda commendentur.

De Oeconomo Parochiali.

CXVIII.

Oeconomus cujuſque loci particularis ordinarie ipſe Parochus erit, aut qui in illo loco primas tenet, quod ſi tamen Parochus in ſpiritualibus magis, quam temporalibus præſtaret, vel pietatis ſtudio abſorptus, hæc infima deſpectare videretur ad illius inſtantiam œconomiæ adminiſtratio in alium aptiorem transferri poterit; ita tamen, ut Parochus Superior ſemper exiſtat, ab ejuſque directione ille Oeconomus dependere debeat.

CXIX.

In caſu, quo ipſe Parochus œconomiam adminiſtrabit, inferiorem quamdam diſpenſationem Clerico cuidam cohabitanti ad hoc apto dabit; v. g. curam veſtiarii, Cellæ vinariæ, expenſas quotidianas minutiores in culinam, accepta in ſtola minori de quibus omnibus ſingulis menſibus rationem reddere teneantur.

Observanda quædam ab illis, qui Parocho, aut Beneficiato principali cohabitant.

CXX.

Rerum temporalium administrationi præter, vel contra officium suum nemo se immiscеat nec earum dispositionem ambiat. Liceat tamen cuique prædictarum rerum dispensatorem, fraterne per modum consilii de aliquo notabili emolumento, vel detrimento œconomiæ admonere; Res necessariæ quoad vestimenta, & alia utensilia ab Oeconomo singulis procurentur.

CXXI.

Quemadmodum Parochi, aliique principales Beneficiati, ita, & Cappellani, & quicumque Beneficiati, aut Clerici, cum aliis cohabitantes singuli suos redditus, vel certum suum salarium habeant, de quo in usus huic Instituto convenientes congruo modo disponere possint; cum quilibet respectum, & obligationem suam non habeat ad personam particularem hanc, vel illam, sed quivis ex ipsis toti Instituto, quoad res, & redditus suos, ac vicissim totum Institutum cuilibet membro obligatum intelligatur. Cæterum hæc ordinatio, quod Clerici certum salarium habere debeant, de iis tantum intelligitur, qui finitis studiis, aut præstito Juramento certum officium habent. Clerici vero primæ, & secundæ classis cum ante præstitum Juramentum nondum ad communitatem bonorum obligentur, si quod Beneficium habent ad aliud non obligentur, quam ut sumptus pro suis personis factos ex beneficii redditibus solvant.

CXXII.

Unde is, qui præest in quavis Domo particulari, debet id, quod cohabitantibus Clericis ex salariis, & creditibus ultra victum, & vestitum, & alias expensas per annum supereſt, Superioribus consignare, ut pro ipsismet Clericis servato ordine, & distinctione asservetur, donec ipsimet pro œconomia inchoanda, vel pro subsidio pauperum parentum suorum, aliis congruis, aut necessariis expensis faciendis indigeant, aut Instituto voluntarie in vita consignent.

CXXIII.

Cuilibet Beneficiato, aut Clerico aliquid pecuniæ ab Oeconomo ad obvios, & quotidianos necessarios usus, ita dandum est, ut postquam expenderint tantundem ab Oeconomo denuo accipiant: Accepta vero ratiociniis debito modo, & ordine inscribantur, prout alia omnia, quæ sub manibus suis concredita habuerunt, certo statuto tempore in manualem Oeconomi referenda sunt.

De directione in districtu Decanali servanda.

CXXIV.

Ut directio Parochiarum, aliorumque locorum particularium fructuose subsistat, sequitur secunda superioritas, ad quam pro quolibet Decanali districtu locorum Decani rurales, si ex hoc Instituto fuerint, aut alii habiles ex eodem districtu assumentur, qui per Juramentum Rmo D. Ordinario suæ Diœcesis, uti etiam huic Instituto (quatenus de fidelitate eorundem quoad publicam ordinario, & quoad privatam, sive œconomicam directionem Instituto sufficienter provideatur) se se obligabunt juxta formulas infra num. 142., & 143. expressas solis personalibus mutatis.

CXXV.

Dicti Superiores districtuum Decanalium, si simul publico officio Decani fungantur, præter consuetam publicam functionem, qua omnes totius Decanatus Parochos, & alios Presbyteros in foro externo dirigunt, insuper non solum quos secum in Domo Decanali habuerint, sed etiam omnes illius districtus Parochos, & Clericos (qui ex Instituto sunt) secundum illius Constitutiones gubernabunt, quorum directioni omnes tam in spiritualibus, quam temporalibus filialiter subjacebunt: Ipsi vero eadem, quæ a Parochis observanda sunt, in primis observabunt, ut cæteri illorum exemplum respicientes captivati, ad imitationem facilius trahantur.

CXXVI.

In quem finem memores esse debent quantopere referat, ut suos Domi, & omnes sui districtus Sacerdotes & Clericos, non secus dirigant, ac si omnes ipsis cohabitatione existerent præsentes; Hinc in Domo sua vigilanter curabunt omnium Constitutionum exactum servari ordinem, libenter quoque videant, si Sacerdotes sui districtus frequenter in Domo Decanali suum regressum quærent, invigilentque, ut omnem charitatem sentiant, & mutuam animorum unitatem inibi quasi propriam suam habere residentiam experiantur. Ex quo capite mire ad obsequium imitationis, mutui amoris, & obedientiæ trahentur.

CXXVII.

In gerendis rebus ad directionem pertinentibus, quorumdam Sacerdotum secum habitantium ut & in suo districtu existentium consilium adhibeant, eorum maxime qui judicio Præsidis Diœcesani prudentia, & agendi dexteritate præ reliquis pollere judicabuntur: in Domo sua Seniorem Sacerdotem constituent, cui in sua absentia directionem Domus committant, cum instructione debita secundum quam sciat se gerere.

CXXVIII.

Ordinarie bis in anno singula sui districtus loca una cum socio Oeconomo visitando diligenter inspiciant, non solum transeundo, sed cum Clericis singulorum locorum sine suæ personæ acceptatione per aliquot dies in quotidiani cursus, & exercitiorum observatione convivant, non secus, ac si Domi degerent, ut hac ratione cæteri excitati, ejus, quæ in disciplina, & quotidianis exercitiis jugiter adhiberi debet, sedulitatis exemplum concipiant: Videant quoque num omnia, tam in spiritualibus, quam temporalibus juxta normam hujus Instituti observentur, & quæ ex mutuis Parochorum, aliorumque cohabitantium relationibus minus accurate observari deprehenderint, verbo, & opere ad debitam observationem reducere conentur.

CXXIX.

Gravamina, & difficultates singulorum audient, & pro possibilitate sublevabunt: quorum dilatio fieri non potest, & majoris momenti sunt, Superioribus statim intimabunt, eorumque dispositionem quam cum necessario præscitu, & consensu Rmi Dñi Ordinarii fecerint, vel fieri procuraverint, studiose exequantur: quæ vero moram patiuntur, diligenter annotabunt, ut Præsidi Diœcesano desuper suo tempore ordinate referre possint: Notificent item uniuscujusque genium, quatenus ad meliorem gubernationem, & salutem requiri videtur: Præmoneantque mature de necessariis mutationibus, & morbis Parochorum, ut Superiores mature singulis providere, & necessarias dispositiones facere, aut ab illis, quorum interest, ut fiant, curare valeant.

CXXX.

Si officio publico Decani simul funguntur, considerantes duplicem obedientiæ ordinem, in iis, quæ Rmorum DD. Ordinariorum sunt, eorum Officialibus; in iis vero, quæ Institutum specialiter concernunt, superioribus illius fideliter morem gerant, ad quod eo magis obligabuntur, si in his quoque mandatum speciale, eorumdem Rmorum DD. Ordinariorum accedat, jux-

ta quæ in visitationibus statutis, eæ quæ Ordinariorum sunt ad normam publici Juris instituant, repertos defectus corrigendo; quæ vero ad hoc Institutum specialiter spectant, secundum normam Constitutionum dirigant, graviora utriusque fori sic notent, ut Rmo D. Ordinario, & Præsidi Diœcesano Instituti debite referre possint.

CXXXI.

Singulo trimestri, sive quibusvis anni quartalibus ordinarie Præsidi Diœcesano integram relationem facient de statu, in quo unusquisque locus, & persona Instituti versetur, tam circa spiritualia, quam temporalia, idem facient extra hoc præscriptum, si urgens necessitas id postulaverit. Ipsi quoque in directione sua quo ad res Instituti regi se permittant a Præside Diœcesano, quod a potiori etiam de aliis Superioribus intelligendum est; nihilque majoris momenti sine eorum præscitu, & voluntate aggrediantur.

CXXXII.

Ad Conventum Diœcesanum comparere tenentur, quoties Superiores Instituti eos ad hunc conscripserint. Singulis annis duos in districtu suo Conventus instituant; ad unum horum Parochi, ad alterum Cappellani, & Beneficiati conveniant, ut singuli referant, quæ ad observationem accuratiorem præscriptæ disciplinæ, & ad meliorem hujus Instituti progressum in locis circa personas, spiritualia, & temporalia relata necessaria fuerint.

CXXXIII.

Tam Domus illius, in qua habitat, quam Parochiarum pecuniæ, quæ ad communes pios usus consignantur, vel etiam pro personis particularibus solummodo asservantur, reponantur in Arcam ad hoc destinatam, cujus clavem unam ipse, alteram senior Sacerdos, & tertiam Œconomus diversam custodiat. In eadem liber asservabitur, in quo scribatur summa pecuniæ, tam quæ infertur, quam quæ effertur pro necessitatibus in districtu illo evenire solitis.

CXXXIV.

In Archivio suo diligenter asservabunt instrumenta originalia, non solum proventuum illius loci, cui particulariter præsunt, verum etiam singularum Parochiarum transumpta manu Notarii publici subscripta suis locis reponant, ut facile inveniri possint; Similiter servent distinctam, & ordinatam registraturam circa acta sui officii publici (si id simul gesserint) ab ea, in quam acta Instituti oportebit referri.

CXXXV.

Post singula sexennia in locis, ubi Decanorum mutatio solita est, in Conventu Decanali Superiores pro tali districtu constituti mutentur: in aliis locis, ubi hoc munere perpetuo fungi solent elapsis dictis annis, quoties rationabiliter visum fuerit confirmari poterunt; constituentur vero a Præside Diœcesano, ubi correspondentia non est, quod Domum Juventutis, & Emeritorum in una Archidiœcesi; Ubi vero ejusmodi correspondentia est, Præses Archidiœcesanus eosdem servato ordine, & modo debito constituent: qui deinde acceptati a Reverendissimis DD. Ordinariis suis, eisdem juxta formulam Superius citatam per Juramentum se obligabunt. In casu, quo Decanus perpetuus ob negligentiam, vel aliud instituto intolerabile delictum mutandus foret, interim tamen, ut ab officio publico deponatur, commode obtineri non possit, Superiores privatam directionem statutæ disciplinæ hujus Instituti, in quemcumque habiliorem Parochum, vel beneficiatum illius districtus transferent.

De Oeconomo Decanali.

CXXXVI.

Omnes Parochiarum, aliorumque locorum Œconomi, ab uno Decanali Œconomo, qui hujusmodi rerum administratione prudentiam, sedulitatem, & dexteritatem habere noscatur, dirigentur; qui vigilantem oculum habebit, ut non tantum in Domo Superioris Decanalis, sed ut ubivis omnia recte ordinent.

CXXXVII.

Ad eum finem sæpius in anno, prout præsens necessitas, & utilitas requirit, ad singula loca veniet, ad cognoscendum cujusque Œconomiæ statum, & ad defectus, si qui occurrant mature emendandos. In defectum Œconomi, ipse hujus districtus Superior id præstabit per se, quod per Œconomum ab eo dependentem præstari debuisset, donec rebus melius ordinatis, alia persona pro hoc officio ipsi adjungi possit.

CXXXVIII.

Judicio Præsidis Diœcesani unus ex Domo Decanali magis idoneus ad œconomiæ inferioris curam constituatur, qui quotidianas expensas, & accepta in codice, sive manuali conscribat; reddatque singulis mensibus accepti, & expensi rationem; ut deinde ea summatim in librum rationum Domus Decanalis secundum certas rubricas referatur.

De Præsidis Diœcesani directione.

CXXXIX.

In unaquaque Diœcesi, ubi receptum fuerit Institutum, Præses Diœcesanus erit, qui debitæ disciplinæ, & Constitutionum observantiæ inter Clericos districtuum Decanalium curam, & directionem habebit, si quæ Rmus D. Ordinarius eumdem Vicarii in Spiritualibus Generalis munere fungi vellet, ad ejusdem beneplacitum utrique muneri cum debita obedientia satisfaciet, ne minimum omittendo, & faciendo, quod Ordinario ullo modo, sive quoad respectum, sive quoad aliud præjudicare jure videri posset; Sed potius in omnibus ab eodem ita dependebit, eaque vigilantia officio suo satisfacere studebit, ut debitus respectus, jura, & simul etiam perfectior obedientia, illeque exoptatus odor, bona scilicet conversatio a Clero, ad obsequium ejusdem Ordinarii fideliter deferantur.

CXL.

Quod si non sit simul Vicarius Generalis, Ordinarii sui, tunc ad œconomicam directionem & Instituti hujus disciplinam tantummodo invigilabit, publice ne in minimo attingendo; alias si Vicarius Generalis simul sit, debitam distinctionem utriusque fori, tam fraternæ correctionis, & œconomicæ directionis quam publici officii observabit, tam in ordinationibus faciendis, quam in relationibus, & visitationibus, utrumque seorsim notando, & referendo.

CXLI.

Præsidis Diœcesani officium erit totius sui districtus Clericos ea vigilantia paterne ita dirigere, ut pie in hoc Sæculo conversantes omnibus visceribus in salutem Populi diffundantur, quibus ipse in omnibus prælucere enixe studebit, itaut inter suos in obedientia, humilitate, patientia, sobrietate, castitate, mansuetudine, modestia, gravitate, affabilitate, amore, & contemptu rerum temporalium quasi vivum omnium virtutum exemplum emineat.

CXLII.

Ut fidelitas ejusdem, uti & obedientia, ac in officio sedulitas tam erga Ordinarium quam respectu hujus Instituti magis constet, præstabit Juramentum juxta formulam sequentem.

Formula Juramenti pro Præside Diœcesano, quo se Ordinario suo obligare tenetur.

Ego N. N. pro hac Diœcesi N. assumptus Præses Deo, & tibi Rmo D. Ordinario meo, tuisque canonice intrantibus Successoribus spondeo, & juro me sub Jurisdictione tua Ordinaria secluſa omni exemptione in vita Clericali, juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium a S. Sede Apostolica approbata semper victurum, & moriturum, insuperque Clericos sic curæ meæ commissos, & committendos juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, & cooperaturum, ut hæc vita Clericalis ex primario suo fine animarum curam per ordinarias functiones Parochiales intendens constanter perseveret. Die N. Mensis Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti, quo idem se in Instituto obligare tenetur.

CXLIII.

Ego N. N. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos per Diœcesim N. constitutus Præses Deo, & tibi N. N. supremo hujus Instituti Præsidi, tuisque canonice intrantibus successoribus spondeo, & Juro me in hoc Instituto, salva Rmi D. Ordinarii mei Jurisdictione, semper victurum, moriturum &c. ut supra.

CXLIV.

Juxta prædictas Juramentorum formulas mutatis mutandis, alii certorum districtuum Superiores juramentum suum Rmi DD. suis Ordinariis, & Instituto præstabunt.

CXLV.

Ut vero dictus Præses Instituti hujus Clericos, & Sacerdotes quoad privatam, & œconomicam directionem ad ædificationem Ecclesiæ eo facilius in sanctæ vitæ conversatione gubernet, in cujus Diœcesis Episcopali Civitate quosdam viros ex hoc Instituto secum habebit, qui ætate, ingenio, doctrina, discretione, & dexteritate, prudentia, & experientia docti excellant, & Præsidi a consiliis in rebus Instituti bene ordinandis existant, quidam vero inter eosdem juniores erunt, qui ingenio, doctrina, prudentia, & aliis ad idem aliquando præstandum prædita a cæteris addiscant.

CXLVI.

Ad hoc munus ex Decanalibus, aliisque locis ad nutum Ordinarii assumantur Viri, quorum prædictæ qualitates a juventute, & longa experientia ex administratione officiorum, & datis consiliis deprehensa sufficienter Superioribus constiterint, ut ita Præses cum iisdem, & toto Clero sub Ordinario capite suo in vitæ sanctitate, & Clericali disciplina per debitam subordinationem omni tempore contineantur.

CXLVII.

Ex prædictis viris unus erit Œconomus curam habens rerum temporalium hujus Instituti in tota Diœcesi; & alius vir insignis in spiritualibus, qui Præsidi Diœcesano in omni data occasione specialiter ad manum erunt.

CXLVIII.

Porro in obtinendis Parochiis, aut aliis quibuscumque Beneficiis, ad quas, vel quæ præsentationes ab Ordinariis, aliisque Ecclesiasticis, vel Sæcularibus potestatibus, tanquam patronis suppliciter impetrare oportet, communem stylum observantes, humillimisque precibus omni tempore ea pro subjectis idoneis petere, itaque dicta subjecta ad hujusmodi Beneficia commendare studeant, ut quoad hæc, & omnia alia, tam in obtinendis, quam resignandis Beneficiis respectu Rmorum DD. Ordinariorum, & aliorum Patronorum, ordo debitus, & usitatus cujusque Curiæ Episcopalis stylus accurate observetur.

CXLIX.

Ad Rmi D. Ordinarii sui beneplacitum singulis annis in propria persona totius sui districtu Domos, in quibus Sacerdotes hujus vitæ habitant, visitabit, & ubique 2. 3. 4. vel plures dies prout præsens necessitas, & utilitas postularit, persistens, singulorum locorum, dein ipsorummet Sacerdotum gravamina, & necessitates, tam spirituales, quam temporales paterno amore audiat, omnibusque secundum rationabilem utilitatem corporis, & animæ gratificari studeat: Errantes paterne corrigat, & ad meliorem frugem per media salutaria reducere satagat: desolatos, & pusillanimes consoletur, & mutationem eorum ordinet, ac per eum ad quem pertinet expediendum curet, quorum saluti corporis, & animæ rationabiliter expedire judicaverit.

CL.

In spiritualibus attendat quomodo singuli in vita spirituali subsistant, an non periculum ad lapsum aliquem immineat, an, & qualiter in pace inter se vivant; an cum debita charitate a suis Superioribus immediatis dirigantur, & quomodo disciplina Instituti, tam in spiritualibus, quam temporalibus observetur, quæ omnia ex informatione mutua Superiorum, & inferiorum, & ex particulari cum quovis colloquio scire poterit, corrigenda suavi consilio, & efficaci admonitione corrigat, & quæ notanda fuerint diligenter consignet.

CLI.

De visitatione annua suam debitam relationem Rmo D. suo Ordinario faciet, ut cum ejusdem consensu, aut positiva approbatione omnia in praxim dirigantur: quod si item ex visitatione habita referenda fuerint, quæ ad publicum forum non spectant, eidem Rmo D. Ordinario sic referantur pro necessariis mutationibus, & ordinationibus faciendis, ut nihilominus ea, quæ secreta sunt, & salva charitatis, & Justitiæ lege propalari non possunt, & pro præsentibus circumstantiis ad solam fraternam directionem spectant, in secreto permaneant.

CLII.

Ad Domum Præsidis Diœcesani, vel ad alium commodiorem locum, singulis annis cum consensu Rmi D. Ordinarii Superiores Decanales, eorumque Œconomi indicto per Præsidem Diœcesanum certo die, post habitos particulares Decanalium districtuum Conventus congregabunt; eritque Conventus Diœcesanus, sive Congregatio in eum finem ordinata, ut videlicet omnia gravamina, necessitates, & omnia alia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus legitime proferantur, & quæ ad majorem Dei gloriam, proximorum salutem, & in primis ad hujus Clericalis Instituti conservationem, incrementum, & perfectionem: Deinde etiam quæ mores, ritus, & debitam in his uniformitatem; omnia denique, quæ ad bonum spirituale, & temporale spectent, auditis consiliis singulorum, prævia matura consideratione, Præses Diœcesanus desuper concluſa in Domino faciat. Decanalium districtuum Superiores, & alii singula concluſa postquam a Rmo Dño Ordinario fuerint concessa, & confirmata, Domum revertentes omnia executioni demandent, tam in Domo sua, quam aliis in locis, quorum directio ipsis est demandata.

CLIII.

Præses Diœcesanus eligendus sit in Conventu Diœcesano post singulos octo annos, & in casu mortis, & extraordinariæ mutationis per assistentem Prioris Præsidis in spiritualibus, ac

Superiores Decanales, (& Præsidem Archidiœcesanum pro eo casu, quo inter Diœcesim, & Archidiœcesim adsit communicatio respectu domus Emeritorum, & bonorum Communium); si vero Ordinario placuerit unum ex Instituto suum habere Vicarium Generalem, qui simul sit Præses, tunc tres præ omnibus digniores judicati, eidem per prædictas nominentur, & illius sit arbitrium eligendi unum ex tribus magis idoneum. Eorum sit confirmatio Præsidis pluries facienda, si libuerit, quorum electio fuit.

CLIV.

Casu quo extraordinaria mutatio Præsidis Diœcesani necessaria videretur, Præses supremus per certam personam, vel per literas rationes hujus mutationis faciendæ Rmo D. Ordinario exponet humillimis cum precibus, ut in ejusmodi mutationem consentire dignetur; Si vero Rmus Dnus Ordinarius ipsemet mutationem Præsidis ob ejus negligentiam, vel ex alia causa fieri vellet, ut disciplina, & alia vi præsentis Instituti observanda eo melius in effectum deducantur, electio novi Præsidis eodem supradicto modo fiat. Si Præses Diœcesanus officio etiam Vicarii Generalis fungatur, & negligenter se gerat in concernentibus Institutum, vel ex alio capite, sit in facultate Superiorum Instituti libere alium eidem substituere, atque eligere.

CLV.

In præmissis casibus constitutus Præses, ubi a Rmo D. Ordinario acceptatus fuerit, Juramentum, ut supra præstabit: quod etiam tunc fiet, cum in Diœcesim quandam de novo Institutum introducendum, & talis Præses Diœcesanus a Supremo Præside deputatus fuerit.

CLVI.

Pro debita observantia Communitatis bonorum in singulis Diœcesibus Capsa, sive Arca quædam pro bonis communibus illius districtus constituatur, in quam certis temporibus ex Decanalibus Capsis, quod pro eorumdem districtuum necessitate, & usu moraliter judicio Superiorum non necessarium videbitur, deponi oportet; uti etiam, quod aliunde in bonum illius Diœcesis pro præsenti Instituto quocumque modo adveniet: Hujus Capsæ clavem, unam Præses Diœcesanus, alteram ejus Œconomus, tertiam Superior particularis illius Domus, in qua capsa est, habebit.

De œconomo Diœcesano.

CLVII.

Ut administratio rerum temporalium, quam quilibet Superior districtus Decanalis cum suo œconomo habet, suum finem debite obtineat; In quavis Diœcesi œconomus erit, qui rerum temporalium Instituti in eadem Diœcesi curam habeat, Præsidi cohabitet, eidemque in munere suo sit subjectus, & cum eodem sub visitatione œconomias ex informatione mutua cognoscat; An omnia secundum Instituti hujus disciplinam instituantur, & secundum necessitatem cum debita utilitate in victu, & amictu, aliisque rebus impendantur. Ratiocinia etiam tam in Ædibus Superioris Decanalis, quam in aliis quibuscumque locis una cum cujusque districtus Decanalis œconomo recipiet, observanda præscribet, & emendanda corriget.

De Præsidis Archidiœcesani directione.

CLVIII.

Officium Præsidis Archidiœcesani pro tota quadam Archidiœcesi, in qua plures Diœceses uni Archiepiscopo subsunt, ordinatur. Quod si Diœcesis quædam valde ampla cum aliis quoad Domum Emeritorum connexionem non haberet, vel ex quocumque alio capite, directio hujus Diœcesis a quodam Præside Archidiœcesano fieri non posset, eo casu totum, quod a Præside Archidiœcesano præstandum foret, fieri debebit per Præsidem dictæ Diœcesis.

CLIX.

Præsidi igitur Archidiœcesano in suo districtu Præsidis Diœcesani, & alii Clerici hujus Instituti, quoad œconomicam directionem statutæ disciplinæ, & observantiam Constitutionum subjecti erunt, tam quoad spiritualia, quam temporalia in omni humilitate, & reverentia, promptaque obediendi voluntate, ejusque jussa lubenti animo exequentur. Ipse vero Præses suis in omni virtutum genere præluceat, omniaque in pondere prudentiæ, in mensura consilii, & modo dexteritatis, ac discretionis aggrediatur, ut ea ratione omnes ad sui amorem trahere, & sine ullo Superioris, ac publicæ potestatis præjudicio, & offensione hoc Institutum optime in Domino gubernare valeat.

CLX.

Prædictus Præses debita obedientia, timore, ac reverentia Reverendissimis DD. Ordinariis humillime subjacebit, negotia externa, Ecclesias, & quæ in aliis quibuscumque Jurisdictioni ordinariæ subjiciantur, ne quidem in minimo attingere præsumat, atque ut de subjectione ejusdem omni tempore sufficienter constet, Reverendissimo Domino Archiepiscopo suo per juramentum se obligabit, ea formula quæ habetur supra num. 142. de Præside Diœcesano, solis personalibus mutatis, quod idem etiam intelligitur de juramento, quo se huic Clericali Instituto obligare tenetur, juxta formulam n. 143.

CLXI.

Ad eumdem spectabit susceptio tam juventutis in Seminariis huic Instituto propriis, vel saltem notitia personarum suscipiendarum in Seminariis Episcopalibus, directioni hujus Instituti commissis, priusquam tales Juvenes Reverendissimis DD. Ordinariis pro actuali susceptione commendentur, suscipiet quoque, qui jam Sacerdotes, aut finitis studiis adhoc Clericale Institutum suscipi voluerint, & universim totius sui districtus directio in spiritualibus quoad disciplinam hujus Instituti a dicto Superiore fiet, ad quem propterea graviora ferenda erunt.

CLXII.

Eidem Præsidi a Consiliis in eadem domo cum ipso, & in vicinia habitantes erunt quidam viri prudentes, & docti, quorum opera, consilio, & matura circumspectione in officio suo adjuvetur; prædicti viri ad beneplacitum Rmi D. Archiepiscopi eidem simul a consiliis esse, & simul pro ratione circumstantiarum alia beneficia curata, vel non curata in eodem loco consequi, vel habere poterunt. De habitatione ejusdem Præsidis in Domo Emeritorum habetur *part. 3. num. 17.*

CLXIII.

Officium hujus Præsidis erit, potiore tempore cum suo œconomo districtum suum visitare, & ubique ea, quæ præsens Institutum concernunt, sive spiritualia, sive temporalia negotia sint, paterne ex omni parte instituere, itaut ex hac ipsius visitatione Superiores, & inferiores ejusdem directioni subjecti dirigantur. Ad eumdem spectabit per œconomum suum ordinare quomodo per media Communitatis in singulis necessitatibus succurri possit, ac debeat, & universim commune bonum hujus Instituti in fines suos secundum Deum diriget, cum Præside Diœcesano conferet dando principia in praxi observanda, ordinando qualiter Sacerdotes recenter ordinati, vel alii, qui beneficium stabile nec dum obtinent, applicari debeant, ut ipse Præses Diœcesanus postea eosdem Reverendiss. D.

Ordinario commendet, & promotionem in singulis casibus humilibus precibus impetret.

CLXIV.

In visitatione sua idem Præses perpetuo hoc observabit, ut ante omnia ingrediens Diœcesim illius districtus Archiepiscopalis, Reverendissimum Dominum Ordinarium illius loci adeat, & cum omnimoda submissione facultatem, ac benedictionem Clericos hujus Instituti in eadem Diœcesi habitantes, in iis, quæ ad œconomicam hujus Instituti directionem spectant, visitandi humillimis precibus petat, ejusque imperio in omnibus obediat, & tunc demum visitationem suam in Domino salubriter perficiat, eaque finita debitam relationem desuper Reverendissimo Domino Ordinario faciet. Quod idem respectu Rmi Domini Archiepiscopi sui observabit, humillime veram, & sinceram relationem de omnium hujus Instituti Clericorum vita faciendo, ac mandatis Superioris potestatis in omnibus obtemperando.

CLXV.

Domus Superiorum sui districtus diligenter visitabit, atque ex mutua relatione prudenter explorabit, in quo statu singula loca Instituti versantur, in visitatione sua Œconomos pro rei exigentia mutabit, aut prout visum fuerit confirmabit; Præsidi quoque supremo hujus Instituti sinceram de statu, in quo Clerici hujus Instituti in suo districtu pro tempore fuerint, relationem in scripto, vel si fieri possit, in persona propria faciet, simulque etiam generalem notitiam eidem de statu temporalium rerum hujus Instituti exhibebit, cui etiam sine ullo jurisdictionis publicæ præjudicio in omnibus obediet, & in rebus majoris momenti ad illius consilia, & voluntatem recurret, in quacumque parte mundi existat.

CLXVI.

Præterea specialem curam Domuum Juventutis instituendæ, & emeritorum gerens, singulis annis bis visitabit, diligenterque earum Constitutionem domesticam, tam in spiritualibus, quam temporalibus inspiciens cuncta semper ad Instituto conformem statum reducere, & conservare studebit. Dictis Domibus Superiores, magistrosque alios, tam studiorum, quam virtutum præficiet, & suo tempore pro utilitate, & necessitate mutabit. In Seminariis vero Ordinariorum, & aliorum Patronorum prædictos Superiores Reverendissimis DD. Ordinariis commendabit, & nominabit, ut ab ipsis acceptentur.

CLXVII.

Mediorum præterea temporalium dictarum Domorum dispensatio, ac cura penes ipsum stabit, quæ omnia, & singula mediante Œconomo sibi adjuncto ad illarum emolumenta impendantur. Porro singula Seminaria, quæ a Sacerdotibus hujus Instituti diriguntur, particulares capsas habeant super quorum bonis specialia quoque fiant ratiocinia. Idem observandum circa domus Emeritorum. Porro tam Seminariorum, quam Domuum Emeritorum ratiocinia, statutis temporibus a Superioribus diligenter revideantur: Si qui defectus inveniantur, corrigantur.

CLXVIII.

Cum præscitu, & consensu superioris potestatis singulis trienniis Conventus pro districtu Archidiœcesano in Civitate Archiepiscopali, vel in Domo Emeritorum instituetur, ad quem omnes Præsides Diœcesani, in quadam Archidiœcesi correspondentes cum consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum comparebunt una cum Œconomis suis, cui Præses illius districtus Archidiœcesani præerit, Ibique primo omnia, quæ ex relatione Conventuum præcedentium Diœcesanorum, & Decanalium aut ex alio capite prolata, disciplinam & bonum hujus Instituti concernunt, auditis prius consiliis, ac considerationibus singulorum a dicto Superiore facienda, vel omittenda, decernantur.

CLXIX.

In his Conventibus non attingentur, quæ Jurisdictionem cujuscumque Ordinarii concernunt. Omnia denique, quæ in Conventibus ordinata fuerint, Protocollo diligenter, & ordinate inserantur, ut posteris, & Reverendiss. DD. Ordinariis, semper de omnibus ratio reddi valeat, fiet id per certas personas, quæ tam hæc, quam alia posteris pro notitia necessaria adnotabunt; post Conventum autem Archidiœcesanum celebratum Præses Reverendissimo D. Ordinario suo desuper debitam relationem faciet.

CLXX.

Post novem annos in Conventu illius districtus, officium suum ad munus Præsidis supremi resignando mutabitur, & duo deputati, vel ipsimet Visitatores Præsidis supremi constituentur, qui vota Præsidum Diœcesanorum, & aliorum suscipientes, Præsidi supremo transcribent, a quo ex notitia talentorum, quam ex factis sibi de singulis relationibus habere debet, ad votorum rationem simul attendendo, ex viris sibi propositis præstantiorem pro Præside illius Archidiœcesani districtus denominabit, qui postmodum Reverendissimo Domino Archipræsuli suo, per Juramentum supradicto modo, uti & Instituto se obstringet. Quod si vero dictus Præses Archiepiscopo non placeat, tunc supremus Præses sine nova Congregatione aliam personam eidem nominabit.

CLXXI.

In illis locis, ubi plures Diœceses unius Archiepiscopatus inter se connexionem habent, & ad communem utilitatem domus Emeritorum constituenda est Capsa Archidiœcesana, ad quam tam Clericorum hujus Instituti non necessaria ex capsis Diœcesanis, quam media aliunde advenientia deponi debent, ut pro utilitate, ac necessitate totius illius districtus Archidiœcesani expendantur, & applicentur. Clavem pro eadem habebit Præses Archidiœcesanus, alteram ejus Œconomus, tertiam Superior particularis illius Domus, in qua Capsa erit.

De Oeconomo Archidiœcesano.

CLXXII.

Officium hujus Œconomi erit, Præsidi illius districtus in visitatione adesse, & curam rerum temporalium hujus Instituti ubivis suscipere, in omni loco necessitates, & omnia alia incommoda, quæ vel personæ particulares, aut integræ familiæ patiuntur, charitative audire, & in Domino juxta directionem sui Præsidis, remedium adhibere, ac præsertim ratiocinia generalia super bonis communibus Instituti per illum districtum conficere. Hujus Œconomi ordinationibus omnes alii Œconomi inferiores acquiescent, itaut quidquid rationabiliter ordinaverit, observent. Ad hoc munus viri in omni genere præstantes requiruntur, qui & ipsi obedientes sint, & in rebus alicujus momenti aliorum prudenti consilio utantur, atque ubi rei gravitas requirere videbitur ab ipsomet Præside Archidiœcesano ordinationem petant, e cujus directione perfectissime in officio suo dependebunt.

De Præsidis Supremi directione.

CLXXIII.

Hujus Instituti caput sub nomine Præsidis supremi, vel Generalis constanter unum erit; Hic Præses totum Institutum, tam in spiritualibus, quam temporalibus in quamcumque mundi partem diffusum fuerit, aut diffundetur secundum Deum sine ullo Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum præjudicio, directione

solummodo privata, & Œconomica secundum Constitutiones hujus Instituti a Sancta Sede Apostolica approbatas gubernabit.

CLXXIV.

Quidquid ergo bonum, vel conservationem præsentis Instituti concernens, tanti momenti fuerit, ut id Superiores eidem subordinati, juxta ea, quæ in præcedentibus traduntur, neque per se, neque per Congregationum, seu Conventuum consultationes ob causæ gravitatem decidere prudenter non potuerint, illud a Præside supremo decernetur, & hac ratione omnes hujus Instituti Superiores, & Inferiores in suo ordine, supremo Præsidi prædicto modo obedient.

CLXXV.

Ipse Præses supremus Summo Pontifici, & S. Sedi Apostolicæ in omnibus, quæ ad præsens Institutum attinent specialiter obediet, ea prorsus ratione, qua Præsides particulares Reverendissimis suis DD. Ordinariis obedire tenentur: idem Præses suo, & Instituti nomine per Juramentum Summo Pontifici, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ post sui electionem, se obligabit, prout etiam fidelitatem suam erga hoc Institutum per speciale Juramentum prout sequitur, promittet.

Formula Juramenti pro Præside Supremo.

CLXXVI.

Ego N. N. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Generalis tibi Sanctissimo Domino Nostro N. N., tuisque canonice intrantibus successoribus, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ spondeo, & juro me sub obedientia Sanctitatis tuæ, & Successorum tuorum in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium ab eadem S. Sede Apostolica approbatas semper victurum, & moriturum; insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos, & committendos sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum jurisdictione, juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, ac quantum in me est ad mandatum Sanctitatis tuæ in quasvis Mundi partes missurum & cooperaturum, ut hæc vita Clericalis ex primario suo fine animarum curam per ordinarias functiones Parochiales cohabitando intendens constanter perseveret. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti pro eodem Præside, per quod se toti Instituto obligare tenetur.

CLXXVII.

Ego N. N. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Supremus, vobis nomine totius Instituti congregatis spondeo, & juro me in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium a Sancta Sede Apostolica approbatas semper victurum, & moriturum, insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos, & committendos sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum auctoritate, & jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, & cooperaturum &c. ut supra.

CLXXVIII.

Ad Præsidem supremum spectabit vitam Præsidum in diversis Archidiœcesibus, & Diœcesibus, præsertim quoad directionem a Præside Archidiœcesano non dependentibus, per suos Visitatores generales, aut per alium delegatum inspicere, & ex urgentibus causis, etiam extra tempus ordinarium, eosdem superiores cum consensu Rmorum DD. Ordinariorum modo supradicto mutare; de incorrigibilibus respectu rerum Instituti eidem Præsidi relatio mature fiet, ut si ita necesse visum fuerit, tales de mandato, & consensu Rmorum DD. Ordinariorum servata SS. Canonum, & S. Tridentini Concilii dispositione, & attenta Clericorum hujus Instituti ex pacto mutuo proveniente erga superiores ejusdem Instituti in similibus casibus obligatione a beneficiis amoti in domo Emeritorum seorsim vivant, juxta ea, quæ habentur part. 3. de directione domuum Emeritorum.

CLXXIX.

Quod si in aliqua Diœcesi, vel Religione de novo introductio hujus Instituti a Reverendissimo D. Ordinario desideretur, Præses supremus ordinationem desuper faciet, & personas qualificatas determinabit, quæ illuc mittantur, atque ubique locorum cum consensu Reverendissimorum DD. Ordinariorum præsens Institutum introducere adlaborabit. Quoniam vero nemo sibi ipsi sufficiens, præsertim in re tanti momenti, hinc dictus Præses juxta se viros doctos, & prudentes ex omnibus orbis partibus habebit, qui eidem in rebus agendis adsint.

CLXXX.

Ex his duo Assistentes Præsidis erunt, alter in spiritualibus, alter in temporalibus quoad Œconomicam directionem totius Instituti, & universim tam hi, quam alii prædicti apud eumdem Præsidem habitabunt, ut ipse singulorum consilio, & opera in gubernatione totius Instituti, rationabiliter utatur. Duos etiam generales Visitatores constituet ex iisdem sibi cohabitantibus, qui singulis circiter decem niis omnes Domos, in quibus superiores hujus Instituti cum iis, qui ipsis a consiliis sunt, habitant, & maxime Domus Juventutis, ac Emeritorum, eorumque superiores visitando diligenti circumspectione statutum singulorum, quaque uniformitate ubique vivatur, intelligant; errata superioribus locorum corrigenda, & ad uniformitatem reducenda, commendabunt; graviora vero annotabunt Domum suo tempore reversi, Præsidi supremo sinceram relationem suæ visitationis tradent.

CLXXXI.

Ad quamcumque Diœcesim prædicti Visitatores pervenerint, semper Rmis DD. Ordinariis se sistent, ac humillimis precibus petant, quatenus sibi liceat in domibus prædictis notitiam de statu rerum hujus Instituti accipere, priusquam etiam ex ejusdem territorio discedant se Reverendissimo D. Ordinario denuo sistant, & si quid notabile emendandum occurrerit, eidem humillime indicabunt, ut si ita placuerit, ipsemet ad ea, quæ hujus Instituti propria sunt, superiores, aliosque Clericos hujus Instituti urgeat, & adstringat.

CLXXXII.

Conventus Generalis, cui Præsides cujuscumque districtus Archidiœcesani, una cum suis Œconomis, quantum possibile fuerit interesse debent, uti etiam alii Præsides ab Archidiœcesano independentes, ac præterea ii, qui Præsidi supremo a consiliis sunt, ordinarie singulis decem, vel etiam, postquam res Instituti bene ordinatæ fuerint, post plurium, etiam viginti annorum spatium habebitur, prout necessitas rationabiliter sæpius, vel rarius instituendum postulaverit. Sententia conclusiva, quæ in Domino omnibus, vel majori parti videbitur, penes supremum Præsidem stabit.

CLXXXIII.

Idem Conventus prædicto modo fier ad mortem supremi Præsidis, vel si ex mandato, aut consensu Summi Pontificis, in casu gravis necessitatis Præses ab officio deponendus foret. Ordinario autem Conventus in hoc casu præcipue ad Assistentem ejusdem Præsidis in spiritua-

libus

libus pertinebit, donec in eodem Conventu alius Præses debite electus fuerit, & si in Alma Urbe Conventus habeatur a Summo Pontifice confirmatus fuerit; ex quo tempore continuatio, & absolutio hujus Conventus ad ipsummet Præsidem spectabit.

CLXXXIV.

Ad sinceriorem omnium causarum, & necessitatum in Conventibus propositionem, relationemque obtinendam, præter Superiores ex districtibus singulis, saltem duo v.g. ex quovis districtu Decanali, duo Parochi ad Conventum Diœcesanum; ex Diœcesi duo Decanalium districtuum Superiores ad Conventum alicujus districtus Archidiœcesani; ex districtu Archidiœcesano duo Præsides Diœcesani ad Conventum generalem destinabuntur, qui prudentia, & pietate præstantes non solum actorum, verum etiam status, in quo singula loca subsistant, aut deficiant, uti, & conversationis ipsorum Superiorum testes, & arbitri erunt.

CLXXXV.

Cum bona Communitatis juxta superius dicta numero 22. ex una in aliam Diœcesim per se transferri non possint; Ideo nulla Capsa, totius hujus Instituti communis constitui poterit, unde Præses Generalis non nisi particularem Capsam suæ familiæ in Domo sua habebit, casu tamen, quo per Patroni alicujus dispositionem toti Instituto, aliquid concederetur, si in eo ordine ad certam Diœcesim, vel Archidiœcesim, Supremi Præsidis erit, cum suo Œconomo curam hujus habere, & operam dare, ut pro Emeritorum Domo, Seminario Instituti proprio, pro Missionibus ad loca hæreticorum, seu Infidelium destinandis, pro aliis communibus Instituti necessitatibus sublevandis, vel aliter ad satisfaciendum Benefactoris, aut Patroni intentioni, & voluntati utiliter applicetur.

De Oeconomo Supremi Præsidis.

CLXXXVI.

Ad Oeconomum Supremi Præsidis, qui rerum temporalium hujus Instituti generalem, & ultimam dispositionem habet, omnes causæ graviores circa prædictarum rerum ordinationes occurrentes, quæ ipsius Supremi Præsidis Judicio ac decisione discutiendæ, ac determinandæ videntur ex omnibus locis, sive particularibus Diœcesibus deferentur, cujus ultimæ dispositioni, quæ a Supremo Præside semper derivabitur, omnes per obedientiam acquiescent; Generalem quoque calculum, & notitiam rerum temporalium totius Instituti habebit.

CLXXXVII.

Finaliter hujus Instituti directiva superioritas ab infimo ejusdem gradu, usque ad supremum Præsidem illi megestativæ superioritati, quæ in foro Ecclesiastico est, non solum non præjudicat, sed potius subservit, ac famulatur, eidemque subordinata semper obedit; Dum ex una parte totum hoc Clericale Institutum cum omnibus suis membris se primo Summo Pontifici Romano, deinde secundo Reverendissimis Dominis Ordinariis eadem, qua prius, imo etiam majore subjectione per obedientiam, & inviolatum erga Jurisdictionem ordinariam respectum in foro Ecclesiastico penitus submittit; ex altera parte tertio per paternam, & Œconomicam hujus Instituti directionem, Clerus Sæcularis suavi, & charitativa via (cum Constitutiones per se juxta Sacerdotum Const. 46. sub peccato non obligent), a corruptela vitiorum, & perniciosis defectibus Clericorum, præsertim curæ Animarum præpositorum, magnam partem liberari, & in libertatem Sanctæ conversationis in hoc Sæculo, cooperante Dña gratia redigi potent; & sic quarto Rmis DD. Ordinariis tam a Superioribus, quam Inferioribus totius hujus Instituti membris debita obedientia, reverentia, & subjectio perfecte præstabitur.

PARS TERTIA.

Constitutiones pro directione Sacerdotum, aliorumque Clericorum senum, & alias ad officia, & beneficia Ecclesiastica ex quocumque defectu inhabiliam in Domibus Emeritorum.

PRÆNOTATIO.

De fine, utilitate, & necessitate Domorum Emeritorum.

Finis, quem Clericale hoc Institutum in erectione ejusdem Domuum Emeritorum intendit, earumque multiplex utilitas, quæ ad diversos exinde redundat, uti & necessitas in eo est, Prodest namque in primis Reverendissimis Dominis Ordinariis, ut Clericos suos in praxi eorum, quæ ad curam Animarum spectant informandos curare, & facilius in Clericali vita, & honestate continere, senes quoque, & alios ad curam Animarum inhabiles (servata SS. Canonum, & S. Tridentini Concilii dispositione, & attenta ex pacto mutuo inter Clericos hujus Instituti proveniente obligatione) mature ab eadem removere possint, ne dum nescitur ubi, aut unde necessaria illorum sustentatio procuranda sit, diu non sine magno suo incommodo, majoreque subditorum periculo in ea relinquantur, postquam per senium, vel alium defectum eidem amplius convenienter præesse non possunt. Prodest deinde iisdem Reverendissimis Dominis Ordinariis, vel aliis, qui prædictis Clericis cum ad Sacros Ordines promoventur, titulum mensæ tribuerunt, dum occurrente casu, quo illo alias uti debuerunt, communibus Instituti bonis sustententur, ipsique hoc onere eosdem sustentandi subleventur; Prodest insuper tam Clericis huic Instituto addictis, quam Fidelibus, maxime quorum curæ præfecti sint: Clericis quidem, dum illis in senio uti, & in casu quo in grave peccatum vel scandalum ex humana fragilitate lapsi forent, commodissima ipsis in se redeundi, pœnitentiam agendi, commissa peccata expiandi, & vitam serio emendandi occasio præbetur, ne diu cum suo dedecore, totius Cleri opprobrio, & magno tum Catholicorum, tum Acatholicorum scandalo in publico circumvagari permittantur. Fidelibus vero, dum mature a scandalis Clericorum liberantur, & loco tædiosorum senum, vel alias inhabilium Sacerdotum idoneos Animarum curatores nanciscuntur. Prodest denique universali Christi Domini Nostri Ecclesiæ, ad cujus propagationem ex ejusmodi Domibus, ubi supernumerarii nonnulli sustentari possunt, Sacerdotes aspirante Divina gratia ad missiones in terras hæreticorum, & Infidelium, non secus, ac ex Religiosorum cœtibus viri probi, docti, ac zelosi, educi poterunt, quas eo promptius suscipient, quo certius norunt, quod in senectute, vel alia superveniente inhabilitate post exantlatos in hujusmodi Missionibus labores rursum ad ejusmodi Domum recursum habere possint. Nec adeo magna erit in erigendis, & instruendis, fundandisque ejusmodi Domibus, difficultas, cum in quavis Archidiœcesi, vel saltem ampliore Diœcesi, non nisi una talis Domus sit necessaria, ad quam erigendam, & necessariis rebus instruendam, omnes huic Instituto adjecti Clerici pro facultatum suarum modo concurrent. Itaque bona Ecclesiastica congruæ sustentationi suæ superflua, quæ alias in pios usus expendere deberent, in hunc determinatum pium, valdeque Clericali vitæ convenientem usum præ cæteris expendent, ac relinquent, idque in ea Provincia ubi fuerunt acquisita. Sperari quoque potest fore, ut Deus aliorum quoque Patronorum animos subinde ex-

citet

citet ad hanc piam, totique Ecclesiæ Dei utilem intentionem in opus redigendum.

Quænam personæ, & ob quem finem recipiendæ sint ad Emeritorum Domos.

I.

Ut post exantlatos vitæ activæ labores Sacerdotes senio confecti sine molestia seorsim vitam quietam vivere, & cursum suum in sanctitate feliciter consumere valeant, in quavis Archidiœcesi, vel etiam ampliore quadam Diœcesi Domus aliqua omnibus, tam corporalibus, quam spiritualibus vitæ subsidiis probe instructa erigatur, & fundetur.

II.

Ad hanc Domum primo recipiantur Emeriti, sive Senes Sacerdotes qui in illa Archidiœcesi, vel Diœcesi post multas vitæ activæ impensas operas, reliquum vitæ tempus in majore tranquillitate, & vitæ contemplativæ exercitationibus transigere constanter desideraverint.

III.

Secundo si quos corpore, vel ad obeunda munia Ecclesiastica ob canonicum aliquod Impedimentum ex quocumque casu contractum inhabiles reddi contigerit, recipiantur pariter in Domum Emeritorum, ubi ipsis in charitate omnia vitæ necessaria usque ad vitæ finem subministrentur.

IV.

Tertio si quis Sacerdotum vilescentibus sibi omnibus, quæ in mundo sunt, vehementiore Spiritus Sancti impulsu ad vitæ contemplativæ exercitationes quodammodo rapi videatur, Superiores probato illius spiritu cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii permittere illi poterunt, ut in Domo Emeritorum libere ejusmodi exercitiis vitæ contemplativæ totum se dedere possit.

V.

Quarto qui foris educati, & adulti hoc Clericale Institutum amplecti voluerint in eamdem Domum recipientur, donec eorum vocatione sufficienter explorata, juramentum quatuor punctorum substantialium ad manus Superiorum faciant.

VI.

Quinto supernumerarii Sacerdotes, recenterque ordinati, & exules in hac Domo eo usque commorentur, donec pro iis vacans aliquod beneficium, vel alia occasio eos ad curam Animarum applicandi emerserit.

VII.

In hac Domo delinquentes pœnitentiam statutam a Superioribus, vel (si delictum sit publicum, aut alias ejus qualitas postulare videatur) ab ipsismet Reverendissimis Dominis locorum Ordinariis dictatam, juxta eorumdem ordinationem agant, donec eorum vulnera spiritualia sanentur. Seorsim etiam in eadem Domo Sacerdotes incorrigibiles in custodia perpetua asserventur, donec in pœnitentia vitam suam finiant, vel sinceram, ac constantem emendationem per alia signa præseferant, ut sine proquinquo relapsus periculo prudente Superiorum judicio inde dimitti posse videantur.

De Ordinatione, & dispositione Domorum Emeritorum.

VIII.

Ante omnia circumspicient Superiores hujus Instituti, ut dictæ Domus Emeritorum in loco tuto, sano & ab hominibus remoto erigantur, medicus etiam ibidem resideat, aut saltem in vicinia ad manum commode haberi possit. Ad formam Domorum instituendæ Juventutis in tres consignationes distinguantur, in quarum prima defectuosi, in secunda animo, corporeque valentes, & denique in tertia pœnitentes, & incorrigibiles seorsim accommodentur.

IX.

In instructione Conclavium pro habitatione singulis deputandorum duo extrema diligenter vitanda sunt: prius est, ne quid necessarium in illis desit, posterius ne quid in iisdem sit superfluum. Quæ necessaria sunt munda sint, & pulchro ordine, suisque in locis dispositа, idque quoad fieri potest uniformiter, videlicet mensa, aliquot sedilia, pluteus, atramentarium, & reliqua ad scribendum requisita, scabellum ad meditandum, & alias devotiones flexis genibus exercendas, in cujus medio sit Imago Christi Crucifixi, cum alia quadam Beatissimæ Virginis Imagine, vasculum pro frigida, mantile, & vasculum pro aqua lustrali.

X.

Porro in unoquoque loco Oratorium domesticum constitui debet, in quo consuetæ preces ordinate persolvantur, in hoc Oratorio Altare aliquod Beatissimæ Virginis Mariæ cum Imagine Crucifixi, & aliis ornamentis fiat, quibus mens ad majorem devotionem per Dei gratiam excitari valeat. Subsellia quoque fiant, quibus humana fragilitas inflectendo, aut sedendo sufficienter sublevetur.

XI.

Refectorium mundum sit, & exornetur piis Imaginibus, inter quas præcipua ultima Cœna Domini existat, sit ibidem Cathedra pro lectione ad mensam, cubicula Infirmorum a communi Dormitorio separata juxta Oratorium domesticum constituantur, ex quibus infirmi sacrum, & Confratrum suorum consuetas preces audire possint, in quem finem parietes per ferreos Cancellos prospectum aperiant.

XII.

Dormitoria denique ob multas rationabiles causas, & commoditates ubique locorum, quantum fieri potest, a Conclavibus singulorum in quibus de die habitant separata erunt. In quavis ejusmodi Domo sit horologium domesticum cum turricula, & campana supra Domum pro signis ad exercitia spiritualia dandis.

De fundatione Domorum Emeritorum, deque bonorum temporalium ad easdem pertinentium.

XIII.

Fundatio pro Domo Emeritorum in quavis Archidiœcesi, vel ampliore Diœcesi haberi poterit ex collatione bonorum juxta Const. 19. Sacerdotum uti, & ope, piisque legatis patronorum regulariter observari poterit, ut media pars prædictorum bonorum applicetur ad Domos Emeritorum, & altera media pars ad Domos Juventutis, ita tamen, ut aliis necessariis expensis faciendis pariter satisfiat.

XIV.

Cura bonorum temporalium in prædictis Domibus ad Œconomos spectabit, quorum unus in quavis Archidiœcesi, uti etiam Diœcesi penes Præsidem residebit. Iidem Œconomi in fundatione ejusmodi Domorum provide attendant, ut bona temporalia debita humana severitate conserventur, & ad usus necessarios expendantur.

XV.

Quo ad legata, aliaque a Patronis oblata eorumdem mens observanda erit; unde ea, quæ præcise ad Domos Emeritorum dantur, ad easdem, & non aliter applicentur, quæ vero ad Domos Juventutis sub eadem conditione assignantur, pro iisdem applicentur, quæ vero indifferenter ad bonum Clerici huic Instituto assignantur,

juxta

juxta prudentem Superiorum disposition applicanda erunt.

XVI.

Tam in fundatione Domorum instituendæ Juventutis ex mediis Communitatis, quam Emeritorum expresse dominium, & omnis dispositio huic Instituto illiusque Superioribus reservetur, ut quando quidem in beneficiis continuam successionem (nisi forte ex speciali gratia Patronorum) non habeant, saltem in prædictis Domibus Institutum stabiliter subsistere possit, ut proinde merito Instituti hujus Clerici, & Sacerdotes in dispositione circà bona sua temporalia præcipuam harum Domuum debite fundandarum rationem habere debeant. Facta autem semel sufficiente prædictarum Domorum in aliqua Archidiœcesi, vel Diœcesi fundatione, ea, quæ superesse contigerit in alios pios usus, & tam clericali huic Instituto, quam ipsimet Archidiœcesi, vel Diœcesi, in qua versantur, proficuos usus expendantur, ut & cura Animarum melius geratur, & ea, quæ Institutum hoc præscribit commodius in praxim redigantur, prout in Domino visum fuerit.

Quinam Superiores in Domibus Emeritorum esse debeant, & quodnam eorum sit officium.

XVII.

In Domo Emeritorum non solum Præses Archidiœcesanus (aut si in Diœcesi quadam ejusmodi Domus sit Præses Diœcesanus) extra visitationem tanquam in proprio suo Domicilio habitabit, verum etiam plures viros prudentes ibidem secum habeat, quorum Consilio in directione sua, & in faciendis dispositionibus suis, saltem, quæ majoris momenti esse videbuntur, semper utatur.

XVIII.

Ad eumdem Præsidem spectabit circa personas senum, Infirmorum, inhabilium, & eorum, qui graviter deliquerunt, provide in Domino disponere. Quod si Præses Archidiœcesanus, vel Diœcesanus in officio Rmi Archiepiscopi, vel Rmi D. Episcopi sit in ejusdem Civitate Principali, vel ubi ejusmodi officium requisiverit, cum aliquot Jurisprudentibus residebit, & quidem in Domo Emeritorum, si quæ in eo loco sit, si vero ejusmodi Domus ibi non sit, extra illam tali loco, quoad fieri poterit, habitabit, ut prudentes quosdam viros seniores, qui hujus Instituti Constitutiones, & scopum callent secum habere, & per literas consulere possit.

XIX.

Superiores, qui immediatam directionem Domuum Emeritorum habent, erunt primo in quavis Domo Superior sub titulo Regentis, sive Directoris, qui non solum ætate, verum magis prudentia, discretione, patientia, humilitate, gravitate, & solicitudine charitatis Jesu Christi maxime inter omnes eminere conspiciatur, qui legem amoris fraterni regalem exacte implere, & omnia omnibus fieri noverit.

XX.

Secundo ex Senioribus Domus unus Pater spiritualis constituatur, qui recenter ordinatos Sacerdotes exerceat, & curam eorum Sacerdotum gerat, qui a Præside suscepti sunt, ut in rebus Instituti ibidem informentur. Præterea ex senioribus præficiatur pro pœnitentibus, qui verbo, & exemplo potens pœnitentes, & incorrigibiles Sacerdotes pro tempore ibidem manentes omnibus modis ad meliorem frugem, & in viam salutis æternæ reducere ex professo studeat.

XXI.

Denique ex iisdem senibus quidam ad hoc idoneus pro excipiendis confessionibus deputetur, qui ordinarie omnium, qui in tali Domo sunt, confessarius existat. Directori Domus adjungatur persona qualificata, quæ Œconomiam administret, ratiocinium super annuos redditus faciat, omniaque necessaria ad culinam, cellam, & pro universa Domo secundum voluntatem Directoris solicita fidelitate dispenset.

XXII.

Singularem Superiores in hisce domibus Infirmorum curam gerant, & ut idem a domesticis fiat, sedulo curabunt, in hunc finem informentur, qualiter Infirmis in charitate, mansuetudine, & patientia inserviant, & Ministerium Marthæ impleant. Nemo verbo, facto, aut vultu torvo illis, ut a manu Dei tactis, & afflictis alteram addat afflictionem. Defectuosis, & Infirmis cibus, ac potus singulis dispensetur, prout consilio Medici bonum, & salutare omnibus visum fuerit. Qui animo, & corpore valentes ad refectorium accedere poterunt, una communi mensa fruantur. Defectuosis necessaria ad uniuscujusque cubiculum proprium porrigantur.

XXIII.

3. Alla Madre Priora appartiene esser vigilantissima nell'oblighi del suo offizio, visiti le Celle, ed officine, e provvedere le cose necessarie in quelle, che non vi manchi cosa alcuna. Invigili grandemente, che le Religiose vivino ritirate ciascheduna nella sua Cella, che non stiino oziose, che si osservi con rigore il santo Silenzio, e l'altre cose, che riguardano alla maggior perfezione, si porti con prudenza nel rigore, e soavità, id in tutto procuri di dare esempio, e che lo diano l'Anziane alle minori. Tutti le diano conto di quello, che sarà necessario, sì nel temporale, come nello spirituale, acciò da per sè o con consulta delle sue Discrete, che dovranno essere le cinque più Anziane, provveda le cose più convenienti, e se a loro parerà consultare con li Superiori dell'Ordine, lo faccino.

4. L'offizio della Madre Sottopriora è di agiutare in tutte le cose con fedeltà alla Madre Priora, ed all'assistenza del Coro di giorno, e di notte, si dica l'Offizio Divino con divozione, e pausa, e della pulitezza del Coro, e di metter nelli Sabbati nel Refettorio la Tabella delli Offizj, e di fare, che s'osservino, ed adempiscano.

5. Abbia un Inventario delle cose del Convento, e sia molto zelante dell'osservanza delle Costituzioni, e che si legga ogni giorno nel Refettorio un Capitolo di esse, e li venerdi durante tutta la Tavola.

6. L'offizio della Madre Maestra delle Novizie è indrizzare le nuove Piante, e così deve essere scelta la più zelante, procurando più presto di essere amata, che temuta dalle sue Novizie. Insegni loro quello, che dovranno osservare, e professare con amore, sotto la sua obbedienza dovranno stare per quattro anni dopo professe, gli dia animo grande all'Orazione, ed obbedienza.

7. In tutto gl'insegni, che si esercitino nelle virtù, acciò vivino perfette.

8. Nella Santa Recollezione doveranno le Novizie con la loro Madre Maestra, si come tutte con la Madre Priora, consultare almeno una, o dua volte ogni mese le cose loro interne, ed il loro spirito, accio siano agiutate dalla loro direzione, buoni consegli, e dottrina, e tutte vivino humili, riverenti, ed obbedienti alla volontà di altri, ch'è il primo, e principale gradino della vita religiosa. Parimente è di quest'offizio l'attendere alla politezza del Convento.

Capitolo Nono.

Della Sagrestana, Rotara, ed altre offiziali.

1. La Rotara maggiore dovrà ricevere tutte l'ambasciate, e rispondere con voce bassa, ed umile nella Ruota: di tutto quello, che gl'anderà, ne dia parte alla Superiora; e di quello, che passerà per la detta Ruota, e Portaria, non ne dia parte a nessun'altra: nè riceva, nè dia lettere, nè viglietti per dentro, o fori di casa, senza, che prima li riveda la Madre Priora, sotto pena di essere deposta dall'offizio: serri la Ruota nelle ore assegnate del Silenzio: nel tempo delli Divini offizj, e Refettorio, se le dia una Compagna, che l'aggiuti; ed ambe siano del zelo, e religione, che richiede tal offizio.

2. La Sagrestana servirà al Signore in questo offizio con la pulitezza, e venerazione che sarà possibile, chieda alla Superiora le cose necessarie per la Chiesa, e Sagrestia, ed abbia cura di chiamare le sorelle al Confessionario nelle Vigilie, e giorni della Comunione.

3. Per la Ruota della Sagrestia, che deve servire solamente per l'amministrazione delle cose del culto Divino, non riceva ambasciate, nè per dentro, nè fuori di Casa, nè in quello permetta alcuna pratica con persona veruna qualsivoglia, che sia. Invigili grandemente, che si osservi il silenzio, se vuol dare al suo offizio la divozione, che si richiede.

4. La Madre Priora con consulte delle Discrete nomini due Depositarie, e queste assistino alli conti di quello si spende, e lo scrivino nelli libri, di modo che il tutto sia aggiustato, per la Visita, acciò si sappia lo stato del Convento, e si tenghi un'Archivio, nel quale si conservino le loro scritture, ed Istromenti, senza, che se ne cavi alcuno fuori senza lasciare ricevuta di quello, che la piglia, e la causa per la quale si porta via, ed il tutto si scriva con il giorno nel libro del Registro.

Capitolo Decimo.

Del Capitolo Conventuale, e delle Colpe.

1. Benchè la Superiora abbia autorità di correggere quando sia conveniente, ciò non ostante s'ordina, che si tenga Capitolo ogni Settimana. Il Venerdi, o quello impedito in altro giorno della settimana, che alla Superiora piacerà,

cerà, nel quale l'avvertischino le colpe, e si tratti di quello che sarà necessario per il buon governo.

2. Primo si suonarà la Campana della Comunità, ed unite nel luogo determinato, detto l'Inno dello Spirito Santo con la sua orazione, sedute per loro ordine, faccia a quelle un'esortatione circa l'osservanza, ed amore di Dio, dopo le Novizie se vi saranno vadino al Noviziato, dove ogn'una in particolare dirà alla Maestra le sue colpe, e poi ogn'una delle altre parimente dirà con ogni umiltà *Benedicite Madre* dicendo le sue colpe specificandole in particolare, domandando perdono a Dio, ed a Vostra Riverenza, che mi corregga con carità, e dopo la Madre Priora ordini alla zelante, che sarà l'eddomadaria, che dica le colpe, che averà avvertito a ciascheduna, e quella, alla quale sarà imputato qualche colpa, subito si prostri fin tanto, che si faccia il segno, e le corrette bagino lo Scapolario alla Priora, e vadino al luogo loro.

3. L'istesso s'osservarà con l'altre essendo la Madre Priora quella, che le deponga, e se ad alcuna non se l'avvertirà mancamento, potrà essa chiedere *Benedicite*, e dire quelle, che averà. Tutto ciò dovrà intendersi delle colpe leggiere, e non delle gravi, che non dovranno manifestare, ne essere da altri manifestate in pubblico, e quanto alle Novizie queste non dovranno intervenire al Capitolo delle colpe delle Professe, ma dovrà quanto sopra da loro osservarsi nel luogo del Noviziato avanti la Madre Maestra delle Novizie.

4. Tutte umilmente ricevino la correzione, che sarà necessaria dargli, offerendola al Signore, e viveranno nella loro pace: se vi saranno accuse tra le Religiose, (il che Iddio non permetta) si miri prima bene tra la superiora, e Discrete, avanti, che si venghi al castigo; e se vi sarà alcuna incorriggibile, o se si vedrà alcun dubbio nel modo, che si dovranno correggere le cose gravi, se vi fossero, se ne dia parte al Nostro Padre Provinciale, o Diffinitorio, acciò si pigli la forma, che si deve osservare nel rimedio. Alcuna volta potrà la Priora nel Capitolo dare la disciplina, benchè non vi sia colpa, che ciò richieda, solo per esercizio di umiltà, del che niuna di spirito umile può scusarsi.

Capitolo Undecimo.

Della qualità delle colpe, e loro pene.

1. Colpa leve è non prostrarsi quando fanno alcun mancamento nel Choro, parlare nel Dormitorio, o Refettorio, fare alcun rumore con li Scabelli nella Comunità, o in altra parte, dire del mangiare, se stà bene accomodato, e dell'abito, se sta malamente aggiustato, bere senza licenza, maltrattare qualsivoglia cosa della Comunità, alzar gl'occhi notabilmente nel Coro, o Refettorio, non portare gl'occhi bassi per casa, ed altre cose simili: la pena di questa colpa è il recitare in ginocchioni nel mezzo del Refettorio quello, che parerà alla Priora, o cose simili conforme saranno le colpe.

2. Grave colpa è perfidiare con altra impatientemente, pigliare, o dare, o cambiare qualsivoglia cosa con altra, entrare in alcuna Cella senza licenza, difendere la sua colpa, rompere il solito silenzio, o cose simili, la pena di queste colpe sarà mangiare in Refettorio in Terra un giorno à pranzo pane, ed acqua, o altre cose, che parerà alla Priora, conforme sarà la colpa.

3. Colpa più grave è scomponersi con la Superiora, perfidiando, o dicendole alcuna discortesia, frangere alcun digiuno dell'Ordine, disobbedire avvertitamente, parlare con alcuna persona di fuori, senza licenza, o senza l'Ascoltatrice, (questa sarà nominata dalla Comunità per il tempo, che li parerà) ed altre cose simili.

4. La pena di queste colpe sarà digiunare tre giorni in pane, ed acqua, o disciplina di bacchette nel Capitolo, o cose simili.

5. Colpe gravissime saranno quelle, che saranno maggiori, che le sopraddette, e riferite nel Capitolo passato, alle quali vi saranno necessarie pene maggiori, se si cometteranno tali colpe (Il che Iddio per sua misericordia non permetta) ma se vi saranno non si dissimulino, ma si castighino con rigore, ed ammonizioni, acciò la pena serva per sanare la piaga dell'anima, ma se l'ostinazione sarà grande, sia anco grande la penitenza, e tutti l'aggiutino con Orazioni, e si potranno approfitare di discipline conventuali, e reclusione della Comunità, più digiuni, o cose simili.

Capitolo Duodecimo.

Di quelle, che dovranno essere ricevute all'abito, e Professione.

1. Non si riceva alcuna, che non sia abile per recitare l'offizio Divino, e che stia in forze, e salute per seguire la Comunità e che si riconosca essere di buon intelletto; e naturale: Dovranno essere d'anni quindeci, o almeno di dodeci, essendo persone, che per giuste cause, ed utilità possino essere ricevute.

2. Per fuori del Coro (cioè Converse) si ricevano persone di forze, e di salute, e che abbino gran desiderio di servire a Dio.

3. Per ricevere l'une, e l'altre dovrà precedere licenza del nostro Padre Provinciale, al quale la Madre Priora informarà delle qualità di quelle, che pretende, avendo prima fatte informazioni nella forma solita della sua legitimità, e purità di sangue.

4. Il modo circa di riceverla, e dargli l'abito, e la Professione, si osservi la formà, che sino qui si è osservata, conforme ordina il Ceremoniale dell'ordine, e dispongono le Costituzioni parimente nelle ceremonie, che appartengono al Coro, processioni solenni di Defonte, e loro Anniversario, Ceremonie di Refettorio, e altre cose che appartengono al buon governo, e regolare osservanza. Si debbano osservare le Costituzioni, ed ordine del Ceremoniale come s'osserva, e costuma in tutti l'altri Conventi di Religiosi, e Religiose del nostro Ordine come si è detto.

5. Tutte le quali Costituzioni, ed ordini con l'aggiuto del Signore s'adempiranno facilmente quando con vivo desiderio se ne chiederà a sua Divina Maestà l'adempimento, con aver mira al maggior honore, e gloria di Dio, aumento, e credito della nostra Santa Riforma, e Recollezione, ed utile dell'anime nostre, del tutto ne sia lodata, e servita la Santissima Trinità, Amen.

Preces Procuratoris Hispaniæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Ferdinandus Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & ferventur exactius, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret: Nos piis ipsius Ferdinandi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, dictasque Moniales specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad suprascriptas constitutiones examinandas specialiter deputatæ, quæ rem mature discussit, consilio, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas auctoritate

Confirmatio relatarum Constitutionum.

ritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCLXXXV. Pontificatus nostri anno Nono.

CXXXIX. Confirmatur Decretum Congreg. Rituum de Primatu in functionibus, & jure Processionis peragendæ pro Fratribus Prædicatoribus contra Fratres Minores de Observantia in Quitensi Provincia.

De hujusmodi primatu pro Fratribus Observantibus vid. Const. ed. 1685., Jan., 25., P. 9.

Dat. 26. Mar. 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum prædictum, quo etiam declaratur, licere Franciscanis eamdem Processionem intra Claustra instituere.

EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Prædicatorum Decretum, tenoris, qui sequitur, videl. In Causa Quiten. præcedentiæ proposita per Emum, & Rmum D. Cardinalem Pamphilium pro Patribus Dominicanis Provinciæ Quiten. contra Patres S. Francisci Minor. Observan. ejusdem Provinciæ, Sac. Rituum Congregatio auditis, ac discussis juribus hinc inde deductis, atque allegatis ab utraque Parte, & informante, censuit decernendum esse, prout decrevit ad favorem Patrum Dominicanorum, tum quo ad præcedentiam eisdem Patribus Dominicanis debitam supra præfatos Patres S. Francisci Minor. Obser. in omnibus actibus publicis, & Processionibus, tum quoad Jus peragendi Processionem Dominica intra Octavam Corporis Christi privative quoad dictos Patres Franciscanos, & signanter in Civitate Quitensi. Ac insuper declaravit licere prædictis Patribus Franciscanis eadem die Dominica infra Octavam Corporis Christi facere Processionem intra Claustra eorum Conventus, & Ecclesiæ, & ita sancivit, & servari mandavit die 10. Februarii 1685. N. Card. Lud. Bernardus Casalius Sac. Rituum Congr. Secr.

Preces Procuratoris Præd.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Ignatius de Quasadi dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, in Sacra Theologia Magister, ac dictæ Provinciæ Quitensis Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsum Ignatium Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio relati Decreti.

Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXL. Conceduntur Indulgentiæ perpetuæ Clericis Sæcularibus in communi viventibus.

De Indulgentiis concessis similibus Congreg. Presbyt. Sæcularium B. M. V. Assumptæ vid. Constitut. ed. 1683., Maii 20. P. 7. De Privilegiis vide horum Clericorum Const. ed. 1685., Feb. 9. P. 9., & ibi notata.

Dat. 11. Apr. 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Constitutionis.

CUm nos Institutum, & Constitutiones Clericorum Sæcularium in communi viventium auctoritate Apostolica confirmaverimus; Et (sicut accepimus) iidem Clerici in vinea Domini ad animarum salutem strenue laborent, multaque pietatis, & Christianæ charitatis opera assidue exerceant: Hinc est, quod nos felici eorum in via mandatorum Domini progressui, dictique Instituti ad Dei Gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ, cui superni dispositione consilii, meritis licet imparibus præsidemus, utilitatem, specialemque Christifidelium ædificationem propagationi, & incremento, quantum

Anno 1685. Concessio Indulgentiæ pl. perp. in quinque casibus.

Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confici, omnibus, & singulis Clericis Secularibus, qui dictum Institutum in posterum ingredientur die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam. Illis quoque qui Institutum hujusmodi ingressi, & in eo viventes, juramentum de perseverando usque ad mortem in eodem Instituto juxta Constitutiones prædictas præstiterint, & vere similiter pœnitentes, & confessi eo die Sacra Communione refecti fuerint, itidem plenariam; Ac præfatis Clericis Sæcularibus in communi viventibus nunc & pro tempore existentibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pariter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; Præterea eisdem præsentibus, & futuris Clericis Secularibus vere similiter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam dicti Instituti Ecclesiam, vel Oratorium, vel Parochialem Ecclesiam loci, ubi pro tempore commorabuntur, die festo S. Petri ad Vincula a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro felici præfati Instituti progressu, propagatione, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, pariter plenariam; Insuper eisdem Clericis Sæcularibus in communi viventibus, qui Spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliqua ejusdem Instituti Domo peregerint, & interea vere quoque pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prædictum sumpserint, ac ut præfertur oraverint, similiter plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac demum eisdem Clericis Sæcularibus præsentibus, & futuris sub Instituto prædicto viventibus, qui singulis diebus mane conscientiam suam diligenter examinaverint, cum proposito a peccatis abstinendi, & se corrigendi, ac Litanias Beatæ Mariæ Virginis devote recitaverint, & ut supra expressum est oraverint, centum dies pro unoquoque die, quo id egerint, de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Item concessio Indulgentiæ centum dierum.

Clausulæ.

Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXLI. Communicantur privilegia Universitatis S. Thomæ Civitatis Monilæ Universitatibus S. Fidei, & Beati Ferdinandi Civitatis Quiten. Ordinis Prædicatorum in Indiis Occidentalibus.

De Universitate S. Thomæ vid. Const. ed. 1681., Aug. 7., P. 5. De nonnullis vero studiis Prædicatorum Inn. XII. Const. ed. 1693., Octob. 20., Pont. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 11. Apr. 1685. An. 9.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Rivius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologia Magister, quod licet in Conventu Sanctissimi Rosarii, & Collegio Sancti Thomæ Civitatis Sanctæ Fidei in novo Regno Granatensi in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis sit, & semper fuerit Universitas studii ab initio fundationis dicti Conventus per literas fel. rec. Gregorii PP. XIII. prædecessoris nostri erecta, & subinde a rec. me. Paulo PP. V. prædecessore pariter nostro per suas literas ad dictum Collegium translata, ipsaque Universitas fuerit in possessione conferendi gradus Academicos omnibus Professoribus, & Discipulis Scholæ Sancti Thomæ Aquinatis ibidem literarum studiis operam navantibus; ut autem dicta Universitas in majori auctoritate esset, & ejusdem S. Thomæ doctrina magis ampliaretur bo. me. Christophorus Porres dum vixit Archiepiscopus dicti novi Regni Granaten., qui in minoribus constitutus professionem regularem in ordine prædicto emiserat, magnificum in dicta Civitate Collegium majus, in quo Sæculares nobiles, & bonæ conditionis edocerentur, sua impensa fundaverit, in eoque erexerit Cathedras Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, Sacrorum Canonum, & legum, quibus pro instituto est sequi, & docere doctrinam Sancti Thomæ, prout ibidem fit cum magna utilitate studentium, qui post peracta studia, susceptasque in dicta Universitate laureas, ad servitium Ecclesiarum, ac ad ministeria Parochorum, & Præbendarum admittuntur. Nihilominus hujusmodi pacifica possessione gradus in eadem Universitate suscipiendi non obstante, nonnullæ Personæ a modico tempore rumorem sparserunt, & aliis persuadere conati sunt, quod gradus in præfata Universitate recepti non sint sufficientes, & validi, adhoc, ut graduati possint admitti ad oppositiones, & concursus Præbendarum Magistralium, Doctoralium, Pœnitentiariarum, & Theologalium, ac dignitates, & officia, quæ de jure requirunt, ut illas, & illa obtinentes, hujusmodi gradibus insigniti sint; Unde hoc prætextu Thomistas a præfatis officiis, & dignitatibus omnino excludunt, & quatenus eos admittant, dicunt Capitulares, se propter gradus defectum non posse eis locum in nominationibus dare: quod quidem in gravissimum redundat præjudicium Collegialium supradictorum, ac in diminutionem existimationis doctrinæ tanti Doctoris. Cum enim non ex alia Causa excludantur, quam ex eo, quod doctrinæ ejusdem Sancti Thomæ sequaces, & in præfati Ordinis Universitate graduati sint, nemo amplius erit, qui doctrinæ S. Thomæ studiis operam dare velit, & intra modicum tempus Collegium supradictum, quod hodie literarum Seminarium est, destructum remanebit, peribit Universitas, & doctrina Sancti Thomæ in illis partibus extinguetur, quæ tamen olim a multis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris commendata fuit, non sine Mandato, ut illius ampliationi in Universitatibus opera daretur.

Ortus, & progressus d. Universitatis Sanctæ Fidei in Regno Granatensi.

Ejus facultates a nonnullis in dubium revocantur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nos per quasdam nostras in simili forma Brevis anno 1681. expeditas literas de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio facultatem conferendi gradus Scholasticos in omnibus scientiis, quæ in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati dicti Ordinis Civitatis Quiten. in eisdem Indiis Occidentalibus docerentur sub certis modo, & forma tunc expressis concesserimus; Charissimus

Prærogativæ alterius Universitatis B. Ferdinandi.

vero in Christo Filius Noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, non solum Regium suum beneplacitum super institutione Collegii hujusmodi impertitus fuerit, sed etiam per schedulas suas Regias anno 1683. emanatas Collegium ipsum, sive illius Universitatem omnibus Privilegiis, & prærogativis Regalis Collegii decoraverit, idque intuitu magnæ utilitatis, quæ in illis partibus adeo remotis ex doctrina memorati S. Thomæ, & copia operariorum Evangelicorum, qui legem Evangelicam tam Christianis, quam Infidelibus prædicent, illosque doceant, proventura speratur. Ac proinde dictus Jacobus Procurator Generalis plurimum cupiat a nobis declarari, quod supradictæ Universitates, Conventus Sanctæ Fidei, & Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quiten. sint certæ, veræ, & reales Universitates, prout sunt Limana, & Mexicana absque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, prærogativis, consuetudinibus, & solemnitatibus, prout Collegio S. Thomæ Civitatis Monilan. in Indiis Philippinis an. 1681. concessimus, & quatenus opus sit dictas Universitates de novo erigi in Universitates publicas ad instar Limanæ, & Mexicanæ cum omnibus gratiis, & privilegiis, itaut Graduati in prædictis Universitatibus reputentur habiles, & idonei, tanquam graduati in publicis Universitatibus ad hoc ut cum Dei honore, & publico beneficio, ac Catholicæ Fidei propagatione, amplietur quoque præfati S. Thomæ Aquinatis doctrina, illiusque studiosi, & sequaces damna, & præjudicia, quæ nunc sustinent, amplius non patiantur. Nobis propterea idem Jacobus Procurator Generalis præfati Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gener.

§. 2. Nos igitur ipsum Jacobum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac nostrarum pariter in forma Brevis ad favorem Collegii, & Universitatis Sancti Thomæ Civitatis Monilæ anno 1681. emanatarum literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia Privilegia præfato Collegio, & Universitati Sancti Thomæ Civitatis Monilæ dicto anno 1681. a nobis concessa præfatis Universitatibus Sanctæ Fidei, & Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitensis, auctoritate Apostolica tenore præsentium communicavimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ.

Communicatio privilegiorum ann. 1681. Universitati S. Thomæ concessorum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & Universitatum, seu Collegiorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLII.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Regularium super electione præcipuorum Officialium pro Fratribus Recollectis Ord. Minor. S. Francisci in Hispania.

Alia Statuta pro hisce Fratrib. habentur Urb. VIII. Const. ed. 1625. Novemb. 20. P. 3. & Innoc. XII. Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 2. Necnon Constitut. ed. 1699. Maii 30. P. 8. ubi agitur de Diffinitore.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Apr. 1685. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita super quibusdam dubiis pro parte dilectorum filiorum Fratrum tam Recollectorum, quam de Observantia nuncupatorum Provinciarum Hispaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad infrascripta dubia, referente Emo Casanate tam ex parte Patrum Recollectorum, quam Minorum Observantium S. Francisci Provinciarum in Regnis Hispaniarum proposita.

Decretum prædictum.

Primum videlicet, An virtute Constitutionum unum Diffinitorem Recollectioni præscribentium, Patres Recollecti excluſi maneant in voce passiva ad Provincialatum, & Custodiatum.

Secundum, Utrum Provinciali, seu Custode, aut utroque ex Recollectis assumpto, vel ob convenientiam totius Provinciæ, vel ex qualitate Personæ electæ, debeat nihilominus Recollectioni dari suus Diffinitor in prædictis Constitutionibus præscriptus. Ad primum respondit -- *Negative.* Ad secundum *Affirmative.* Romæ 23. Februarii 1685. -- G. Card. Carpineus -- B. Panciaticus Secretarius.

Preces dictor. Fratrum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte præfatorum Fratrum Recollectorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præin-

Confirmatio relati Decreti.

sertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLIII. Resolvuntur quædam dubia circa modum celebrandi Capitula Generalia Ordinis Cistercienſis.

De Capitulo Gener. vid. Gregor. XIII. Constitut. edit. 1578. Maii 22. P. 7. Et de transitu Monachorum in aliam Religionem hujus Pontif. Constit. ed. 1686. Aug. 5. P. 10.

Dat. 10. Maii 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dubia prædicta.

CUM in Causa prætensæ nullitatis quorumdam Capitulorum Generalium Ordinis Cistercien. inter dilectos Filios Abbatem Cistercii totius Ordinis Generalem ex una, & Abbates Monasteriorum de Firmitate, & Posignaco, de Claravalle, & de Morimundo ex altera partibus vertente, proposita fuerint in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita nonnulla dubia, nempe. Primo, an sit servanda consuetudo, qua pro indicendo Capitulo Generali Abbas Cistercii consuevit cum quatuor Primariis Abbatibus deliberare, ac de eorundem consilio, & assensu Capitulum indicere? Secundo, an ad Capitulum, ad hoc ut sit Generale, vocandi sint omnes Abbates Ordinis? Tertio, an in Capitulo Generali Ordinis Cistercienſis definitiones sumendæ sint per filiationes, & non per vota capitatim? Quarto, an in Capitulo Generali dicti Ordinis omnino adhibendi sint viginti quinque Diffinitores, itaut non existentibus tot Abbatibus numerus integrandus sit ex aliis Religiosis benemeritis? Quinto, an pariter interesse debeant quatuor primarii Abbates, & iis non intervenientibus substituendi eorum loco? Sexto, an Capitulum Generale anni 1672. fuerit nullum? Septimo, an fuerit pariter nullum Capitulum anni 1683.? Eorumdem resolutiones. Hinc est, quod Nos, qui in supremo Justitiæ throno a Domino constituti sumus, lites, & controversias, quæ fraternæ inter viros Religiosos suave Christi jugum portantes charitatis sereni tatem obnubilare possent, tollere, illisque in futurum ansam præcidere, ac dubia prædicta dirimere volentes, de memoratorum Cardinalium qui partes tam in voce, quam in scriptis Informantes audiverunt, remque mature discusserunt consilio, in indicendo Capitulo Generali Ordinis prædicti Abbatem Cistercii non teneri requirere, neque consensum, neque consilium quatuor primariorum Abbatum: Ad Capitulum vero Generale vocandos esse quoscumque qui de jure interesse debent. In Capitulis autem Generalibus ejusdem Ordinis votandum esse viritim, & non per filiationes: Porro in deputatione Diffinitorum, non existente sufficienti numero Abbatum posse suppleri ab Abbate ex aliis Religiosis magis dignis ejusdem generationis, non tamen in casu voluntarii recessus: & quoad effectum deputationis Diffinitorum servandum esse solitum; quo vero ad defectum suffragii Abbatis absentis, non esse locum subrogationi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Denique omnes nullitates quatenus in præfatis Capitulis Generalibus anno 1672., & anno 1683. respective celebratis intervenerint, auctoritate, & tenore prædictis sanamus; ac diffinitiones, & Ordinationes utriusque Capituli, usque ad novum Capitulum Generale Ordinis prædicti servari eadem auctoritate harum serie mandamus, & præcipimus.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Ordinis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Maii MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXLIV. Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. quo Superioribus S. Franciſci de Obſervantia injungitur, ne permittant Sæculares ingredi ſepta Cœnobii cum ſclopis, aut armis, vel ibi ludere, aut morari ultra tres dies.

De

De vineis, & pratis habendis vid. Urb. VIII. Const. ed. 1625., Nov. 20., P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 20. Sept. 1685. An. 9.

EManavit alias à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita ad ſupplicationem tunc exiſtentis Commiſſarii Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet: Sacra Congregatio Emorum, & Reverendiſſimorum Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita religioſæ quieti, & tranquillitati Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia benigne conſulens, injungendum cenſuit, prout præſentis Decreti tenore injungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, Localibus, eorumque ſubditis ſub pœna privationis Officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo unquam tempore quovis prætextu, vel quæſito colore permittant, aut conſentiant, Sæculares quoſcumque ingredi ſepta ſuorum Conventuum deferendo per Sylvas, Hortos, & Prata ſclopos ad venandum, ſive alia armorum genera, vel illa apud Fratres tam Superiores, quam Subditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per Clauſtra, aliaque loca publica, vel privata ipſorum Conventuum, & convivere, ac pernoctare in eis ultra triduum tantum piæ hoſpitalitatis titulo: & ſic ſervari mandat. Non obſtantibus &c. Romæ prima Decembris 1679. ita reperitur in Regeſtro authographo Sacræ Congregationis negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ. In quorum fidem &c. Romæ hac die 9. Auguſti 1685. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum prædictum.

§. 1. Cum autem ſicut dilectus filius Franciſcus Diaz a S. Bonaventura Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro Ultramontana familia Fratrum dicti Ordinis in Romana Curia Vicecommiſſarius Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: nos ipſius Franciſci Vicecommiſſarii Generalis votis hac in re quantum cum Dño poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

Preces Vicecommiſſarii Gen. Fratrum Ultram.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit dicti Ordinis, illiuſque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Sept. MDCLXXXV. Pontificatus noſtri Anno Nono.

Confirmantur Statuta Capituli Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, & innovatur Conſtitutio Pii V. circa eleemoſynas Prædicatorum, & Bibliothecas Communes. CXLV.

Alia Statuta Cap. Gen. habentur Urb. VIII. Conſtit. ed. 1625. Nov. 20., P. 3. Nonnulla etiam extant Conſt. ed. 1679., Nov. 22., P. 4., & Conſtit. ed. 1686. Jun. 19., P. 10. legitur quoddam Decretum de Syndicis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Oct. 1685. An. 10.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Diaz à Sancto Bonaventura Lector Generalis Jubilatus, Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus ac pro ultramontana familia Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum in Romana Curia Vicecommiſſarius Generalis, quod dudum videlicet anno 1633. in Capitulo Generali dicti Ordinis circa eleemoſynas, quæ Concionatoribus ejuſdem Ordinis fieri ſolent, & circa libros Fratrum Defunctorum Communibus Bibliothecis Conventuum Ordinis hujuſmodi applicandos, ipſarumque Bibliothecarum conſervationem, & incrementum, ac Bibliothecariorum inſtitutionem facta fuerunt pro utraque familia nonnulla ſtatuta tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Statuta hujuſmodi edita fuerunt in Capit. Gen. an. 1633.

§. 1. Prædicatores quicumque eleemoſynas prædicationis prætextu oblatas penitus non recipiant; nec de illis ſub quovis prætextu, vel quæſito colore diſponere, aut quomodolibet tractare præſumant, & audeant, ſed ſi abſoluta prædicatione, vel ante contigerit fieri a quovis genere perſonarum Prædicatoribus ipſis eleemoſynarum oblationem reſpondeant, Sindicis Conventuum dumtaxat libere, & integre tranſmittendam, & conſignandam fore. Quod ſi conſtiterit quempiam Prædicatorem per ſe, aut per alios pecuniam recipere, vel recepiſſe, proprietatis pœna omnino puniatur, & actibus legitimis per ſexennium privetur, quam pœnam etiam Guardiani ſubeant, ſi eorum culpa, vel negligentia contra fieri contigerit.

Primum Statutum de eleemoſynis Prædicatorum.

§. 2. Adeo nihil penduntur hiſce temporibus Conventuum noſtrorum Bibiothecæ communes,

Secundum de Bibliothecis communibus.

ut quæ

ut quæ alias diligentias recte splendorem, nunc vero negligentius desertæ dedecus potius Religioni afferre videantur. Ut igitur opportunum adhibeamus tanto malo remedium, præcipimus Provincialibus Ministris sub pœna privationis officiorum irremissibiliter incurrenda, ut vigilantius curent Defunctorum Fratrum libros fideliter, & quanto citius fieri poterit, transmittendos in communes Bibliothecas, præcipientes insuper universis Superioribus, cujuscumque gradus, & dignitatis existant; universis etiam subditis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & sub aliis item gravissimis pœnis ad Superiorum beneplacitum infligendis, ut nullo modo, nec per se, nec per Apostolicum Syndicum, sub quovis prætextu, quæsito colore, occasione, vel causa, alienent, vendant, commutent, donent, aut quomodolibet aliter fraudent, vel distrahant Defunctorum Fratrum libros, aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quavis ratione pertineant, vel quocumque modo, seu titulo fuerint, etiam deinceps Monasterio acquisiti.

Tertium de earum conservatione, & accretione.

§. 3. Verum ad opportunam communium Bibliothecarum restaurationem, continuam accretionem, & perpetuam conservationem, præcipimus omnibus Superioribus Provincialibus sub propriorum officiorum privatione, ut quolibet anno ducentos adminus aureos nummos Diffinitorum interventu, & consilio de communibus eleemosynis expendendos studeant in libros, consimili eorundem Diffinitorum interventu, & Consilio communibus Bibliothecis applicandos.

Quartum de Bibliothecariis.

§. 4. Sed cum ratio dictet, & experientia doceat, Bibliothecas communes brevi temporis spatio consumptum iri nisi Bibliothecarii instituantur, qui libros disponant, ordinent, in classes redigant, purgent, reficiant, reparent, ac cætera præstent, quorum executione prædictæ Bibliothecæ suo pristino splendori reddantur, & in obtento decore serventur: consulto præcipimus Provinciarum Ministris sub pœna privationis officiorum, ut tempore Capituli, & Congregationis, omnium Bibliothecarum instituendos curent Bibliothecarios, qui vel prædicationis munere præditi sint, vel saltem qui universali, & competenti quadam facultatum, librorumque notitia polleant. Memoratarum Bibliothecarum libris uti possint Prædicatores, & Lectores præsertim iis tamen legibus, ut schedulam, quæ acceptorum librorum numerum contineat, quæque propria manu accipientium libros subsignata sit in manibus relinquant Bibliothecariorum, qui nequeat nisi unius mensis spatio ad summum traditorum librorum usum permittere, itaut absoluto mense, accommodatos libros repetant, eosque Bibliothecis, ad reliquorum Fratrum usum restituendos omnino procurent. Bibliothecarii, qui dictorum librorum restitutionis executionem omiserint, propriis officiis spolientur, & Fratres, qui acceptos libros restituere noluerint, ulteriori librorum participatione privati existant.

Prædicta Statuta confirmata fuere ab Urb. VIII.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet statuta hujusmodi subinde a fel. rec. Urbano Papa VIII. prædecessore nostro de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum confirmata fuerint, nihilominus illa, prout etiam quædam literæ rec. me. Pii Papæ V. prædecessoris pariter nostri die 4. Novembris 1568. in forma Brevis (ut asseritur) expeditæ per quas libros e dictis Bibliothecis furto subtrahi sub pœna excommunicationis, cujus absolutio Romano Pontifici reservata esset, prohibuit, non ubique, prout par esset, accurate observentur. Nobis propterea dictus Franciscus Vicecommissarius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Inobservantia eorum, necnon Constitutionis Pii V. de libris furto sublatis.

§. 6. Nos igitur ipsum Franciscum Vicecommissarium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statuta præinserta in d. Capitulo Generali, sicut præmittitur edita, & a memorato Urbano prædecessore confirmata, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea præfati Pii prædecessoris vestigiis inhærentes omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & regularibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, eadem auctoritate harum serie mandamus, ne ex Bibliothecis Conventuum, & Domorum Regularium Ordinis prædicti, aut eorum aliqua librum aliquem, aut quaternum furto substrahere quoquo modo præsumant: Nos enim quoscumque substrahentes excommunicationis sententiæ subjacere volumus, & decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio, quam a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Item innovatio laudatæ Constitutionis.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut præsentium Literarum exemplum, saltem quoad ea, quæ ad Bibliothecas prædictas pertinent, in valvis earumdem Bibliothecarum, aut alio illarum loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi possit affixum assidue remaneat. Utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Preces Vicecommissarii Ultram.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Octob. MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Refor-

CXLVI. Reformatur Breve circa Melitenſes ad ſolos ordinatos cum falſis Dimiſſoriis.

Hoc Breve ed. fuit 1684., *Julii* 1., *Pont.* 8., *ubi vide notata. Item Inn. XII. Conſt. ed.* 1693., *Decem.* 14., *Pont.* 2. *quæ eſt de ſuſcipiendis ordinibus extra tempora.*

Dat. 30. Jan. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Urb. VIII. privati fuerunt Fori privilegio Itali ordinati cum falſis dimiſſoriis.

Alias poſtquam fel. rec. Urbanus Papa VIII. prædeceſſor noſter per quamdam ſuam Conſtitutionem cujus initium eſt, *Secretis æternæ providentiæ conſiliis &c.* inter alia voluerit Italos, ſi quos tunc impoſterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno Epiſcopo cum falſis Dimiſſoriis contigiſſet, etiamſi qualitatibus per Concilii Tridentini Decretum Cap. XVI. Seſſ. XXIII. requiſitis præditi eſſent, nihilominus, ſecuta tamen prius deſuper Judicis Eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſæculari Juriſdictioni, ut antea plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe; pro parte dilecti filii Magni Magiſtri Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, Nobis expoſito, quod ut incommodis in Inſula Melitenſi in dies inſurgentibus occurreretur, Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 8. Maji 1677. declaraverat Melitenſes ordinatos, ſeu ordinandos cum falſis, ſeu abſque Dimiſſoriis, non gaudere privilegiis Clericalibus, ſed poſſe præfatam Urbani prædeceſſoris Conſtitutionem per nos ad Inſulam Melitæ extendi. Nos ſupplicationibus ejuſdem Magni Magiſtri nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati de memoratorum Cardinalium Conſilio, ſupra expreſſam præfatæ Conſtitutionis Urbani prædeceſſoris diſpoſitionem ad Inſulam Melitæ, itaut quod Melitenſes, quos cum falſis Dimiſſoriis vel ſine Dimiſſoriis contigiſſet ab alieno Epiſcopo Clericali charactere inſigniri, vel ad minores ordines promoveri, ſecuta prius Judicis Eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſæculari Juriſdictioni in omnibus ſubjacere deberent, auctoritate Apoſtolica extendimus, & ampliavimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die prima Julii 1684. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, plenius continetur. Cum autem animadverſum fuerit decretum dictæ Congregationis Cardinalium ſuper præmiſſis emanatum in illius extenſione excedere ſancita in §. 4. dictæ Conſtitutionis Urbani prædeceſſoris in ea parte, in qua includantur etiam ordinati abſque Dimiſſoriis proprii Ordinarii, ideoque præfatæ noſtræ literæ, quæ juxta Decretum hujuſmodi expeditæ fuerunt, congruenter reformandæ videantur: Nos opportune in præmiſſis providere volentes, de eorumdem Cardinalium conſilio, auctoritate præfata tenore præſentium reformamus ſupradictas noſtras literas circa promotos, ſeu promovendos, ſine literis Dimiſſoriis, perinde, ac ſi emanaſſent dumtaxat quoad promotos, ſeu, promovendos cum falſis Dimiſſoriis: Salva tamen pariter in præmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium.

Idem Decretum fuit ab hoc Pontifice de Clericis Melitenſibus ordinatis cum falſis, vel etiam ſine dimiſſoriis.

Cauſa reformationis.

Reformatio, quæ comprehenduntur ſoli ordinati cum falſis dimiſſoriis.

Clauſulæ.

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Januarii MDCLXXXVI., Pontificatus noſtri An. Decimo.

CXLVII. Confirmantur Conſtitutiones Congregationis Benedictino-Bavaricæ ſub Invocatione Sanctorum Angelorum Cuſtodum.

Erectio hujus Congregat. habetur Conſtit. ad 1684. *Aug.* 26., *P.* 8. *& de electione Abbatum agitur Conſt. ed.* 1686. *Feb.* 9., *P.* 10.

Dat. 6. Febr. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur erectio hujus Congregationis cum facultate condendi Conſtitutiones.

Militantis Eccleſiæ regimini meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præſidentes, ea, quæ pro fœlici, proſperoque Congregationum Monaſticarum, uberes in Eccleſia Dei bonorum operum fructus, aſſidue proferre ſatagentium, regimine, & gubernio provide, prudenterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, & ſub illorum directione Chriſtifideles divinis obſequiis, ſub ſuavi Religionis jugo mancipati, mandatorum Dei ſtadium faciliori in dies progreſſu decurrere, populumque Chriſtianum, bono vitæ ſuæ exemplo, fructuoſius ædificare, & ſpiritualium aromatum odore perfundere valeant, Apoſtolici muniminis præſidio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

§. 1. Alias ſiquidem nonnulla tunc expreſſa Monaſteria Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Ratisbonen., ac in Dominio dilecti filii nobilis viri Maximiliani Emmanuelis utriuſque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, reſpective, exiſtentia, in unum corpus univimus, & conjunximus, ſicque unita, & conjuncta, alia Monaſteria ejuſdem Ordinis illis, ſub certa tunc expreſſa forma, aggreganda, in novam Congregationem ſub titulo SS. Angelorum Cuſtodum Bavaricam nuncupandam, ad inſtar Congregationis Helveticæ, dicti Ordinis, perpetuo erexi-mus, & inſtituimus. Ac eidem Congregationi, ſic de novo erectæ, & inſtitutæ pro bono ejus regimine, & gubernio, in primo ipſius Congregationis Capitulo generali, Conſtitutiones, quæ tamen nullam validitatem, aut robur aſſequerentur, niſi poſtquam ab Apoſtolica Sede fuiſſent expreſſe confirmatæ, efformandi facultatem tribuimus, & impertiti ſumus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 26. Auguſti 1684. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur.

Conſtitutiones a primo Capitulo Gener. an. 1684. editæ, & juſſu Pontificis correctæ, & reformatæ.

§. 2. Cum autem, ſicut pro parte dilectorum filiorum Cæleſtini Abbatis Monaſterii Sancti Emmerani Ratisbonenſis Præſidis, & cæterorum Abbatum dictæ Congregationis Bavaricæ, Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi eodem anno 1684. primum eorum Capitulum Generale in dicto Monaſterio Ratisbonenſi celebraverint, in eoque juxta facultatem ſibi a nobis, ſicut præmittitur attributam, nonnullas Conſtitutiones pro felici,

prosperoque ejusdem Congregationis Bavaricæ regimine, & gubernio efformaverint, quæ in unum volumen redactæ, & ad hanc Sanctam Sedem transmissæ fuerunt, ac jussu Nostro a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & aliquorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ad easdem Constitutiones examinandas specialiter deputata, sedulo examinatæ, & aliquibus additis, aliis sublatis, correctæ, & emendatæ sunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

PROŒMIUM.

Intentio Congregationis Bavaricæ Ordinis S. Benedicti sub titulo Sanctorum Angelorum Custodum a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XI. authoritate Apostolica anno 1684. noviter erectæ, non est novam Regulam introducere, aut novas obligationes Religiosis, ad conscientias eorumdem gravandas, imponere, sed collapsam Monasticam disciplinam juxta Regulam Sancti Benedicti, ad quam tam Abbates, quam cæteri Religiosi Nostri Ordinis vi votorum emissorum tenentur, ita restaurare, ut eadem Regula, juxta charitatis, & perfectionis leges debite observetur, ac Ecclesiæ ritibus, & legibus omnia accommodentur. Quamobrem aliarum Congregationum laudabilium, nempe Cassinensis, S. Mauri, & Vallisoletanæ salutaribus Statutis, & declarationibus in praxim jam redactas, quantum possumus nos conformabimus, cuncta sic disponendo, ut nihil nimis arduum, & onerosum injungendo, iter Evangelicæ perfectionis, & observantiæ Regularis, uno corde, & animo in vinculo pacis, & charitatis, cum gaudio, & Spiritus consolatione curramus.

CAPUT I.

De forma, & Ordine Congregationis Bavaricæ.

Congregatio Bavarica SS. Canonibus, & Summorum Pontificum Decretis, conformiter, eatenus formanda, & ordinanda est, ut pro debita observantia Regulæ Sancti Benedicti in primis per media, tum Capitulorum Generalium, tum per Visitatores singulorum Monasteriorum perfectior Disciplina Regularis, eaque quantum possibile erit, conformis in omnibus Congregationis hujus Monasteriis introducatur, & conservetur.

§. 1.

De Capitulis, seu Conventibus Generalibus.

Singulis trienniis, inchoando a proxime celebrando Capitulo aliud Generale Capitulum celebrabitur in aliquo Monasterio ad hoc, in quo omnes Abbates (nisi Canonicas præpeditiones habeant) personaliter conveniant, & continuis aliquot diebus diligentissime tractent de reformatione Congregationis, & observantia Regulari, aliisque rebus ad regimen Congregationis pertinentibus.

Convenientes vitam ducant communem, omni superfluitate exclusa, refectionem in mensa regulari sumant, continuata lectione libri spiritualis per totam mensam, fiatque a singulis proportionata expensarum refusio illi Monasterio, in quo Capitulum celebratur.

In proximo Capitulo præsidebit D. Cælestinus Abbas S. Emmerani, qui novissime electus fuit in Præsidem Congregationis: in aliis vero eligentur in principio Capituli per vota secreta in scriptis Præses, & duo Visitatores in hoc quoque proximo Capitulo tali modo eligendi erunt unaque cum Præside eidem præsidere debebunt, directorium habebunt, proponenda proponent, consilia, & vota aliorum requirent, atque secundum ea, quæ scilicet per majorem partem suffragiorum ultra medietatem fuerint concluſa, & approbata, recessus, seu statuta Capitularia conficient, & quod taliter circa observantiam Regularem rite, & recte statutum fuerit, inviolabiliter observetur ab omnibus, omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis.

Ipse vero modernus Abbas S. Emmerani proximum generale Capitulum a Monasterio ab eo deputando indicet, futura vero ejusmodi generalia Capitula a Præside pro tempore existente, vel eo non existente, aut legitime impedito, a primo Visitatore, congruis temporibus intimari, ac convocari debebunt in loco a præcedenti Capitulo Generali designato.

Qui legitime impediti comparere personaliter non poterunt, constituant (docto, prius de ejusmodi legitimo impedimento, traditaque in scripto potestate) Procuratorem, sive unum ex aliis Abbatibus, sive Priorem, aut alium Religiosum Conventualem, seu Monasterii, qui proinde omnibus consultationibus intererit, & inter Abbates (ultimo tamen loco) sedeat, & votum dabit. Quod si plures sic constituti Procuratores adfuerint, is inter eos, sed post omnes Abbates, sessionis, suffragiique servetur ordo, qui inter Abbates constituentes; si adessent, servetur.

Omnia, & singula Monasteria, sive singuli Conventus Religiosi, Congregationis nostræ Conventualem Sacerdotem, majori suffragiorum Conventus parte, in Procuratorem electum, ad Capitulum Generale ablegabit, singulari memoriali instruendum, cui ipsorum nomine tum gravamina, tum alia proponenda committentur, qui etiam in punctis consultandis, rationes suas, pro, vel contra proponet, simulque post Abbates, vel eorum Procuratores, secundum ordinem professionis locum obtinendo, votum consultivum habeant. Hi missi Procuratores e suis quatuor eligere poterunt, qui votum etiam decisivum, post Abbates supradicto modo, habebunt. Cum autem omnes tam Abbates, quam Procuratores, ad locum, in quo Capitulum celebrari debebit, convenerint, Majori Sancti Spiritus Missa decantata, cui omnes intererunt, sumptoque per singulos Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento accedent ad Capitulum; tum Præses, brevi exhortatione facta legitimam esse Congregationem, declarabit: in aliis autem agendis, præsertim quoad electionem Præsidis, & Diffinitorum, ferendaque suffragia observabunt ea, quæ juxta Sacrorum Canonum dispositionem servanda sunt.

Præses autem, & Diffinitores electi nominabunt, & instituent tres Causarum Auditores, Abbates duos, & Procuratorem Conventualem unum, qui temporalem statum Monasteriorum examinabunt, summas receptarum, & expensarum, creditarum quoque, & debitarum pecuniarum cuique Monasterio, ex Brevibus computorum triennii præcedentis cujuslibet Monasterii, quæ Procuratores iisdem tradere tenebuntur, inspicient, etsi quem ipsi Auditores excessum in administratione temporalium animadverterint, ad Diffinitores deferent, qui pro bono Monasteriorum, prout expedire viderint, super his providebunt.

Diffinitorum authoritas tempore dumtaxat Capituli Generalis durabit; ac tam Præses, quam ipsi Diffinitores, ac Visitatores, non solum quandiu in officio erunt, sed in perpetuum ad servandum silentium statim electi, præstito Juramento se obstringent.

Protocolla quoque Capituli Generalis, & Visitatorum, si Præsidis, & Visitatorum arbitrio asservari ulterius necesse non sit, comburentur; quæ vero servanda erunt, ita caute custodientur, ut nullo modo in illorum deveniant manus, quos Visitatio, & accusatio concernere potest.

§. 2.

De Præside Congregationis.

Pro feliciori successu Capituli proxime celebrandi, si ita Præsidi, & Visitatoribus videbi-

tur, unus Abbas ex alia Congregatione Ordinis Sancti Benedicti evocandus erit, qui D. Abbati Sancti Emmerani moderno Præsidi nostræ Congregationis assideat, primumque locum immediate post eundem Præsidem teneat; successive vero alii omnes Abbates juxta consuetam eorumdem præcedentiam.

Intra triennium quoque omnia, quæ per Abbates singulos non commode expediri, neque tamen ad Capitulum Generale differri possunt, ad ipsum Præsidem referantur, petendo consilium, vel decisionem, pro ratione subjectæ materiæ juxta tenorem Regulæ S. Benedicti, & nostras Constitutiones.

Ipse autem D. Præses, vel statim, ponderatis rationibus, per se resolutionem dabit, vel in casibus dubiis, & gravioribus consilium a Visitatoribus, aliisque Abbatibus vicinis prærequiret: atque hujusmodi Decisiones, seu Resolutiones D. Præsidis, licet ante confirmationem Capitularem vim statuti perpetui non habeant; tamen usque dum causa in proximo Capitulo proponatur, sine oppositione, vel contradictione observentur.

Libera etiam sit appellatio singulis Religiosis, qui a proprio Abbate se gravari, & proinde justam appellandi causam habere credunt, ad D. Præsidem conceditur, eo tamen observato, ut per literas gravamina proponant, nec nisi vocati personaliter eundem accedant. Item, ut cum religiosa modestia, sine insolenti despectione proprii Abbatis provocationes hujusmodi fiant. Quod si nec a D. Præside juste judicatum quispiam censeat, ad Capitulum Generale, siquidem causa gravaminis sit gravis, & proportionata sit, provocare poterit, & a Capitulo Generali ad Sanctam Sedem Apostolicam, ad quam etiam semper, & quandocumque liber patet recursus. Quo facto omnis processus sit suspensus, etsi pro causarum, vel circumstantiarum qualitate, provocans hujusmodi in suo Monasterio quiete vivere non posse videatur, pro convenienti tempore ad aliud Monasterium transferetur per Præsidem.

Habeat Dominus Præses sigillum speciale Congregationis in manu, & custodia sua, quo utetur in expeditione, seu communicatione Decretorum Capitularium, item recessuum, seu chartarum Visitationis, etsi quæ alia non proprio, sed totius Congregationis, vel saltem nomine Domini Præsidis, & Visitatorum expedienda erunt. Asservabit etiam Dominus Præses omnia documenta, protocolla, aliaque scripta, quæ pro futuris eventibus asservari, ut supra, necesse erit: consignanda post expletum triennium suo successori.

In quem finem in uno Monasterio a Capitulo nominando Archivium constituetur, in quo documenta, quæ universam Congregationem concernunt, asservabuntur a duobus, vel tribus ab eodem Capitulo deputatis.

Insuper necessarium erit aliquale ærarium constituere, in quo singula Monasteria proportionatam aliquam collationem pecuniæ annuatim faciant, eo fine, ut in primis expensæ a Visitatoribus in transitu ab uno ad alterum Monasterium faciendæ, sine novo Monasteriorum onere, deinde etiam alia, quæ emergentibus casibus nomine Congregationis expendenda erunt, ex hoc communi ærario sumi possint. Atque hoc ærarium sub custodia Domini Præsidis erit, qui cum duobus deputatis illius Monasterii, in quo ærarium extiterit, inspectionem, & curam debitam habebit, atque singulorum portiones, seu taxas (certo anni tempore) recipiet, & completo triennio suo, de omnibus acceptis, & expensis rationem, unaque residuam pecuniam in Capitulo Generali deponet, novo Præsidi numerandam, & committendam, ac custodiendam, ut supra decretum est.

Dominus Præses curabit, a quodam ad id specialiter deputato, describi ea, quæ notatu digna per annum acciderint, spectantia ad Congregationem, utpote Monasteriorum accessiones, Superiorum Institutiones, amotiones, & depositiones, si quæ fiant, & alia negotia magni momenti, quæ suscepta per annum, vel terminata fuerint, & in alio Libro nomina Patronorum, Benefactorum, & Amicorum Congregationis, ac etiam extraordinaria benevolentiæ officia ab ipsis recepta, ut de iis successores suos, & alios docere possit, quos duos Libros ad Capitulum Generale deferet, Patribus exhibendos.

Quolibet triennio Præses Congregationis officium deponet, ita tamen, ut sexennio, & amplius illius officium continuari possit, si ita pro bono Congregationis disponendum Capitulo videbitur, dummodo tamen confirmatio fiat per secreta suffragia a duabus ex tribus partibus Vocalium in Capitulo existentium.

§. 3.

De Visitatoribus, & Visitationibus.

Ut visitationes Monasteriorum unde plurimum tam disciplinæ Regularis conservatio, quam eorum, quæ in Capitulis Generalibus salubriter constituta sunt, executio pendet, cum auctoritate, & fructu fiant, ipse Dominus Præses erit ordinarie primus omnium Monasteriorum Visitator: Præter quem duo alii Visitatores eligantur in Capitulo Generali, quorum unus semper cum Domino Præside Visitationibus intererit. Si Præses non possit omnia Monasteria visitare, disponet cum Visitatoribus, quænam soli Visitatores visitare debeant. Monasterium Domini Præsidis a duobus Convisitatoribus visitabitur. In casu, quo propter ægritudinem, vel alia inevitabilia, eaque diuturna impedimenta sive Dominus Præses, sive alii duo Visitatores non possent officio visitationis fungi, per Capitulum Generale quolibet anno, donec aliud statutum sit in Capitulo Generali provisio facienda, & eventualiter alii substituendi sunt, ne res tam salutaris, scilicet visitatio singulorum Monasteriorum omittatur, sed omnino perficiatur, & terminetur.

Quod si Præses non adsit cum uno Visitatore, neque ipsimet duo Visitatores constituti simul adesse possunt in visitatione, adjungetur a Præside cum consilio Visitatorum uni Visitatori socius ejus, vir capax, & in statutis faciendis Visitatori auxilio esse possit, qui ad silentium servandum in iis, quæ ad officium suum pertinent, eo modo, quo Visitator, adstringetur.

Pro primo triennio a proximo Capitulo inchoando, visitatio fiet quolibet anno pro majori Congregationis stabilitate, & perfectiore religiosa disciplina introducenda, quæ visitatio annua, an continuis futuris temporibus continuanda sit, vel singulo solummodo triennio posthac instituenda sit, in Generali Capitulo decernendum erit.

Præter visitationes communes particulariter, & ex causa particulari, unum, alterumve Monasterium visitari poterit, ubi tamen velut in causa graviori Dominus Præses consilio duorum Visitatorum, vel etiam aliorum Abbatum vicinorum uti, nec nisi sufficienter informatus, & urgente necessitate ad singularem hujusmodi visitationem procedere debebit. Officium principale, atque obligatio Visitatorum juxta Sacros Canones *Cap. fin. de statut. Monach.* in eo consistit, ut:

Primo. De statu Monachorum, & observantiis regularibus diligenter inquirant, corrigant, & reforment, quæ juxta Regulam Sancti Benedicti, & nostræ Congregationis Constitutiones viderint corrigenda.

Secundo. Ita tamen ut delinquentes Mona-

chos per Abbatem loci corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam salutarem, vel etiam pœnas delictis proportionatas.

Tertio. Ipsi etiam Visitatores, Monachos, quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ Regulari censura, & debitis pœnis percellant.

Quarto. Si vero Abbates in corrigendis Monachis suis juxta Visitatorum mandata, inventi fuerint negligentes, moneantur, & corripiantur in proximo Capitulo Generali.

Quinto. Quod si Abbas fuerit inventus a Visitatoribus nimis negligens aut dilapidator, vel alias merito ab officio amovendus, secundum præscripta Sanctorum Canonum *Cap. penult., & fin. de Stat. Monach.* disponendum erit.

Quod si quis ex gravi causa se injuste gravatum existimaverit, ad Visitatores, ut dictum est, recursum suum habebit, a Visitatoribus ad Præsidem, & a Præside ad Capitulum Generale, a Capitulo Generali ad Sanctam Sedem Apostolicam, ad quam etiam semper, & quandocumque liber pateat recursus. Casu vero quo quispiam, vel Abbas, vel Religiosus ad alium Judicem cujuscumque Dignitatis, vel qualitatis, aut præeminentiæ sit, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, appellare præsumserit, juxta Sacros Canones, & Summorum Pontificum Constitutiones, necnon Sacrarum Congregationum Decreta a suis Superioribus Regularibus puniatur. Tam in visitationibus, quam etiam in Capitulis triennalibus Secretarius adhibendus erit, qui Protocolla conficiat, aliaque expediat, quæ concipienda & expedienda sunt. Is vero de silentio fideliter servando, & quod sine commissione DD. Visitatorum, vel Præsidentium nihil expedire, nec aliis communicare velit, præstito juramento se obligabit.

CAPUT II.

De unione, & communicatione Monasteriorum Congregationis Bavaricæ.

§. 1.

De mutuis auxiliis, & subsidiis.

Quamvis præsens unio, & Congregatio non tollat, imo intendat, & supponat Monasteriorum primævo Instituto, & S. Regulæ conformem distinctionem, & separationem, & non minus in posterum, quam huc usque singula Monasteria singulares redditus, itemque proprios, & perpetuos Abbates habitura sint, quibus uti tota administratio, & dispositio porro commissa, ita eorum officium, & obligatio erit, secundum proportionem reddituum, & Monasterii constitutionem, tum œconomiam instituere, tum in suscipiendis Conventualibus eo intendere, ut in numero, & qualitate personarum eatenus Monasteriis sibi commissis prospiciatur, quatenus aliena subsidia petendo, aliis oneri esse non debeant. In quem finem Præses pro sua discretione admonebit Abbates, quatenus in Monasteriis suis tot Religiosos habeant, quot supportatis aliis oneribus commode sustentari, ac pro feliciori statu Monasteriorum, tam in spiritualibus, quam temporalibus, prodesse poterunt.

Propter casus tamen extraordinarios, qui omni quandoque diligentia adhibita præcaveri non possunt, posteaquam per Congregationem erectam, omnia Monasteria quasi in unum corpus coaluerint, omnino oportebit in necessitate mutuis auxiliis, & subsidiis succurrere, atque sic fratrem a fratre adjuvari.

Quod præcipue circa personas facile, & frequentius necesse erit, si videlicet, in uno Monasterio non sint satis idonei pro officiis, cura animarum, instructione aliorum &c., vel e contra si sint, quibus, vel propter valetudinem, vel alias causas emergentes, ad corporis, & animæ salutem conducere videatur loci mutatio. Hisce casibus omnino succurrendum mutuo, atque unanimiter curandum, qualiter tum animæ salventur, tum Monasteria singula in bono statu conserventur. Et quidem ordinarie hæc materia ad Capitulum Generale referenda, ibique communibus consiliis de modo, & mediis resolvendum erit: si tamen periculum in mora apparebit, D. Præses cum consilio duorum, vel trium Abbatum, eorum maxime, de quorum interesse agitur, interim usque dum in Capitulo plenius provideatur, disponere, & omni meliori modo, quo potest providere debebit. Ad hunc igitur finem, ut exigente justa causa Religiosorum de uno ad alterum Monasterium translatio commode fieri possit, in posterum omnes ad Novitiatum, seu Professionem in quocumque nostræ Congregationis Monasterio admittendi, se obligabunt expresse, quod a loco Professionis ad tempus discedere; & in alio Monasterio vivere, aut functiones injungendas subire teneantur, quoties id in Capitulo Generali, vel Domino Præsidi, sive pro exigentia alterius Monasterii, sive pro sua propria salute necessarium videbitur, eo tamen salvo, quod quilibet in Monasterio Professionis suæ semper jus, & titulum, item vocem activam, & passivam retineat, ad quod etiam regressum, cessante causa translationis habebit: neque enim absolute, vel in perpetuum aliquis alio transferetur (nisi forte causa omnino extraordinaria, & specialissima id postularet) sed omnes sic translati in visitatione, aut Capitulo Generali se insinuare, & restitutionem ad locum Professionis urgere possunt, exaudiendi, si specialis ratio non obstat.

De iis porro, qui hactenus absolute stabilitatem loci professi sunt, sine obligatione ad prædictam translationem, confidimus eos, vel ultro in hoc ipsum statutum consensuros, seque prædicto modo obligaturos, vel saltem difficiles non fore, si exigente necessitate, aut rationabili causa ad transitum temporalem de suo ad aliud Monasterium requirantur.

§. 2.

De communi Novitiatu.

Inter occasiones, quibus ab uno Monasterio, aliis utiliter succurri potest, præcipue videntur circa Novitios, & Novitiatum, ubi frequentes defectus se se hactenus prodiderunt, dum vel alicubi non fuerunt, qui cum debito fervore & scientia Novitios in solidiori ascesi instruerent & manuduceren, vel Novitii singulares, aut nimis pauci in uno Monasterio non poterant ab aliis separari, & in exactiore disciplina educari.

Ubi unicum remedium occurrit communis Novitiatus, si videlicet Novitii in uno, vel si numerus magnus esset, duobus Monasteriis Novitiatum subeant, sub idoneo ad hoc munus Magistro, ex quocumque Monasterio eligendo. Interim quia aliunde rationabile, & necesse est, ut tum Novitii Constitutionem Monasterii, in quo citra casum, & causam specialem constanter vivendum, tum etiam superiores, & Conventus mores, indolem, & animi propensiones Novitiorum, quos in perpetuos Confratres, & Convictores suscipiunt, rite probent, & experiantur: Primo quidem Novitii, sive Postulantes per duos menses in habitu sæculari, & in Monasterio, in quo suscipiendi sunt, manebunt, Officiis Divinis, aliisque exercitiis regularibus intererunt, cellam in dormitorio occupabunt, & in Refectorio communi cum aliis refectionem sument: tum ad Monasterium Novitiis instruendis deputatum mittentur, in quo instruentur, & annum integrum permanebunt, quo peracto, ad Monasterium, in

quo vota emissuri sunt, revertentur, ibique profitebuntur, si majori suffragiorum Conventus numero approbentur. Quæ omnia sic fient, ut secundum divisionem anni probationis a Sancto Patre Benedicto in tria tempora, duorum in primis, dein sex, & ultimo quatuor mensium pro trina deliberatione, & resolutione factam Novitii primam probationem sic perficiant, ut intra illud tempus singulariter in recitatione Breviarii, & Ritibus, seu Cæremoniis religiosis exterioribus sedulo instruantur: postea in altera probatione circa interiorem hominem, veram vitæ Spiritualis perfectionem, secundum solida ascescos principia instruantur, ac deinde expleto hoc tempore, juxta præscripta in Regulis Sancti Benedicti, per reliquum anni spatium exerceantur, & tunc ad propriam Monasterium, in quo professionem emissuri sunt, cum Literis testimonialibus, & judicio Domini Abbatis, ac Magistri Novitiorum revertantur per aliquod tempus pro Abbatis arbitrio, probandi, quantum in communi Novitiatu profecerint, & an satis capaces, & idonei sint, qui ad professionem admittantur. Quod si ex causis rationabilibus a majori parte Capituli probatio cujusdam Novitii videatur ultra tempus consuetum extendenda, professio differri eousque poterit, donec Novitii mores, & genius omnino perspecta sint, Præsidi vero desuper debita relatio singulis vicibus dabitur.

Novitii omnes proponentur toti Capitulo Monasterii illius, in quo erit Novitiatus communis probationis tempore, singulis quatuor mensibus examinandi, quo in examine exquiretur, quid quisque in illis reprehensione, aut emendatione dignum videtur, unde, vel dimissionis, seu admissionis possit fieri judicium, & ultimo mense communis Novitiatus finito, priusquam ad propria Monasteria Novitii cum Literis remittantur, in Capitulo singuli Religiosi mentem suam super capacitate, & incapacitate eorumdem declarabunt.

Emissa Professione, qui ad studia Rhetorices, & Philosophiæ applicandi erunt, statim ad Monasterium in hunc finem pro studiis designandum, mittentur. Qui vero studiis non applicabuntur, vel Sacræ Theologiæ studio immediate vacare debebunt, prius per annum integrum in proprio Monasterio, sub regimine pii Patris Spiritualis exercitiis, & meditationibus unice applicandi erunt, nisi justis de causis super hoc Abbati de consensu Præsidis, & Visitatorum, cum aliquibus dispensandum visum fuerit.

Tam in Monasterio, ubi Novitii instruentur, quam in illo, ubi Juniores professi studio Rhetoricæ, ac Philosophiæ applicantur, variis in dormitoriis, si fieri possit, recumbent: quod multo magis observandum erit, si in eodem Monasterio, tam Novitii, quam dicti Juniores Professi studiis operam dantes constituerentur; quo in casu, excepto Choro, & communi Refectorio, debita separatio fiet inter Novitios, & alios. Ad Monasterium pro dictis studiis deputatum, Abbates omnes Fratres iisdem studiis applicandos mittere tenebuntur, quorum etiam, utpote Juniorum piæ, & religiosæ institutioni insuper præficietur unus Pater Religiosus, vir gravis, maturus, & pietatis exercitiis præ aliis deditus, qui illos ad exactam Sanctæ Regulæ observantiam verbo, & exemplo inducat: ex qua eadem ratione in dicto Monasterio, respectu aliorum quoque Religiosorum, disciplina ad majorem, sive Novitiorum, sive Juniorum Professorum ædificationem, exactissime observabitur.

§. 3.

De Communi studio Literarum.

Ut vero Fratres nostri e Lectione Divina majorem consolationem ac uberiorem fructum accipere, & alacrius vitæ solitariæ labores, & exercitia subire valeant, hortamur superiores, ad quos id spectat, ut in studiis Philosophiæ, & Theologiæ, aliisque disciplinis, quæ ad Sacrarum Literarum intelligentiam maxime conducunt, suos Monachos sedulo exerceant, eisque nulla in re desint, quæ in hujusmodi studiis, majorum, nec non Confratrum nostrorum, præsertim, qui sunt de Congregatione S. Mauri, exemplo proficere, ac subinde, in rebus suis ad Dei gloriam, & animarum profectum possint utiliter occupari, ad quorum studiorum statum felicem, quæ sequuntur declaramus observari debere.

Quamvis in vicinis Academiis passim extent convictus specialiter pro Religiosis ad studia mittendis, ordinati: quia tamen in pluribus Monasteriis, partim propter defectum mediorum, seu sumptuum, qui in hujusmodi convictibus, ad magnam quantitatem annuatim excrescunt, partim ob alias causas, non omnes ad publicas Academias mitti potuerunt, ideoque non pauci hactenus in suis Monasteriis sine sufficienti instructione, & profectu literario detenti, rudes, & inhabiles, otii magis, quam librorum amatores evaserunt, cum ingenti suo, & Monasteriorum dispendio; ideo ut hac in parte per Congregationis nostræ unionem succurratur, in uno, vel pluribus Monasteriis, Gymnasia, & Scholæ aperiantur, ubi Religiosi in studio Rethorices, in Philosophia, casibus conscientiæ, & materiis Theologicis præsertim illis, quæ pro cura animarum, & instructione populi, in sana, & ortodoxa Doctrina necessaria sunt, & in aliis similibus ad sufficientiam erudiantur, & educentur.

In quem finem præter illud Monasterium, juxta superius dicta, pro studio Rethorices, & Philosophiæ destinandum, aliud constitui debebit pro studiis Theologiæ Scholasticæ, ac Positivæ, Sacræ Scripturæ, & Sacrorum Canonum, atque linguarum, quæ ad Sacræ Scripturæ intelligentiam conducent. Quod si unum Monasterium pro his omnibus studiis modo nominatis, nimis angustum foret, duo deputari poterunt, arbitrio Capituli, toties quoties necesse videbitur ab uno ad aliud Monasterium mutando. Professores, sive Lectores, ea & Magistri tam Rectorices, quam Philosophiæ Sacræ Theologiæ Sacrorum Canonum, & aliorum studiorum prædictorum assumentur, sive ex nostra, sive ex alia nostri Ordinis S. Benedicti Congregatione, nec ab alia alterius Ordinis assumi poterunt, nisi de speciali licentia Sanctæ Sedis Apostolicæ, ad supplicationem Capituli, evocentur. Ut porro Religiosi in spiritu propriæ vocationis, & Religiosæ Disciplinæ observantia fusius conserventur, ad Academias publicas, nullus posthac mitti poterit, nisi a Capitulo Generali, ex justis causis, pro quovis casu particulari, id expresse concedatur.

Quatenus studia memorata in nostra Congregatione magis floreant, in Monasteriis expresse ad eadem deputatis, & ut sumptus, eum in finem faciendi, quantum possibile fuerit, eviæntur, qui Theologiæ Moralis studio solummodo applicabuntur, in propriis Monasteriis suis remanentes, ibidem Lectorem proprium, ad hoc deputatum, habebunt, qui bis ad minus in hebdomada, Lectiones e Theologia Morali habeat, & ab eodem, vel alio una vice saltem ex Sacra Scriptura alia Lectio habebitur.

Ad supradictorum executionem Magistri, seu Professores, præ cæteris ad hoc munus idonei, advocandi, & assumendi sunt, eisque uti respective etiam eorum Discipulis, per DD. Visitatores, vel Capitulum Generale, eatenus prospiciendum erit, ut commode, & sine impedimento, vel defectu necessariorum studiis vacare possint. Porro quia nec Fratres studiosi, neque Novitii in Monasteriis, ubi studium hujusmodi,

vel communis Novitiatus instituitur, sine incommodo, & impensis ali possunt, aliqua refusio, seu compensatio facienda erit; & primo quidem curandum est, quantum possibile, ab uno ad alterum Monasterium hujusmodi onerum translatio fiat, quatenus mutuam sibi vicem reddendo vicissim in eodem genere compensent. Si quæ vero Monasteria ad hoc qualificata, & satis capacia non sint, ea pro suis, quos ad studia, seu Novitiatum mittunt, vicissim alios Religiosos recipiant, siquidem ita occasio ferat. Sin minus, vel in pecunia moderatam aliquam refusionem, maxime si Novitii, aut Confratres studiosi patrimonium, vel ab eorum parentibus, sive consanguineis subsidia habeant, vel in alio genere, etsi non tunc statim, saltem cum tempore recognitionem præstent: ubi tamen nec exacta, & plena refusio, maxime a Monasteriis alias penuria laborantibus exigenda, sed propter commune Ordinis, & Congregationis bonum, incommodum, & pars expensarum supportanda erunt, eo solum observato, ne unum, alterumve Monasterium intolerabiliter gravetur, atque ita alia vice impossibilitatem causari, & admissionem tot hospitum juste recusare possit: quod tamen arbitrio, & judicio Abbatum in Capitulo congregatorum, committendum, & votis majoribus standum erit. Pro generali regula observandum est, ut sumptis pro personis ad bonum commune Congregationis applicatis, ex. grat. pro Lectoribus, solvantur ex massa communi totius Congregationis: pro personis ab uno ad utilitatem alterius Monasterii translatis, solvantur a Monasterio, in cujus utilitatem talis ordinatio facta fuit: si denique mutatio fiat ob utilitatem ipsius personæ, sive Monasterii, ex quo alio mittitur, solventur sumptus ab eodem Monasterio. Quamvis autem pro tempore in Monasteriis nostris commodæ accommodationes, & habitacula, pro studio, vel Novitiatu communi non extent, sed primum putari debeant, non sine difficultate, & temporis mora; confidimus tamen, consilio, & solertia DD. Visitatorum, provideri, & obtineri posse, ut in majoribus Monasteriis aliquibus ad sufficientiam paretur, quod in re tam salutari necessarium erit: utque hoc sine longa dilatione, sed quanto citius possibile erit, efficiatur, eorum singulari curæ committimus.

Prædicta studia futuris temporibus in aliquo Monasterio indicere, vel dissolvere, aut etiam alio transferre Magistros, & Lectores instituere, aut amovere, extra tempus Capituli, gravi aliqua ratione urgente, possit Præses de consilio Visitatorum, ab his tamen minus idoneos removere poterunt Visitatores.

Scholastici post emensum studiorum cursum, in exercitiis regularibus, liberi ab omnibus impedimentis occupabuntur per annum, sub cura, & moderamine alicujus pii, & experti Patris.

Lectores autem, & Magistri sint ea prudentia, maturitate, devotione, pietate, & aliis dotibus instructi, ut scientiis cum pietate docendis, verbo, & exemplo pares sint, novas opiniones, vel etiam parum communes, seu minus tutas ne doceant, Sacræ Scripturæ sensum ne detorqueant, Sanctorum, & Doctorum placita in honore habeant, ac in omnibus, & præcipue in his, quæ ad munus suum pertinent, Superiori suo subjecti sint, & obedientes: nullus Alchimiam, Astrologiam Judiciariam, aliasque periculosas, aut prohibitas artes, & disciplinas addiscere, multo minus docere, vel exercere audeat. Lectores, qui morum doctrinam tradent, eam, cum de ipsa Christi Lege agitur, ex Scripturis juxta Patrum consensum expositis, & ex eorumdem Patrum traditione hauriant: cum autem de Disciplina, & Legibus Ecclesiæ, Decreta Conciliorum, præsertim Tridentini, & Summorum Pontificum consulent, & sequantur: qui autem Theologiam tractant, omissis inutilibus quæstionibus, materias utiles, & necessarias ex scriptura, & traditionis fundamentis explicare studeant.

Nullus etiam scriptura sua, vel aliena, seu Libros a se, aut ab aliis factos prælo committere, aut publicare, vel quæ fuerint a se inventa, in ære incidenda tradere, aut alias in publicum evulgare possit sine expressa in scriptis licentia proprii Abbatis, & Capituli, vel Præsidis, & eorum ad quos spectat.

Exercitiis communibus aderunt semper Scholares, nisi a quibusdam fuerint, quod maxime decet in favorem studiorum, exempti, sed ab Officiis Divinis nusquam diebus Dominicis, & festis cum eis dispensabitur, nusquam etiam ab oratione mentali, majori Sacro, & Vesperis: sic enim operam dabunt comparandis scientiis, ut præcipuum eorum studium sit ad virtutem, & perfectionem status monastici contendere.

CAPUT III.

De particulari Monasteriorum gubernatione.

§. 1.

De Abbate, & quæ eidem observanda sunt.

Gubernatio, & potestas, quæ Abbatibus tum per Sacram Regulam, tum SS. Canones respectu suorum Religiosorum, ipsiusque Monasterii in Spiritualibus, & temporalibus datur: per Congregationis erectionem non minuenda, simul autem eo intendendum erit, ut potestatem, seu officium rite secundum S. Regulam, & SS. Canones exerceant, pro sua, & subditorum salute, commissique Monasterii emolumento. Suppositis igitur, nec repetitis, quæ S. Pater Noster (cujus Regulam in omnibus observare intendimus) in Abbate requirit *Cap.* 2. *qualis debeat esse Abbas &c.* attendendum in primis erit, ut electio Abbatis legitime, & canonice fiat juxta præscriptum ejusdem Regulæ, & Juris communis dispositionem, quæ in ejusmodi electionibus Abbatum deinceps omnino servanda erit.

Quod si innotescat aliquem precibus, aut persuasionibus per seipsum, vel per alium eligentes solicitasse, talis hoc ipso pro indigno judicandus, neque electio talis confirmanda, sed cassanda sit. Electus legitime non tantum confirmationem a S. Sede Apostolica petet, ratione Monasteriorum horum, quæ taxantur in libris Cameræ Apostolicæ, sed & a Reverendissimis Episcopis Locorum quoad reliqua, quæ hactenus ab eisdem ejusmodi confirmationem petere consueverunt. Quod si in casu particulari a quodam Rmo Episcopo, cui a Sancta Sede Apostolica Jus confirmandi Abbatem addictum fuit, eadem confirmatio per Neoelectum Abbatem obligationi suæ conformiter petita denegaretur, ipse Abbas ab hujusmodi denegata confirmatione appellare poterit ad Sanctam Sedem Apostolicam pro ejusmodi confirmationis, & benedictionis gratia impetranda.

Confirmatione prævia obtenta sic confirmatus Abbas plenam sui Monasterii administrationem eatenus consequetur, ut tamen, in certis quibusdam casibus partim in jure expressis, partim in consuetudine, aut singulari ratione fundatis, consensum sui Conventus, idest majoris partis eorum, qui commode ad Capitulum venire possunt, requirere, & obtinere debeat. In specie ad alienationem bonorum immobilium, sacræ, & pretiosæ suppellectilis, Reliquiarum, vel Antiquitatum magni momenti, scripturarum, & documentorum Monasterii &c. sive talis alienatio fiat per venditionem, sive per transactionem, aut permutationem, aliquo modo per SS. Canones, & Constitutiones Apostolicas, inter alienationes prohibitas numerato.

Præterea consensus requirendus est ad debi-

torum in magna summa contractionem, Monasterii novis censibus anniversariis, aliisque gravibus, & perpetuis obligationibus onerationem, quibus accensentur nova ædificia, unde Monasterii depauperatio, ipsique Conventui defectus necessariorum sequi posset: hoc insuper observato, ut quandocumque de alienatione, vel obligatione per Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas interdicta agetur, etiam beneplacitum Sedis Apostolicæ desuper obtineatur.

Insuper etiam cum consensu Conventus expediendæ sunt præsentationes ad Parochias, vel Beneficia, siquidem Juspatronatus non ad Abbatem solum, sed communiter ad Monasterium spectat. Item concessionem tituli mensæ, sicut etiam admissio Novitiorum ad Professionem &c. Alia minoris momenti negotia, unde tamen periculum, vel incommodum Monasterio sequi posset, cum consilio Conventus expedienda sunt: & id, quod utilius judicatum fuerit, ex præscripto Sanctæ Regulæ resolvi debebit. Et quidem, si causa gravis, & periculosa, etiamsi ex iis, quæ de Jure consensum requirunt, non sit, tamen conformiter Sanctæ Regulæ tota Congregatio Monasterii convocanda, & singulorum consilia audienda sunt, quia sæpe Deus juniori revelat, quod melius est. Causæ vero leviores rectius inter paucos, idest cum Patribus Senioribus consulantur: cujusmodi censentur (nisi extraordinaria ratio dubitandi, vel laudabilis consuetudo aliud suadeat) Novitiorum ad Monasterium susceptio, Fratrum ad Sacros Ordines admissio &c. Graviores quoque excessus cum consilio Seniorum emendentur, & puniantur, nisi delictum occultum, vel alia rationabilis causa sit, & Abbatem moveat sua auctoritate sine mora, vel aliorum præscitu procedere. Singulariter observandum, atque Abbatibus nostræ Congregationis cavendum erit, ne redditus Monasterii immodice in superfluos famulos, vel equos, item splendida convivia, recreationes, vel alias ad luxum, & fastum expendantur: unde cavendum erit Abbatibus, ne famulos Sæculares potius ad splendorem, & populorum respectum superfluum sibi conciliandum, quam ad necessarium servitium habeant; quare ut in terminis debitæ necessitatis, & decentiæ persistant de his in Capitulo rationem reddant; tales vero famulos suscipiant, qui sint bonæ indolis, eamque morum honestatem præseferentes, ut illorum Christiana modestia omnibus sit manifesta, nullamque vanitatis ansam in vestitu, capillatura, & in conversatione sua præbeant, habitu incedant modesto, nullo modo versicolorato, non aleæ, aut vino, vel potationibus dediti, neque aliis similiter exceptis obnoxii.

Extra Monasterium existentes, & sub itinere constituti Domini Abbates semper Socium Religiosum secum habeant, si commode fieri potest: Reliquis vero Religiosis saltem Frater Laicus, aut, si Domino Abbati in casu particulari ita visum fuerit, famulus honestus pro Comite adjungatur.

Cubicula Abbatum universim sint munda; & sicut Servos Dei decet, modeste dispositа, atque piis imaginibus exornata, exclusis profanis tam imaginibus, quam aliis ornamentis excessivis sericis, & similibus.

Unicuique Abbati permittitur, ut si redditus Monasterii id patiantur, unum currum habeat, qui tamen non sit deauratus, neque ex serico compactus, plures etiam equos non alat, quam pro ipsius, & Monasterii necessitatibus requiruntur.

Universim redditus Monasterii, habita ratione paupertatis Religiosæ, prudenter, & moderate in necessitates Monasterii, & Conventus, & in eleemosynas dispensentur; si quid abundat, in futuros casus, & necessitates, sive proprii, sive aliorum Congregationis nostræ Monasteriorum asserventur. Deinde quod per Sac. Canones *Cap. Cum ad Monasterium de Stat. Monach.* salubriter constitutum habetur, ut Abbas, cui omnes in omnibus reverenter obediant, quanto frequentius poterit, sit cum Fratribus in Conventu, vigilem curam, & diligentem solicitudinem gerens de omnibus &c, maxime de Choro & mensa intelligendum, & observandum est, ut scilicet Abbates omnino festivis, sed aliis quoque diebus, quantum commode poterunt, ad solatium, & ædificationem suorum, cum iisdem Chorum, & mensam Regularem frequentent. Licebit proinde etiam hospites, habita consideratione personarum, & circumstantiarum, non solum Religiosos, & Clericos, sed etiam Sæculares, quandoque ad Refectorium ad mensam Regularem ducere, si quidem tales sint, ut per eos incommodum Conventui ex protractione, seu dilatione refectionis, neque dispendium Disciplinæ Regularis quoad silentium, & lectionem ad mensam secuturum sit: qua in re illud quoque observandum est, ut in diebus jejunii, & abstinentiæ, nullum aliud obsonium hospitibus apponatur, nisi quod juxta Sanctam Regulam, & has Constitutiones ipsis Religiosis comedere conceditur.

Hospitalitas quemadmodum in Sac. Scriptura laudatur, ita exercenda est cum ea moderatione, ut in prodigalitatis vitium non transeat; hinc omnem excessum, qui intuitu hospitalitatis fieri posset, diligenti circumspectione Visitatores a nostris Monasteriis eliminabunt, cum id minime ad ædificationem cedat, & e contrario potius scandalum generet. Pro cujusque igitur hospitis qualitate id tantum in mensa apponatur, quod ad decentem, & moderatam refectionem, sublata omni superfluitate, & abusu necesse fuerit.

In cubilibus Hospitum omnis excessus, sive in ornatu serico, & aliis similibus apparatibus, prorsus evitetur, ut Religiosa simplicitas cum modestia decenti conspiciatur, neque ad mensam vasa aurea, vel candelabra argentea eisdem apponantur, nisi forte aliqui calices, uti, & cochlearia cum furcinulis argentea quidem, non tamen deaurata apponenda videantur. In usu horum, & in expensis intuitu hospitalitatis faciendis, id specialiter considerandum venit, ut scandalum Sæcularibus non præbeatur, omniaque in simplicitate paupertatis Religiosæ cum sincera charitate præstentur. Quæ vero ex annuis redditibus Monasteriorum supersunt, utiliter impendentur, tum in usum pauperum, tum in supportandis oneribus nostræ Congregationis, & ad subveniendum congrue ejusdem communibus, & singulorum Monasteriorum futuris necessitatibus. Inter communia Congregationis onera computantur expensæ in causa Visitationum, pro Novitiis, pro studiis communibus, & aliis similibus ad Religiosam Disciplinam solide stabiliendam spectantibus. Eleemosynæ quæ pauperibus mulieribus petentibus largiendæ sunt, fiant a Janitore in pecunia, aut pane juxta æquitatis rationem. Caveatur vero, ut neque istis, neque nobilibus fœminis (quibus clausuram Monasterii nullo modo ingredi liceat) in Monasterio, etiam extra Clausuram, neque in propinqua Domo, aut alibi prandium vel aliud ejusmodi, nisi ex gravi, & honesta causa, & semoto omni scandalo concedatur.

§. 2.

De Priore, & Subpriore.

Singuli Abbates eligant, & constituant sibi Priorem, Virum probatum, qui decimum quintum professionis suæ annum saltem expleverit (auditis prius Conventualium consiliis), qui

Abba-

Abbatis vices in Conventu suppleat, semperque in Choro, & Mensa, & Dormitorio cum Fratribus sit, Disciplinæ Regulari unice invigilet, atque in iis, quæ Divinum cultum, pietatem, & spiritualem profectum spectant, tum exemplo præeat, tum verbis, & admonitionibus, seu correctionibus cæteros edoceat, ac dirigat.

Summopere caveat, ne per suam conniventiam, vel dispensationem Disciplinæ Regularis relaxatio fiat, sed omnia, quæ vel per Congregationem, vel proprium Abbatem ordinata, aut moribus, aut usu bene introducta sunt, debita observantia custodiat, tam absente, quam præsente Abbate.

Singulis Septimanis, semel, aut si opus, sæpius Capitulum habeat, in qua leviores culpæ, quas ad Abbatem deferri non oportet, per ipsum corrigantur, injuncta delinquentibus, pro qualitate culparum, pœnitentia salutari.

P. Priori ordinarie adjungendus est Subprior, qui proximum, post Priorem locum in Monasterio habeat, pro vero Superiore semper habendus, & respiciendus, quamvis præsente in Clausura, nec impedito in sua functione P. Priore, ad præcavendam confusionem Jurisdictione, & potestate jubendi, aut corrigendi non uti, sed ipse quoque P. Priori parere debeat. Absente vero, vel per ægritudinem, aliave ex causa impedito Priore, ejus Officium in omnibus, maxime repentinis emergentibus, quæ dilationem non patiuntur, per P. Subpriorem suppleantur.

§. 3.

De cæteris Officialibus, & Oeconomis Monasteriorum.

Œconomia Monasteriorum, quatenus decenter fieri potest, administretur per Religiosos, qui ad hoc idonei, atque in spiritu fundati sint, ut animarum periculum juste timeri non debeat: atque pro differentia locorum, & multitudine laborum, unus, vel plures, quos Abbas elegerit Granario, Culinæ, Cellæ vinariæ, vel Cerevisariæ præficiantur.

Officiales isti, seu Œconomi festivis diebus omnino, & aliis diebus, quantum per functiones officii licet, Chorum, aliaque spiritualia exercitia, cum cæteris frequentent: neque enim ex hoc quod hujusmodi officiis exterioribus præpositi, sed præcise quatenus juste impediuntur, exempti sunt. Quod quia pro diversa Constitutione Monasteriorum omnino inæqualiter accidit, non licebit ab uno ad alterum Monasterium argumentari, uti nec generale aliquid statui potest: sed consideratis circumstantiis, per Visitatores, & Abbatem loci determinandum erit, tum quæ officia Religionis committenda, & quot Officiales necessarii, tum qui, & quatenus a Choro, aliisque eximendi sint.

Duos saltem Œconomos, seu Cellerarium, & Depositarium quilibet Abbas instituere tenebitur, quorum alter accipiat omnes redditus Monasterii, alter expendat, quos instituet ex consilio, & consensu Seniorum, sine quo, nec poterit amovere.

In corrigendis quoque graviter delinquentibus Prioris, & Seniorum Abbas consilio utatur, sicut Regula præcipit.

Rationes de datis, & acceptis non conficiat Abbas, sed Cellerarius, & Depositarius, qui quolibet mense coram Abbate, & Senioribus totum Monasterii statum in temporalibus, receptis & expensis factis exhibebunt. Singulis autem annis in fine Decembris computata generalia reddituum, receptarum, & expensarum coram iisdem exhibebunt, & suæ administrationis rationem reddent.

Consultum videtur Officia tam Prioris, quam Subprioris, & aliorum Officialium non esse perpetua, sed post aliquot annos (nisi specialis causa necessitatis, vel utilitatis Monasterii aliud postulat, & ad id Generalis Capituli consensus accedat) mutationem fieri: quatenus tum illi, qui hujusmodi functionibus diutius distracti sunt, occasionem sese recolligendi habere: tum alii quoque secundum qualitates, & merita sua ad honores, & officia ista aspirare possint. Quem in finem tam Prior, quam Suprior cujuslibet Monasterii, elapso triennio per annum ad minus ab omni officio liberi permaneant.

Ut vero hæc mutatio commode sine ulla ignominia, vel præsumptione culpæ fieri possit, generale Statutum sit, ut omnes Officiales singulis annis ad initium Quadragesimæ ultro sua Officia resignent, expecturi resolutionem a suo Domino Abbate, an resignationem talem acceptare, an vero ad annum sequentem rursus propria officia iisdem committere velit.

§. 4.

De Monitore.

In singulis Monasteriis eligatur a Conventu aliquis ex Senioribus Religiosis Monitor, Vir maturus, & discretus, qui ad omnem in spiritualibus, & temporalibus utilitatem diligenter attendat, & si quid vel corrigendum, & utiliter ordinandum agnoscat, confidenter, & ex officio Dominum Abbatem moneat: Præcipue vero officium Monitoris in eo consistet, ut omnes de Conventu, qui forte per se ipsos accessum ad Abbatem non habeant, aut quocumque respectu aliqua denuntiare formidant, per ipsum Monitorem tuto, & secrete etiam non nominata sua persona, si ita pateant, aperire, ac significare possint, quæ alias cum dispendio Monasterii, & Disciplinæ Regularis Superiores laterent.

Curabit autem Monitor utpote vir maturus, & discretus (qualis, ut prædictum, pro Monitore eligendus est) inutiles querelas, aut murmura sopire, & saniora consilia suggerere: e contra quæ rationabilia, & tanti momenti judicabit, ut Abbas merito monendus videatur, sive materia ipsum Dominum Abbatem, sive quemcumque alium concernat, libere secundum exigentiam officii sui, cum debita tamen modestia, & respectu moneat, & si opus urgeat, aut denique si effectus non sequatur Domino Præsidi, vel Visitatori pro rei momento, & exigentia denunciet.

CAPUT IV.

De Divino Officio, & Spiritualibus exercitiis.

§. 1.

De Choro, & Horis Canonicis.

Cum nostra Professio nos Dei laudibus celebrandis addicat, alia omnia, ita ordinanda sunt, ut Officium Divinum in Choro nunquam intermittatur. Nec in particulari quispiam sine speciali causa, & licentia a Choro se subducat, ut paulo ante de Officialibus constitutum est.

Horæ Canonicæ secundum Breviarium Benedictino-Monasticum auctoritate Pauli V. editum, & ab Urbano VIII. ad correctionem Breviarii Romani recognitum: Missæ vero, aliaque in Hebdomada Sancta, vel alias consueta Officia, & Cæremoniæ secundum formam Romanam, & Calendarium Diœcesanum peragantur.

Festa nova ex præcepto Summorum Pontificum ordinata, inter quæ Sanctorum Angelorum Custodum cum Octava observentur, & celebrentur in omnibus Monasteriis nostræ Congregationis. Similiter Festa Ordinis auctoritate Apostolica appro-

bata, & celebrari concessa. Festum autem Commemorationis S. P. N. Benedicti 11. Julii sine Octava: tum & Festa Diœcesana &c. pro quavis Diœcesi de Apostolicorum Decretorum ordinatione, & præcepto observanda.

Pariter sub ritu Duplicis secundæ Classis, Festa S. Henrici Ducis Bavariæ, & Imperatoris, necnon S. Chunegundæ Augustæ, & Ducissæ Bavariæ celebrabuntur.

Ex singulari gratitudinis obligatione 26. Augusti, quo die Congregatio hæc nostra erecta est pro felici conservatione, & regimine Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Papæ XI. solemne Sacrum de Spiritu Sancto, & post mortem, quem Deus diu servet incolumem, pro anima ejusdem Anniversarium perpetuum in omnibus Congregationis nostræ Monasteriis celebrabimus.

Officia minora B. Virginis, & Defunctorum, item Psalmi Graduales, & Pœnitentiales, sicut etiam Litaniæ in Choro dicendæ sunt, quando, & quoties in Rubricis Breviarii notatur, & ordinatur. Ipsum vero Officium Beatissimæ Virginis, seu Cursus Marianus, quando non dicitur, secundum laudabilem consuetudinem, cessante impedimento, quotidie ab omnibus privatim, vel saltem a Fratribus junioribus communiter, secundum ordinem Abbatis in Capitulo, aliove loco idoneo recitetur.

Cæterum in cantu, & psalmodia, pro majore, vel minore celebritate Festorum ea differentia servanda, ut in præcipuis Festivitatibus SS. Trinitatis, Nativitatis, & Epiphaniæ Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis, Omnium Sanctorum, SS. Angelorum Custodum, S. Benedicti, Patrocinii, & Dedicationis Ecclesiæ, Laudes integræ, uti etiam Hymnus Ambrosianus, item Prima cantu Chorali secundum tonos Antiphonarum cantentur.

In solemnitate SSmi Corporis Christi, & per Octavam Venerabili Sacramento publice expositio, Missæ, & Vesperæ solemniter decantentur. Similiter Tertia, vel in diebus jejunii Sexta, ultra nimirum immediate Summum Officium Missæ antecedit, semper cantanda est, sicut, & Vesperæ per totum annum, itemque Completorium, quando Officium Beatæ Virginis non subjungitur. Aliæ Horæ psallendo persolvi possunt, cum gravitate tamen, & distincte, pausis rite servatis.

Circa horam celebrandi in Choro Matutini, observabitur, ut media nocte Matutinum celebretur.

Cum vero in quibusdam Monasteriis nostræ Congregationis ex quadam necessitate propter peregrinorum summo mane occurrentium frequentiam, in aliis ex longa consuetudine introductum sit, Matutinum mane circa horam quartam peragere, licebit continuare hunc morem donec per DD. Visitatores, aut Capitulum Generale rationes examinentur, & quid vel intuitu causæ singularis, vel intuitu omnimodæ uniformitatis, quantum possibile in tota Congregatione introducendæ agendum sit, determinetur.

§. 2.

De fervore Spiritus, Meditationibus quotidianis, & recollectione annua.

Cum ad excitandum in nobis fervorem spiritus sit præsens, idemque efficacissimum motivum recordatio obligationis ad perfectionem contendendi ex emissione Votorum contractæ, ut ea efficacius ad memoriam revocetur, hortamur in Domino omnes tam Abbates, quam reliquos Monachos, ut singulis annis faciant solemnem Votorum renovationem in Solemnitate SS. Angelorum Custodum, ad quam per jejunium, & alia exercitia spiritualia in pervigilio ipsius Festivitatis se præparabunt.

Ad reformationem interioris hominis, & spiritualem profectum apprime necessaria est frequens per devotas meditationes recollectio, ideo in omnibus Monasteriis, tam quotidianas meditationes, quam singularem quolibet anno recollectionem per spiritualia, ut vocantur exercitia per octo dies ad minus introduci, & diligentissime observari statuimus.

In primis igitur mane a media sexta usque ad horam sextam quotidie sit meditatio, sive in cellis, sive propter frigus hyemale in Musæo.

Deinde sub meridiem, antequam ad prandium accedatur, brevior per quadrantem horæ recollectio, sive examen particulare, & rursus ad Vesperam, antequam cubitum concedatur, examen, seu discussio conscientiæ instituatur, sine ulla dispensatione. Quo tempore Prior, vel Subprior diligenter visitent, & attendant, ne ullus a sacris istis exercitiis se subducat.

Insuper extraordinaria, & major recollectio per annua antedicta exercitia (quorum maximam utilitatem, & fructum passim experientia demonstrat) a nullo, etiam ipso Abbate prætermittenda: sed ad hoc Sanctum opus certum, & congruum tempus per Abbatem singulis annis determinetur. Visitatores vero in suæ visitationis decursu invigilabunt, ut hoc Statutum observetur.

Constituti in exercitiis spiritualibus matutinis horis majori Missæ, & Vesperis intererunt, & reliquo tempore solitariam in suis cellis vitam agent, & contemplationi, atque illis pro recollectione spiritus præscriptis vacent, in fine autem Confessionem generalem annuam faciant.

Insuper, quia plerumque corpus quod corrumpitur aggravat animam, ac nonnullos Fratrum nostrorum in externis negotiis occupatos, variæ, gravesque curæ distrahunt, & turbant, unde fervorem spiritus languescere sæpe contingit: Abbas de consensu Præsidis permittet iis, quibus, & quando judicaverit, secedere ad cellas in hunc finem præparatas, ut illic per definitum sibi tempus, liberi ab omni commercio rerum humanarum se totos Divinis tradant, exercitio Sanctæ contemplationis, & operibus pœnitentiæ mentem reficiant, instaurentque animæ vires; quatenus ad subeundos pro Dei gloria, & Congregationis bono solitos labores, renovati spiritu mentis suæ, & induti virtute ex alto ferventius prodire valeant.

Sacrum tempus Quadragesimæ ea puritate, quam S. Pater Benedictus exposcit, pro modulo transigere satagent Fratres nostri, atque in eum finem Abbas uniuscujusque Monasterii, congregatis omnibus in Capitulo feria quarta Cinerum, & lecto Capitulo Regulæ 49. quod incipit, *Licet omni tempore*, breviter eos hortabitur, ut disciplinam Monasticam religiosius observare, in patientiæ operibus strenue sese exercere, & sancta proposita ferventius innovari studeant.

Sacerdotes ad Sacramentum Confessionis saltem bis in hebdomada, & alii non Sacerdotes semel, qui singulis diebus Dominicis, & festis tam de præcepto, quam majoribus Ordinis ad Sacram Synaxim accedant.

§. 3.

De Lectione spirituali.

Per devotam Librorum spiritualium lectionem materia paranda, & animus ad pias cogitationes, & contemplationes disponendus est. Unde in primis providendum, ut singuli Libros ascéticos, & pios ad sufficientiam habeant, maxime autem Sacram Scripturam.

Legendum in primis aliquid ex hujusmodi libris, vel libellis ante meditationem, item priusquam Chorum, & maxime antequam Sacerdotes ad celebrationem Missæ accedant. Communis autem lectio spiritualis omni die ab hora quarta usque ad quintam vespertinam instituen-

da,

da, ubi omnes in summo silentio, & quiete librorum spiritualium lectioni vacabunt: utque hoc certo servetur, Superiores diligenter visitabunt, & invigilabunt.

Publicæ insuper lectiones spirituales, more in pluribus Monasteriis jam recepto, ut scilicet ante horam Completorii omnibus Fratribus sive in Choro, sive in alio loco opportuno convenientibus, ab uno Lectore per quadrantem circiter horæ collationes uti antiquitus nominantur, ideſt, ex libro singulariter devoto, pro ædificatione, ac recollectione audientium, quidpiam legatur, continuari, vel ubi in usu non sunt introduci omnino debent, & nunquam propter ullam Causam, prætermitti.

Ad Mensam quoque in Refectorio non libri profani, & curiosi, sed devoti, & salutares, unde audientes spiritualem, etiam dum corpus cibis reficiunt, animæ refectionem haurire possint, legendi sunt.

Qualibet die Dominica legatur aliquid de Regula S. Patris Benedicti, cujus observantiam per nostram Congregationem, & has Constitutiones præcipue intendimus.

CAPUT V.

De perfecta Votorum substantialium observantia.

§. 1.

De Custodia Castitatis, & Clausuræ.

Ea in hoc genere cura, & custodia adhibenda est, ut omnes occasiones, etiam remotiores, & quicquid scandalum, vel malam apud alios suspicionem parere posset, accurate præcaveatur, & abscindatur. Qua de causa prius in primis clausura Monasterii, de qua singularem curam P. Prior habebit, eatenus custodienda, ut nulli Sæcularium accessus pateat, vel ubi justa necessitas postulat Viros (feminis semper exclusis) Sæculares admitti, v. g. Opifices: Id nonnisi cum præscitu, & licentia Abbatis, vel P. Prioris fiat.

In hujus exactæ custodiæ finem, Ostiarius clavem sub prandio, & cœna, occlusa diligenter porta, apud Præsidentem in mensam deponat, ut interim nemini accessus pateat.

Multo minus aliquis Conventualis clausuram egrediatur sine simili licentia, eaque, vel speciali in casibus, & causis specialibus, vel generali Officialibus pro exigentia officiorum concedenda: hæc ipsa tamen nulli indefinite, sed limitate, vel ad certas horas concedenda est, idque non sine Socio Religioso, aut in casu quodam forte extraordinario, saltem famulo adjuncto.

Præterea, quod in Sancta Regula cautum habetur, ut ea, quæ extra Monasterium, vel clausuram visa, vel audita sunt per Officiales, & quoscumque, non referantur ad Conventum &c. debita observantia custodiatur, ita quidem, ut de materia ullatenus scandalosa, vel quæ pravos animorum affectus, suspiciones, murmurationes, aut etiam inutiles distractiones, & in spiritualibus turbationes causare possunt, in Conventu referre, aut recensere non liceat.

Cavendum insuper, & occasiones amputandæ sunt, ne Religiosi cum feminis familiaritatem, conversationem, aut communicationem habeant, nisi præcise, quatenus justa, & nota necessitatis, vel utilitatis causa Officialibus, & quandoque in aliis judicio Superiorum, quorum licentia specialiter, & expresse hoc casu requirenda est, indubie exigit. Et nihilominus custodito, ut quicunque quacunque ex causa, vel licentia ad colloquium feminarum in publicum admittitur, non nisi cum religiosa modestia, & gravitate cum iisdem conversetur, neque ultra tempus, locum, & modum præscriptum cum eisdem conversetur. Si quem in hoc genere incautum, aut ullo modo scandalosum Abbas, aut Visitatores invenerint, eum vel ab officio amoveant, vel in posterum nunquam amplius ad similem occasionem, vel conversationem admittant.

§. 2.

De Abdicatione Proprietatis.

Proprietatis vitium (uti merito a S. Patre nostro appellatur) a Monasteriis nostris eliminandum est, ne quisquam in re temporali quacunque ullum dominium, vel jus qualecunque, utpote cujus omnino in singulari incapax est, sibi imaginetur, & fingat, neque etiam talem affectum ad rem quamcumque concipiat, quin eam ad nutum Superiorum sine ulla contradictione, vel murmuratione dimittere sit paratus.

Si quidquam singulariter uni, vel alteri per amicos mittatur, vel quacunque ratione obveniat, id recte Superioribus offeratur, vel D. Abbati, vel P. Priori, pro qualitate, & quantitate rei: qui Superiores talia ad usum revocabilem ei, cui destinata sunt, si rationabile videtur, concedere possunt, sed non debent. Imo si taliter oblata fuerint pretiosa, & superflua, & magis, si singularitatem, vel difformitatem in Conventu introducent, nullo modo concedi debent.

Esculenta, & poculenta ad commune Refectorium deferri debent, siquidem raro, & moderate quidpiam offeratur, secus inhibendæ, nec acceptandæ sunt tales oblationes.

Nullus in Conventu pecuniam ullam detineat, sed delinquentes in hoc genere, etiam pro modica, & minima quantitate congruis pœnitentiis puniantur.

Officiales, qui pro exigentia suorum officiorum pecunias detinere, ac dispensare debent, in hoc juxta voluntatem Abbatis agant, nec sibi particulariter sine præscitu, & licentia ejusdem quidpiam applicent, vel aliter expendant, quam ex injuncto officio, vel jussione Abbatis debent.

Habeat P. Prior capsam aliquam, & moderatum ærarium, in quod pecuniæ Conventualibus oblatæ reponantur, liceatque P. Priori talia Conventualium oblata pro ipsorum Monachorum indigentiis, aut pro necessitatibus discrete dispensare, sine tamen ulla obligatione, aut jure quæsito illi, cui oblata sunt. Ipse vero P. Prior teneatur singulis annis dare rationem D. Abbati de omnibus ad ærarium Conventus acceptis, & expensis. Neque tamen id, quod finito anno ultra expensas restabit, statim eidem tradere debet, sed proportionatam quantitatem pro exigentia futurarum expensarum in manibus, & capsa sua retinere potest; quod vero abundat, D. Abbati tradatur in usum, & utilitatem Monasterii erogandum.

Ut vero proprietatis vitium non solum in pecuniis, sed in omnibus etiam aliis rebus extirpetur, præcaveatur, singulis annis cum schedula quadragesimali bonorum operum ex præscripto Regulæ ad initium Quadragesimæ afferenda, dent singuli aliam schedulam, seu designationem omnium rerum, quas ad usum quisque suum in Cella, vel alias retinet, quatenus unusquisque in conscientia securus esse possit, nihil se, insciis Superioribus, detinere.

§. 3.

De Obedientia, & Reverentia Superioribus exhibenda.

Proprium, & principale requisitum vitæ, & status regularis est obedientia, quam pro merito toties commendat, & inculcat S. Regula nostra: ab omnibus proinde, qui nomen, & meritum

viri

viri Religioſi deſiderant, ſancte obſervanda. Et quidquid a DD. Abbatibus, cæteriſque noſtræ Congregationis Superioribus jubetur, quod illicitum, & Regulæ, ſeu Inſtituto contrarium non eſt, ſine contradictione, & murmuratione implendum erit.

Si quid injungatur, quod difficile, aut ſupra vires, vel qualitates ſuas eſſe videretur, v. g. Si quis officium per Religioſos adminiſtrari ſolitum ſuſcipere, ſi docere, concionari &c. jubeatur, licebit quidem modeſte ſe excuſare, & rationes in contrarium allegare, attamen pertinaciter judicio ſuo inſiſtere non licet, ſed ſi auditis rationibus hujuſmodi Superior in ſua juſſione perſiſtat, Religioſus ſubditus non ſuam, ſed Superiorum voluntatem ſequatur, & confiſus de adjutorio Dei, obediat.

Singulariter, & ſub gravi pœna prohibitum ſit, ne quis cum Abbate, vel Priore ſuo, & aliis Superioribus, proterve contendere, vel nullo modo eos, quos vice, vel nomine Chriſti ſibi præpoſitos ſcit, verbis, aut ſignis quibuſcumque deſpicere, vel injuriare præſumat. Sed ſi quis cauſam etiam juſtam contradicendi, vel mandatis Superiorum ſe opponendi habere putat, eam modeſte ſine expoſtulatione proponat, quam utique Superiores prudenter ſecum ponderabunt, & quatenus juſtum, & expediens videbitur, deferent, & condeſcendent. Si hoc non fiat, adeoque Religioſus quicunque injuſte ſe opponi, & gravari judicet, ſalutare appellationis remedium conceditur, ſervato tamen Juris, & inſtantiarum ordine, tum debito moderamine, & modeſtia religioſa: nimirum ſi quis a P. Priore ſe injuſte privatum, vel alio modo gravatum putat, ad D. Abbatem quidem libere appellare poteſt, uti ſemper omnibus in quacumque cauſa liber acceſſus ad eumdem patere debet. Attamen nullus tunc ſtatim quando corripitur, quaſi ſtante pede in vocem appellationis erumpat, quod ſine deſpectione immediati Superioris haud fieret, ſed correctionem, vel etiam pœnitentiæ dictationem in religioſa humilitate excipiat, primoſque, & præcipites animi motus tunc coerceat, intervallo autem, ubi animo ſerenato, & deliberatione prudenti præhabita, appellationem neceſſariam judicat, D. Abbatem adeat, prius tamen a P. Priore, & more conſueto licentia petita.

Ab Abbate fiet appellatio ad Viſitatores, a Viſitatoribus ad Præſidem, & ab hoc ad Capitulum, a Capitulo vero immediate ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, ad quam etiam ſemper, & quandocumque liber pateat acceſſus.

CAPUT VI.

De temporis per totam diem diſtributione.

Ut otioſitas, quæ religioſis animabus maxime inimica, & infeſta eſt, in Monaſteriis noſtræ Congregationis locum, & tempus nullum inveniat, ſingulis totius diei horis certæ occupationes aſſignantur, quas ſtricte obſervari, curæ Superiorum, maxime P. Prioris in Conventu ſemper præſentis, committitur, & injungitur; nimirum hora conſtituta excitentur Fratres ad Matutinum.

Ubi Matutinum media nocte celebrandum erit, hora quinta excitatio fiat. Media Sexta uſque ad Sextam completam meditationi matutinæ ſedulo omnes incumbent. Quadrante poſt ſextam, dato brevi ſigno campanæ in Choro Prima perſolvanda erit.

Modica temporis intervalla, quæ inter Matutinum, & meditationem, item inter hanc, & Primam intercedunt, partim corporis neceſſitatibus, partim ſingulari devotioni, ac precibus Matutinis deſtinata ſunt.

Poſt Primam in Choro perſolutam, & Capitulum finitum, uſque ad Summum Officium, Patres, ſeu Sacerdotes Miſſas celebrabunt. In celebrando vero, quantum fieri poteſt, ſervetur ordo per determinationem horæ, vel temporis certi, quo quilibet Sacerdos celebrare debeat, itaut una Miſſa poſt alteram habeatur, quatenus devoti fideles in Eccleſiam venientes, omni tempore ſacrum audire poſſint, prævia, & ſubſequente debita præparatione, & recollectione. De reliquo ſeu Theologicis, ſeu caſuiſticis, ſeu pro qualitate perſonarum aliis ſtudiis, ſecundum diſpoſitionem Superiorum, vacandum erit. Media Nona, vel in diebus Jejuniorum hora Nona, ſignum dabitur ad Officium ſummum, & horas duas Canonicas ante, & poſt illud, modo ante dicto, perſolvendas.

Tertio quadrante decimam, vel in diebus Jejunii ante undecimam recollectio particularis, ſeu ut vocant, *Examen particulare*, dato hoc ſigno fiet. Deinde ad menſam, ſeu Refectorium eundum, ſervato ſemper ſilentio extra horas ſpecialiter colloquio, & recreationi deputatas. Refectione facta conſueto modo Pſalmo *Miſerere* e Refectorio exeundum ſive ad Chorum, ſive ad locum Capitularem, ubi gratiarum actio compleatur. Mox Nona pſallenda erit in Choro.

Poſt hoc hora circiter colloquio, & honeſtæ recreationi conceditur, videlicet uſque ad mediam Primam, vel ſi dies Jejunii ſit a duodecima uſque ad Primam.

Recreatione terminata, vel toto tempore uſque ad Veſperas ſtudiis incumbendum, vel pro qualitate perſonarum, aut exigentia circumſtantiarum hora una, aliis exercitiis, quatenus ſecundum judicium Superiorum ſingulis convenire, & expedire videbitur, deputari poteſt v. g. pro addiſcendo Cantu maxime Chorali, pro conferentia Caſuiſticis, aliiſque literariis materiis, vel denique pro opere manuali &c. qua etiam hora ab Officialibus, Opificibus, aut Miniſtris petantur, quæ petenda, & dentur, quæ danda ſunt.

De reliquo, tempus pomeridianum uſque ad Veſperas ſtudiis, & Lectioni Librorum ſpiritualium impendatur. Licebit tamen ordinarie ſingulis ſeptimanis ſemel, aut pro ratione tempeſtatis, aliquando etiam bis ad campos ambulare, petita, & obtenta licentia Superiorum.

Hora tertia Veſperæ cantandæ, poſt quas ab hora quarta uſque ad quintam lectio ſpiritualis erit, ut ante dictum eſt.

Cœna finita per mediam horam honeſta recreatio conceditur, ita tamen, ut tam relaxationes pomeridianæ, quam colloquia, poſt collationes ſerotinas, non permittantur in feriis ſextis Quadrageſimæ, nec per totam majorem hebdomadam, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive.

Tertio quadrante ante Septimam per unum Lectorem ex collationibus SS. Patrum, vel aliis libris devotis legendum per quadrantem circiter horæ: ſubjungendum mox hora Septima Completorium.

Denique cum recollectione Veſpertina, ſeu examine conſcientiæ &c. dies concludenda, itaut hora octava omnes in quiete, & in Cellis ſint.

Circa hunc ordinem diei, limitatio quædam, excepto tamen Choro, fieri poterit ab Abbate, juxta rei, perſonarum, præcipue Lectorum, & Scholaſticorum, & temporis exigentiam, ſi ob certas, & particulares cauſas, non ſemper ita exacte in omnibus, obſervari poſſit.

CAPUT VII.

De Victu, Jejunio, & amictu ad neceſſitatem, ſine ſuperfluitate.

§. 1.

De Cibo, & Jejunio.

Ordinamus, ut ex arbitrio per Sacram Regulam Abbatibus dato, quod hactenus ratione

victus

victus obſervatum fuit, in poſterum in ſingulis Monaſteriis obſervetur.

Ultra Jejunia Eccleſiaſtica in omnibus Monaſteriis ulteriora, vel Regularia Jejunia obſervanda ſunt. Et quidem per totum annum ſingulis diebus Mercurii, & Veneris (tempore Paſchali, & Natalitio uſque ad Octavam incluſive Epiphaniæ excepto) tam a carnibus, quam altera refectione abſtinendum.

In Adventu per totum jejunandum eſt, ita ut ab altera refectione abſtineatur, ſola Collatiuncula conſueta loco Cœnæ conceſſa.

In hebdomada vero integra ante Adventum, & per decem dies ante feriam cinerum dempta Sexta feria, & Sabbato, aut Jejunio Eccleſiæ, Jejunium, & abſtinentiam ab eſu carnis relaxamus, & ut aliquod obſonium in prandio, & cœna addatur, indulgemus.

In honorem Beatæ Virginis Jejunium regulare ſervabitur in Vigiliis Nativitatis, & Purificationis ejuſdem: Omnes quoque jejunabunt in Vigilia Feſtivitatis Sanctorum Angelorum Cuſtodum.

§. 2.

De Habitu, & Tonſura.

Inter principaliora, quæ in Viſitationibus obſervari, & ubi neceſſe fuerit reformari debent id erit, ut tam Conventuales omnes, quam reſpective etiam Abbates habitu, & tonſura decenti, & honeſto, ſimulque modeſto, ſine vanitatibus ſæcularibus, veſtiti incedant, intra, & extra Monaſterium, nullo etiam modo veſtimentis ſericis utantur.

In ſpecie omnia veſtimenta exteriora etiam tibialia, non alterius, quam nigri coloris ſint, eaque lanea, aut linea.

Deinde in Congregatione noſtra omnimodo quoad veſtimentorum formam, etiam quoad materiam, æqualitatis, & pariformitatis introducantur. Quod ſolertiæ DD. Viſitatorum committitur, ut tempore viſitationis circa pariformem habitum, & tonſuram interim ipſi eatenus rem componant, quatenus ad eorum relationem in proximo Capitulo Generali, ultimate ſtatui poſſit, quod decentiſſime videbitur.

In conſideratione hujus conformitatis, quoad induſia, & lectiſternia nihil quidem mutetur quoad eos, qui jam profeſſi ſunt, niſi ultro ipſi pietate ducti, ita velint, ratione vero aliorum, qui in poſterum profeſſionem emittent, ſtatuimus, ut obſervetur quicquid in proximo Capitulo Generali determinabitur.

CAPUT VIII.

De Infirmis Fratribus.

Quia Sanctus Pater Benedictus affectu vere paterno Infirmis proſpexit, *& Cap.* 36. Regulæ ordinavit, Infirmorum curam ante omnia, & præ omnibus adhibendam: item maximam curam Abbatis eſſe debere, ne ob aliquam negligentiam patiantur &c. Ideo nec ſumptibus, nec laboribus parcendum, ſed omni modo curandum erit, ut quæ pro ſalute, tum corporis, tum animæ neceſſaria ſunt, in tempore, & prompte ſubminiſtrentur.

In ſingulis igitur Monaſteriis Abbas cum conſilio, & matura deliberatione eligat certum & idoneum Medicum, qui tempore neceſſitatis ſuccurrere ſit obligatus, eique hanc libertatem concedat, ut quæ ægrotantibus neceſſaria judicabit, ſine reſpectu ſumptuum præſcribere poſſit.

Porro qui infirmitate quacunque corripitur tempeſtive, vel Abbati, vel Priori ſtatum ſuum indicet, & confidenter conferat tam circa medicinam, aut Medicum advocandum, quam etiam de cibo, & potu conducente; item exemptione à Choro, & ſi quid aliud pro reparatione ſanitatis neceſſarium videbitur.

Nulli quidem liceat ſine expreſſa licentia Superiorum Medicum advocare, aut per literas conſulere, vel etiam a præſente medicinam accipere: ipſi vero Superiores difficiles non erunt, ſi prædicto modo confidenter ſtatus, & cauſæ rationabiles ſignificentur.

Ulterius autem ſolicite curandum, & providendum, ut ægrotus Medici judicio ſe plene ſubmittat. In quem finem idoneus Miniſter deſtinandus erit, qui ſedulam Infirmi curam gerat, & accurate acceptam a Medico inſtructionem obſervet, contraria, vel noxia nullatenus admittat.

Præter Miniſtrum, ſeu famulum unus ex Conventu vir maturus, ſive in genere pro omnibus, ſive particulariter pro ſingulis infirmis deputetur, qui circa ægrotantem altiorem inſpectionem habere, eumdemque tam verbis, & frequenti viſitatione conſolari, quam etiam, quæ neceſſaria videntur, procurare, & ſi defectus apparear, P. Priorem, vel D. Abbatem tempeſtive monere poſſit.

Ipſe etiam Abbas non intermittat ſæpius ægrotantes viſitare, quibus magnum ſolatium, & dolorum levamen erit, ſi in afflictione ſua paternum erga ſe affectum advertant, & experiantur.

Multo magis ipſi Conventuales, ſeu Confratres in hoc caſu neceſſitatis, ſeu infirmitatis ex ſincera charitate obſequia, & ſolatia ſibi mutuo præſtent, & quantum Infirmo commodum, & expediens eſt, ſive recreationis, ſive etiam alio tempore, cum licentia tamen P. Prioris Infirmariam accedant, & Infirmum conſolentur, & recreent.

Quia vero major ſemper de ſalute animæ, quam corporis eſſe cura debet, eo in primis omni ſtudio adlaborandum, ut infirmus in anima, & conſcientia bene diſpoſitus ſit, & maneat. Proinde cavendum, ne vanis, & variis colloquiis Spiritus diſtrahatur, ſed magis ad pietatem, patientiam, & reſignationem, item frequentem Sacramentorum iterationem per eos, qui ex ordinata charitate eum viſitare volunt diſponatur.

Quod ſi mortis periculum propinquum appareat, ordinabunt Superiores, ut frequenter ex idoneis libris lectiones, adhortationes quoque & ſuffragia Fratrum non deſint, quibus Spiritus a corpore migraturus feliciter ad Dominum dirigatur.

CAPUT IX.

De conformatione diſciplinæ Regularis cum aliis noſtri Ordinis Congregationibus.

Præter hactenus conſtituta ſuperſunt complura alia particulariter circa mores, obſervantias, & cæremonias, ipſamque diſciplinam Regularem in omnibus Monaſteriis noſtræ Congregationis pariformiter introducenda, & obſervanda. In quibus, ut conformitas, & ſolida Regularis Diſciplina introducatur, deſuper Conſtitutiones particulares conſcribantur, ſingula capita Regulæ Sancti Benedicti declarantes adinſtar Conſtitutionum Congregationis Caſſinenſis, & Sancti Mauri, & aliarum, & juxta laudabiles earumdem praxes, colligendæ a quibuſdam ad id habilioribus a Capitulo Generali deputandis, & intra triennium in debitum ordinem redigendæ, atque a futuro Capitulo Generali revidendæ, eum in finem, ut Sedi Apoſtolicæ pro confirmatione præſententur.

Quæ futuro tempore ulterius diſponenda, & corrigenda occurrunt, circa ea in Viſitationibus, & Capitulis triennalibus inquirendum, atque defectus hujuſmodi per chartas Viſitatio-

num, & receſſus Capitulorum emendandi erunt. Et quidem circa pariformem introductionem Regularis Diſciplinæ, reſpiciendum in primis erit ad Sanctam Regulam, ubi ſatis expreſſum, & proſpectum eſt, neque aliud fere deſideratur, quam debita obſervantia, & executio.

Deinde ſicuti ad S. Regulam declaratione aliqua, vel ſingulari ſtudio opus videbitur, ad ſtatuta aliarum ſupradictarum Congregationum recurrendum, eoque ſemper collimandum erit, ut inter omnia Monaſteria noſtra conformitas cum ſupradictis Congregationibus, tam in celebratione Generalis Capituli, quam in electione Præſidis, Viſitatorum, & Abbatum, uti etiam in reliquis omnibus, quæ ſpiritualem, & temporalem totius Congregationis noſtræ Bavaricæ, & ſingulorum Monaſteriorum directionem concernunt, conformatione omni meliori modo introducatur.

Unde DD. Viſitatorum curæ ſpecialiter committitur, ut ſtatim in prima viſitatione diligentiſſime inquirant, ubi, & in quibus diſcrepantia, & difformitas uſu, vel abuſu introducta ſit: ſimulque rationes, & cauſas diſparitatis, aut relaxationis perquirant, & ſi quid alicubi irrationabiliter declinatum agnoſcant ex melioribus rationibus Superiores, & Conventuales ad pariformem, quæ in dictis aliis præfatarum Congregationum Monaſteriis laudabiliter viget, diſciplinam diſponant. Quod ſi vero obſtacula, ſeu cauſæ contradicendi alicujus momenti, & probabilitatis opponantur, res ad Capitulum triennale referenda, ibique communi conſilio ſtatuendum erit, quod conſideratis conſiderandis practicabile judicabitur, habito, ut prædictum eſt, reſpectu tum ad Sanctam Regulam, tum ad dictarum Congregationum ſtatuta, a quibus temere ſine certa, & juſta cauſa non declinabitur.

Ad harum Conſtitutionum obſervantiam tenebuntur omnes, & ſinguli Abbates, & Religioſi Monaſteriorum omnium in Brevi Apoſtolico Erectionis ſub Datum Romæ die 26. Auguſti 1684. expreſſorum, necnon aliorum de dominio dumtaxat Sereniſſimi Electoris utriuſque Bavariæ Ducis &c. quorum Abbates pro facta ſibi a Sancta Apoſtolica Sede facultate, noſtræ Congregationi, vel jam acceſſerunt, vel in poſterum accedent.

Si quid porro cum tempore mutandum, innovandum, vel minuendum, aut alias addendum cenſebitur, poterit id fieri in Capitulis Generalibus, ita tamen, ut quæ taliter in Capitulo Generali decernentur, vim legis non habeant, quin a Capitulo ſequenti fuerint confirmata, & quatenus his Conſtitutionibus contraria fuerint, a Sancta Sede Apoſtolica approbentur.

Quod ſi quis Abbas, vel Monachus ex præfatis Monaſteriis ſic in Congregationem unitis, vel uniendis dixerit, ſe ad has Conſtitutiones non teneri, vel quod ei pro libitu liceat a Congregatione diſcedere, & exemptioni a Sancta Sede Apoſtolica ad formam Helveticæ Congregationi conceſſæ renuntiare, a Regularibus Superioribus ſuis tanquam Apoſtata puniatur.

Preces Præſidis, & Abbatum.

Nobis propterea Cæleſtinus Abbas Præſes, aliique Abbates Exponentes prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat, conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, & Prælatorum, qui rem mature pluries diſcuſſerunt, conſilio, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatio relatarum Conſtitutionum.

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes literas, & Conſtitutiones præinſertas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuncios, alioſque quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis, & Monaſteriorum præfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die VI. Febr. MDCLXXXVI. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Confirmatur Decretum Congreg. Epiſc. & Reg. circa electiones Abbatum Congregationis Bavaricæ Ord. S. Benedicti. CXLVIII.

Horum Monachorum Conſtitutiones extant Conſt. ed. 1686., Feb. 6. P. 10. Privilegia vero Inn. XII. Conſtit. ed. 1691., Aug. 11., P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 9. Febr. 1686. An. I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proponuntur quædam dubia Congreg. Epiſc. & Reg. circa electionem Abbatum.

NUper pro parte dilectorum filiorum Cæleſtini Abbatis Monaſterii Sancti Ermanni, Ratisbonen. Præſidis, & cæterorum Abbatum Monaſteriorum Congregationis Bavaricæ Ordinis Sancti Benedicti ſub titulo Sanctorum Angelorum Cuſtodum a Nobis erectæ, Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, expoſito, quod cum in Conſtitutionibus dictæ Congregationis Bavaricæ a Congregatione nonnullorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, deſuper a Nobis ſpecialiter deputata, jam correctis, & approbatis, non ſatis diſpona-

tur

tur de electionibus Abbatum, qui in Bavaria, quemadmodum in reliqua Germania, perpetui sunt; unus vero ex dictis Abbatibus, nempe dilectus filius Abbas Monasterii Oberaltzacensis jam graviter, & cum vitæ periculo ægrotare dicatur, cupiebant propterea dicti Exponentes, per dictam Congregationem Cardinalium decerni, & declarari. Primo an in electionibus, deinceps faciendis, intervenire debeat, nec ne Præses pro tempore existens dictæ Congregationis Bavaricæ, loco Episcopi Diœcesani, vel Commissarii Episcopalis, qui ejusmodi electionibus præsidebat, quando Monasteria prædicta, quæ per Nostras super erectione dictæ Congregationis Bavaricæ, in simili forma Brevis, expeditas Literas, ab ordinaria Jurisdictione, exempta sunt, ordinariæ Jurisdictioni hujusmodi adhuc subjaceant, & quatenus Præsidem ipsum, aut unum ex Abbatibus, qui eo tempore Visitationis fungebatur officio, ab humanis decedere contingat, quomodo eo casu procedendum sit. Secundo, si Præses propter legitimum impedimentum, electioni interesse nequeat, an ei liceat eo mittere unum, vel plures a se deputatos, qui ejus loco præsideant. Tertio utrum præter Præsidem, vel ab eo deputatum ambo Visitatores pro tempore existentes, vel eorum alter electionibus hujusmodi etiam interesse habeant. Quarto, an dies futuræ electionis a dicto Præside, vel a Priore Monasterii vacantis denominari debeat, & quatenus statuatur Præsidem, & Visitatores præfatos electionibus hujusmodi interesse debere, utrum eis competiturum sit votum, sive suffragium una cum Capitularibus Constitutionibus, an vero simplicem residentiam, pro mera directione exercere debeant. Quinto an quoad reliqua omnia in electionibus præfatis servari debeat forma hactenus usitata, quam supradicta Cardinalium Congregatione exhiberi curarunt, an vero, in ea aliquid pro arbitrio, & prudentia ipsius Congregationis mutandum sit. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Eminentissimo Carpineo, censuit, suprascriptum negotium remittendum esse ad Congregationem particularem per S. D. N. specialiter deputatam. Interim vero si casus vacationis evenerit, præsidendum esse electionibus, sine præjudicio Jurium partium ab Abbate Sancti Ermanni, nomine Sanctæ Sedis. In iisdem autem electionibus, servandam in reliquis esse formam, & modum, qui servabatur ante unionem prædictorum Monasteriorum in Congregationem. Romæ prima Februarii 1686. G. Cardinalis Carpineus. - Loco ✠ Sigilli - B. Panciaticus Secretarius.

Dubium primum.

Dubium secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Decretum Congregationis, quo decernitur rem committendam particulari Congregationi, interim vero servandam antiquam formam.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte Cælestini Præsidis, cæterorumque Abbatum præfatorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ Nostræ Confirmationis patrocinio, plurimum communiri desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine, Nobis, super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Preces Præsidis, & Abbatum.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum Monasteriorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Febr. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Declaratur irrita, & nulla alienatio Feudi status Masserani sine licentia S. Sedis Apostolicæ facta Duci Sabaudiæ. CXLIX.

Const. ed. 1677., Apr. 12. P. 1. committitur Episcopo Alexandrino Causa inter Principem, & ejus subditos. Innoc. XII. vero Const. ed. 1700., Jul. 30., P. 9. declaravit quoddam Indultum Duci Sabaudiæ a Nicolao V. concessum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Febr. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur alienatio fendi Status Masserani, a Principe Carolo Bessio facta Amadeo Duci Sabaudiæ.

CUM (sicut accepimus) dilectus filius nobilis vir Carolus Bessius Ferrerius Fliscus Princeps Masserani, & Marchio Crepacorii Vercellen. Diœcesis Terras, & Castra *Masserani, & Crepacorii, & Quirini, Flecchiæ & Rissi* d. Diœcesis, seu eorum aliquod, vel aliqua, quæ in Feudum una cum eorum respective territoriis, Districtibus, Villis, Vassallis, hominibus, incolis, & habitatoribus, fortalitiis, franchitiis, & homagiis, aliisque juribus, & pertinentiis, nec non omnimoda alia, bassa, civili, & criminali Jurisdictione, mero, & mixto imperio, gladiique, & necis potestate, ac titulis, & insigniis, aliisque honoribus, & oneribus, salariis, & regalibus solitis, & consuetis, immediate a Nobis, & hac sancta Sede, ac Camera Nostra Apostolica sub certis censibus, sive recognitionibus obtinebat, & recognoscebat, dilecto filio nobili Viro Victorio Amadeo Sabaudiæ Duci, & Pedemontii Principi, absque nostra, & dictæ Sedis licentia, beneplacito, vel consensu (quamvis illis forsan reservatis) vendiderit, seu alio quocumque titulo, vel modo ad favorem ejusdem Victorii Amadei Ducis, aut cujuscumque alius Personæ, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignæ, alienaverit, & forsan ad traditionem possessionis, seu quasi possessionis Terrarum, & Castrorum, aliorumque venditorum, seu alienatorum præfatorum, aliosque actus devenerit, & alias prout in Instrumento, seu Instrumentis, aliisque scripturis publicis, vel privatis desuper forsan confectis, quorum omnium, & singulorum tenores, etiam veriores, ac datas, aliave quæcumque,

etiam de neceſſitate ſpecialiter exprimenda præſentibus non approbandi, ſed reprobandi animo, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis, & exactiſſime ſpecificatis, & enarratis haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Non licet Feudatariis S. Sed sfeuda alienare ſine ejus licentia.

Quamvis autem ex Juris communis, & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitione nullo modo liceat Noſtris, ac Sedis, & Cameræ præfatarum Vaſſallis, ſeu Feudatariis feuda, quæ obtinent, abſque Noſtra, & ejuſdem Sedis licentia vendere, vel alio quovis modo alienare, ac proinde aperti, & explorati Juris ſit, præmiſſa omnia, & ſingula a dicto Carolo Baſſio Principe, ſeu ejus nomine a quibuſcumque aliis acta, & geſta, penitus, & omnino nulla, atque invalida exiſtere: Nihilominus deſuper mentem, & intentionem declarare, ſimulque Cameræ, & Sedis præfatarum indemnitati, etiam ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit providere cupientes, necnon conceſſionum, & Inveſtiturarum Terrarum, & Caſtrorum, aliorumque præfatorum, & quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, & præſertim Pauli III., Julii III., Pauli IV., Pii IV., Pii V., Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII., Vrbani VIII., & Clementis IX. Literarum tam ſub plumbo, quam in ſimili forma Brevis, ſchedularum motus proprii, & Chirographorum, aliarumque ſcripturarum quarumcumque ſuper conceſſionibus, & Inveſtituris hujuſmodi, earumque confirmatione, ſeu alias quomodolibet illarum occaſione expeditarum, & emanatarum, ac expeditorum, & emanatorum tenores, & alia quæcumque, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digna præſentibus itidem pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, ac ſpecificatis & enarratis habentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & alias omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus melius, & validius facere poſſumus, venditionem, & aliam quamcumque alienationem Terrarum, & Caſtrorum præfatorum, ſeu aliquorum ex illis, cum illorum reſpective Territoriis, Diſtrictibus, Villis, Vaſſallis, Fortalitiis, Franchitiis, homagiis, Juriſdictione, mero, & mixto imperio, ac gladii, & necis poteſtate, titulis, inſigniis, honoribus, regalibus, aliiſque Juribus, & pertinentiis quibuscumque memorato Victorio Amadeo Duci, vel alii cuicumque perſonæ a præfato Carolo Beſſio Principe, vel alio quolibet ejus nomine abſque noſtra, & d. Sedis licentia, Beneplacito, vel conſenſu factas, ut præfertur, ac traditionem poſſeſſionis, ſeu quaſi poſſeſſionis, cæteroſque actus, & alia quæcumque in præmiſſis, ſeu eorum occaſione quomodolibet acta, & geſta, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & quandocumque ſecuturis, penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, inania, & de facto præſumpta, & attentata, nulliuſque roboris, momenti, & efficaciæ eſſe, & fore, nullumque cuiquam titulum, etiam coloratum, aut poſſidendi cauſam tribuere poſſe, nec per ea Sedi, & Cameræ prædictis nullum, etiam minimum præjudicium illatum, aut inferri quoquomodo potuiſſe, vel quandocumque poſſe tenore præſentium declaramus, & decernimus. Noſque licentiam, Beneplacitum, & conſenſum Noſtrum ſuper præmiſſis minime conceſſiſſe, nec præſtitiſſe, nec in futurum præſtare velle pariter declaramus, & in verbo Romani Pontificis atteſtamur. Et nihilominus venditionem, & alienationem hujuſmodi, aliaque præmiſſa omnia, & ſingula, prout de facto proceſſerunt, ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus; necnon Sedem, & Cameram præfatas adverſus eadem præmiſſa, & præjudicialia quæcumque, quæ eis exinde quomodolibet enata eſſe, aut in futurum quandocumque enaſci poſſe, dici, cenſeri, prætendi, vel intelligi poſſent, in integrum, & priſtinum, ac eum in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, illaſque a præjudicialibus hujuſmodi præſervamus, ac præſervatas eſſe, & fore decernimus ſimiliter, & declaramus.

Conceſſiones, & Inveſtituræ Status Maſſerani.

Declaratur irrita alienatio ob defectum licentiæ quæ nunquam concedetur.

Irritatur alienatio, & S. Sedes a præjudicio vindicatur.

Clauſulæ.

§. 1. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati Victorius Amadeus Dux, & Carolus Beſſius Princeps, aliique quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, etiam ſpecifica, & individua mentione digni, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, vel juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, incogitato, ac inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Sedi, & Cameræ prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, necnon dictæ Cameræ Præſidentes Clericos, ac Theſaurarium Generalem, cæteroſque Officiales, & miniſtros, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, & præfati Pii IV. prædeceſſoris de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, itaut præſentes literas ibidem præſentari, & regiſtrari numquam neceſſe ſit, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cameræ, ac Terrarum & Caſtrorum præfatorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, & ſtylis, & uſibus, etiam immemorabilibus, ac quibuſcumque Decretis, etiam Cameralibus, & Conſiſtorialibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis præ-

fatis, aliisque quibuslibet personis, & locis, etiam specifica, & individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Februarii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CL. Confirmatur Statutum Capituli Generalis Fratrum Min. S. Francisci de Observantia Reformatorum circa Lectores inter Patres Provinciæ connumerandos.

Lectoribus jubilatis concessa fuere Privilegia Doctorum artium, & Magistrorum Theologiæ Const. ed. 1679. Novemb. 27., P. 4.

Dat. 18. Martii 1686. Anno 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Statutum prædictum.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod in proxime præterito Capitulo Generali dicti Ordinis Fratrum fuit statutum, ut in unaquaque Provincia Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis Frater antiquior ex illis qui Sacram Theologiam duodecim annorum spatio legerint, sive docuerint inter Patres Provinciæ connumeretur, sive connumeratus declaretur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, statutum hujusmodi tamquam juxta determinationem cujusdam Constitutionis fel. rec. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit *Injuncti &c.* editum in Romana, & aliis Provinciis Fratrum Reformatorum executioni mandatum fuerit; in aliis vero nonnullis Provinciis irrationabiliter impugnetur, quamvis dilectus filius Minister Generalis Ordinis prædicti illud universaliter observari debere decreverit: nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

In aliquibus Provinciis non vigebat.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præfatum Procuratorem generalem Fratrum Reformatorum, sive strictioris Observantiæ dicti Ordinis super præmissis audierunt, consilio, prædictum Statutum Capituli Generalis pro Lectoribus Sacræ Theologiæ emanatum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & observari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio d. Statuti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XVIII. Martii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLI. Confirmantur erectio Hospitii, & dotatio Ecclesiæ S. Gallæ pro pauperibus per Urbem vagantibus.

Erectum fuit a Clem. X. Hospitium pro conversis ad fidem Const. ed. 1675., Mar. 30. P. 5. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1686. April. 22. P. 10. confirmatur cum facultate illud transferendi.

Dat. 5. Aprilis 1686. Anno 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam evecti, circa novarum Ecclesiarum ubique locorum, & præsertim in alma Urbe Nostra, veræ religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue diffunduntur, cum divini cultus incremento erigendarum, & ædificandarum statum libenter intendimus, & ut Christifidelium non minus generis, nostræque secundum carnem consanguinitatis, quam Christianarum virtutum splendore fulgentium in structuram ipsarum Ecclesiarum, aliaque pietatis opera de bonis sibi a Deo collectis largiter conferentium vota optatos habeant effectus, nec de eorum, quæ jussu nostro facta fuerunt, veritate, atque validitate dubitari unquam possit, concessæ nobis a Domi-

no poteſtatis partes ſtudioſa charitate interponimus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & ſpiritualem populi Chriſtiani ædificationem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

Species facti.

§. 1. Innotuit ſiquidem nobis, quod dudum, videlicet die 5. Maji 1672. tunc exiſtentes Clerici regulares Domus regularis *S. Mariæ in Porticu, ſeu de Campitellis* nuncupati de Urbe præfata Congregationis Matris Dei per quemdam eorum Procuratorum in vim licentiæ ſibi deſuper a tunc exiſtentis Romani Pontificis in eadem Urbe Vicario in ſpiritualibus generali in executionem Decreti a Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis Viſitationis Apoſtolicæ Eccleſiarum, & locorum piorum d. Urbis deputatorum emanati conceſſæ, eorum Domum regularem annexam, & connexam Eccleſiæ ejuſdem S. Mariæ in Porticu quæ olim erat Diaconia Cardinalitia, & quam bo. me. Bartholomæus dum vixit ejuſdem S. R. E. Diaconus Cardinalis Cæſius nuncupatus, qui ipſam Eccleſiam pro Diaconia ſui Cardinalatus ſub Pontificatu fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri obtinebat, Clericis Regularibus dictæ Congregationis Matris Dei aſſignaverat, ſed tunc ob translationem tam Imaginis Beatæ Mariæ Virginis, quam Diaconiæ hujuſmodi ad Eccleſiam S. Mariæ de Campitellis auctoritate Apoſtolica factam ſub denominatione S. Gallæ remanſerat cum omnibus, & ſingulis ipſius Domus regularis membris, juribus, & pertinentiis univerſis, necnon officinam, ſeu apothecam tunc ad uſum Sutoris, ac etiam ſtabulum correſpondens ſubtus fœnile inſimul cum Tinello prope dictum ſtabulum, & pariter duas Domunculas connexas horto, & viridario, cum duobus diviſis appartamentis retro Domum, & Eccleſiam S. Gallæ hujuſmodi, & hortum, & viridarium ad ipſos Clericos regulares legitime ſpectantia, & pertinentia, & juxta ſuos notos, & tunc expreſſos fines poſita tunc in humanis agenti Annæ Moronæ Romanæ pretio 3500. ſcut. monetæ Romanæ, in extinctionem tot cenſuum paſſivorum, quibus ipſi Clerici Regulares gravati erant, & alias convertendo, vendiderunt, ſalva tamen, & reſervata dictis Clericis Regularibus ſupradicta Eccleſia S. Gallæ, quæ in hujuſmodi venditione comprehenſa minime eſſet, nec eſſe cenſeretur; ac cum pacto, ſeu conventione, quod ſi, & quotieſcumque dicta Anna emptrix vellet in ſe, & ſupra ſe aſſumere præfatam Eccleſiam S. Gallæ, impetrata prius licentia, & Beneplacito Sedis Apoſtolicæ, & Superiorum Eccleſiaſticorum ipſius Annæ ſumptibus, cura, & impenſis in omnibus, & per omnia, tali caſu dicti Clerici Regulares tenerentur ſuper præmiſſis dare, & præſtare quemcumque conſenſum, & aſſenſum deſuper neceſſarium, & opportunum, prout dictus Procurator procuratorio nomine ex tunc prout & quando d. Beneplacitum Apoſtolicum impetratum fuiſſet, conſenſum pariter, & aſſenſum hujuſmodi dedit, & præſtitit, & in iſto caſu eadem Anna, ſuique ſucceſſores tenerentur, & obligati eſſent, prout ipſa Anna promiſit, eo modo, & forma retinere homines Univerſitatis Candelariorum, etiam cum uſu unius ſtantiæ indulgen. dictis Hominibus ejuſdem Univerſitatis pro habendis Congregationibus, & ſub omnibus qualitatibus, & conditionibus, de quibus in Inſtrumento conceſſionis Capellæ d. Univerſitatis ſub invocatione, ſeu titulo *Purificationis B. Virginis Mariæ*, factæ per præfatum Bartholomæum Cardinalem, rogato, & ſtipulato die 2. Januarii 1599., ſeu alio veriori tempore, exiſtente in libro Inſtrumentorum, & copiarum ſimplicium eorumdem Clericorum Regularium; Et cum alio pacto, ſeu conventione, quod dicti Clerici Regulares tenerentur, & obligati eſſent vendere dictæ Annæ emptrici Fœnile poſitum ſupra Tinellum prædictæ Domus, ut ſupra venditæ pro pretio ſcutorum ducentorum, & quinquaginta, impetrato prius per eam deſuper Sedis prædictæ Beneplacito, ac cum diverſis aliis pactis, & conditionibus, & alias prout in publico per acta Hieronymi Simonelli Notarii publici deſuper confecto Inſtrumento plenius, & diffuſius continetur. Verum cum dilectus filius Thomas Odeſcalchus Cubicularius intimus, & Veſtiarius noſter, qui d. Domus regularis, ut præfertur, venditæ tunc inquilinus erat, judicium ſuper prælatione in venditione Domus regularis, aliorumque bonorum venditorum præfatorum contra d. Annam emptricem intentaſſet, tandem ipſi Thomas ex una, & Anna ex altera partibus, ad tranſactionem, ſeu concordiam deſuper inter ſe devenerunt, per quam eadem Anna prælationi hujuſmodi locum eſſe agnoſcens, eandem Domum regularem, & alia bona ſibi a memoratis Clericis Regularibus, ſicut præmittitur, vendita dicto Thomæ ex pecuniis ſibi a Nobis dum in minoribus conſtituti Cardinalatus honore fungebamur, ad eum effectum ſubminiſtratis ementi, pretio trium millium, & quingentorum ſcutorum monetæ hujuſmodi, ac cum omnibus pactis, capitulis, conditionibus, conventionibus, promiſſionibus, & circumſtantiis in ſupradicto Inſtrumento venditionis latius contentis, & expreſſis, retrovendidit, & retroceſſit, dictumque pretium ac inſuper alia quingenta ſcuta paria ſibi pariter, a Nobis ſubminiſtrata eidem Annæ perſolvit, cum diverſis pactis, & conditionibus, & alias prout in alio publico Inſtrumento per acta Raynaldi de Raynaldis, etiam Notarii publici deſuper die 16. Septembris 1673. celebrato uberius etiam continetur. Porro in d. Domo regulari, illique annexis, ſicut præmittitur, venditis, & præfatum Thomam Odeſcalchum ex pecuniis ſibi ad id a nobis ſubminiſtratis, prout ipſe Thomas poſtmodum declaravit, acquiſitis, opus pium excipiendi hoſpitio, & alendi pauperes mendicos per Urbem præfatam vagantes, juſſu, & impenſa noſtris uſque ad noſtram ad ſupremi Apoſtolatus officium aſſumptionem exercitum fuit, & ſubinde dilectus filius nobilis Juvenis Livius Odeſcalchus Dux Terræ Cæræ, noſter ſecundum carnem ex Fratre germano Nepos, illud pariter exerceri curavit, & adhuc curat; cumque Eccleſia præfata S. Gallæ ruinam minaretur, dictus Thomas illam de mandato Noſtro demolitus eſt, & funditus deſtrui curavit; præfatus vero Livius Dux pro eximia ſua in Deum pietate novam ibidem loco deſtructæ Eccleſiam elegantiori ſtructura in honorem ejuſdem S. Gallæ ſua impenſa ædificare aggreſſus eſt, quæ de præſenti conſtruitur; Ipſeque Livius Dux novam Eccleſiam hujuſmodi per aſſignationem quorumdam Fænilium, & Domunculæ pretio mille, & nongentorum ſcutorum d. monetæ ex ejus pecuniis emptorum, & acquiſitorum, ac in aliis mille, & centum ſcutis paribus per eum augendorum, & meliorandorum, annui redditus octoginta ſcutorum ſimilium dotavit, ex quibus ſcuta quadraginta pro Capellano ad nutum amovibili per eum, ejuſque deſcendentes, ac hæredes, & ſucceſſores quoſcumque nominando, impoſito tamen ipſi Capellano onere Miſſam quotidie in ipſa nova Eccleſia S. Gallæ celebrandi; Reliquam vero quantitatem dotis, ſive annui redditus hujuſmodi ad effectum manutenendi ipſam Eccleſiam, ejuſque ſupellectilia, ceram, paramenta, & Altaria reſpective aſſignavit, ea lege, ut ſibi, ſuiſque deſcendentibus, & hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque Juſpatronatus novæ Eccleſiæ, & nominandi Capellanum ad nutum amovibilem hujuſmodi in perpetuum reſervetur, ac cum diverſis conditionibus, proteſtationibus, & declarationibus, prout plenius continetur in publico deſuper confecto Inſtrumento tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Venditio domus Clericorum Matris Dei Annæ Moronæ factæ.

Retrovenditio facta Thomæ Odeſcalcho.

Erectio Hoſpitii S. Gallæ in prædicta domo.

Reædificatio Eccleſiæ Sanctæ Gallæ d. domui adnexæ, ejuſque Dotatio.

Reſervatio Juris patronatus, & Jus nominandi Capellanum, ut in Inſtrumento.

§. 2. In

Instrumentum in quo describitur relatum factum.

§. 2. In nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, quod anno ab ejusdem D. N. J. Christi Nativitate 1685. Indictione 8., Die vero 17. mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papæ XI. anno ejus 9. Illustrissimus, & Excellentissimus D. Princeps D. Livius Odescalchus Cæræ Dux, Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XI. ex clar. mem. Carolo germano Fratre Nepos mihi &c. optime notus, asserens alias Dominam Annam Moronam emisse quasdam Domos existentes in Regione *Ripæ*, & ut dicitur -- *A Porta Leone* -- prope Ecclesiam S. Gallæ, olim nuncupat. *S. Mariæ in Porticu* Urbis a RR. Clericis Regularibus S. Mariæ in Porticu Urbis, cum concessione facta eidem Annæ, etiam Ecclesiæ S. Gallæ, accedente beneplacito Apostolico, & postea vigore Bullæ S. M. Gregorii XIII. super jure congruo in emptione dictarum Domorum fuisse prælatum, & subingressum in locum dictæ Annæ Moronæ Illm̃um D. Thomam Odescalchum, qui declaravit illa emisse ex propriis pecuniis SS. D. N. Innocentii XI. tunc Cardinalatus honore perfulgentis; Cumque idem Excellentissimus Dominus D. Livius Odescalchus donatarius universalis bonorum patrimonialium, & spectantium ad eumdem SS̃mum uti personam privatam ante supremam Pontificatus dignitatem adeptorum, ut de dicta donatione constat ex Instrumento publico in actis mei rogato sub die 8. mensis Aprilis 1680., seu &c. in dictis Domunculis emptis suis sumptibus, hucusque exerceri fecerit pro sua erga Deum pietate, & pauperes, liberalitate Hospitium, & receptionem Pauperum pro sua tamen mera voluntate, & mero arbitrio, non autem animo se ad dictam hospitalitatem continuandam obligandi, cum intendat illam continuare, vel relinquere, & dissolvere, quando sibi videbitur, & placuerit, de quo expresse, & solemniter protestatur, & cum Ecclesia prædicta S. Gallæ existens prope d. Domos, ut supra emptas a d. Morona, & per hanc postea venditas dicto Illustriss. Dño Thomæ Odescalcho ob vetustatem ruinam a fundamentis prope diem minaretur, hinc a fundamentis ex integro cum scientia, & consensu ejusdem SS̃mi propriis sumptibus meliori structura eamdem Ecclesiam reædificaverit, cumque intendat per SS̃mum D. N. super eadem ex titulo reædificationis, & dotationis sibi, ac ejus Posteris, ac descendentibus, & hæredibus, & successoribus quibuscumque in infinitum reservari Jus patronatus Laicale. Hinc est quod ultra reædificationem ex integro dictæ Ecclesiæ ab ipso factam sponte &c. pro ejus dote, ut Divinus cultus in ea exerceri possit, & alias omni meliori modo &c. assignavit, & assignat Fœnilia cum Domuncula per Illm̃um, & Rm̃um D. Thomam Odescalchum SS̃mi D. N. Papæ intimum Cubicularium, & Secretum Eleemosynarium empta ex Instrumento rogato per acta Mori Notarii Capitolini sub die 15. Maji 1685., seu &c. a Comite Hieronymo Curtio de Clementinis pretio scutorum mille nongentorum monetæ, & cujus Illustrissimi D. Thomæ Idem Excm̃us Dom. D. Livius est declaratarius, & nominatarius, prout ex Instrumento declarationis, & nominationis hujusmodi facti in personam Excellentiæ Suæ per eadem acta Mori sub die 14. currentis Mensis, seu &c. ad quæ &c., & ex titulo dotationis, & assignationis hujusmodi. Idem Excm̃us Dom. D. Livius cessit quoque, & assignavit eidem Ecclesiæ omnia, & singula jura &c. ad habendum &c. ponens &c., constituens &c. dans licentiam &c., & donec &c. constituit &c. etiam omni meliori modo &c. Ulterius idem Excm̃us Dom. D. Livius promisit fœnilia prædicta, sic ut supra, assignata augere, & meliorare in aliis scutis mille, & centum monetæ, itaut valor illorum, & sic dos prædictæ Ecclesiæ sit in totum, & ascendat ad summam scutorum trium millium monetæ, declarans tamen, quod prædicta Fœnilia cum Domuncula, ac melioramentis prædictis sunt, & ascendunt in fructu ad scuta octoginta annua, ex quibus scuta quadraginta monetæ assignavit, & assignat pro Capellano ad nutum amovibili per E. S., ac ejus descendentes, & hæredes, & successores quoscumque nominandi in perpetuum, cum onere tamen eidem Capellano quotidie Missam celebrandi in d. Ecclesia S. Gallæ; Reliquam vero quantitatem dotis, sive annui fructus prædicti ad effectum manutenendi supellectilia, ceram, paramenta, Ecclesiam, & Altaria ejusdem Ecclesiæ, cum hac tamen conditione, quod dictus Capellanus semper, & perpetuo sit ad nutum amovibilis, & ad simplex arbitrium, & voluntatem Excm̃i Dom. D. Livii ac ejus in Jurepatronatus, ut supra reservando successorum institui, & destitui possit, sine aliqua causa, sed sat sit pro remotione simplex, & absoluta voluntas Patronorum, quia sic &c., & cum agatur de Capellania ad nutum amovibili, & illius constitutio, ac ab ea remotio, & destitutio fieri possit absque aliquo consensu Em̃i Cardinalis Vicarii, ejusque Vices-gerentis, vel alterius cujusvis Magistratus Ecclesiastici, attento quod Capellania hujusmodi non sit Beneficium, sed simplex pia elargitio absque titulo Beneficii. Voluit ulterius idem Excm̃us D. Princeps, quod si aliquo quovis tempore, quavis de causa, & quæsito colore impediretur in libero usu, & quasi possessione d. Jurispatronatus, & concessionis Ecclesiæ prædictæ, tunc, & eo casu bona, ut supra, in dotem assignata libere, integre, & pure revertantur ad ipsum Dotantem, ejusque hæredes, & successores, ac si præsens dotatio, & assignatio facta non esset. Declaravit quoque idem Excellentiss. Dom. D. Livius, quod casu, quo per SS̃mum Dñum in dicta Ecclesia S. Gallæ Juspatronatus, ut supra sibi, ac ejus hæredibus, & successoribus non reservaretur, tunc pariter, & eo casu dotatio, & assignatio, ut supra facta habeatur, acsi facta non esset, cum ad illam devenerit, & deveniat intuitu, & contemplatione, ac sub spe habendi in d. Ecclesia Jurispatronatus reservationem, & non alias aliter, nec alio modo &c., quia sic &c. Promisit præterea Idem Excellentiss. Dom. D. Livius Fundator, & dotator, ut supra, bona in dotem, & pro dote, ut supra assignata ad seipsum spectare, & pertinere, esseque libera, & immunia ab omni onere, canone, hypotheca, fideicommisso, tam purificato, quam purificando &c. neminique alteri cessisse, assignasse, donasse, obligasse, nec aliud quicquam fecisse, nec factum apparaturum in præjudicium præsentis concessionis, & dotationis, ac contentorum in ea quorumcumque, alias in eventum contrarii teneri voluit de evictione generali, & particulari in forma Juris valida, & in Urbe consueta, & ad omnia damna &c. de quibus &c. Quæ omnia, & singula in præsenti Instrumento contenta idem Excm̃us Dom. D. Livius promisit in omnibus, & per omnia attendere, observare, & adimplere &c. alias &c., pro quibus seipsum &c. ac bona &c., Jura &c. in ampliori Rev. Cameræ Apostolicæ forma cum solitis clausulis &c. citra obligavit &c. renunciavit &c. constituit &c. unica &c., & sic tactis &c. juravit &c. Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, seu Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Palatio solitæ habitationis E. S. sito in Regione Campitelli præsentibus ibidem audientibus, & intelligentibus Illm̃o D. Francisco Maria Constantino Asculano E. S. Auditore, & Curiæ Capitolii primo

De jure nominandi Capellanum ad nutum amovibilem.

De Dote, & jurepatronatus.

Collaterali, & D. Gregorio Binetto Romano E. S. Ratiocinatore testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Ego Augustinus Sabbatuccius Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus.

Loco ✠ Signi.

§. 3. Quare Nos firmiori præmissorum omnium, & singulorum robori, & efficaciæ, quantum cum Domino possumus, providere, ac novæ Ecclesiæ prædictæ statui pro Pastoralis Officii nostri debito opportune consulere, dictumque Livium Ducem, præclarorum ejus meritorum intuitu, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Motu proprio non ad ejusdem Livii Ducis, aut alterius pro eo, aliusve personæ cujuscumque, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine venditionem supradictæ Domus olim Regularis S. Mariæ in Porticu, omniumque, & singulorum aliorum bonorum præfatorum dictæ Annæ Moronæ a memoratis Clericis Regularibus Domus Regularis S. Mariæ in Campitellis, ac retrocessionem, & retrovenditionem ejusdem Domus olim Regularis, aliorumque bonorum venditorum hujusmodi præfato Thomæ Odescalcho ab eadem Anna emptrice respective factas, ut præfertur, confectaque desuper bina Instrumenta publica supra enunciata, cum omnibus singulis pactis, & conditionibus, aliisque in eis quomodolibet contentis, & expressis, ac inde secutis quibuscumque, de quibus omnibus, & singulis plene sumus informati, certamque, & individuam notitiam habemus, & talem Nos habere harum serie attestamur; necnon dotationem præfatæ novæ Ecclesiæ S. Gallæ a memorato Livio Duce, sicut præmittitur, factam, ac confectum desuper Instrumentum præinsertum, omniaque, & singula in eo contenta, & expressa, ac inde secuta, & secutura quæcumque tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, efficaciam, & validitatem adjungimus, & adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex Juris communis, & Constitutionum, & Decretorum Apostolicorum, necnon dictæ Urbis, aliorumque quorumlibet Statutorum, eorumque novarum additionum, ac reformationum præscripto, seu de stylo, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoscumque, etiam quantumvis formales, & substantiales, ac naturales, & incogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi quomodocumque, & quandocumque possent, etiamsi tales sint, ut nonnisi facta eorum specifica, & individua mentione, & expressione, sanari possint, supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Confirmatio supra relatorum omnium.

§. 4. Præterea omne jus, quod præfatis Clericis Regularibus venditoribus in, vel super supradicta veteri Ecclesia S. Mariæ in Porticu jam, sicut præmittitur, jussu nostro destructa, & demolita in primodicto Instrumento venditionis quomodolibet reservatum fuit, quodque jam ipsi Clerici Regulares, eorumque Domus Regularis, & Congregatio Matris Dei, quam supradicta Universitas Candelariorum, ejusque homines in, vel super eadem veteri Ecclesia, ejusque Altaribus, membris, & pertinentiis quibuscumque, aut etiam forsan super nova Ecclesia, quæ, ut præfertur, D. Livii Ducis impensa ædificatur, ex præmissorum, aliave quacumque causa, occasione, titulo, colore, prætextu, & capite, etiam quantumvis legitimo, & juridico, quomodocumque, & qualitercumque, ac quandocumque, prætendere, sive ad se spectare, & pertinere asserere possent respective, ab eisdem Clericis Regularibus, eorumque Domo Regulari, & Congregatione, ac ab Universitate Candelariorum, ejusque Hominibus prædictis respective motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus harum serie perpetuo abdicamus, sicque abdicatum penitus, & omnino perimimus, & extinguimus; necnon eamdem novam Ecclesiam, ejusque Altaria, membra, & pertinentias quascumque ab omni, & quocumque jure hujusmodi eximimus, & plenarie liberamus, ac liberam, & immunem, ac exemptam, liberaque immunia, & exempta, illique nullatenus obnoxiam, & obnoxia esse, & perpetuo fore, nec ipsos Clericos Regulares, eorumque Domum Regularem, & Congregationem hujusmodi, neque Universitatem Candelariorum, ejusque Homines præfatos quicquam juris, vel actionis in eadem nova Ecclesia, ejusque Altaribus, membris, & pertinentiis quibuscumque, aut ad illam, vel illa prætendere quoquo modo unquam posse decernimus, & declaramus. Ac tandem novam Ecclesiam ex nunc prout ex tunc postquam ejus fabrica perfecta, & absoluta fuerit, itaut Sacrosanctum Missæ Sacrificium in ea celebrari possit, & e contra in Ecclesiam sine cura sæcularem a quavis alia Ecclesia, Domo Regulari, Monasterio, Congregatione, & Ordine, & loco pio independentem, & liberam, sub titulo, seu invocatione S. Gallæ, ad Omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque S. Gallæ honorem; in ipsa autem nova Ecclesia unam Capellaniam; quæ mere manualis existat, nec unquam perpetuum Ecclesiasticum Beneficium, aut titulus collativus esse possit, pro uno Capellano Clerico Sæculari, etiam alienigena, ac Ultramontano, & Ultramarino, in Sacro Presbyteratus Ordine, vel saltem in ea ætate constituto, ut intra annum ad eumdem Ordinem promoveri possit, & debeat, futuro inibi Capellano ad nutum infrascripti, & pro tempore existentis Ecclesiæ hujusmodi Patroni, etiam absque ulla causa toties, quoties ipsi Patrono videbitur, & placuerit, & ad merum ejus nutum, libitum, & arbitrium, remota etiam, ac secluſa quacumque allegatione odii, vel malevolentiæ, amovibili, qui Sacrosanctum Missæ Sacrificium quotidie in eadem Ecclesia celebrare, seu celebrari facere, ipsiusque Ecclesiæ, ac ejus Sacristiæ, & Altarium curam, & custodiam habere teneatur, & cui pro sui stipendio quadraginta scuta d. monetæ ex redditibus bonorum a præfato Livio Duce in dotem d. novæ Ecclesiæ, ut præfertur assignatorum annuatim præstari debeant; motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine prædictis earumdem tenore perpetuo erigimus, & instituimus; Ipsique novæ Ecclesiæ sic erectæ, & institutæ pro illius dote, ac d. Capellani stipendio hujusmodi, ac ipsius Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, Sacristiæ, supellectilium, luminum, & Altarium manutentione, aliisque illius usibus, & necessitatibus præfata a memorato Livio Duce, sicut præmittitur, assignata, & alia quæcumque bona, proprietates, canones, census, fructus, redditus, & proventus, pecunias, res, actiones, & jura quæcumque tam per Nos, vel Successores nostros Romanos Pontifices, quam

Quodcumq; jus super d. Ecclesiam aliis omnibus abdicatur.

Erectio Ecclesiæ sub titulo S. Gallæ, nec non Cappellaniæ amovibilis.

Assignatio Dotis pro Capellano, & Ecclesia.

per

per d. Livium Ducem, & alias quaslibet personas in futurum quandocumque, & quomodocumque eidem novæ Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, & Sacristiæ, etiam per modum eleemosynæ, donanda, assignanda, unienda, offerenda, concedenda, vel relinquenda; itaut liceat pro tempore existenti novæ Ecclesiæ hujusmodi Patrono nomine ejusdem Ecclesiæ per se, vel alium, seu alios per eum pro suo arbitrio deputandos, & amovendos, illorum omnium, & singulorum veram, realem, corporalem, & actualem possessionem, seu quasi possessionem, absque spolii, vel attentatorum vitio, & sine cujuscumque Judicis Decreto, ministerio libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, regere, & administrare, ac illorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, & levare, ac in præfatæ novæ Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, & Sacristiæ, & non in alios usus, & necessitates convertere, & erogare, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis Diœcesani loci, almæ Urbis Vicarii, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore prædictis itidem perpetuo ex nunc, prout ex tunc postquam donata, assignata, unita, oblata, concessa, & relicta fuerint, & e contra, applicamus, assignamus, concedimus, approbamus, & incorporamus.

Ejus libera administratio Patronis attributa.

§. 5. Porro præfato Livio Duci quandiu vixerit, & post illius obitum ejus descendentibus, ac hæredibus, & Successoribus quibuscumque ex causa dotationis, & totalis a fundamentis constructionis dictæ novæ Ecclesiæ S. Gallæ ex nunc, prout ex tunc postquam nova Ecclesia hujusmodi ipsius Livii Ducis impensa, ut præfertur, perfecta, & absoluta fuerit, & e contra Jus patronatus ipsius novæ Ecclesiæ S. Gallæ, ac Jus deputandi, & constituendi præfatum Capellanum, aliosque Officiales, & Ministros quoscumque ejusdem novæ Ecclesiæ, eosque sic deputatos, & constitutos, & eorum quemlibet pro mera sua voluntate, arbitrio, nutu, & libitu, ac etiam semota, & secluſa, & non obstante quacumque allegatione odii, & malevolentiæ toties, quoties voluerint amovendi, & alios in locum amotorum deputandi, & constituendi, itaut sic pro tempore deputatis, & constitutis spolium, manutentio, seu quælibet alia actio, defensio, allegatio, vel exceptio adversus amotiones hujusmodi numquam competat, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus harum serie similiter perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus. Decernentes, & declarantes Jus patronatus, & Jus deputandi Capellanum, aliosque Officiales, & Ministros hujusmodi Laicorum, nobilium, & illustrium, ac Principum, & in omnibus, & per omnia ad instar Regum vere existere, ac Livio Duci, aliisque futuris Patronis prædictis non ex privilegio, sed ex vera, reali, & actuali dotatione, ac totali, & integra a fundamentis ædificatione, & constructione novæ Ecclesiæ hujusmodi competere, & ad illos spectare, & pertinere, ac propterea ipsum Jus patronatus, ac deputandi, & constituendi hujusmodi vere Laicorum, seu Laicale nobilium, & illustrium, ac Principum, & adinstar Regum esse, veramque, & propriam, ac non fictam naturam Juris patronatus, ac deputandi, constituendi, & amovendi laicalem, ac talem essentiam, substantiam, qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem, vim, & effectum habere, & obtinere, ac Livio Duci, aliisque futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet in omnibus, & per omnia absque ulla prorsus differentia suffragari debere. Ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis prægnantissimis, & efficacissimis verbis, clausulis, ac irritantibus, aliisque fortioribus Decretis, etiam cum clausula quorum tenores in quacumque dispositione, etiam per viam Legis, & Constitutionis Generalis, ac Regulæ Cancellariæ Apostolicæ, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet, tam per Nos, quam per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, etiam in crastinum cujuscumque eorum assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, pro tempore facta, concessa, & emanata nullatenus comprehendi, ac illi nullo unquam tempore etiam ratione cujusvis litis pendentis, vel alio quocumque prætextu, ac ex quavis causa quantumvis urgenti, & legitima etiam per Nos, vel Romanos Pontifices Successores nostros pro tempore, exemptos, ac Sedem Apostolicam, aut illius etiam de Latere Legatos, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu cujusvis intuitu, vel contemplatione, per quascumque Literas Apostolicas, etiam in simili forma Brevis, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias, ac fortiores, & insolitas clausulas, irritantium, & alia contraria Decreta quæcumque continentes, etiam toto, & integro præsentium tenore inserto, ac de Patronorum, seu cujusvis alterius consensu, aut alias quomodolibet derogari posse, vel debere, aut derogatum censeri. Nec per præfatam Capellaniam, cæteraque dictæ novæ Ecclesiæ Officia, & Ministeria quomodolibet nuncupata unquam appellatione Beneficii, vel Officii Ecclesiastici, etiam latissime sumpto vocabulo, comprehendi, vel comprehensa censeri, neque illa, nec ipsam novam Ecclesiam per nos, aut quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem prædictam, illiusque etiam de Latere Legatos, aut nostrum, seu pro tempore existentis Romani Pontificis Vicarium, in Urbe præfata in spiritualibus generalem, aliosque quoslibet quacumque auctoritate fungentes, & functuros, etiam ex quacumque quantumvis pia, & favorabili causa, in perpetuos, & collativos titulos erigi, seu collativa quovis modo effici, & reddi, nec ullo unquam tempore conferri, commendari, aut alias quomodolibet de iis disponi, neque novæ Ecclesiæ, illiusque Fabricæ, Sacristiæ, & Capellaniæ hujusmodi bona, res, jura, fructus, redditus, proventus, & emolumenta quæcumque pro dote alterius Ecclesiæ, seu Beneficii, seu Beneficiorum, vel locorum piorum quorumcumque tam erectorum, quam erigendorum, vel in quosvis alios usus applicari posse. Quidquid autem in contrarium præmissorum per quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, etiam Romanos Pontifices Successores nostros attentari contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra cum omnibus inde secutis, & secuturis irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, & fore, & statum novæ Ecclesiæ, & Capellaniæ, cæterorumque Officiorum, & Ministeriorum eorumdem nequaquam immutare, vel alterare, aut immutasse, vel alterasse, seu titulum, etiam coloratum, aut possessionis causam tribuere, vel tribuisse, sed titulum, & possessionem, cæteraque attentata hujusmodi semper, & quandocumque præsentium auctoritate infecta, ac invalida, infirma, irrita, & nulla existere, & fore, & illis minime obstantibus statum novæ Ecclesiæ, Capellaniæ, Officiorum, & Ministeriorum hujusmodi in omnibus, & per omnia, prout præsentibus disponitur, illæsum, & immutabilem perpetuo permanere, & servari debere, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis, decernimus, declaramus, & pronunciamus.

Concessio juris patronatus, & deputandi Ministros ad instar Regum.

Uti nec Capellania, & Officia sub nomine Beneficii.

Quod jus sub nulla derogatione comprehenditur.

§. 6. Cæterum in plena, libera, & omnimoda potestate, meraque facultate d. Livii Ducis, ejusque descendentium, ac hæredum, & successorum quorumcumque d. novæ Ecclesiæ Patronorum

Opus alendi pauperes Patronorum arbitrio permittitur.

norum pro tempore existentium, esse volumus supradictum opus pium excipiendi hospitio, & alendi pauperes mendicos per Urbem vagantes apud eamdem novam Ecclesiam quandiu, & quatenus, ac prout eis libuerit, etiam Vicarii præfati, aut cujuscumque alterius licentia desuper minime requisita, exercere, seu exerceri facere; ita tamen ut opus pium hujusmodi quandocumque eis, eorumve cuilibet placuerit omittere, & relinquere, ab illius exercitio, & continuatione cessare valeant, nec ad illud continuandum, tametsi illud per longum, & longissimum, etiam centum annorum tempus exercuisse, & exerceri curasse reperirentur, a quoquam ullo unquam tempore quomodolibet cogi, vel compelli, aut desuper quovis modo molestari, perturbari, vel inquietari possint.

Clausulæ.

§. 7. Decernimus pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod supradicti Clerici Regulares, eorumque Superiores, & Homines, & Officiales d. Universitatis Candelariorum, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, in præmissis, vel eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, & coram præfato Urbis Vicario, alioque quolibet verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, legitima, pia, favorabili, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ac gravissimi præjudicii, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressiorem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu juvare ullo modo posse, neque ipsas præsentes Literas sub quibusvis similium, vel dissimilium confirmationum, abdicationum, erectionum, applicationum, reservationum, aliarumque gratiarum, & dispositionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per præfatum Livium Ducem, cæterosque pro tempore existentes d. novæ Ecclesiæ Patronos, eorumque quemlibet quandocumque eligenda concessas, validasque, & efficaces esse, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & perpetuo suffragari, ac etiam vim validi, efficacis, & jurati contractus inter nos, ac Sedem, & Cameram Apostolicam ex una, ac Livium Ducem, aliosque futuros Patronos præfatos ex altera partibus, etiam ex titulo vere oneroso inviti habere, & obtinere, necnon eosdem Livium Ducem, cæterosque Patronos, vel quosvis alios ad easdem præsentes Literas in toto, vel in aliqua eorum parte in judicio, vel extra illud quavis occasione, & causa exhibendum, probandum, seu verificandum, vel justificandum nullo unquam tempore teneri, nec ad id cogi, vel compelli ullatenus posse, vel debere; quinimo etiamsi ipsæmet præsentes Literæ non exhiberentur, & nusquam apparerent, nec apparere possent, nihilominus illas pro verificatis, ac plenissime probatis, & justificatis haberi.

§. 8. Sicque nostræ mentis, intentionis, & incommutabilis voluntatis fuisse, & esse attestamur, atque ita, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, Urbis prædictæ Vicarios, & d. Cameræ Apostolicæ præsidentes Clericos, Thesaurarium Generalem, cæterosque Officiales, & Ministros, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eisdem, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac de jure quæsito non tollendo, cæterisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quatenus opus sit rec. mem. Pii Papæ IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse d. Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes Literas ibidem præsentari, ac registrari numquam necesse sit, ac piæ mem. Pii V. de creandis censibus, & Greg. XIII. Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum super jure congrui, aliisque Apostolicis, ac Universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Urbis, Domus Regularis, & Congregationis præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, etiam dilectis filiis Populo Romano contra Forenses, & Alienigenas, ac præfatis, aliisque personis, & locis quibuscumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis; & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod ejusmodi Capellaniæ, etiam ad nutum Patronorum, etiam absque ulla causa amovibiles, aliaque Officia Ecclesiastica, & Beneficia Urbis prædictæ nullis, nisi Civibus Romanis, aut Civium Romanorum, Originariorum filiis, & forsan aliis certo inibi expresso modo qualificatis concedi, nullique, nisi Cives Romani, & Civium Romanorum Originariorum filii, & forsan alii prædicti ad illa deputari possint, & alias de illis per Sedem prædictam, ac Patronos pro tempore factæ dispositiones nullæ sint. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserrentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac

vice dumtaxat motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine præsentibus specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Aprilis MDCLXXXVI., Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLII. Confirmantur Literæ Clem. X. super erectione Hospitii de Urbe pro iis, qui ad fidem veniunt, necnon traditur facultas illud transferendi.

Extat Constit. præcedenti erectio Hospitii pro nudis pauperibus, ubi etiam notantur literæ Clement. X. Ab Innoc. XII. quoque erigitur Hospitium Pauperum Invalidorum Constitut. ed. 1693. X. Kalen. Jun. P. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 22. Apr. 1686. An. 10.

Confirmatio Erectionis Hospitii, & literarum Clem. X.

Procemium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, nos admonet, ut ovibus, quæ Satanæ versutia a caulis Domini seductæ, per hæresum, errorumque vepreta misere vagantur, ad boni Pastoris ovile reducendis jugiter studeamus, & reductas spiritualibus, temporalibusque favoribus, quantum Nobis ex alto conceditur, confoveamus; ac proinde ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris consimili consilio pie prudenterque instituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, ac illibata persistant Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter constabilimus, aliaque pro rerum, & temporum qualitate desuper ordinamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Dictum Hospitium erectum fuit a Clem. X. in domo Eremitarum ad Portam Angelicam.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster Hospitium pro illis, qui per Dei gratiam ab hæresi conversi ad fidem Catholicam sponte veniunt, in Domo Eremitarum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Gratiarum ad Portam Angelicam de Urbe positæ annexa perpetuo erexit, & instituit, ipsumque Hospitium Palatii Apostolici membrum esse, ac illius hospites, & Ministros privilegiis, & prærogativis Familiarium Pontificiorum frui, necnon Hospitium, ejusque bona, ac Hospites, & Ministros hujusmodi per Congregationem particularem Clericorum, & Laicorum regi, & administrari voluit, aliaque disposuit, & ordinavit, prout plenius continetur in ipsius Clementis Prædecessoris Literis sub plumbo desuper expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet -- Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter alia (*Reliqua vide suo loco*) Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1675. Tertio Idus Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Preces Congregationis d. Hospitii pro ejus translatione ad Palatium Card. Gastaldi in Burgo S. Petri.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum Filiorum Congregationis præfatæ super regimine, & administratione dicti Hospitii, sicut præmittitur institutæ Nobis nuper expositum fuit, bon. me. Hieronymus, dum vixit S. R. E. Cardinalis Gastaldus nuncupatus, qui unus ex dicta Congregatione erat, idem Hospitium ex asse hæredem instituit, & quia propter angustias supradictæ Domus Eremitarum dicto Hospitio, ejusque Hospitibus pro perpetua eorum habitatione, ut præfertur assignatæ, majoremque numerum ejusmodi hæreticorum, qui fidei Catholicæ veritatem amplexi, ad Hospitium ipsum in dies veniunt ampliorem eis habitationem parari debere cognoverat, Palatium suum in Civitate nostra Leonina, sive Burgo Sancti Petri positum illorum habitationi deservire desideraverit: ac proinde dicti Exponentes in executionem piæ mentis ejusdem Hieronymi Cardinalis, capta ejusdem Palatii possessione actuali, partem illius ad formam Hospitio convenientem redegerint, & adaptaverint, cupiantque Hospitium, illiusque Hospites, & Ministros præfatos illuc transferre, & transportare posse: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio transferendi Hospitium cum suis juribus, & privilegiis.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, & institutionem Hospitii supradicti in præfata Domo Eremitarum a memorato Clemente Prædecessore factas, ut præfertur, expeditasque desuper illius literas præinsertas cum omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, ac dispositionibus, concessionibus, facultatibus, & ordinationibus, aliisque in eis contentis, & expressis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac eisdem Exponentibus, ut ipsi Hospitium præfatum, illiusque Hospites, & Ministros a supradicta Domo Eremitarum in Palatium prædictum transferre, & transportare, Ipsi autem Hospitio postquam sic translatum, & transportatum fuerit, illiusque Hospitibus, Ministris, & personis quibuscumque in eodem Palatio pro tempore degentibus, omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, aliisque gratiis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus per præinsertas Clementis Prædecessoris literas quomodolibet concessis, ut prius, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant respective, salva tamen in suo robore quoad reliqua omnia, & singula remanente earumdem Clementis Prædecessoris literarum dispositione, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in Literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XXII. Aprilis MDCLXXXVI. Pontificatus nostri anno Decimo.

CLIII. Statuitur, ut Loca Sancta Palæstinæ a Fratribus Ord. S. Francisci de Observantia, uti prius custodiantur,

Alia privilegia horum Fratrum vide Constitut. edit. 1679., Novemb. 27. P. 4., & Const. ed. 1686., Septemb. 5. P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 30. Apr. 1686. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia

A Rege, & Regina Siciliæ tradita fuere Loca Sancta Palæstinæ custodiæ prædictorum Fratrum.

servantia nuncupatorum, quod cum dudum clar. me. Robertus Rex, & Sancia Regina Siciliæ a tunc existente Suldano Babyloniæ, qui Sepulchrum Domini, & alia Sacra Loca Ultramarina proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata detinebat occupata, obtinuissent, ut Fratres dicti Ordinis intra Ecclesiam ejusdem Sepulchri possent continue commorari, & ibidem Missarum solemnia, & alia Divina officia solemniter celebrare; & jam certi Fratres Ordinis prædicti actualiter essent ibidem, dictusque Suldanus Cœnaculum Domini, & Capellam, in qua Apostolis Spiritus Sanctus apparuit, & aliam Capellam, in qua Christus Beato Thoma præsente, post Resurrectionem suam Apostolis se ostendit; Regi, & Reginæ concessisset eisdem; ipsa vero Regina locum ædificasset in Monte Sion, intra quem Cœnaculum, & dictæ Capellæ sita erant, ubi videlicet Fratres dicti Ordinis sumptibus propriis continue tenere intendebat, ad divinum obsequium in Sepulchro, & aliis prædictis locis Sacratissimis impendendum, ac tres personas Sæculares, etiam, quæ ipsis Fratribus servirent, & necessaria administrarent. Felic. rec. Clemens Papa V. Prædecessor Noster volens eorumdem Regis, & Reginæ votis, & desideriis annuere, Generali, & Terræ laboris Ordinis prædicti Ministris, & cuilibet eorum vocandi, tunc, & in posterum ad eorum præsentiam auctoritate Apostolica ad requisitionem dictorum Regis, & Reginæ, vel alicujus eorum, aut successorum suorum, de consilio Seniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos, & devotos de toto Ordine, usque ad certum numerum, de quibus considerata qualitate negotii vidissent expedire, & eos ad serviendum in divinis, tam in Ecclesia dicti Sepulchri Dominici, quam in Sacro Cœnaculo, & Capellis prædictis, habita prius informatione de conditione Fratrum ipsorum, quos vocavissent a Ministris Provincialibus dicti Ordinis; unde Fratres ipsi pro tempore assumerentur, deputandi, eosque ad partes illas destinandi, ac etiam alios ex ipso Ordine, cum aliqui ex eis defecissent, toties, quoties expediret, subrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi: contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi, plenam, & liberam sub certis modo, & forma tunc expressis, concessit facultatem, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis 11. Kal. Decembris Pontificatus sui anno primo desuper expeditis uberius dicitur contineri.

Facultas seligendi dictos Fratres data fuit a Clem. V. Ministris Generali, & Terræ Laboris.

Expulsio dd. Fratrum post quartum sæculum.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Loca Sancta prædicta subinde a Fratribus dictis quatuor fere sæculorum decursu custodita fuerint; sed Turcæ nuper illos inde ejecerint, & Schismaticos eorum loco introduxerint, qui illa de præsenti detinent occupata. Ipse vero Petrus Marinus Minister Generalis, qui antequam ad Generalatum Ordinis prædicti assumeretur, quinquennii spatio eorumdem Sanctorum Locorum Regimini, & Custodiæ præfuit, in Visitatione Provinciarum Germaniæ, & Hungariæ dicti Ordinis, quam nuper obivit, & in cujus decursu Vexillum Sanctæ Crucis intra limites Conventus sui Ordinis in Oppido Neuheuselæ Christianorum armis è manibus Turcarum fortiter recuperato, reconciliata ejusdem Ordinis Ecclesia ibidem existente cum singulari animi sui gaudio plantavit, cum Principibus Christianis sacro fœdere contra eosdem Turcas sociatis, de præfatis locis Sanctis, & præsertim Sepulchro Dominico ad Custodiam Fratrum dicti Ordinis restituendis omni studio egerit, ipsique Principes ei declaraverint, sibi in animo firmiter fixum esse super præsenti bello cum Turcis prædictis nullo modo pacisci, nisi inter præcipuos articulos reintegratio, atque restitutio eorumdem Fratrum ad pristinam Custodiam Sanctorum Locorum Palæstinæ, & præcipue Sepulchri Dominici omnino stabiliatur. Nobis propterea dictus Petrus Marinus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ministri Gen. opera apud Principes fœderatos contra Turcas pro recuperatione SS. Locorum.

Preces Ministri Generalis.

§. 2. Nos igitur laudabilem eorumdem Principum confœderatorum zelum, atque pietatem plurimum in Domino commendantes, eorumque piis votis, & armis paterna charitate benedicentes, ac eumdem Petrum Marinum Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradicta Sancta loca Palæstinæ, sive Terræ Sanctæ, ac præsertim Sanctissimum Domini N. Jesu Christi Sepulchrum, quemadmodum antehac, & usque ad nuperam præfatorum Schismaticorum occupationem, atque usurpationem per Fratres Ordinis præfati ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ concessione custodita, recta, & gubernata fuerunt, ita in posterum quoque ab iisdem Fratribus custodiri, regi, & gubernari debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum de custodiendis locis SS. a dd. Fratribus, uti ante expulsionem.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XXX. Aprilis MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Conceduntur Indulgentiæ Perpetuæ Fratribus S. Francisci de Observantia docentibus doctrinam Christianam, ac Christifidelibus eam audientibus, & ad id cooperantibus. CLIV.

Concessæ fuerunt Indulgentiæ Confraternitatibus Doctrinæ Christianæ à Paulo V. Const. ed. 1607.,

Octob. 6., P. 3. Horum vero Fratrum Indulgentiæ leguntur hujus Pontificis Const. ed. 1670., Jun. 11. Pont. 1. & Const. ed. 1687. Jan. 22. P. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 30. Maii 1686. An. 10.

Exordium.

Pietatis, & Christianæ charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christifideles quoscumque præsertim sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantes, ut ad illa exercenda promptiores reddantur, indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam propagandam religionem, & animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ Concessionis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum inter pia, quæ exercent, opera, etiam pueros, & adultos quoscumque per universum Christianum Orbem Catholicæ fidei rudimenta, & Christianas omnes virtutes accurate doceant: Nos pro nostri pastoralis officii munere hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores posthac proventuros speramus, confovere volentes, ut eorumdem fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti Filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura Commissarii Generalis Curiæ pro familia ultramontana dicti ordinis, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & singulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis universis Christifidelibus ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque doctrinam Christianam juxta Decreta Concilii Tridentini docere, aut eidem dum docetur interesse consueverint, si vere pœnitentes, & confessi, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento die festo ab eisdem Ordinariis in Ecclesiis, in quibus doctrina Christiana docetur, semel in anno designando refecti fuerint, plenariam; nec non ipsis, qui vere similiter pœnitentes, & confessi dictum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Jesu saltem corde in mortis articulo devote invocaverint plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter vere pœnitentes, & confessi semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & totidem quadragenas, qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ ad doctrinam Christianam eant, ducentos dies; & qui diebus stationum almæ Urbis Nostræ hanc doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerit, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem Indulgentias consequerentur, quas consequerentur, & consequi possent si Ecclesias stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent; easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum doctrinæ hujusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt consequantur, si peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint: insuper illis, qui diebus hanc doctrinam Christianam, aut publice, aut privatim, ut præmittitur, explanaverint, centum dies, nec non omnibus, & singulis præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos, & qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa, septem annos: Omnibus autem, & singulis Patribus, & Matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus doctrinam Christianam similiter explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies; item iis qui per Civitates, Terras, & alia loca, Viros, Mulieres, aut pueros ad discendam eamdem doctrinam Christianam ducendi causa circumierint, septem annos; ac etiam qui extra Civitates ad illam ut præfertur docendam per Castra, & Villas exeunt, decem annos; omnibus etiam, & singulis Christifidelibus, qui per mediam horam doctrinæ prædictæ, aut docendi causa studuerint, aut eidem doctrinæ interfuerint, centum dies; eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere solent, si Infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Preces Commissarii Gen. Ultram.

Concessio Indulgentiæ plenariæ.

Indulgentia plenaria.

Septē annor.; & totidem quadragen.

Ducentorum dierum.

Stationum Urbis.

Centum dierum.

Septem annorum.

Centum dierum.

Septem annorum.

Decem annorum.

Centum dierum.

Ducentorum dierum.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut si aliquæ aliæ Indulgentiæ prædictis Fratribus præmissa peragentibus a Nobis, vel prædecessoribus nostris ad tempus nondum elapsum, vel perpetuo duraturæ concessæ fuerint, præsentes nullæ sint; utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii generalis dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Maii MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Confirmantur Decreta Congregationum Regul. & Immunitatis pro exemptione Syndicorum Ordinis S. Francisci de Observantia a Foro seculari. CLV.

A Clem. VII. exempti fuere Const. ed. 1526., Apr. 16. Pont. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 19 Junii 1686. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

Alias pro parte dilecti filii Francisci Mariæ Tagliaferri Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præsertim fel. rec. Nicolaus III., Nicolaus IV., Martinus IV., Martinus V., & Eugenius IV. Prædecessores nostri, ut vera observantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conservarentur, statuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis assignaretur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solum in necessitates Fratrum prædictorum

A Romanis Pontificibus institutus fuit Syndicus pro unoquoque Cœnobio.

applicare

A Clem. VII. exemptus fuit a foro Sæculari.

applicare deberet. Et subinde rec. mem. Clemens Papa VII. etiam Prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi Syndici in beneficium dictorum Fratrum quocumque tempore, & quavis occasione assidue sustinebant, eosdem Syndicos a foro sæculari exemerat, volens, ut in causis tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus eorumdem Fratrum Minorum de Observantia de justitia tenerentur, & alias, prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis, desuper in simili forma Brevis die 16. Aprilis 1526. expeditis plenius dicitur contineri. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse; alii vero prætenderent, illud Syndicis prædictis ratione eorum Officii tantum, non autem uti talibus personis competere: unde fiebat, ut Fratres prædicti, non sine paupertatis, & Regulæ quam profitentur, suarumque conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum Syndici, sive Procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellent, ideoque pro parte præfati Francisci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud Syndicis, sive Procuratoribus hujusmodi, uti talibus personis competere declararetur; emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis videlicet.

Dubium super ea re natum.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta remissione Libelli per Sanctissimum D. Nostrum facta, referente Eminentissimo Norfolche, censuit, danda esse Oratori Decreta alias edita, nempe super præmissis servandam esse præfatam Constitutionem san. mem. Clementis VII., prout præsentis Decreti tenore omnino servari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686. G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius.

1 Decretum Congr. Reg. pro executione Constitutionis Clem. VII.

Porro cum dictus Franciscus Maria Procurator Generalis prænarrata pariter exposuisset Congregationi Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, super immunitate Ecclesiastica, & controversiis Jurisdictionalibus deputatorum: hæc Congregatio censuit, danda esse Decreta anteriora tenoris, qui sequitur videlicet. -- Sacra Congregatio super immunitate, & controversiis Jurisdictionalibus habita sub die 26. Martii 1688. circa exposita in præsenti libello dixit, danda esse Decreta; ut infra die 31. Maii 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci, Sacra &c. censuit respondendum Episcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Minorum Observantiæ loci de Cortocetto observare faciat Bullam Clementis VII., si in eo concurrant requisita ejusdem Bullæ die 17. Novembris 1622. Perusina -- Fratres S. Francisci Minorum de Observantia. Sacra &c., censuit servandam esse Bullam Clementis VII. circa privilegium Fori, & exemptiones Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. Die 4. Augusti 1654. Fanen. Episcopus. An Syndicus Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio fori, Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere privilegio fori juxta Constitutionem Clementis VII. die 23. Maii 1526. Romana. Pater Commissarius Generalis Curiæ quærit -- An Syndici, & Procuratores Apostolici Conventuum suæ Religionis, gaudeant privilegio fori, etiam in causis, tam civilibus, & mixtis, motis ante institutionem Officiorum virtute Bullæ Clem. fel. rec. Papæ VII. Sacra Congregatio &c. respondit, Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci ex Bulla fel. rec. Clem. VII. gaudere privilegio fori tam in causis civilibus, quam criminalibus, & mixtis etiam motis ante eorum deputationem, seu Institutionem ad Officium Syndicatus die 15. Februarii 1665. Recanaten. An Syndicus Monialium S. Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Minorum de Observantia. Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem &c. Datum Romæ sub hac die 20. Aprilis 1686. Loco ✠ Sigilli I. Patriarcha Antiochenus Secretarius.

Decreta Congregationis Immunitatis relato simili.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut idem Franciscus Maria Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipsi Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret. Nos ipsius Francisci Mariæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta, a memoratis Congregationibus Cardinalium respective emanata auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate earumdem respective Congregationum Cardinalium.

Confirmatio relatorum decretorum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLVI. Conceditur Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani facultas recipiendi eos Franciæ, Alverniæ, & Provinciæ, qui actu hæresim non profiteantur.

De

De facultatibus Magni Magistri vid. Urb. VIII. Const. ed. 1624., Mart. 29., P. 1. & Const. in ea laudatas. Item aliam Alex. VIII. Constit. ed. 1690., Aug. 5., P. 1. ubi agitur de Hospitalis Ærario.

Dilecto Filio Moderno, & pro tempore existenti Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Dat. 25. Junii 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Species facti.

NOmine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, quod cum hæresis in Regno Franciæ cura, & studio ipsius Ludovici Regis jam abolita, ac fere omnino extirpata reperiatur, & plurimi, qui illa infecti fuerant, Catholicæ fidei veritatem amplexi sint, spesque optima effulgeat fore, ut cæteri quoque, benedicente Domino, ad Sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ gremium revertantur: Ipse Ludovicus de æterna salute, temporalibusque commodis subditorum suorum Christiana Charitate, Regiaque providentia solicitus plurimum cupit, illis, ac præsertim nobilibus, suos, suorumque progenitorum errores, & hæreses, post eorum conversionem, non esse impedimento, quo minus in Religione istius Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Christo militare, ac Christianam Religionem, fidemque orthodoxam adversus Infideles, adspirante superni favoris auxilio, tueri, atque propagare, simulque natalium, & meritorum suorum prærogativis, congruentibusque eorum virtuti præmiis, & honoribus frui, & gaudere valeant. Nobis propterea idem Ludovicus Rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ludovici Regis.

§. 1. Nos igitur ad præclara, omnisque humanæ laudis præconium longe supergressa ipsius Ludovici Regis in Ecclesiam Dei, nosque in hanc Sanctam Sedem promerita paternæ dirigentes considerationis intuitum, piaque ejus studia, quantum Nobis ex alto conceditur, adjuvare cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi cum omnibus, & singulis illis, qui intra limites Linguarum Franciæ, ac Alverniæ, & Provinciæ dicti Hospitalis nati ab hæresi ad catholicæ fidei veritatem, Ecclesiæque Catholicæ unitatem jam conversi sunt, & in futurum convertentur, sive etiam quamvis ab initio Catholici, ex progenitoribus tamen hæreticis nati sint, dummodo tamen in eadem fide, & unitate constantes existant, super præterita, & forsan adhuc durante eorum respective parentum, Avorum, aliorumque ascendentium, seu majorum hæresi, indeque contra eos quomodolibet resultante impedimento quocumque, ita ut illo minime obstante, si nullum aliud eis hujusmodi in hoc canonicum obstet impedimentum, ipsique ad id cæteroqui idonei reperiantur, in Fratres milites de Justitia, ac Capellanos Conventuales, & Servientes Armorum, aliosve cujusvis gradus, & Conditionis Religiosos prædictarum Linguarum Franciæ, ac Alverniæ, & Provinciæ, intra quarum limites respective nati fuerint, servatis alias servandis, recipi, & admitti, & sic recepti omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, honoribus, privilegiis, gratiis, & Indultis, quibus alii Fratres milites de Justitia, ac Capellani Conventuales, & Servientes Armorum, aliusve cujusvis gradus, & conditionis Religiosi Linguarum hujusmodi, tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet, utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia, ac ad quemcumque effectum, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignum, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant respective in omnibus, & per omnia perinde ac si nec ipsi, nec eorum parentes, avi, cæterique ascendentes, seu majores hæresi unquam infecti fuissent, nec ab Ecclesiæ prædictæ unitate unquam recessissent, auctoritate nostra Apostolica opportune dispensandi, eisque concedendi, & indulgendi plenam, & amplam facultatem, eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Concessio prædictæ facultatis.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon præfatorum Hospitalis, & Linguarum, aliisque quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLVII.

Confirmantur Decreta Ministri Generalis Ord. Fratrum S. Francisci de Observantia a Card. Protectore approbata circa Missionum Seminaria in Hispania, & Indiis Occidentalibus.

Alia Ministri Gen. Decreta pro Indiis Occidental. extant Constit. ed. 1683., Oct. 4. P. 8. De dd. vero Seminariis vide Const. ed. 1686. Oct. 16. P. 11.

Dat. 28. Junii 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ECclesiæ Catholicæ per universum terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Superioribus Regularibus ad Christianæ Religionis, fideique Catholicæ propagationem, rectamque Fidelium in Sacra doctrina, & moribus Christianis institutionem, ac etiam Religiosorum Ministrorum in Seminariis ad eum finem institutis, & instituendis pro tempore degentium felicem directionem, pie prudenterque decreta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus.

In sequentibus patentibus literis Præfecto Missionum Occidentaliumdirectis continentur prædicta Decreta.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro ultramontana familia Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Commissarius Generalis, quod dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis dicti Ordinis per suas patentes literas dilecto pariter filio Antonio Linaz Missionum ejusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus Præfecto directas, diversa decreta, & ordinationes edidit, prout continentur in eisdem patentibus literis, tenoris qui sequitur, videlicet:

§. 2. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano Lector jubilatus, Sanctæ Inquisitionis qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis*

Fratrum Minorum Minister Generalis, & servus &c. Dilectissimo nobis in Christo P. F. Antonio Linaz Missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate Apostolica Præfecto Salutem in Domino sempiternam.

Causæ Decretorum.

§. 3. Cum memoria retineamus B. Franciscum inclytum nostri Ordinis Fundatorem Divina revelatione cognovisse, & suos pro aliorum salute vocatos fuisse, juxta illud, quod ei Ecclesia accinit, *Sanctus Franciscus quid faciat instructus non sibi soli vivere, sed aliis proficere vult Dei zelo ductus*, ac insuper cum attenta mente cogitemus, quod ipse Seraphicus Pater anno a sua conversione undecimo, multis cum periculis iter, ut Soldani præsentiam adiret, ferventer aggressus fuit, & quinque observantissimos Fratres ad Miramolimum destinavit, ut ipse Orientis, illi Occidentis Populis salubre Christi prædicantes Evangelium, Mundum quasi totum ad Sanctam Fidem converterent, in qua solicitudine Ordo noster, ut ex quamplurimis Summorum Pontificum diplomatibus apparet, per observantes Missionarios, a suis primordiis, ad usque præsens tempus mirabiliter effulsit; prædicti muneris in Seraphica nostra Religione conservationi, ac præfati exercitii Missionum laudabili incremento consulere desiderantes, consultationibus necessariis præhabitis mature decrevimus tibi præcipere, prout tenore præsentium cum merito salutaris obedientiæ præcipimus, ut tanquam Commissarius ad Infrascripta delegatus, per Provincias in ultramontanis Regnorum, ac Insularum Hispaniæ partibus nostræ obedientiæ subjectas sedulo circumeas, Sanctumque Missionum Ministerium in Civitatibus, locis, & Castellis tibi benevisis de consensu ordinariorum exerceas, ac Religiosos, quos in præfatis Provinciis ad Sacrum Missionum exercitium, & conservationem idoneos repereris, ad illud amplectendum exhortari, monereque cures, & eos, qui Divina inspirante gratia sponte in partes Indiarum ire voluerint charitative recipias, ac ad præfatum laudabile munus nostri nomine destinare solicites, eisdemque per suas literas unum ex Seminariis, seu Collegiis in Hispaniæ, atque Indiarum partibus erectis, & erigendis juxta Statuta a Sanctissimo Dño Nostro Innocentio XI. die 7. Maji 1686. approbata, assignare poteris, ipsique in illud ad morandum statim proficisci teneantur. Et ne in tam Sancto opere meritum obedientiæ desit, omnibus, qui ut præfertur se sponte obtulerint, & sub forma præfata ad aliquod ex Seminariis prædictis fuerint destinati, ad meritum obedientiæ præcipimus, ut præfatum iter, & opus exemplo Discipulorum Christi Domini, juxta prædictorum Statutorum præscriptum, devote exequantur, pro certo sperantes, quod sicut in labore eos imitati fuerint, ita & in præmio eis sociabuntur, per eamdemque obedientiam, ac sub pœnis in memoratis Statutis a Sancta Sede approbatis contentis omnibus nostri Ordinis Fratribus cujuscumque gradus, conditionis, & reformationis sint, præcipimus, ut sub nullo prætextu, specie aut colore, ac sub nulla forma dictos Fratres a te ut præfertur, selectos, & admissos, detineant, retrahant, seu impediant, sed potius eos statim licentient, & in Seminaria abire permittant, pro quo tam euntibus, quam permittentibus, suadentibus, aut cooperantibus Sancti Patris nostri benedictionem libentissime ex nunc, & pro tunc impartimur. Tuam tamen conscientiam oneramus, ad hoc, ut solicitam curam adhibeas, ne Religiosi incapaces, parum idonei, vel in moribus apud suas Provincias male audientes ad tam Sanctum opus assumantur, sic enim animarum saluti consuletur, & Fidelibus, ac Infidelibus scandalorum occasio non subministrabitur. Et ne præfati Fratres a te selecti dum tecum in itinere, ac extra Collegia Missionariorum in exercitio Missionum morati fuerint, absque Pastore remaneant, tibi præcipimus, ut eis præsis, illisque per obedientiam injungimus, ut tibi tanquam suo vero, ac legitimo Prælato delegato in omnibus, & per omnia, ac eo modo, quo Nobis obtemperarent, si præsentes essemus, pareant, & obediant. Præterea tibi facultatem transmittendi in proprias Provincias Religiosos illos tam receptos, & in aliquo Collegio nondum incorporatos, quos inhabiles, vel minus idoneos ad Missionum munus peragendum recognoveris, & recipiendi alios loco illorum, præmemoratis Statutis inhærendo, & eorum observantiam commendando plenarie impartimur. Et si aliquis e sociis tuis, vel e Missionariis Missionum exercitio vacantibus in infirmitatem extra Collegium ceciderit, ac in aliquo ex Conventibus nostræ obedientiæ subjectis demorari contigerit, prædicti Conventus Superior, ac cæteri Religiosi illum usque ad perfectam valetudinem curare, & ei juxta regulam inservire omnino sint adstricti.

De Missionariis.

De Delegato Subdelegatis, & aliis.

§. 4. Insuper tibi permittimus, quodsi propter magnam distantiam, aut aliquam aliam causam ad aliquas ex prælibatis Ultramontanis, & Indianis Provinciis personaliter ire non potueris, auctoritatem ad omnia illa peragenda, quæ immediate faceres, si præsentialiter adesses, alicui, vel aliquibus e Sociis tuis, aut alteri e nostri Ordinis Missionariis cum superioritate, & facultatibus tibi in præsentibus literis concessis in omnibus, & per omnia subdelegare, ac communicare valeas: ille autem, vel illi alteri subdelegare nullatenus poterunt. Quo vero ad facultates volumus, & tenore præsentium concedimus, quod tu, & Fratres prædicti, qui ad præfatam subdelegationem in præmemoratis Hispaniæ, & Indiarum Provinciis assumpti fuerint, eadem absolvendi, dispensandi, commutandi &c. auctoritate, & facultate super Fratres, Moniales, & Sæculares in foro conscientiæ gaudeant, qua Minister Generalis, si ibi esset, uti, ac frui valeret: utque prædictæ auctoritates, & facultates effectu non careant, omnibus, & singulis utriusque sexus personis in præfatis Provinciis obedientiæ nostræ subjectis, cujuscumque gradus, dignitatis, ac superioritatis sint per sanctam obedientiam, ac sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrenda, necnon privationis vocis activæ, & passivæ per triennium præcipimus, & mandamus, ut se, & Socios tuos sub forma prædicta subdelegatos tuis desideriis cooperantes in suis locis, Conventibus, Capellis, Oratoriis, & Ecclesiis, quoties pro privata, secreta, ac fraternali collatione, vel pro publica a vobis facienda prædicatione, confessionibusque de licentia Ordinariorum audiendis, a quolibet vestrum requisiti fuerint, benigne, & charitative, ac sine ulla repugnantia recipiant: Etsi pro alicujus Monialis infirmæ, seu in articulo mortis constitutæ Sacramentali solatio, aut ad moriendum in Domino Religiosa assistentia in aliquod Monasterium ingredi necessarium fuerit, supradicta Jurisdictio Spiritualis, etiam pro his casibus concessa, ac præstita intelligatur. Quando vero ad aliquod ex Missionariorum Seminariis, seu Collegiis in Indiarum, & Ultramontanæ familiæ partibus hucusque erectis, & in posterum erigendis, seu fundandis accesseris, ac dum in illo cum Sociis præfatis moratus fueris, seu ipsi Socii Subdelegati inibi separatam moram trahant, sola auctoritate, & facultatibus ad Sacramentale forum spectantibus vos frui posse decernimus, & omni alia Jurisdictione alterius Prælaturæ titulo non obtenta, spoliatos declaramus; Ex hoc tamen effectum literarum patentium, & commissionum, quas antea dederis, non suspendimus, imo illum fortiri per-

optamus,

optamus, & sub pœnis prædictis stricte præcipimus, tibi, ac Sociis tuis, cæterisque subdelegatis simul injungentes, ut licet de familia dicti Collegii non sitis, illius Guardiano juxta præscriptum prædictorum Statutorum a S. Sede, ut præfertur approbatorum in omnibus, quæ ad Hospites, & Moratores respective spectare dignoscuntur, inviolabiliter pareatis, & obediatis: Idque ipsum in aliis Ordinis Conventibus in signum reverentiæ faciatis, quando in damnum exercitii Missionum non vergat, seu cum illo incompatibile fuerit. Cæterum quando e Seminario, seu Collegio, in quo de familia, seu hospes fueris exire decreveris, Socios, ac Missionarios, quos ad præfatum Missionum munus in illis partibus Infidelium, in quas eos necessarios judicaveris, & magis idoneos credideris, spontanea illorum voluntate ad id requisita præcedente, de consilio Discretorii Seminarii prædicti seligere, ac tecum ferre licite valebis. Si autem Guardianus cum majori parte Discretorii tibi, quoad hoc contradixerint, Superiorem Generalem, sub cujus Jurisdictione præfatum Seminarium fuerit, certiorem facies, ac habito illius consensu, & non aliter, nisi prius ad id legitimam obtinuisses delegationem, Guardianus, & Discreti tuis votis acquiescere teneantur, etenim nulla ratio suadet, quod ille, qui Commissarius Missionum fuerit, electionem operariorum juxta locorum & Terrarum Infidelium necessitatem facere non possit. Post præfatum exitum vero, & quando per prædictos Hispaniæ, & Indiarum Provincias de novo circumeas, vel quoties, ut sepradictum est, alios Fratres ad quærendum alios Missionarios, seu aliqua Collegia Missionum erigenda mittas, aut personaliter eas, te, & dictos Fratres memorata superioritate, & facultatibus supradictis uti, ac frui posse, æque, ac ut supra stabilitum manet, sancimus, & declaramus. Eisdemque vos, & omnes alios nostri Ordinis Concionatores, & Confessarios, in præfatis Missionum Collegiis tam erectis, quam erigendis incorporatos, gaudere debere decernimus, Sancto Missionum operi, ac laudabili muneri ipsos in Terris tam Fidelium, quam Infidelium vacare, seu in præfatis Collegiis applicatos esse contigerit. Nullusque memoratorum Collegiorum Guardianus sub aliquo prætextu tuum exitum e Conventu, seu Collegio, aut egressum e loco, in quo Collegium fuerit, impedire præsumat, nec Socium gratum a te, tenore præsentium eligendum, & quoties opportunum fuerit mutandum, in aliis exercitiis occupare audeat; Sed statim ac ab ipso benedictionem petas, te cum prædicto Socio licentiare teneatur, ut sic tuum munus tam in Terris Fidelium, quam Infidelium, & in omni eventu, ac necessitate facilius, & convenientius exequi valeas; Si enim Fratres, qui Terræ Sanctæ, ac quæstuationi pro illa applicati sunt, hac independentia a Superioribus locorum fruuntur, illa potiori jure, Commissarius Missionum Infidelium conversioni, ac Animarum lucro totis viribus deditus frui, potiri, & gaudere debet.

De Seminariis erigendis.

§. 5. Præterea, ut melius Infidelium conversioni, & omnium Animarum saluti salubrius in prædictis ultramontanæ Familiæ, & Indiarum Provinciis pro nunc, & in posterum provideatur, volumus, & tenore præsentium sancimus, ut in qualibet ex dictis Provinciis, ubi aliquod Seminarium, seu Collegium Missionariorum nostri Ordinis auctoritate Sacræ Congregationis de Propaganda fide non fuerit erectum, aut approbatum, nec erigi, aut fundari permittatur in futurum, unus ex Conventibus jam fundatis in Collegium, & Seminarium pro Missionariis nostri Ordinis educandis, erigatur, ac eo modo, & sub illa forma dicta Collegia in dictis Provinciis jam erecta, & in posterum erigenda gubernari, quoad omnia, quæ dictæ Sacræ Congregationis auctoritatem non respiciunt, semper teneantur, sub qua in Statutis prædictis a Sanctitate D. Nostri præfata die 7. Maji approbatis regi, ac gubernari præcipimus, prædicti autem Conventus ad tam laudabilem finem destinandi de numero Recollectorum esse possint, & debeant, si aliqua ineluctabilis ratio aliud non suadeat, quod judicio, & arbitrio Superiorum Generalium illarum partium, qui de præsenti sunt, & pro tempore fuerint committere censuimus, eisdem sub S. P. N. Francisci indignatione, & pœnis ab Eminentissimo Protectore, & ejus Successoribus pro suo arbitrio infligendis simul præcipientes, ut quando a te, vel ab eo alio Religioso a te destinato, requisiti fuerint, Conventum ad dictam Missionariorum educationem in qualibet Provincia assignent, & ultra quatuor menses a die requisitionis numerandos, dictam assignationem protrahere, seu suspendere non præsumant, nec audeant; & si secus fecerint illius S. P. N. Francisci sententiæ memores sint, in qua suæ, & totius cælestis Curiæ maledictionis pœnam illis imponit, qui confundunt, ac destruunt, quod Altissimus per Sanctos Fratres hujus Ordinis ædificavit, & ædificare non cessat. Te autem in Domino exhortamur, ut per te ipsum, aliosque ad id idoneos Missionarios, seu probos, ac Sanctitate morum pollentes Religiosos a te sobrie eligendos, præfatis erectionibus, tam in Hispaniæ, quam Indiarum omnium Regi Catholico subjectarum partibus ardenter invigiles, illarumque executioni, promotioni, & stabilimento sedulo vaces, atque Deo, & Ordini nostro in opere adeo Sancto inservire nunquam cesses. Ad quod te, & Socios tuos, ac omnes alios Religiosos a te destinandos, qui prælibatis erectionibus operam sponte dederint, Superioribus generalibus, & particularibus illarum Provinciarum, in quibus memoratæ erectiones faciendæ sint, enixe commendamus, earumdemque Provinciarum consensum, quatenus opus sit, vestigiis nostri prædecessoris inhærentes, qui illum pro erectionibus tempore sui generalatus factis, & dispositis supplevit, per præsentes pro nunc, & in posterum auctoritate Ministri Generalis, qua fungimur juridice, ac legitime supplemus, & ab illis peti, & expectari non debere declaramus. Insuperque te, ac dictos Fratres Principibus Christianis, præcipue Regi Catholico, ejusdemque Majestatis Consiliariis submisse, ac reverenter commendamus, sperantes, quod in Tribunali tantæ pietatis, nihil utilius, ac magis expediens creditur quam hoc incœptum ad finem Regia protectione perducere, ut tot bene instructis ac educatis operariis existentibus, aditus, & ingressus in Indiarum, aliorumque Infidelium partes, illis tantum conferatur, & quærentibus, quæ sua sunt (quod Deus avertat) & non Jesu Christi, omnino denegetur. Postquam vero septem Seminaria sub forma prædicta erecta fuerint, ac Missionibus in Hispaniæ Provinciis applicata reperiantur, harum vigore sancimus, quod transitus in Indiarum Missiones omnibus Religiosis Provinciarum Hispaniæ, qui prius per duos annos, vel aliud spatium a nostro Indiarum Commissario Generali Matriti existente assignandum, augendum, vel minuendum, in aliquo ex prædictis Seminariis, seu Collegiis suæ religiositatis, idoneitatis, ac vocationis testimonium, & indicia non dederint, accedente consensu, & placitis necessariis omnino interdicatur: hac enim providentia Provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illa indigent, consuletur, & Fidelium tam in illis, quam Hispaniæ partibus ædificationi, Infidelium conversioni, omnium Animarum saluti, & nostræ regulæ observantiæ puriori, ac totius Ecclesiæ decori maximopere inservietur; & tot Seminariorum numerus in

Hiſpaniæ Provinciis ſuperfluus, aut ſine fine Deo gratiſſimo non reputabitur.

De Delegatis, Commiſſariis, & aliis.

§. 6. Cæterum quia tui corporis vires ad adeo immenſum laborem non ſufficient, ideo præſentium tenore decernimus, quod te cum P. N. Franciſco Salmezone Seminarii de Sahagura erectore, ac zelantiſſimo per totam Hiſpaniam Miſſionario Concionatore fraternaliter conjungas, teque præfatum P. Salmezonem, Commiſſarios noſtros delegatos ad dictarum erectionum effectum conſequendum, cum omnimoda independentia unius in dimidia parte Provinciarum Hiſpaniæ, ab alio in altera dimidia juxta repartitionem inter vos prius concordandam, inſtituimus, & pronunciamus, ac vobis, & Sociis veſtris, aliiſque probis Religioſis, qui de conſenſu veſtro prædictis erectionibus operam dare voluerint, eorum curam, & ſolicitudinem enixe commendamus. Et ne prædictus Pater Salmezon, ejuſque Socii, ac alii Fratres, qui eum in opera adeo ſancta ſequi voluerint, debita auctoritate, facultatibus, & Superioritate neceſſaria careant, eos omnibus gratiis, facultatibus, Superioritatibus, & privilegiis reſpective, tibi, ſociiſque tuis, ac aliis te ſequi eligentibus, tenore præſentium conceſſis, æque, ac pariformiter, reſpective tamen uti, & frui poſſe, ac debere volumus, & declaramus. Tibi autem in Indiarum Occidentalium rebus, ac neceſſitatibus experto facultatem facimus, ut ex concionatoribus Miſſionariis in Provinciis Peruanis exiſtentibus, unum, qui tibi magis idoneus appareat, nomine noſtro eligas, qui in præfatis Provinciis commiſſario Generali illarum Partium ſubjectis, prædictis erectionibus invigilet, & ibi Commiſſarius Miſſionum ſit, & appelletur, aliumque exiſtentibus in Provinciis novæ Hiſpaniæ, ac Philippinarum ad eumdem effectum, & cum eodem titulo pro illis partibus, dum ad illas non perveneris, nominare poteris, & ſi neceſſe fuerit, quod diſtinctus ad Provincias Philippinas deſtinetur, alium pro illis deſtinare valebis. Prædicti autem Miſſionum Commiſſarii a te eligendi eadem auctoritate, & ſuperioritate, ac ſimilibus facultatibus, tam pro erectionibus, quam pro exercendis Miſſionibus, & quærendis ad illas Religioſis potiri, & frui poterunt, quibus tuarum tenore uti, frui, ac potiri vales, quæ tibi pro eiſdem partibus etiam deſervient, & nunquam, niſi per Apoſtolicam Sedem aliud fuerit determinatum ſub ullo prætextu finientur. Eademque duratione præfata auctoritas, ſuperioritas, & facultates P. Franciſco Salmezoni conceſſæ durabunt, niſi etiam aliter per eandem S. Sedem fuerit ſtabilitum. Unicuique autem veſtrum præcipimus, ut tam pro Seminariis erectis, ac erigendis quam pro exercitio Miſſionum in Indiarum partibus erigendo idoneos tantum Religioſos admittatis, & quando in eaſdem partes tranſire vobis opportunum viſum fuerit, illuc tenore præſentium vos conferre poteritis. Te vero vel præfato P. Salmezone decedente, aut uno, vel altero in Indias tranſeunte, & dum Commiſſarii Miſſionum, quos in Indiarum Regnis, & Provinciis, ut præfertur, elegeris prædictum munus per ſeptennium exercuerint, alii veſtro, & illorum loco a Superioribus Generalibus illarum partium reſpective, qui pro tempore fuerint eligantur, in eorum tamen electione illa forma ſervari debeat, quæ pro electione cujuſlibet Guardiani Seminariorum ſtabilitur: utque æqualitas honoris a præfato Commiſſariatu provenientis omnibus Seminariis impartiatur, primus Commiſſarius pro qualibet provinciarum parte, cui unum ſupra conceſſimus a Seminario in illa parte primo erecto aſſumetur: ſecundus a ſecundo, & ſic de reliquis uſque ad ultimum, qui ordo iterum incipiendo ſemper ſervetur, niſi aliud Superiori Generali Provinciarum, illius partis, de aſſenſu majoris partis Guardianorum Collegiorum d. Commiſſariatus, magis expediens pro proſperiori Miſſionum augmento viſum fuerit, unde cuilibet Collegio, ſeu Seminario unus Commiſſariatus per Septennium integrum duraturus concedi debebit, etiamſi primo electus e vita migret, aut ſervata eadem forma, quæ pro depoſitione, & privatione Guardianorum in Seminariis obſervetur, & non aliter, officio privetur, ſeu ex alio capite inhabilis reddatur, aut ad munus incompatibile, quale erit Grardianatus, & Provincialatus officium aliquando aſſumatur; in iis enim caſibus alius ejuſdem Seminarii Miſſionarius Concionator juxta primæ electionis formam ad Miſſionum Commiſſariatum promoveatur. Commiſſarii præd. in omnibus ſui Commiſſariatus Collegiis primum locum habeant poſt Guardianum, & dum intra clauſtra cujuſlibet fuerint eorum Diſcreti per tempus ſui Commiſſariatus ultra nominatos in Collegiorum Statutis, ut præfertur approbatis, legitime erunt, nunquam tamen titulum generalem uſurpent, aut Commiſſarii Generalis Miſſionum appellari valeant; nec minus ulla juriſdictione, auctoritate, aut facultate, ultra id, quod eis ſupra conceſſum manet, uti, aut gaudere præſumant, aut gubernium regulare Collegiorum perturbare audeant: ad ſoloſque Guardianos ſpectabit Novitios recipere, Fratres ad prædicandum, & audiendas Sæcularium Confeſſiones, locorum Ordinariis præſentare, & numerum Miſſionariorum, aliorumque Fratrum ſervatis, juxta ſtatuta ſervandis, augere, vel minuere, quæ omnia a dictis Guardianis fiant, quin forma in dictis ſtatutis a Sancta Sede approbatis aliqualiter violetur, Prædicatorum vero, ac Confeſſariorum, tam Fratrum, quam Monialium, & Sæcularium prima inſtitutio, necnon Clericorum, ſeu Choriſtarum ad Ordines recipiendos deſtinatio, ad ſolos Superiores Generales illarum partium, in quibus Seminaria fuerint ſpectabit; ii autem nullum inſtituant, promoveant, ſeu deſtinent, niſi habito prius conſilio, & aſſenſu in ſcriptis poſt exactum examen, & non aliter conferendo majoris partis Diſcretorii illius Seminarii in quo moram trahat examinandus: at præfato conſenſu interveniente, Superior Generalis ſuas literas ſtatim expedire tenebitur, ne Seminaria ob ejus culpabilem moram, operariis neceſſariis privata remaneant, ſed conſerventur. Si aliquando contingat, quod aliquis Religioſus, qui officio Diffinitoris Generalis, Commiſſarii Generalis Curiæ, Procuratoris Generalis Ordinis, Commiſſarii Generalis Familiæ, Miniſtri Generalis, ſeu Vicarii, aut Vice-Commiſſarii Generalis functus fuerit, ad aliquod ex d. Seminariis, ſeu Collegiis tranſeat, & ibi Miſſionum exercitio vacare deſideret ſtatim a Guardiano, & Diſcretis recipiatur; cæterum ne propria Provincia, aut Ultramontana familia, ſeu totus Ordo viris in Gubernio adeo expertis omnino privetur, dictus Pater, etiamſi in Collegio, ſeu Seminario de Familia vivat, ſuffragia, ſubrogationes, præeminentias, & privilegia ſibi tam in propria Provincia, quam in Familia Ultramontana, & Ordine toto juxta ſtatuta debita non amittat, illiſque eo modo frui poterit, ac ſi a propria Provincia non exiviſſet; ſic enim Miſſionum exercitium Viris magnæ auctoritatis, & experientiæ honorabitur, quin aliquod detrimentum in eorum defectu, ſeu ſeparatione Religio patiatur.

De Solicitatoribus Tertii Ordinis.

§. 7. Et quia dum decori Primi Ordinis S. P. N. Franciſci, ac ſolatio, & ſpiritualibus indigentiis Secundi per præſentes literas contulimus, Tertii Ordinis de Pœnitentia eidem Sancto Fundatori valde amabilis obliviſci non debemus, ut præfatus de Pœnitentia Venerabilis Ordo a S. P. N. Franciſco pro Perſonis utriuſque ſexus in ſæculo viventibus inſtitutus, & a fel. rec.

Clemente

Clemente VII., ac Paulo III. in tres ſtatus ſub una, eademque Tertii Ordinis appellatione, atque eorundem privilegiorum, gratiarum, conceſſionum, Indulgentiarum, & favorum communicatione, ac ſolum ſub diverſis Statutis ſecundum cujuſlibet ſtatus exigentiam, diviſus, magis in dies augeatur, & illi Sancti, qui ut ab eodem Paulo in ſuo Brevi *Trium Statuum* incipiente refertur pro Sanctis dicti Ordinis recenſentur, ſequacibus in Indiarum, & totius Orbis Chriſtiani partibus non careant, ac ut exemplo Perſonarum ſub regula præfati Ordinis viventium fidelium mores reformentur, virtute Conſtitutionum Apoſtolicarum a Sanctitate Alexandri VIII. in quibuſdam literis *Exponi Nobis* incipientibus die 28. Julii 1657. datis approbatarum, quas prædictus Pontifex una cum Ordinis Statutis obſervari præcepit, prædictos Miſſionum Commiſſarios, & Seminariorum Guardianos, ac alios Miſſionarios ab ipſis deſtinandos augmenti dicti Ordinis ſolicitatores inſtituimus, eiſque recipiendi fideles ad hunc Ordinem Tertium, illiuſque profeſſionem, & exactiſſimam Regulæ juxta præmiſſa Statuta, ac Ordinis Conſtitutiones in ſpeculo Seraphico contentas, & explicatas, ſequelam, & obſervantiam, omnimodam facultatem impartimur; ipſæque utriuſque ſexus perſonæ ad ſtatum ſibi in dicto Ordine Tertio correſpondentem ſub forma præmiſſa admiſſæ cunctis gratiis, Indulgentiis, & Conceſſionibus d. Ordini Tertio a Sancta Sede, ut præfertur factis, & elargitis æque frui poterunt, ac illis perſonæ aliæ dicti Ordinis uti, ac potiri valent, & conſueverunt. Ulterius tam ipſius Tertii Ordinis, quam aliis utriuſque ſexus noſtræ obedientiæ, ſeu directioni ſubjectis Perſonis intra, & extra Seminaria præfata degentibus in Domino ſuademus, ut viæ Crucis greſſus, & devotam illorum greſſuum meditationem, more ſolito, frequentent, atque ante, vel poſt cujuſlibet meditationis morulam conſuetæ Sanctiſſimi Sacramenti Stationis orationes recitent, ut Indulgentias, quæ a Sancta Sede revocatæ non fuerint, media hac diligentiarum commutatione, juxta Summorum Pontificum conceſſiones ſecure lucrari valeant, & poſſint.

Admonitio.

§. 8. Poſtremo omnibus Miſſionum Commiſſariis, ac Collegiorum Fratribus tam Subditis, quam Superioribus ſtricte injungimus, ut in omnibus ſe Dei Miniſtros, Diſcipulorum Domini Sectatores, obſervantiæ Sanctæ Alumnos, Sanctorum Ordinis imitatores, & S. P. N. Franciſci eximii ardoris filios perenniter oſtendant, & uſui pauperrimo rerum indiſpenſabiliter mancipent, utque illorum librorum uſu ſint contenti, quos ſecum in Miſſiones portare neceſſarium, & inevitabile judicaverint, ſi autem alios a benefactoribus receperint, eos Bibliothecis Collegiorum ſtatim donent, imo ad hunc tantum finem donationem prædictam acceptare poterunt: Et ſi contingat, quod opera alicujus Miſſionarii benefactorum eleemoſynis typis dentur, Religioſus, qui eas (ut licet) medio Syndico, & de licentia Superiorum, pro hac neceſſitate determinata præſtanda, percepérit, & impreſſionis indigentiis applicaverit, neutiquam ſibi exemplarium repartitionem, & librorum donationem reſervet, ſed id de illis fiat, quod Diſcretorio Collegii utilius, ac religioſius apparuerit, ſemper tamen benefactores, & amici ſpirituales præferantur, qui digni ab Authore, ſeu ſolicitatore Impreſſionis declarati fuerint.

Facultates Commiſſarii Gen. Ultram.

§. 9. Et ne præſentes literæ ad maturæ determinationis ob aliquos, ſive auctoritatis ad decernendum in perpetuum, ſive alterius rationis defectus neceſſaria firmitate careant, earumdem tenore, facultatem procurandi tam apud Eminentiſſ. D. Noſtrum Protectorem, quam apud S. Sedem neceſſarias confirmationes, & roborationes opportunas, ac perpetuam manutentionem P. Franciſco Diaz a S. Bonaventura hujus Curiæ Commiſſario Generali plenarie impertimur, ipſiſque dictarum erectionum promotionem, & Miſſionum negotia in hac Curia tractanda, cum facultatibus neceſſariis committimus, & licentiam ad poſtulandas in Sacra Congregatione de Propaganda fide Miſſionum pro memoratis Commiſſariis Præfecturas, & omnia illa agenda, quæ pro tam ſancto opere perficiendo neceſſaria fuerint libenter concedimus, & elargimur. Harumque literarum obſervantiam omnibus ad quos ſpectat, cum ſalutaris obedientiæ merito commendamus, & ipſis S. P. N. Franciſci benedictionem benigne impartimur. Ex hoc noſtro Aracælitano Conventu die 11. Maii 1686. Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis. D. M. Rmi Patris Fr. Joſeph a Leone Secr. Generalis Ordinis.

§. 10. Et ſubinde Ven. Fr. Noſter Alderanus Epiſcopus Portuen. S. R. E. Card. Cybo nuncupatus, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protector dictas patentes literas, earumque præinſertam diſpoſitionem approbavit, & confirmavit per ſuum Decretum tenoris ſequentis, videl. *Alderanus Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardin. Cybo Seraphici Ordinis S. Franciſci apud S. Sedem Protector &c. retroſcriptas literas patentes P. Miniſtri Generalis, earumque præinſertam diſpoſitionem tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ſuumque effectum ſortiri præcipimus, & mandamus ſub pœnis in Statutis generalibus contra Rebelles præſcriptis. Romæ 13. Maij 1686. A Card. Cybo Protector. Jo. Baptiſta Ruſca &c.*

Decretum Card. Protectoris.

§. 11. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Franciſcus Commiſſarius Generalis præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: nos ipſius Franciſci Commiſſarii Generalis votis hac in re quantum cum D. poſſumus, benigne annuentes, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas præfati Petri Marini Miniſtri Generalis patentes literas a memorato Alderano Epiſcopo Cardinale, & Protectore approbatas, & confirmatas, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus pariter, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulis Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Preces Commiſſarii Gen.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 12. Decernentes eaſdem præſentes, & præinſertas patentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 13. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit d. Ordinis, ejuſque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quo-

que, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die XXVIII. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLVIII. Prohibetur Monachos Congregationis Fuliensis ad aliam Religionem transire sine Superiorum licentia.

Constitutiones hic laudatæ sunt Sixti V. Constitut. ed. 1586., Maii 5. P. 2. Const. ed. 1587. Nov. 14. P. 3. Clem. VIII. Const. ed. 1592. Septem. 4. P. 1. Constit. ed. 1599. Febr. 9. P. 8. Constit. ed. 1604. Mar. 17. P. 13. Pauli V. Constit. ed. 1606. Jul. 9. P. 2. Const. ed. 1606. Oct. 10. P. 2.

Dat. 5. Aug. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Monachorum Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis Ord. Cistercien., quod dudum fe. rec. Sixtus V. Clemens VIII., & Paulus V. Romani Pontifices Prædecessores nostri dictam Congregationem Fuliensem, quæ in Regno Galliæ stabilita, & per Galliam, & Italiam plurimum fuit dilatata, approbaverunt, & confirmaverunt, variisque gratiis, & privilegiis exornarunt, illo in primis, quo a præfatis Clemente, & Paulo Prædecessoribus in virtute sanctæ obedientiæ prohibetur omnibus hujus Congregationis Monachis ne ad Ordinem Cistercien. possint transire, alioque privilegio Congregationi Monachorum S. Bernardi in Hispania concesso, & Fuliensibus Monachis per Sixtum, & Clementem Prædecessores prædictos communicato quo dictis Monachis prohibetur sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna, ne sine Superioris Generalis petita, & non obtenta licentia, e Monasterio exire possint, etiamsi ad quemcumque alium Ordinem, vel locum, seu quodcumque aliud Monasterium ejusdem, vel alterius cujuscumque Ordinis transire velint. Et licet ab illo tempore divina favente gratia, eadem Congregatio Fuliensis multum profecerit, plurimaque habeat Monasteria in quibus Monachi cum summa populorum ædificatione Altissimo famulantur in vigiliis, orationibus, abstinentiis, & jejuniis multis, juxta primævum suæ Congregationis Institutum; nihilominus quidam ex illa Monachi professi, quo spiritu ducti, nescitur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ, ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe nuncupat. dicti Ordinis Cistercienſis Sagun. Diœcesis, non obtenta suorum Superiorum licentia, se transferre satagunt, & cum effectu se transferunt, sicut de facto, Mense Octobri proxime elapsi adhoc Beatæ Mariæ de la Trappe Monasterium dilectus filius Jacobus Mauclere dictus a Sancto Gabriele Monachus expresse professus dictæ Congregationis Fulienſis, non obtenta a Superiore Generali licentia, se transtulit, sibique de præsenti perseverat, non obstante sui Superioris Generalis Mandato, quo ei sub obedientiæ præcepto injunctum fuit, ut quamprimum ad suæ stabilitatis Monasterium rediret: quod quidem in grave Congregationis sit præjudicium, & aliorum scandalum, cum exinde furtivæ egressiones, devastationes, seu obedientiæ neglectus, & in regulari proposito instabilitas maxime possint exoriri. Quare præfatus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis de opportuno remedio providere, & consequenter, quod Monachi dictæ Congregationis Fulienſis expresse professi ad quemcumque alium Ordinem, etiam Carthusianorum, & præsertim ad dictum Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe Ordinis Cistercien., animo se se ibidem associandi, seu incorporandi sine expressa Superioris Generalis dictæ Congregationis licentia nullo modo transire possint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam pro receptis, quam pro recipientibus, declarare, & statuere, ac specialiter, ut præfatus Jacobus Mauclere dictus a S. Gabriele ad redeundum ad propriam Congregationem, in qua a duobus vix annis ætatis suæ circiter decimo septimo anno professionem emisit regularem per censuras Ecclesiasticas compellatur, ordinare de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gen. pro opportuno remedio.

§. 1. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis petitam prohibitionem juxta formam literarum Apostolicarum super consimili negotio pro Congregatione S. Mauri Monachorum Ordinis S. Benedicti, alias in simili forma Brevis expeditarum, præfatæ Congregationi Fulienſi auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; præfatum vero Jacobum Mauclere ad redeundum ad primum Monasterium ejusdem Congregationis Fulienſis per censuras Ecclesiasticas compellendum esse, eadem auctoritate decernimus, & ordinamus.

Prohibitio prædicta ad instar illius Monachorum S. Mauri.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis literis ad favorem dictæ Congregationis S. Mauri emanatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ

Dicta prohibitio a Clem. VIII., & Paulo V. antea facta fuit.

Quorundam inobedientia.

ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die V. Augusti MDCLXXXVI. Pontificatus nostri anno Decimo.

CLIX. Confirmantur quædam Decreta Capituli Intermedii Fratrum B. Jo. Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum.

Extat revocatio cujusdam Decr. Capituli Urb. VIII. Const. ed. 1628. Apr. 18. P. 5., & Alex. VIII. Const. ed. 1690. Octob. 7. P. 1. confirmatio Decreti Card. Protector. de Sede Generalis, & Convocatione Capituli.

Dat. 17. Aug. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere peculiarem Christifidelium, qui e fluctibus Sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, ubereſque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei assidue proferre satagunt, solicitudinem gerentes, illis, quæ pro felici, prosperoque eorum regimine, & gubernio provide, prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, libenter adjungimus firmitatem.

Decreta prædicta in Capitulo Intermedio an. 1683. edita.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Emmanuel de Herrera Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beati Joannis Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum, quod cum per Constitutiones dicti Ordinis a fe. record. Urbano PP. VIII. Prædecessore nostro confirmatas Cap. CII. Capitulis Generalibus, & intermediis ipsius Ordinis Constitutiones ipsas mutandi, vel declarandi, novasque etiam adjungendi, prout recti gubernii ratio exegerit, facultas tribuatur: Ideo in Capitulo intermedio Ordinis prædicti, quod die 3. Maji 1683. celebratum fuit pro felici, prosperoque Ordinis hujusmodi regimine, & gubernio facta fuerunt nonnulla acta, & Decreta, tenoris qui sequitur, videlicet: Acta, & Decreta, quæ Religio B. Joannis Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum fecit, & ordinavit ad melius ejus regimen in Capitulo intermedio celebrato die 3. Maji præsentis anni 1683. in Hospitali Beatæ Virginis Amoris Dei Curiæ Matriten. videlicet.

I.

De Ærario, & Arca pecuniarum.

In primis quia dicta Religio habet Ærarium, & Arcam trium Clavium, quæ sunt in potestate P. Generalis, & suorum duorum Assistentium ubi apponuntur, & conservantur omnes quantitates pecuniarum, quæ acquiruntur pro Canonizatione N. Patris Beati Joannis Dei dictæ Religionis Fundatoris, & aliorum Servorum Dei, qui fuerunt in ea Religione, ac etiam legitimæ, & spolia Religiosorum cum quantitatibus, quas Provinciæ Indiarum mittunt in Hispaniam ad lites, & negotia, sicuti ad alia, quæ dictæ Religioni opus est in Curia Romana, & in dictis Hispaniarum Regnis in diversis Audientiis, & Tribunalibus, & licet in prædictis semper habita fuerit bona cura, & ratio, ipsam reddendo PP. Generales in fine eorum officii successoribus suis, tamen quia super hoc nulla adest Constitutio, nec ordinatio, quæ aliquid super hoc disponat, quæ per se introducta est, cujus respectu posset deficere cum tempore ejus perseverantia, & ut firma remaneat, & nihil possit innovari in præjudicium tam utilis, & laudabilis consuetudinis ordinatur d. Ærarium, & Arcam trium Clavium perpetuo conservari, in forma, quæ usque ad præsens fuerunt conservata, nempe quod præ-

dictæ claves diversæ sint, nec nisi omnibus simul junctis Arca hujusmodi dispositorum aperiri possit; Unaque ex eisdem clavibus a P. Generali, reliquæ a singulis Assistentibus retineantur, habeatque dictus P. Generalis librum rationum de receptis, & expensis, & in fine sui officii rationem reddat successori suo, & novis ejus Assistentibus de præfatis receptis, & expensis factis in tempore sui officii, sicut semper fuit observatum, & relatum remanet: Et casu, quo fraus, vel dolus in custodia, & administratione, atque erogatione dd. pecuniarum detegatur; delinquentes male versantes pœnis privationis vocis activæ, & passivæ subjaceant, & ab eorum officiis respective suspensi remaneant, & ipse Pater Generalis privatus, destitutus remaneat omnibus privilegiis, & prærogativis, ex Generalibus quomodolibet competentibus, nec a quocumque nisi a S. Sede Apostolica rehabilitari, & absolvi possint.

II.

De libris accepti, & expensi, necnon Manualibus dispensatorum.

Quod ultra expressum in Capitulo 68. nostrarum Constitutionum ordinatur, quod Superiores in eorum Monasteriis habere debeant libros bonorum, & redditnum, & expensarum in Archivio, & Arca trium Clavium, absque eo, quod possint amoveri ad alium effectum, nisi ad calculandum introitus, & scribendum recepta, & expensa quolibet die facien. cum assistentia Consiliariorum ordinatur, quod omne id, quod Dispensator afferet expensarum causa, recipiatur, & scribatur in libris, & in eadem forma, & specie describatur, qua dictus Dispensator afferet absque ulla permutatione, & quod conserventur libri manuales dictorum Dispensatorum, ut quando evenerit casus visitationis possint videri, & comprobari eorumdem listæ cum illis dd. librorum, & quod Superiores nihil possint percipere, nec impendere manualiter, sed dd. expensæ, & necessaria sint sub onere Procuratorum, & Dispensatorum. Prædicta ordinantur in virtute S. obedientiæ, & pœna privationis officii, & activæ, & passivæ vocis.

III.

De Priorum confirmatione.

Quia Cap. 39. nostrarum Constitutionum ordinat, & mandat officia Priorum duratura esse tantum spatio trium annorum, & his elapsis non posse iterum eligi, & confirmari in d. officio Prioratus, illas Personas, quæ jam fuerunt Priores tam in eo Hospitali, ubi exercuerunt, quam in quovis alio, nisi elapsis tribus annis vacationis sui muneris, & quia sunt multi anni, quod dicta Religio indiget Personis idoneis pro dictis officiis, & ad deveniendum ad novam electionem opus fuit in pluribus præteritis Capitulis, recurrere ad Sanctam Sedem Apostolicam, & supplicare SS. D. N. pro d. Constitutionis dispensatione, qua auctoritate denuo electi fuerunt in dd. Capitulis, & quia quotidie magis apparet Personarum defectus ob multorum Religiosorum mortem, & quia defecerunt Seniores triginta annorum citra ob continuam assistentiam habitam in infirmitatibus pestis, quibus Regnum Hispaniæ laboravit spatio octo annorum, in quibus obierunt quamplures Religiosi, & cum sint cæteri remanentes Juvenes, & absque experientia, & competente ætate ad gubernandum, qua de causa cum fuerit facta experientia aliquorum honorando eos in dictis officiis opus fuit eos ab illis privare ob eorum malum regimen, & administrationem habitam remanentibus prædictis in magno præjudicio, & damno Cœnobiorum, & Hospitalium, quod non accidisset si possent denuo eligi, & confirmari, illi qui sunt capaces, & experti in dicto regimine; Quapropter ordinatur, ut in posterum possint iterum eligi, & confirmari a Capitulo Generali, vel intermedio in dd. muneribus Prioratus omnes illæ personæ,

quæ dignæ videantur dicto Capitulo, in aliis tamen Hospitalibus, exclusis illis, in quibus antecedenter, & immediate Prioratus munere functi sunt ad ipsius Capituli arbitrium, & per decennium a die confirmationis proximum tantum.

IV.

De Valetudinario. Quod Superior non habens aulam pro Infirmaria cum pleno numero lectorum secundum fundationem, vel possibilitatem Hospitalis cum supellectilibus necessariis condecorata ad commoditatem, & curationem Pauperum Infirmorum, privetur voce activa, & passiva, & ille qui ob urgentem necessitatem Hospitii extra asportaverit aliquod, vel aliqua lecta, fiat cum ordinatione, & expresso consensu Patris Generalis, qui consensus dari debeat consideratis prius motivis, & indigentia, quæ ad id acciderit & pro majori prædictorum observantia, debeat in singulis Capitulis tam generalibus, quam intermediis determinari numerus lectorum ad proportionem redditiuum singulorum Hospitalium, quorum Priores semper debeant esse parati ad recipiendos Infirmos pro numero dictorum lectorum sub pœnis supra expressis.

V.

De eleemosynis. Quod nulli Superiorum liceat, nec permittat Subditis suis ire ad petendum eleemosynas extra territorium, vel Jurisdictionem sui Hospitalis in præjudicium aliorum ipsius Ordinis, sub pœna privationis officii, & activæ, & passivæ vocis per quatuor annos, tam Superioribus, qui dictam licentiam concesserint, quam Subditis, qui sub dicta permissione petierint dictas eleemosynas.

VI.

De Superiorum sede. Quod dd. PP. Superiores non possint abesse a residentia, & regimine suorum Hospitalium, nisi spatio quatuor dierum, & hoc concurrente legitima causa, & si opus fuerit ultra prædictum tempus a Prioratu abesse, id fieri nequeat absque expressa licentia Patris Generalis, vel Provincialis ejusdem Provinciæ sub pœna privationis officii pro prima vice ad annum, & in casu reincidentiæ pro toto tempore ejus officii remanente.

VII.

De Domibus Novitiatus. Quia ad receptionem Novitiorum non sunt Domus Novitiatus præscriptæ in dictis Constitutionibus accipiendo eos in omnibus d. Religionis, & quia illi, qui aluntur in parvis Monasteriis, non habent eam perfectam educationem quæ requiritur, sicuti etiam cum sit eorum parvum Hospitium non remanent bene edocti in eorum exercitio, & postea ipsi transeundo ad alia majora Monasteria recognitum fuit eos ingredi cum difficultate in dicto exercitio bonorum Ministrorum erga Infirmos: Ad evitandum igitur hoc inconveniens imposterum deputantur, & eliguntur Monasteria, & Domus Novitiatus in Provincia Bætica scilicet Civitatum Granatæ, Hispalis, Cordubæ, Jajen., & in Provincia Castellæ Monasteria Matriti, Vallisoleti, Medinæ de Rio Seco, & Murfiæ, & in Lusitana Provincia Monasteria Lisbonæ, & Jelues, in quibus tamen, & non in aliis præter nominatis dictarum Provinciarum dentur, nec dari debeant, nec admitti dicti Novitii, ad quorum educationem, & doctrinam deputentur, & assignentur Magistri, virtute, & timore Dei decorati, bonæ vitæ, & famæ, quæ nominatio dd. Magistrorum, debeat fieri a Patre Generali literis suis patentibus pro tempore sibi placito permanente in ejus arbitrio potestate permutandi, & nominandi alios quandocumque illi videatur conveniens, ad quod Superior cujuslibet Monasterii, ipso facto suæ acceptæ possessionis, teneatur transmittere dicto P. Generali listam omnium illorum Religiosorum, quos habuerit Conventuales in ejus Monasterio, ut illorum unus eligatur, qui recognitus fuerit convenientior ad d. exercitium, & cum non inveniatur habilis in eo Monasterio, nominabit alium idoneum sibi benevisum, ad quem effectum permutabitur ex Monasterio suæ residentiæ, & mittetur ad locum destinatum pro exercitio dicti officii.

VIII.

De receptione Religiosorum aliorum Ordinum. Quia multa, & gravia inconvenientia recognita fuerunt ex perceptione, & receptione ad habitus in dicta Religione aliquorum Religiosorum aliarum Religionum, qui variis modis fuerunt causa gravissimarum litium, & inconvenientium excitando d. nostræ Religioni inconvenientia irreparabilis damni, quæ multis abhinc annis passa fuit, ad evitandum similia inconvenientia, ordinatur, & mandatur, quod in posterum non possint admitti, nec admittantur ulli Religiosi, qui fuerint, vel actualiter sint alterius cujuslibet Religionis nulla de causa, titulo, vel ratione, quæ ad eorum admissionem adduci possent, nisi ex justis, & rationabilibus causis referendis Emo, & Rmo Dño Card. Protectori, ab eoque approbandis.

IX.

De Procuratoribus. Quod Religiosi Procuratores Monasteriorum consignare teneantur omnes quantitates pecuniarum ab eis receptas ex redditibus, & aliis quibusvis effectibus sibi provenientibus, & debitis dictis Monasteriis eadem die d. perceptionis, vel ad summum die sequenti absque ulla retentione penes se; & casu, quo necesse sit conservare, vel retinere aliquam quantitatem propter expensas litium, vel aliarum rerum, fiat Superiorum localium permissu, & quod tales Procuratores nullam possint mutuo tradere pecuniarum quantitatem penes eos existen. nemini ad multum, vel parvum tempus privationis officii pœna, & activæ, & passivæ vocis ad quatuor annos, dummodo quantitas mutuata sit supra viginti realia, necnon teneantur iidem Procuratores adnotare in libro particulari memorias litium, quæ finito officio, vel consignentur Successori, vel relinquantur in Archivio.

X.

De Religiosis extra proprias domus versantibus. Quod Religiosi, qui migraverint ex uno ad alium locum ad negotia suorum Monasteriorum ad visitandum Parentes, vel consanguineos, vel ad alias quaslibet res admittantur in Monasterio Ordinis, ubi pervenerint, dummodo sit cum licentia suorum Superiorum, & eis concedatur Hospitium, & victus spatio trium dierum, & si plus dd. trium dierum permanserint, solvere teneantur pro quolibet die tria realia causa dicti Hospitii, & victus, quam summam Superior, & Hospitale, a quibus mittuntur teneantur solvere dummodo sit ad rem, & negotia talis Monasterii, & qui hac de causa, vel quavis alia non iverint ad edendum, & dormiendum in dd. Monasteriis locorum, ubi perveniunt Superiores eorum faciant eos capi, & in carceribus custodiri, ex quo carcere amoveri non possint absque ordine P. Generalis, vel Provincialis, & Superioribus prohibetur potestas concedendi licentiam suis Religiosis, ut eant in alia loca, ubi non adsit Monasterium Ordinis, ultra tempus trium dierum permanente pœna transgressoribus imponi debita arbitrio Patris Generalis.

XI.

De Superiorum primatu. Quod existente Diffinitorio simul cum P. Generali in Hospitali, ubi inveniatur, tunc quia repræsentat totam Religionem habeat locum præcedentiæ Superiori locali omnibus Diffinitoribus permanentibus immediate post Patrem Generalem secundum majoritatem eorum officiorum, & dictus Superior, qui solum est caput ejus familiæ habeat locum immediatum dexteræ ma-

nus post Diffinitorium, tam in Refectorio, quam in aliis publicis, vel privatis locis, in quibus adsit dictus Pater Generalis, & ejus Diffinitorium cum Communitate talis Monasterii, animadvertendo, quod dicto Patri Generali, & ejus Diffinitorio, hac de causa non competit regimen Domus, sed tantum Superiori, & idem erit observandum in Domibus, ubi adsint PP. Provinciales, qui concurrentes in actis Conventualibus, ipsi habebunt primum locum, & præcedentiam, sicut ratione eorum officii attinet, & ad eorum manum dexteram habebit ejus locum Superior Domus, & ad sinistram ejus Secretarius, & post hos Consiliarii, & si Pater Provincialis simul fuerit Prior cujusdam Monasterii, habebit locum dexteræ manus ejus Secretarius, a sinistra Consiliarius Professione antiquior, & absente Patre Generali ab Hospitali, ubi residet cum ejus Diffinitorio, tam occasione visitationis, quam aliquovis prætextu, alii Patres Diffinitorii, qui permanserint debeant abstineri a concursu actorum Communitatis cum dicto Superiori; quoniam absente Generali, qui est caput, non remanet Corpus Diffinitorii, nec possunt celebrare acta talium Diffinitorum, & si sponte velint concurrere dd. exercitiis, & actis Conventualibus, eis debeat præcedere dictus Superior localis, sicut caput ejus Communitatis, & idem observatur in absentia Superioris a Consiliario antiquiori, cui regimen Domus attinet absque interventu dd. PP. Diffinitorii.

XII.

De Exgeneralibus. Quod Patres, qui fuerunt Generales Religionis ultra titulum primorum Discretorum, & prærogativas, quibus fruuntur tam per Constitutiones ejusdem Religionis, quam virtute Brevis sa. me. Pauli V. quia sunt personæ, quæ poterunt, & quavis indigentia judicare, & reddere rationem, & bonas notitias magno cum fundamento rerum Religionis experientiæ, causa suorum officiorum, & habeant suum votum in omnibus Diffinitoriis, sicut alii Diffinitores, & præcedentiam omnibus Diffinitoribus in loco, ubi adfuerit dictus Pater Generalis, quia si ibi non adsunt, nulla erit Constitutio vocandi eos ad dicta Diffinitoria, quæ celebrari possint absque eis, sicut absque quolibet alio non præsenti, ut declaratum remanet in dictis Constitutionibus.

XIII.

De Exprovincialibus. Quod Patres, qui fuerunt Provinciales remaneant cum titulo Patrum Provinciæ, & Domuum, in quibus inveniantur, habeant primum locum post Priorem localem præcedendo Consiliariis, & aliis Religiosis, & ex supradictis, non intelligatur eis pertinere regimen, animadvertendo, quod si quovis tempore abfuerit ab Hospitali Procurator, dd. PP. Provinciæ permanebunt in eadem Sede, & loco, quo titulo gaudebunt absque præjudicio dispositionis Cap. 25. nostrarum Constitutionum, super eos, qui habere debent votum in Capitulo, in quo nihil possint, nec prætendant innovare ex supradictis.

XIV.

De Sacerdotibus. Quod PP. Sacerdotes ad SS. Sacramentorum administrationem deputati habeant in quolibet Monasterio primum locum, & præcedentiam aliis omnibus Religiosis, exceptis Superiore, & Consiliariis.

XV.

De casu, in quo vacaverit Generalatus. Quia cap. 37. nostrarum Constitutionum ordinat, & mandat quod in eventum mortis Generalis renunciationis, vel privationis officii ob crimina commissa, si hoc evenerit in primo Triennio sex annorum Generalatus, ei succedat in dicto officio Prior, qui tunc fuerit Monasterii, & Hospitii Civitatis Granaten. usque ad Capitulum proximum, & quoniam evenit casus mortis Generalis in primo Triennio, Assistens major, qui tunc erat, dixit, & prætendere cœpit, eidem competere Religionis regimen usquequo d. Prior Granaten. accederet in Monasterium, & Hospitium, ubi prius residebat dictus Pater Generalis, & Diffinitorium, & cum fuerit ei contradictum, ex eo, quod dictæ Constitutiones non ei dant similem facultatem, orta fuit discordia civilis, & criminalis, & Religio fuit notabilibus perturbationibus involuta, ad prædicta reparandi imposterum declaratur, quod in d. casu mortis, vel defectus d. Patris Generalis in primo Triennio donec dictus Prior Granaten. veniet in Monasterium, ubi adest Diffinitorium, vel ad se vocat Diffinitores, ubi adest ille, ut exerceant eorum officia non intelligatur officium vacans, nec regimen Religionis d. Assistenti majori, nec cuivis alteri Diffinitorio, si quidem statim secuta morte Generalis ingressus fuit fruendo dictus Prior Granaten. uti Successor Regaliæ sui Generalatus, & eodem instanti non possunt dari duæ personæ, quæ gubernent, nec d. Diffinitorium est, dum adest absque Capite.

XVI.

De eodem casu. Quia dubitatum fuit, quod in casu successionis dicti Prioris Granaten. in dicto Officio Generalatus in primo Triennio ob supradictam Causam in dicta Constitutione 37. si dum exercet officium migraverit ex vita, renunciaverit, vel privatus fuerit, qua de Causa denuo vacaverit d. Officium intra idem Triennium quis ei successurus fuerit, declaratur attinere illi, qui tunc temporis fuerit Prior dicti Monasterii Granaten., & toties quoties dictum Officium Generalatus vacaverit dd. de causis in d. primo Triennio attinet, & pertinet Priori Granaten., absque ulla contradictione ullo unquam tempore, quoniam sic dispositum in Cap. 37. dd. Constitutionum.

XVII.

De iis, qui fuerunt Vicarii Generales. Quod PP., qui fuerunt Vicarii Generales Religionis non teneantur concurrere in Domibus, ubi habuerunt eorum residentiam post finem sui officii, nec adesse ulli actui Communitatis generalis, vel particularis, nec Superiores, qui fuerint Domorum ubi habent eorum assistentiam possint eos ad id compellere, si quid ratione officii ab eis exerciti observari debet eisdem hæc prærogativa, cum sit rationabile eos illam habere in præmium eorum laborum, sed tamen aliis observent, & obediant Ordinationibus, & præceptis dicti Superioris, ubi residet.

XVIII.

De iis, qui fuerunt Diffinitores. Quod PP., qui fuerunt, sunt, & inposterum erunt Diffinitores Religionis post lapsum suorum Officiorum in Monasteriis, & Hospitiis, ubi residet, & habuerint eorum Conventualitatem, habeant Sedem in actis generalibus, & particularibus dexteram immediate Superiori dd. Hospitalium, & in occurrentia duorum, vel plurium Diffinitorum sedere debeant secundum gradum, quem habuerint in dicto Diffinitorio præcedente semper Assistente majori secundo Assistenti, & hic Procuratori Generali, & Procurator Generalis Secretario Generali, & omnibus istis præcedentibus illis qui fuerunt PP. Provinciæ, & Consiliarii in dicta Communitate.

Preces Procuratoris Gen. §. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, acta, & Decreta hujusmodi ad bonam Ordinis prædicti directionem, rectamque illius gubernationem utilia, atque necessaria sint; firmiora verò, & stabiliora esse soleant, quæ Apostolicæ confirmationis præsidio roborantur: Nobis propterea præfatus Joannes Emmanuel Procurator Generalis totius Ordinis supradicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Joannem Emmanuelem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,

aliisque

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnia, & singula acta, & Decreta in supradicto Capitulo intermedio, ut præfertur, facta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relatorum decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac acta, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Aug. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLX.

Declaratur, Clericos Regulares Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum capaces esse possidendi.

Alia declaratio circa exemptionem a jurisdictione Ordinariorum, & Privilegia extat hujus Pontific. Constit. ed. 1684. Mar. 13. P. 4.

Dat. 3. Sept. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Sigismundus a Sancto Sylverio Assistens, & Comprocurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quod cum dicta Congregatio post Concilii Tridentini celebrationem erecta fuerit, dilecti pariter filii Clerici Regulares ipsius Congregationis in eorum Capitulo Generali quod hoc anno 1686. celebratum fuit, congegati decreverunt, petendam esse a Nobis, & hac S. Sede declarationem, quod essentia eorum paupertatis intelligatur juxta formam a præfato Concilio præscriptam cap. 3. Sess. 25. de Regular. Quare dictus Sigismundus Assistens, & Comprocurator Generalis totius Congregationis præfatæ nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Comprocuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur eandem Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat, consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictam Religionem, sive Congregationem Scholarum Piarum esse capacem possidendi ad formam Sacri Concilii Tridentini auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Declaratio prædicta juxta formam Concil. Trid. cap. 3. sess. 25.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis Scholarum Piarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die III. Sept. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLXI.

Confirmantur Privilegia omnia, & Indulgentiæ Ordinibus S. Francisci de Observantia, & aliis utriusque sexus personis concessa.

Hic enunciatæ Constitutiones sunt Clem. VIII. Constit. ed. 1595. Decem. 20. P. 6. Pauli V. Constit. ed. 1609. P. 7., & Urb. VIII. Constit. ed. 1625.

3. *Idus Maji P* 3., *quæ extant apud Wadingum De aliis Privilegiis, & Indulgentiis vide hujus Pontif. Conſtit. ed.* 1686. *April.* 30. *P.* 10. *Conſtit. ed.* 1686. *Maji* 30. *P.* 10. *Conſt. ed.* 1687. *Jan.* 22. *P.* 11. *Et Innocent. XII. Conſtit. edit.* 1699. *Decemb.* 5. *P.* 6.

Confirmatio præfatarum literarum, aliarumque inſequentium.

Dat. 5. Sept. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Diaz a Sancto Bonaventura Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſubjecta Commiſſarius Generalis, quod Privilegia, Gratiæ, conceſſiones, favores, & Indulgentiæ, etiam plenariæ, ac pœnitentiarum relaxationes, cæteraque Indulta Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Eccleſiis, locis, Benefactoribus, ac omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis obedientiæ, ſeu directioni prædicti Miniſtri Generalis Fratrum Minorum ſubjectis olim ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſeu communicata, per plurium Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones & præcipue per Literas fel. record. Clementis VIII. incipientes *Ratio Paſtoralis &c.* anno 1595. expeditas, ac Pauli V. quæ incipiunt, *Injuncti Nobis &c.* anno 1609. conceſſas, & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum pariter noſtrorum, incipientes, *In plenitudinem &c.* tertio Idus Maji 1625. datas confirmata, & ſub aliquibus modificationibus innovata fuerunt. Unde præfatæ utriuſque ſexus perſonæ obedientiæ, ſeu devotioni dicti Miniſtri Generalis ſubjectæ, quibus memorata communicatio privilegiorum, Indulgentiarum, & conceſſionum, tam inter ſe, quam cum aliis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Confraternitatibus conceſſa fuit, juxta clauſulas, & præſcriptum dictarum Apoſtolicarum Literarum, & cum reſtrictionibus, in illis appoſitis, & non aliter, eis uſæ ſuerunt.

Prædicta omnia confirmata, & innovata a Clem. VIII., Paulo V. & UrbanoVIII.

Item in uſu fuerunt.

Preces Commiſſarii Gen. Ultramon.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ut præmiſſa firmius ſubſiſtant, & conſerventur, præfatus Franciſcus Commiſſarius Generalis Curiæ prædictas Clementis, ac Pauli, & Urbani Prædeceſſorum Literas, cum clauſulis in eiſdem contentis, a nobis innovari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum Succeſſorum conceſſiones ad favorem dictorum Ordinum; Congregationum, Confraternitatum, Locorum, Benefactorum, & aliarum utriuſque ſexus perſonarum prædictæ obedientiæ, ſeu directioni ſubjectarum expeditas Apoſtolicæ Confirmationis Noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret; Nos ipſius Franciſci Commiſſarii Generalis Curiæ votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a Jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, & attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater noſter Alderanus Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sanctam Sedem Protector eiſdem Cardinalibus ſuper præmiſſis fecit, prædictas Clementis incipien. *Ratio Paſtoralis &c.*, ac Pauli, quarum initium, *Injuncti Nobis &c.*, & Urbani Prædeceſſorum, quæ incipiunt, *In plenitudinem &c.* aliorumque Romanorum Pontificum ſucceſſorum Literas ſuper præmiſſis reſpective emanatas, dummodo tamen ſint in uſu, nec ſint revocatæ, aut ſub aliqua revocatione comprehenſæ, Sacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac poſterioribus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Regularibuſque Ordinis prædicti Inſtitutis non adverſentur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V. Sept. MDCLXXXVI. Pontificatus noſtri anno Decimo.

CLXII.

Confirmatur Decretum Congreg. Indulgentiarum declarans perſonas ſubſtantialia Religionis vota non emittentes non comprehendi in generali Indulgentiarum revocatione.

Hæc Indulgentiarum revocatio extat Paul. V. Conſt. ed. 1606. *Maji* 23. *P.* 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Oct. 1686. An. 11.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum d. Congregationis.

ALias emanavit a Congregatione Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita Decretum tenoris qui ſequitur videlicet. *Dubio per virum Religioſum Sacræ Congregationi propoſito, & in ea examinato, utrum in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi Romanus Pontifex Pauli V. habetur dat.* 23. *Maji* 1606. *comprehendantur Perſonæ, quæ ſubſtantialia Religionis vota non emittunt intra, vel extra Clauſtra degentes: eadem Congregatio reſpondit, eas minime comprehendi. A. Card. Homodeus, Michael Angelus Riccius S. Congr. Secret.*

Preces Commiſſarii Gen. Ultram. Ord. S. Franciſci de Obſervantia.

§. 1. Cum autem ſicut dilectus filius Franciſcus Diaz a Sancto Bonaventura Lector Generalis jubilatus Sanctæ Inquiſitionis qualificator, & in Romana Curia pro Ultramontana Familia obedientiæ, & directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſubjecta, Commiſſarius Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: Nos ipſum Franciſcum Commiſſarium Generalem ſpecialibus favori-

bus,

bus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die X. Octob. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXIII. Confirmantur Seminaria pro Missionariis Sancti Francisci de Observantia in Hispania, & Indiis Occident. erecta, ac Ministri Generalis Statuta pro illorum regimine, una cum facultate erigendi alia Seminaria.

De erectione, & Statutis horum Seminariorum vid. Const. ed. 1686. Jun. 28. P. 10.

Dat. 16. Oct. 1686. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Superioribus Regularibus pro Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagatione, rectaque Christifidelium institutione, ac morum reformatione, & animarum salute ubique locorum congruis rationibus procuranda pie prudenterque statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, & illibata persistant, & optati exinde bonorum operum fructus ad Dei gloriam, & Christiani Populi ædificationem, benedicente Domino consequantur, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus, & alias pastoralis officii nostri partes opportune desuper interponimus, prout rerum, personarum, locorum, & temporum qualitatibus mature perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura pro Ultramontana Familia Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Commissarius Generalis, quod cum dilectus pariter filius Antonius de Linaz dicti Ordinis Professor, ac in Indiis Occidentalibus Missionum Præfectus, ad Fidei propagationem, & morum in Terris Fidelium reformationem, unius Conventus, vel duorum ex jam fundatis in unaquaque ex Provinciis Ordinis prædicti in Ditionibus charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici tam apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, & cæteras Occidentales Indias existentibus erectionem in Seminaria, seu Collegia pro Missionariis Fratribus educandis, ac instruendis a suis Superioribus petiisset, dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis ejusdem Ordinis erectiones Seminariorum, seu Collegiorum hujusmodi consensum Provinciarum auctoritate sui officii supplendo, fieri sub forma in suis literis contenta decrevit, ac sub pœnis per easdem literas præscriptis prædictarum erectionum protractionem, & impedimentum illarum partium Superioribus interdixit; Insuper Seminaria in Hispaniæ Provinciis jam erecta, & in posterum erigenda, non solum ad optimam Fidelium institutionem, & pravorum morum reformationem ordinavit, sed etiam ea ad id destinata esse voluit, ut transitus in Indiarum Missiones omnibus Provinciarum Hispaniæ Religiosis, qui prius per duos annos, vel aliud temporis spatium ab Indiarum Commissario Generali Matriti residente assignandum, in aliquo ex prædictis Seminariis suæ Religiositatis, idoneitatis, ac vocationis indicia, & testimonium non dederint, servatis servandis prohibeatur, ac simul Provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illa carent consulatur, fideliumque tam in illis, quam in Hispaniæ partibus degentium ædificationi, Infidelium conversioni, ac omnium Animarum saluti, & Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ dilationi ubique indefesse inserviatur: ob idque pro præfatorum Seminariorum omnium gubernio nonnulla matura deliberatione, & de aliquorum gravissimorum Fratrum consilio condidit, & disposuit, ac alias prout plenius continetur in ejus literis patentibus desuper emanatis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Facultas erigendi Seminaria.

Usus Seminariorum in Hispania.

Statuta pro omnibus Seminariis.

§. 2. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano Lector jubilatus Sanctæ Inquisitionis qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & Servus &c. -- Dilectissimo nobis in Christo Patri Fratri Antonio Linaz ejusdem Ordinis Lectori jubilato Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Provinciæ nostræ SS. Petri, & Pauli de Mechoacam Patri, Provinciæ vero Majoricensis Alumno, ac Missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate Apostolica Præfecto, salutem in Domino sempiternam.*

§. 3. Inter cætera Divinæ Majestati beneplacita opera, & cordis nostri desiderabilia, illud profecto potissimum existit, ut Fides Catholica, & Christiana Religio, morumque Fidelium reformatio nostri Ordinis Religiosorum studio, labore, ac sedula solicitudine exaltetur, atque ubilibet amplietur, ac cum Animarum Fidelium profectu, Infidelium ad Fidem Sanctam reductione, Barbaricarumque Nationum depressione in toto Terrarum Orbe dilatetur.

§. 4. Unde cum nobis notum sit, te, cum aliis viginti quatuor Religiosis morum integritate, literarum scientia, & salutis Animarum zelo pollentibus, quorum Prælatus, ac Superior a Ministro Generali prædecessore nostro, & Indiarum Commissario Generali fueras electus, ac a Capitulo Generali proxime præterito confirmatus in Indias Occidentales novæ Hispaniæ nullis parcendo periculis pro procuranda Fidelium reformatione, & Infidelium Catholicæ Fidei, &

Commendatur Præfectus Missionum in Indiis Occid.

obe-

obedientiæ Romano Pontifici debitæ salutari agnitione, Deo assistente, & Rege Catholico expensas ad id præstante olim iviſſe, ac in illis partibus gratia ex alto concessa cooperante vineam Domini ferventi conatu, ac indefesso zelo excoluisse, Conventumque Sanctæ Crucis de Quertero præfatæ Provinciæ de Mechoacam in Seminarium pro dictis viginti quatuor Religiosis Missionariis sub aliquibus Statutis in prædicto Generali Capitulo revisis, & a SSmo D. Nostro Innocentio XI. per suas literas *Sacrosancti* incipientes die 8. Maii 1682. expeditas specialiter approbatis, ac confirmatis, aliisque accedentibus facultatibus requisitis, obtentisque a Sacra Congregatione de Propaganda Fide laudabiliter erexisse, illiusque Guardianum juxta formam in prædictis Statutis præscriptam, electum fuisse, atque Missionum præfatarum exercitio una cum Sociis prædictis in prælibatis partibus indefesse vacasse, necessitatemque operariorum ad munus adeo proficuum in majori numero non sine magno dolore expertum fuisse: ob idque de consilio gravissimorum nostri Ordinis Patrum Superiorum assensu, Ordinariorum instantia Fidelium, ac Infidelium motum necessitate, Socios prædictos in prælibato Missionum exercitio reliquisse in Hispaniamque divina opitulante gratia, prospere revertisse; ibique illarum partium necessitatem, & Missionariorum penuriam Catholicæ Majestatis, ac Indiarum, & Ultramontanæ Familiæ Commissario Generali veraciter exposuisse, atque ab ipso Commissario Generali quamplurimas gratias, & facultates pro conductione aliorum Religiosorum, erectione, & gubernio novorum ad prædictum Missionum munus Seminariorum, ac ad istam Romanam Curiam accessum, & memoratarum facultatum Apostolica confirmatione legitime obtinuisse, atque nostram dictarum Constitutionum, & facultatum a præfato Commissario Generali obtentam, & erectionum approbationem affectu pleno desiderare: illam, & alias insuper gratias, ac directiones, quibus hujusmodi sanctum, & laudabile, ab immortali Deo cœptum propositum in dies ferventiori animo, ac mediis opportunioribus ad ipsius Dei honorem, Fidei Catholicæ propagationem, Populi Christiani instructionem, nostræque observantiæ augmentum, & omnium animarum salutem, prosequi valeas, Tibi, Sociis tuis, aliis Missionariis, tam præsentibus, quam futuris sub forma sequenti duximus concedere, ac benigno favore elargiri.

Erectio Seminarii S. Crucis in dd. Indiis.

De Religiosa vita, præsertim de paupertate.

Primo ut prædicta Seminaria quantum Domino auxiliante possibile fuerit, ad ordinis primævam observantiam tendant; in eis regula juxta declarationes a SS. D. N. Innoc. XI. in suo Motu proprio: *Solicitudo Pastoralis*, contentas, & innovatas strictissime observetur: Sanctamque paupertatem, quam S. P. N. Franciscus Dominam appellabat, studeant Missionarii præ mundi deliciis in cunctis revereri, suis enim operariis vineæ Dominus providebit, si labori adeo proficuo vacantes suum in ipso solo Domino cogitatum jactaverint. At quia Fratrum Mendicantium numerus valde crevit, & Fidelium pietas minus fervens, ob nostra forsan demerita, quam in principio Religionis iis diebus sæpe sæpius experitur, usus illarum Constitutionum Apostolicarum, quæ nostræ paupertatis observantiam illæsam relinquunt, & aliquam Regulæ dispensationem non continent omnibus Seminariis, illorumque Fratribus licitus erit, qui enim regulam servaverint, sicut Summis Pontificibus eam dedit Dominus intelligere, & explicare, Evangelicæ vitæ vacabunt, & locum inter verissimos S. Francisci filios æternitate, & gloria, felicem possidebunt. Usus tamen prædictus eisdem Seminariis, ac Fratribus interdicitur, nisi Statutis in dicto Motu proprio pro observantia relatis, & executioni mandari præceptis (quibus prædicti Seminarii in rebus hic non expressis uti teneantur) in omnibus sit conformis. Prælati autem, & discreti, seu Religiosi, qui contrafecerint, pœnis in Statutis taxatis indispensabiliter subjaceant, omnesque Fratres tam subditi, quam Superiores dum in actuali exercitio Missionum intra, vel extra Seminaria permanserint, se, ab eleemosynarum petitione, & a sponte oblatarum receptione abstinere debeant: Poterunt tamen pro quotidiano victu necessario ostiatim quærere, vel oblata recipere, quin uti cibis, & potibus delicatis non præsumant, vel Domos, in quibus prædicta eis apponuntur adire non seligant, imo eos recordari volumus, quod S. P. N. Franciscus dum ad manducandum cum Magnatibus, & divitibus invitabatur, panis fragmenta ostiatim quæsita secum portabat, & ibi apposita delicatiora, ut pauper vere humilis sumere nolebat, Statuta Ordinis, & Recollectorum, in quibus modus providendi necessitatibus Fratrum tam in ægra, quam in sana valetudine præscribitur, quin ad id particulari peculio, vel specialibus eleemosynis aliquis Religiosus indigeat, in omnibus Seminariis ad unguem, & sub pœnis transgressoribus in illis impositis observentur. Et ne Benefactorum devotio alicujus particularis commodis applicetur, & Communitas aliqualiter fraudetur, nullo modo alicui Fratri permittatur apud Syndicum Apostolicum, aut alium amicum spiritualem aliquam pecuniarum eleemosynam cujuscumque dominii sit, pro suis particularibus necessitatibus habere, nec alicui similiter liceat munuscula quantumvis levia dare, vel recipere, omniaque Prælato, & ejus dispositioni subsint, ac sine ejus licentia nihil detur, vel recipiatur in præfatis Seminariis. Prædicti Conventus in Seminaria erecti, & Seminaria fundanda, quoad regimen, nullius Provinciæ sint, & Superiori Generali illarum partium, in quibus fuerint, immediate subsint. At quantum ad suffragia pro Defunctis Fratribus commercium fraternale habeant cum illis Provinciis a quibus fuerunt separati, vel intra quarum limites perseverent. Itaut Conventus prædicti Fratres Officia, & Missas juxta Statuta Generalia, pro quolibet Fratre ejusdem Provinciæ filio decedente, celebrent, & vicissim a singulis Conventibus, & Fratribus Provinciæ eadem celebrentur pro quolibet Fratre prædicti Seminarii ubilibet moriente ad cujus effectum Provincialis omnium suæ Provinciæ defunctorum notitiam ad Guardianum transmittat, & Guardianus defunctorum sui Seminarii, ad Provincialem. Cæterum ne inter Missionarios, & Provinciarum præfatarum Fratres, ac Superiores aliqua unquam oriatur contentio, vel oppositio, & ut quos eadem mater spiritualiter genuit, & educavit disparitas muneris non separet, & fraternalis amicitia, curialitas, ac mutua hospitalitas strictius conjungat, prædictorum Seminariorum, Superioribus stricte præcipimus, ut quando Provincialis illius Provinciæ, in qua Seminarium fuerit, hospes ad illud accedat, eum, ac illius familiam charitative recipiant, & per spatium trium dierum omni cura, & reverentia, illi inservire teneantur; prædictus autem Provincialis Minister eumdem locum, & præcedentiam in Communitatibus Seminariorum habebit, quem habet in aliis suæ Provinciæ Conventibus, poterit tamen aliquam collationem spiritualem Missionariis in Refectorio prædicare, ibique præsidere, & in aliquibus pœnitentiis, Seminarii Fratribus impositis, dispensare, nullam tamen aliam Jurisdictionem ibi, aut respectu prædictorum Fratrum aliquando exercere audebit, nisi ad id delegationem aliquam a Superiore

De Communicatione Seminariorum cum Cœnobiis Provinciarum.

Generali recipiat, qui eam absolutam, & generalem nunquam præstare poterit, solumque in aliquibus casibus, & pro aliquibus singularibus indigentiis, suam facultatem pro una, vel alia vice prædicto Provinciali, ac convenientius, ac cum minore litium periculo alteri gravi Religioso communicare valebit.

§. 5. Præfatorum autem Seminariorum Guardiani illam præcedentiam in dictarum Provinciarum Conventibus habebunt, quæ Guardiano principalioris Conventus cujuslibet Provinciæ statutorum, & consuetudinibus vigore concedi solet, & tam Guardiani, quam alii præfatorum Seminariorum Fratres apud Observantiæ Religiosos, si fuerint, sin autem apud Recollectos, & iis deficientibus apud Discalceatos hospitium eligant, ipsique eos recipere, & charitative tractare, sub pœnis unionis Ordinis perturbatoribus impositis, indispensabiliter teneantur.

De Religiosis recipiendis, & dimittendis.

Secundo, quod in præfatis Seminariis tam erectis, quam erigendis, triginta tres Religiosos de familia, & non amplius admitti possint, horum autem quatuor sint laici, reliqui vero ad exercitium Missionum sint idonei, itaut nullus in præfatis Seminariis recipi valeat, qui verbum Dei prædicando, vel confessiones audiendo, aut Doctrinam Christianam, & nostræ Fidei rudimenta docendo, finem erectionis præfatorum Seminariorum promovere non possit. Si autem pro victu, & vestitu eleemosynæ non defuerint, & plures Religiosi pro locorum, & temporum diversis, ac novis circumstantiis necessarii censeantur: Superior Generalis respective de consensu, & assensu Discretorii cujuslibet Seminarii numerum prædictum, tam laicorum, quam cæterorum Fratrum augere poterit; & quia prædictorum Fratrum laudabile Ministerium omnium virtutum cumulo orationis ac perfectionis omnimodæ progressu, & strictissimæ nostræ Regulæ observantiæ soliditate nitescere non desistet, immo, Deo dante, eorumdem Fratrum exercitiis, quorum scopus erit animas Deo lucrifacere industria, & solicitudine, adulterinas plantationes divellere, virtutes in messe Domini serere, vitia radicitus extirpare, humanum genus ad cognitionis, & Salvatoris semitas reducere, ac Apostolorum, qui jam in Orbe non existunt, munus gerere laudabilius, & perfectius in dies ostendetur, statutis a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. in suo Brevi, *Ecclesiæ Catholicæ*, incipiente confirmatis inhærendo omnibus, & singulis Prælatis, & Religiosis sub obedientia nostra degentibus, etiamsi alicujus Provinciæ Reformatæ, vel Discalceatæ sint, per sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis excommunicationis majoris, privationis officiorum, & dignitatum, ac inhabilitatis perpetuæ ad obtinenda ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut nullo modo directe, vel indirecte, per se, vel interpositam personam Religiosos sibi subditos, aut consubditos volentes ad prædictum Sanctum opus transire, impediant, perturbent, aut evertant, sed eis potius divinam inspirationem, ac vocationem sequi charitative suadeant, prædictorum autem Seminariorum Guardiani de consilio, & assensu Discretorum, & Commissarius Missionum sub forma superius præscripta suas literas Prælato locali Religiosi recepti directas expedient: Præfatus vero Prælatus ipsum cum libris proprii usus statim remittet, & postea prædictas literas ad Ministrum Provincialem transmittet, ut super subdito ad perfectius munus, & exercitium translato, gaudium sit in tota Provincia. Primo anno sui in Seminarium ingressus, si alias in alio Seminario per idem tempus non permansisset, ad Missionem non deputetur, nec votum in electione Prælati habeat, sed quasi sub probatione maneat, ut de ejus sufficientia melius constare valeat, etsi intra annum, vel postea de illius insufficientia constiterit, aut per aliquod vitium, seu crimen, vel per aliquod scandalum, in exercitium Missionum datum, seu per excusationem, qua sine legitima causa a Discretis approbanda, se a Missionibus juxta præscriptum Guardiani, vel Commissarii Missionum faciendis, excusaverit, aut per defectum in observatione præsentium statutorum, & pacis Seminariis, ac decoris exercitii conservatione commissum, seu per aliquam vocationis mutabilitatem, qua tribus distinctis vicibus, in tribus distinctis mensibus aspiciat retro, & aratrum velle dimittere non erubescat, ac exitum a Seminario amplecti non abhorreat, consortio operariorum vineæ Domini indignus efficiatur de consensu majoris partis Discretorii ad propriam Provinciam remittetur, ibique a Superioribus sub eisdem pœnis, sub quibus licentiari debuit, iterum recipiatur. Et pœnis in statutis contra incorporatos in aliqua Provincia, & iterum redeuntes ad propriam, contentis subjaceat, & si Religiosus Hispanus fuerit, & a Seminario in Indiarum partibus existente expellatur, ei a Superiore Generali illarum partium aliqua Provincia assignetur, in qua dictas pœnas subeat, & usque ad tempus, in quo juxta statuta generalia Hispaniam venire possit, conservetur; Si autem habitum in Seminario receperit, ibi omnibus prudentiæ conformibus mediis, corrigatur, & si per quatuor annos incorrigibilis perseveraverit, Superior Generalis admonitus a majori parte Discretorii, illum in aliqua ex suis Provinciis constituat, ut a pestifera contagione Evangelici Ministri, qui sal Terræ, & lux Mundi, ac Civitates supra montem positæ esse debent, provide liberentur. Guardianus cum approbatione Discretorum per suffragia secreta poterit Novitios intra prædictum numerum recipere, recipiendi autem ultra qualitates in statutis Ultramontanæ familiæ, & Indiarum respective præscriptas, tali scientia sint præditi, ut transacto statu Clericali, seu Choristatus alicui exercitio ex illis, ad quæ, ut præfertur Seminaria eriguntur tuto, & cum animarum profectu vacare valeat, eique qualitas, & perfectio vitæ, quam profiteri desiderat a Magistro Novitiorum, ante habitus susceptionem, extense explicetur, qui autem vigesimum ætatis annum non adimpleverint in prædictis Seminariis Novitius non admittatur, nisi aliud pro hoc, vel illo recipiendo sub his, vel illis circumstantiis alicui ex Seminariis tam erectis, quam erigendis utile, ac expediens a Superiore Generali respective de assensu majoris partis Discretorii aliquando judicetur. Ulterius poterit Guardianus Fratres laicos de assensu Discretorum, ex quacumque Provincia, sub forma, & receptione aliorum Seminariorum servanda, recipere, & tam Subditi, quam Superiores prædictarum Provinciarum sub eisdem pœnis teneantur eorum in Seminaria transitum non impedire: at laici recipiendi debent esse devoti, probatæ vitæ, & omnino apti pro Officiis a laicis in Seminario exercendis. Accedente consensu majoris partis Discretorum tam Seminarii a quoquam Seminarii ad quod, Superior Generalis illarum partium, in quibus Seminaria fuerint, quoslibet Religiosos de uno in aliud Seminarium mutare valeat, & quando transitus fiat de Seminario in Hispaniæ partibus, ad Seminarium in Indiis existens, consensus Commissarii Generalis Indiarum in Curia Matritensi residentis, & Commissarii Missionum, qui pro tempore Religiosos in Indias conducere curaverit, absque aliquo alio sufficiet, & nec Seminaria Hispaniæ, & Indiarum, nec eorum Guardiani, & Discreti

deter-

determinationi a prædictis Missionum, & Indiarum Commissariis circa præfatos Fratres sponte in Indias transire eligentes mature factas, se opponere sub aliquo prætextu audeant, sed eas statim executioni mandare omnino procurent. Missionarii, qui decennio in exercitio missionum laudabiliter completo ad propriam Provinciam redire voluerint, facultatem ad id a Seminarii Guardiano, & testimonium ab eodem, & Discretis petant, ipsi autem nec facultatem, nec testimonium negare poterunt, & Provincialis prædictæ Provinciæ revertentem recipere sub memoratis pœnis semper teneatur, eisdemque privilegiis, antelationibus, & gratiis præfatus Missionarius ex tunc in propria Provincia uti, ac gaudere poterit, quibus frueretur, si triennium Guardianatus tempore sui ingressus laudabiliter in dicta Provincia finiret: qui autem ante decennium completum, vel sine testimonio, in quo Discretorium de zelo, & plausibili prædicti Missionarii in Missionibus progressu testetur, ad propriam Provinciam venerit, pœnis expulsis supra impositis indispensabiliter subjaceat, nisi aliqua Infirmitas incurabilis propter quam a Seminariis quilibet ante dictum decennium, & non postea, etiamsi senectute laboret, expelli poterit, prædictæ expulsionis causa, vel occasio fuerit, qui in hoc casu nullus aliqua pœna dignus censeri debet. Si aliquando contigerit aliquem ex Missionariis in Vititatorem, vel Reformatorem, aut Ministrum Provincialem alicujus Provinciæ eligi, ejusmodi electionem ratam haberi, & executioni mandari volumus, & decernimus; Electus tamen postquam prædictum munus adimpleverit, ad proprium Seminarium revertatur, immo aliquid secum non ferat, quod Apostolicæ nuditati contrariari valeat, & si a dicta Provincia, vel ab aliquo Conventu, aut ab aliquibus utriusque sexus subditis, vel Superioribus aliqua munuscula, quæ conjunctim sumpta quantitatem unius scuti aurei pertingant ante, vel post finem sui officii, recipere ausus fuerit, etiamsi sit sub prætextu devotæ recordationis, vel pro libris, Imaginibus, reliquiis, seu rebus sacris, devotionem fidelium, & sufficientiam, ac efficaciam Missionariorum solidare valentibus, ipso facto actibus legitimis remaneat per septennium privatus, eidemque pœnæ indispensabiliter subjaceat, si peracto officio absque legitima causa a Sede Apostolica approbanda, domicilium in prædicta Provincia elegerit, aut si intra quatuor Menses Seminarium præfatum versus ab illa non egrediatur. Ultra numerum Religiosorum superius præscriptum, unus poterit in quolibet Seminario admitti, qui progressum, ac fructus, & casus, seu eventus Missionum extraordinarios, Missionariorumque gesta, & exemplarem vitam, privilegiorum statum, dubiorum in Missionibus occurrentium decisionem, doctrinarum securius amplectendarum, & prædicandarum compendia, libros, & Summaria scribere, & servatis servandis, de licentia tamen Ordinarii Typis mandare studeat, ac valeat, ipseque scriptor Seminarii appelletur, & exemptionibus, ac Indultis a Discretorio Seminarii taxandis, pacifice fruetur.

De Guardianis, Magistro Novitiorum, Discretis, Vicariis, &c.

Tertio, quod electio Guardiani cujuslibet Seminarii fiat a Superiore Generali illarum partium, in quibus Seminarium fuerit, sive ab ejus speciali Commissario delegato ex tribus ejusdem Seminarii Patribus per secreta suffragia omnium Sacerdotum professorum Communitatis canonice eligendis, & prædicto Commissario præsentandis: Guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, & liberum erit Superiori Generali præfato in dimidio rriennii ipsum ab officio absolvere, si ipsi constiterit, officio non satisfacere, habita informatione pro conscientia, sine strepitu judiciali, sicut fit in toto Ordine in Congregationibus intermediis: Unus Præses, seu Vicarius, qui simul Novitiorum Magister sit, per vota novi Guardiani, & Discretorum eligetur, ipseque, absente Guardiano in Communitatibus præsideat. In quolibet Seminario sint quatuor Discreti pro gravioribus ejus negotiis tractandis, qui ante novi Guardiani electionem ab eodem Communitatis corpore eligentur a quo nominari debent præsentandi in Guardianum: Statimque a Superiore Generali supradicto confirmentur, habeantque in Communitate locum, & præcedentiam, quam Lectores primarii Theologiæ habent in propriis Provinciis, & in absentia cujuslibet antiquior, & dignior Pater Seminarii pro tempore absentiæ substitutus declaratur. Discretorium cujuslibet Seminarii ex dictis quatuor discretis, ac ex Patribus, qui in dicto Seminario Guardianatum per Triennium completum laudabiliter exercuerunt, ex Commissariis habitualibus, & actuali Missionum, & Guardiano actuali componetur, iique suffragium habeant in omnibus negotiis, quæ Discretis, seu Discretorio Seminarii per hæc, & alia Ordinis Statuta committuntur; quando suffrragia pro una, & altera parte fuerint æqualia, & publica, Guardianus decidat: Quando fuerint secreta admittatur Præses pro simili tantum casu, ut sic, quod magis expediens sit, charitative, & sine strepitu, & recursibus resolvatur. Ad Missionum Commissarios in Indiarum partibus existentes spectabit Religiosum de consilio Discretorum trium suarum partium Seminariorum destinare, qui ad Provincias Hispaniæ, quando necessitas urgeat, accedat, & illos Religiosos servatis servandis in illarum Seminariis, si se sponte offerant, seligat, qui pro conversionibus, & Seminariorum conservatione ab eisdem Discretoriis, & præfato Missionum Commissario necessariis censeantur. At nec Commissarius Missionum, nec Religiosi ab ipsis missi aliquam superioritatem habeant, respectu illorum, qui in aliquo Seminario de familia constituti fuerint, nisi in casibus, de quibus supra manet dispositum, & cum limitationibus ibi taxatis, ac superioritate Guardianis Seminariorum hic concessa præ omnibus illæsa remanente. Quandocumque Guardiani obitus ante triennii finem contigerit, Præses, seu Vicarius, usque ad novi Generalis electionem Seminarium gubernabit, tenebitur tamen sub pœna privationis sui officii ipso facto incurrenda, die tertia a morte Guardiani Patres absentes convocare, & post adventum illorum, qui intra tempus viginti dierum venire poterunt, Communitatem pro præsentatione Superiori Generali, ut præfertur facienda, congregare, & præsentatos statim ad Superiorem Generalem prædictum transmittere, ipseque unum nominabit, qui similiter per triennium duret, eademque duratione gaudebit, qui præcedente alterius renunciatione, vel privatione electus fuerit. Præsidis autem, & Discretorum officium ad id tempus sine nova electione in præfatis tribus, mortis, privationis, & renunciationis casibus extenditur. In absentia Guardiani, & Præsidis antiquor Discretus in Communitatibus, & Seminario præsideat. Antiquitas autem inter Fratres Seminarii tam præsentes, quam futuros secundum gradus, & præeminentias juxta ordinis Statuta Generalia hic præscripta excepta, computetur; qui autem nullam in propriis Provinciis, aut in Seminario obtinuere, habitus antiquitatem servent; qui autem Guardianatum per triennium laudabiliter exercuerint, discretos illius Seminarii, non vero Commissarium Missionum, semper præcedant. Omnes indispensabiliter per horam cum dimidia vacent orationi mentali,

De Choro, Lectionibus, Studio, egres-

su e Cœnobio, Concionibus, eleemosynis, aliisque pertinentibus ad regularem disciplinam.

dimidia scilicet hora post primam (non vero amplius ob frequentes audiendas confessiones, & similia exercitia matutina) hora autem integra post Completorium, vel alia fortassis opportuniori, pro temporum, & exercitiorum varietate; Horæ Canonicæ tempore, & pausa competenti devote solvantur, sine cantu autem, ut plus temporis impendatur studio. Dominicis vero diebus, festis, & classivis, cantus adhiberi poterit, ut sit apud Observantes; Cujusmodi Divino officio, orationi mentali, & Missæ Conventuali, omnes assistant, nullo prorsus excepto: Cunctique Sacerdotes gradatim ab ipso Guardiano inclusive hebdomadarium agant. Singulis diebus habeant per duas horas lectiones, & conferentias: per unam post Conventualem Missam de materia ad exercitium Missionum conducente, seu de intelligentia idiomatum, seu de Theologia mystica, per alteram post Vesperas de Theologia morali, & casibus conscientiæ: a lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, neque a reddenda ratione de materia lectionis, si a Guardiano, vel alio ab ipso deputato interrogetur. Cum autem in audiendis confessionibus, vel aliis utilioribus exercitiis peragendis Missionarii fuerint occupati, vel occupari indigeant, lectio Matutina a Guardiano de consilio Discretorum abbreviari, seu dispensari valeat. Missionarii dum in Seminario sunt spiritualibus exercitiis, vel studio impendere debent totum tempus, quod corporalibus superfluit indigentiis: Si quis vero vanis confabulationibus, aut cursitationibus deditus inveniatur, publica pœnitentia in Communitate puniatur: Nec ulli concedatur licentia è domo exeundi, nisi aliquando recreationis causa per campos cum Socio expaciaturus sit, aut pro inevitabili pertractando negotio ad Civitatem, vel Oppidum egredi debeat, idque raro fiat, ut quanto in Monastica solitudine, humani commercii contemptu vigilantiores fuerint, eo ad reprehendendas Fidelium diversiones aptiores reddantur. Communitas e Seminario non exeat, nisi raro, & gravissima de causa, ut ad exequias Religiosi alicujus nostri Ordinis, aut Apostolici, non autem ad sociandos alios defunctos, vel publicas Processiones. Fœminarum colloquia quantumvis brevissima ubique vitentur, solumque ipsarum confessiones, nullo alio intermisso colloquio audire licebit. Nullo modo acceptentur conciones festivæ in Seminario, solumque fiant, quæ occasione Missionum necessariæ censeantur, ad eleemosynas autem petendas omnes sine exceptione mittentur; itaut in omni servitio Communitatis, omnes, etiam Guardianus quantum fieri possit, sint pares. Quoad eleemosynas Prædicatorum, libros Defunctorum, & Bibliothecarum augmentum, & conservationem, in omnibus Seminariis, sicut, & in omnibus aliis Conventibus nostræ obedientiæ subjectis; servetur Breve *Exponi nobis* a SS. D. N. Innocentio XI. expeditum. Nulli Sæculari permittatur ingressus ad interiora Conventus, sed in Claustro inferiori disponatur aliqua Camera honesta, & devota cum humilibus Sedibus, ubi Viri Sæculares quærentes aliquem ex Patribus pro sua spirituali consolatione excipiantur, & consolentur. Et tam quoad ingressum, & moram, ac pernoctationem Sæcularium, quam quoad supellectilium, & ornamentorum commodationem serventur in dictis Seminariis, sicuti, & in omnibus aliis d. Provinciæ Ultramontanæ Conventibus, Decreta Sacræ Congregationis, auctoritate Apostolica confirmata, in dicta familia observari præcepta. Omnes Seminarii Patres sine aliqua inter ipsos notabili differentia, induant habitum exteriorem Observantium, in quo vilitas, & humilitas, ac solus cinericeus color ex lana alba, & nigra, non ex alia tinctura consurgens semper resplendeat: forma vero erit juxta reformationem in ultima Congregatione Toletana factam ad literam observandam, & in disciplinis, jejuniis extra Regulam, Capitulis culparum, & aliis austeritatibus, cæterisque ad Regulæ, vitæ Monasticæ, & Regularis disciplinæ observationem conducentibus Constitutionibus generalibus Ordinis se conforment. Guardianus, vel in ejus absentia Præses, temporibus opportunis, aut quando necessarium judicaverit mittat Missionarios binos, & binos, aut in majori numero, prout animarum necessitati viderint expedire, consignando eis in partibus Fidelium oppida, tractus, & terras, in quibus singulis, suas Missiones facere debent, de licentia tamen Ordinarii; relinquant tamen aliquos in Seminario, qui Communitatis exercitia expleant, & hi aliis revertentibus, mittantur. Nullus tamen eorum ultra spatium sex mensium in præmissis Fidelium Terris extra Seminarium pro qualibet vice remaneat, & quilibet sub pœna expulsionis a Seminario postquam prædictum tempus insumpserit a Missione cessare debeat, ad Seminariumque revertatur, ut vires spirituales, & corporales in eo reassumat, ac recuperet, & alii ad opus ab ipso incœptum, & forsan non finitum prosequendum destinari poterunt; Ad partes vero Infidelium solus Missionum Commissarius, si præsens fuerit, operarios necessarios sub forma superius præscripta destinare valeat, eoque absente, Guardianus de consensu majoris partis Discretorii idoneos Ministros ire cupientes eodem modo transmittere valebit. Præd. Superiores Generales respective teneantur per se, vel per suum Commissarium ad hoc specialiter institutum in singulis trienniis præfata Seminaria visitare, & in singulis visitationibus inquiratur sigillatim de observantia præmissarum omnium Constitutionum, & defectus si qui fuerint, corrigantur, & juxta eorum qualitates possit Superior ipse Generalis procedere ad expulsionem Missionariorum, & Guardiani privationem: Delegatus autem ipsius possit tantum Guardianum suspendere, & adhibitis necessariis correctionibus Superiorem Generalem de majori remedio apponendo monere. Et quia speramus, quod Dei spirante gratia, per hos sui verbi Ministros plures Gentilium Populi ad fidem sint convertendi, quorum Neophitos in accepta fide conservare, eisque Sacramenta ministrare necessarium est; ordinatur ut in conversis Populis aliqui ex præfatis Missionariis ad prædicta observanda necessarii remaneant, monito Guardiano Seminarii, & ab eo licentia obtenta, qui semper ejusdem Guardiani subditi remanebunt, & ejus correctioni, ut supra subjecti: Manentes autem in Oppidis conversis non computabuntur in numero assignato Missionariorum Seminarii, sed eorum loco alii in Seminario possint recipi. In cura autem animarum sic conversarum ad fidem, tamdiu solummodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo ad quem Terra pertinet, vel in posterum pertinebit placuerit Presbyteros Sæculares quibus animarum curam committat destinare. Quandiu vero prædicti Missionarii in prædicta cura remanserint, nihil ex titulo Curatorum, vel doctrinarum possint accipere, sed præcise ex emendicatis eleemosynis, vel ultro oblatis vivere debent. Poterunt tamen stabilita nostra fide, & Curatis Sæcularibus inibi manentibus, in Populis magnis, aut capacibus, de licentia Episcopi, & præfati Superioris Generalis, Conventus nostri Ordinis fundare, in quibus juxta Regulam, & Statuta ex eleemosynis sub regulari disciplina Fratres vivere possint, & Conventus illi Guardiano præfati Seminarii, ad quem pertineat viva illa conversio, & cujus solicitudine obtenta

De Missione Missionariorum & Seminariorum Visitatione.

De erectione Cœnobiorum, & prohibitione exercendi missionem aliis facta.

fuerit,

fuerit, vel Seminarii vicinioris (eligendo a Missionum Commissario, si conversio ejus cura, ac diligentia promota, & adepta fuerit) in omnibus, & per omnia præfatum Seminarium, erunt subjecti, quoad usque ex illis custodia possit formari vel aliter in Capitulo Generali de illis provideri, aut ex illis aliqui, ut licitum erit, in Missionariorum Seminaria sub his Statutis erecti fuerint. Quoniam vero cura, & solicitudine Missionariorum pertinentium ad prædicta Seminaria spiritualibus necessitatibus Regnorum Hispaniæ, licet non Indiarum sufficienter provideri poterit; ne Sanctum Missionum opus ex dissimili Missionariorum modo procedendi deturpetur, nullus nostri Ordinis Fratrum, qui extra prædicta Seminaria vivat Missionarii munus quarumcumque literarum a nobis, vel prædecessoribus nostris, ac ab aliquo inferiore, vel in nostro officio successore concessarum, vel concedendarum vigore sub aliquo quantumvis specioso colore, aut prætextu in Hispaniæ partibus a tempore quo tria Seminaria in illis erecta fuerint, exercere valeat. In Provinciis autem tam Hispaniæ, quam Indiarum, quæ non habuerint Conventum idoneum, & pro præfata erectione inconvenientibus insuperabilibus non expositum, fundatio novi Seminarii, requisitis servandis servatis, licita erit, arbitrioque Commissarii Missionum relinquitur, & a nullo nostri Ordinis Fratre, sive subdito, sive Superiore, cujuscumque dignitatis sic impediri poterit. Si Seminaria præmissa in prædictis Hispaniæ, & Indiarum partibus erecta, ac erigenda aliquando relaxentur, & a perfectione, & laudabili fine, ad quem instituuntur notabiliter defecerint, vel Statuta hic contenta, & alia, quæ præsentibus non sunt contraria, & pro aliis Seminariis tam erectis, a Sede Apostolica, ut præfertur approbata reperiuntur, non observaverint, seu novum gubernium, & aliquam ab observantia separationem a Sede Apostolica, aut a Superioribus Ordinis petierint, vel per se, aut interpositam personam obtinere curaverint, vel sponte oblatam cum effectu admiserint; Seminaria eisdem Provinciis, a quibus Conventus pro illorum erectione sumpti fuerint, iterum incorporentur, & Ministri Provincialis regimini, sicut cæteri ejusdem Provinciæ Conventibus indispensabiliter subjiciantur: siquidem sub his tantum conditionibus, & ordinationibus, quas vim illius indissolubilis obligationis, & contractus, qui inter Fratres Missionarios, & Fratres Provinciarum, Superiores Seminariorum, & Superiores observantiæ esse possit habere volumus, & non sub aliqua alia consideratione præsentem Seminariorum erectionem permittimus, laudamus, & approbamus, ac ab omnibus ad quos spectat sub pœnis præmissis admitti præcipimus.

De Seminariis erigendis, & supprimendis.

Quarto. Et quia nos non latet quamplurima absurda, & nimia opinandi sub privilegiorum prætextu, ac operandi licentia quotidie oriri posse, quæ scandala, & relaxationes suscitare valent, omnibus nostri Ordinis Missionariis, ac aliis sub nostra directione, seu obedientia degentibus personis in Domino suademus, & mandamus, ut doctrinas tutiores, ac probabiliores semper doceant, & amplectantur. Ut autem, quod temporalibus proficit spatiis, spiritualibus quoque amplificetur dictarum Missionum augmentis, & ne perpetua firmitate careat, quod sola nostra auctoritate decernitur, præsentium tenore nostro hujus Curiæ Commissario Generali paternam benedictionem, & facultatem concedimus, ad hoc ut tanquam Ordinis nostri honorabile negotium præsens amplectatur, & earum rerum, quæ in his literis continentur, confirmationem, ac perpetuam validitatem a S. Sede Apostolica petat, & solicitare non desistat, qua obtenta, omnia Seminaria, tam erecta, quam erigenda juxta nostras literas gubernari teneantur. Etsi aliquod dubium circa aliquam illarum clausulam aliquando oriatur, Superior Generalis illarum partium respective, non vero aliquis Delegatus, de consilio, & assensu tamen majoris partis Discretorii alicujus Seminarii, tempore Visitationis, & non alio, nec aliter valeat providere donec S. Sedes consulatur, seu Sacra Congregatio Propagandæ fidei, nunquam tamen in aliquo absque Sedis Apostolicæ auctoritate dispensare poterit, & tam dictis Missionum Commissariis, quam omnibus aliis personis, quæ ad harum erectionem, stabilimentum, & Missionum præfatarum, promotionem, auxilium dederint Seraphici P. N. Francisci benedictionem impartimur, & si Sæculares fuerint ultra dictam benedictionem, eos ad participationem omnium Indulgentiarum, & operum spiritualium, quæ ipsis communicare valemus, & nunc pro tunc admittimus, & pro semper admissas esse, & fore declaramus. Datum Romæ ex nostro Conventu S. Mariæ de Ara-Cœli die 7. Aprilis 1686. -- Fr. Petrus Marinus Minister Generalis -- Loco ✠ Sigilli -- De mandato suæ Rmæ Paternitatis -- Fr. Joseph a Leone Secret. General. Ord. -- Præsens transumptum concordat cum suo originali de verbo ad verbum. In quorum fidem &c. -- Dat. Romæ hac die 23. Aprilis 1686. Fr. Michael Tonerus Secret. Gener. Curiæ -- Loco ✠ Sig.

De doctrina, confirmatione Statutorum, horum interprete, & gratiis.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicta Statuta absque Sedis Apostolicæ approbatione, & defectuum supplemento, ac contrariorum, quibus ejusdem Sedis accessu auctoritas, legitima derogatione subsistere non valeant: Nobis propterea, tam Franciscus Commissarius Generalis Curiæ, quam Antonius Missionum Præfectus præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 7. Nos igitur ipsos Franciscum, & Antonium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandæ fidei præpositæ super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Collegia, seu Seminaria pro educandis Fratribus dicti Ordinis ad Missiones jam erecta tam in Conventu S. Crucis de Querettró Provinciæ de Mechoacam, quam in aliis Hispaniæ Provinciis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac facultatem erigendi alia Collegia, seu Seminaria hujusmodi unum scilicet, vel duo in qualibet ex Provinciis Ordinis prædicti, quæ in ditionibus dicti Caroli Regis, tam quæ apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, ac cæteras Occidentales Indias ipso Carolo Regi subjectas consistunt, eidem Ordini, de Ecclesia Dei, & S. Sede Apostolica benemerito, auctoritate, & tenore prædictis, benigne concedimus: Confirmando supplementum consensuum per dictum Petrum Marinum Ministrum Generalem, ut exponitur factum, & interdicendo Superioribus Generalibus illarum partium sub pœnis in præinsertis literis contentis, & aliis arbitrio dictæ Congre-

Confirmatio Seminariorū erectorum.

Concessio facultatis erigendi alia.

Pœnæ adversus protrahentes, vel suspendentes dictas erectiones.

gationis Cardinalium reservatis, ne ultra quatuor menses a requisitione per Religiosos ad id facultatem habentes facta, seu facienda computandos dictas erectiones protrahere, seu suspendere possint; Salva semper in omnibus supra relatis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium ad formam Constitutionis fel. re. Greg. pp. XV. Prædecessoris nostri. Præterea Statuta præinserta pro dictis Collegiis, seu Seminariis, tam erectis, quam erigendis, ac eorum Fratribus, & Superioribus a præfato Petro Marino Ministro Generali, ut præfertur condita dicta auctoritate harum serie confirmamus pariter, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper memoratæ Congregationis Cardinalium auctoritate ea augendi, seu moderandi quatenus opus fuerit, & magis in Domino expedire videbitur; ac quoscumque juris, & facti defectus quoad Collegia præfata jam erecta supplemus.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 8. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas patentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVI. Oct. MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXIV. Conceditur, ut Indulgentia plenaria perpetua Ecclesiis Ord. S. Francisci de Observantia, & Reformatorum die 2. Augusti concessa applicari possit per modum suffragii.

Hæc Indulgentia concessa fuit a Greg. XV. Constit. ed. 1622. Jul. 5. De aliis vero hujus Ord. Indulgentiis vid. Const. ed. 1686. Sept. 5. P. 10., & Innoc. XII. Const. ed. 1691. Decem. 24. P. 1.

Dat. 22. Jan. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prædicta Indulgentia a Gregor. XV. concessa fuit

ALias fel. rec. Gregorius PP. XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, & Reformatorum Minorum ubique existen. die secunda Mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis dici hujusmodi annis singulis devote visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Gregorii Prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die IV. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit uberius continetur.

Visitantibus dd. Ecclesias.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem per d. Gregorium Prædecessorem nuper concessam, etiam animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret: Nos piis ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, & concessa confisi, Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remissionem Christifidelibus præfatis supradictas Ecclesias Fratrum Ordinis S. Francisci de observantia, & Reformatorum dicta die 2. Mensis Augusti, ut supra visitantibus, & præmissa peragentibus concessam, etiam Christifidelium animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Concessio applicationis d. Indulgentiæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausulæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Jan. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXV. Confirmatur Decretum Congregationis particularis super nonnullis dubiis circa Constitutiones Monachorum Congregationis Bavaricæ, quo etiam extenditur auctoritas Nuncii Helvetiorum.

Constitutiones hujus Congr. extant Const. ed. 1686., Feb. 6., P. 10. aliud vero Decretum Congr. Regul. super electione Abbatum Constitut. ed. 1686., Febr. 9., P. 10.

Dat. 21. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, super negotiis Congregationis Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti a Nobis deputata, emanavit super quibusdam dubiis pro parte Superiorum, & Monachorum Congregationis hujusmodi propositis Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum d. Congreg.

§. 1. Cum super Constitutionibus Congregationis Bavaricæ a Sanctissimo D. Nostro nuper approbatis, pro parte Superiorum, & Monachorum ejusdem Congregationis, excitata fuerint infrascripta dubia, quæ decerni, & declarari postulant ab eadem particulari Congregatione

Dubia circa Constitutiones.

Eminorum S. R. E. Cardinalium a Sanctitate Sua specialiter duputata, videlicet. Primo -- An Abbates electi ad Abbatias, & Monasteria in Libris Cameræ non descripta, teneantur petere ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt dicta Monasteria, non solùm confirmationem, sed etiam benedictionem, cum in Literis Apostolicis fiat tantum mentio de confirmatione, licet resolutio hujus Sacræ Congregationis sub die 14. Mai 1682. loquatur de confirmatione, seu Benedictione. Secundo -- An Diœcesani teneantur mittere Commissarium ad interessendum electioni ne sub prætextu ignotæ qualitatis electi, denegare valeant confirmationem, & an tali casu, Diœcesano renuente confirmare electum, liceat recurrere, sive ad Sanctam Sedem, sive ad Nuncium Helveticorum. Tertio -- Ad quem spectet confirmare, & benedicere prædictos Abbates, Sede Episcopali vacante, aut administrante Ecclesiam Delegato Apostolico. Quarto -- An Congregatio hujusmodi supponenda sit in totum Jurisdictioni Nuncii Helvetici, qui alium veluti Privilegiorum Conservatorem, substituere possit, cum facultatibus eidem a Nuncio præfato committendis. Quinto -- An renuentibus Monachis Monasterii Superioris Quercus, vulgo *Obernaltaich*, remanere in Congregatione, non obstante proprio consensu, ab initio præstito, deputanda sit persona idonea, quæ assistendo visitationi de præfato Monasterio faciendæ, possit renuentes Monachos illinc removere, & in aliis sibi benevisis Monasteriis collocare. Sexto -- An Monasterio alias dictæ Congregationi legitime unito, liceat ab eadem recedere. Septimo -- An liceat Canonicis Ratisbon. dismembrare Parochiales, mensis Abbatialibus unitas. Octavo -- An recusante Vicario Capitulari ejusdem Ecclesiæ Ratisbonen. publicare Indulgentias a Sanctissimo Domino nostro concessas, ab alio peti possit publicatio, & a quo? Nono -- An admittenda sit forma juramenti, in manibus Augustani Episcopi emissi, a novo Abbate S. Montis Andecersis? Decimo -- Stante Congregationis exemptione, ad quem spectet Capituli directio, & quomodo in electione procedendum? Eadem Sacra Congregatio ad proposita dubia, ut infra respondit, videlicet. Ad primum -- Benedictionem Abbatum reservandam Episcopo, in cujus Diœcesi Abbatia, non tamen in Libris Cameræ descripta, reperitur, tanquam Delegato Sedis Apostolicæ, & ejusdem Sedis auctoritate impartiendam, ipsoque renuente, peti posse a quocumque Episcopo communionem Sedis Apostolicæ habente, eodem jure delegato, servata semper forma præscripta a Cæremoniali in Benedictione Abbatum, facienda auctoritate Sedis Apostolicæ. Ad secundum -- posse Ordinarium, in cujus Diœcesi Abbatia reperitur, mittere unum tantum Commissarium ad interveniendum electioni, secutaque electione, transmittendum illius instrumentum ad eundem Episcopum, ipsoque renuente intra trimestre confirmare, posse Eligentes recurrere ad Nuncium Helveticorum, eique proinde tribuendam facultatem confirmandi auctoritate Apostolica Abbates electos, ad Monasteria in Libris Cameræ descripta. Ad Tertium -- quoad Monasteria prius subjecta Ordinariæ Jurisdictioni confirmationem Sede vacante, seu dato Administratore per Sedem Apostolicam, spectare ad Nuncium. Ad Quartum -- Posse Helveticorum Nuncium in Congregatione exercere per se, vel per alium, ab ipso deputandum eamdem facultatem, quam habet intra limites suæ Nunciaturæ. Ad Quintum -- Providendum a Nuncio Helveticorum. Ad Sextum -- Provisum per Constitutiones. Ad Septimum -- Transmittendam ad Sacram Congregationem Informationem super statu, & qualitate singularum Parochialium. Ad Octavum -- Recurrendum ad Nuncium. Ad Nonum -- Non sustineri formam juramenti, nec deberi Episcopo, nisi reverentiam, non autem fidelitatem, & servandam formam Cæremonialis. Ad Decimum -- Mortuo Abbate per Priorem notificandam Præsidi vacationem, atque per eundem Præsidentem assignandum, & determinandum tempus, & diem electionis faciendæ, convocatisque statuta dicta Monachis vocem habentibus, Præsidentem, sine tamen voto, eoque impedito, primum Visitatorem, & deinceps in casu impedimenti primi, secundum, & successivè antiquiorem Abbatem non impeditum, Capitulo præsidere debere. Per Electores verò procedendum ad electionem Abbatis per secreta suffragia, eumque, in quem concurrat major pars votorum, scilicet ultra medietatem Eligentium, itaut unus supra medietatem sufficiat, habendum pro legitime electo, & electionem legitimam pronunciandam. Quod si intra tempus trimestris vocales ad electionem non deveniant, vel post trina scrutinia in nullo major pars votorum convenerit, tali casu electionem intelligi debere devolutam ad solum Præsidentem. Romæ 14. Januarii 1687. G. Cardinalis Carpineus. Loco ✠ Sigilli. E. Panciaticus Secretarius.

Præses Præsidis, & Abbatum.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Cælestinus Præses, & alii Abbates dictæ Congregationis Bavaricæ Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi, Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ac effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, & expressa auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Resolutiones Congreg.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Congregationis Bavaricæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam

impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Mart. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXVI. Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Reg. super subjectione Collegiatæ S. Germani Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini.

De jurisdictione in Monachos Confessarios Ecclesiarum S. Scholasticæ, & specus Sublacen. vid. Constit. 1676., Nov. 17., P. 1. De prima vero subjectione plura extant Benedicti XIII. Const. quæ inc. Inscrutabilis *ed. 1725.*

Dat. 22. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis inter Abbatem Montis Casini, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Germani.

ALias in Causa jurisdictionis, quæ inter dilectos filios Abbatem, & Monachos Monasterii Montis Casini Ordinis S. Benedicti ex una, & dilectos etiam filios Capitulum, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani ex altera Partibus pendebat indecisa, emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretum, tenoris, qui sequitur, videl. In Causa Montis Casini jurisdictionis verten. inter P. Abbatem, Monachos Montis Casini ex una, & Capitulum, & Canonicos Collegiatæ S. Germani partibus ex altera de, & super dubiis, & controversiis per hanc Sac. Congregationem Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, Partibus hinc inde in facto, & Jure informantibus sub die 12. Martii 1676. referente Emo Castaldo remissis ad Sacrum Auditorium Rotæ pro ejus voto. Eadem Sacra Congregatio visis tribus Decisionibus per Sacram Rotam utraque Parte informante coram R. P. D. Albergato editis sub diebus 30. Aprilis 1677., 14. Aprilis 1679., & 27. Januarii 1681., visoque ejusdem Sacræ Rotæ voto regiſtrato in calce ultimæ Decisionis emanatæ omnibus Auditoribus votantibus, reque mature discussa, necnon pluries citato, & intimato Procuratore Capituli, & Canonicorum S. Germani, referente Eminentiss. Casanate in locum Eminentissimi Castaldi absentis subrogato, censuit, & declaravit, Ecclesiam Collegiatam S. Germani esse subjectam Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini, eidemque Ecclesiæ S. Germani, illiusque Capitulo, & Canonicis super præmissis Dubiis, & controversiis imponendum fore, & esse perpetuum silentium, prout præsentis Decreti vigore imponit. Romæ 14. Novem. 1681. G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum d. Congregationis.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Casinen. d. Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuslvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Mar. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXVII. Erigitur Collegium studiorum in Monasterio S. Pauli extra mœnia Urbis Monachorum Casinen., & pro eo leges nonnullæ conduntur.

Constitutiones eorum Monachorum extant Const. ed. 1680., Novem. 22., P. 5., & quoddam Statutum pro Dieta intermedia Innoc. XII. Constit. ed. 1691., Jul. 28., P. 1.

Dat. 22. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INscrutabili divinæ sapientiæ, atque bonitatis arcano Catholicæ Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus præsidentes, Sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studia, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes luce veritatis illustrantur in Ordinibus, & Congregationibus Regularibus, præsertim sub suavi Monasticæ vitæ jugo Deo famulantibus, ubereſque bonorum operum fructus adjuvante Domino proferre jugiter satagentibus libenter excitamus, & promovemus, ac Pastoralis Officii Nostri partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut rerum, temporum, & personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & Catholicæ Fidei Incrementum, & præsidium, ac ipsorum Ordinum, Congregationis decus, & utilitatem, animarumque salutem in Domino expedire arbitramur.

Commendatur d. Collegium.

§. 1. Considerantes itaque quantum decoris, & utilitatis Congregationi Casinensi Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, cujus egregia constant in Ecclesiam Dei merita, sit perventurum, si in Monasterio S. Pauli prope, & extra mœnia hujus Almæ Urbis nostræ, ejusdem Congregationis Collegium studiosorum, in quo Monachi ipsius Congregationis Philosophiæ, & Sac. Theologiæ, vel Canonum studiis sedulo navent operam, opportunis rationibus instituatur, jamque provida Superiorum Monasterii seu Congregationis hujusmodi industria, de iis, quæ ad ejusmodi Collegii, ejusque Collegialium, & Lectorum sustentationem, & manutentionem necessaria sunt, sufficienter provisum reperiri: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in Præfato Monasterio S. Pauli, & respective in ædibus S. Callisti de eadem Urbe, ubi Monachi d. Monasterii æstivo tempore degere solent, unum Collegium studiosorum, in quo decem saltem Monachi professi d. Congregationis Casi-

Erectio Collegii in Monasterio S. Pauli, & in ædibus S. Callisti.

nensis

nensis Theologiæ Scholasticæ, & Sacrorum Canonum studiis sub idoneis Lectoribus, seu Magistris operam navare, & in illis institui, atque sedulo instrui debeant, tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio in perpetuum erigimus, & instituimus.

De Lectoribus.

§. 2. Statuentes, & Apostolica auctoritate decernentes, & ordinantes, ut Lectores, seu Magistri in novo Collegio sic erecto, & instituto scientias edocturi, ex ordine saltem Decanorum dictæ Congregationis Cassinen. seligantur, iique ad id muneris idonei censeantur, qui optimis moribus, vitæque integritate præcipue fulgere noscentur, quique per integrum septennium in aliis Monasteriorum ejusdem Congregationis Scholis, aut in Universitatibus studiorum generalium Philosophiam, & Scholasticam Theologiam publice professi fuerint. Ne autem illorum electionem, ulla prorsus terrena affectio contaminet, iidem Lectores, seu Magistri in Capitulo Generali præfatæ Congregationis Cassinensis a cunctis Diffinitoribus per secreta suffragia eligantur, præstito prius juramento eos eligendi, quos doctiores, aptiores, & præstantiores esse pro sua quisque conscientia in Domino judicaverit. Ipsi vero Lectores, seu Magistri hac forma electi, in Theologiæ Scholasticæ cursu eas scientias, & scripto, & voce discipulos doceant, quæ S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ex S. Benedicti Ordine assumpti, doctrinæ adamussim cohæreant, sub depositionis, & privationis muneris, aliisque pœnis, si secus egerint Superiorum arbitrio infligendis.

De Studentibus.

§. 3. Porro Scholasticorum, sive studiosorum Collegii hujusmodi numerus omni tempore minor denario non sit, quorum tres tantum, & non plures ex d. Monasterii S. Pauli Professis, & reliqui septem ex septem ejusdem Congregationis Provinciis assumantur; ita scilicet, ut Provinciarum quælibet, discipulum unum ad idem Collegium, tertio quoque anno mittendi facultatem habeat: qua in re ea lex inviolate servetur, ut Monasterium, ejusque Provinciæ majori Professorum numero gaudens, primum Scholasticum, primo triennio ad Collegium hujusmodi mittat, quo elapso, secundi Monasterii Alumnus subrogetur, & sic de aliis successive. Quod si in Monasterio S. Pauli, sive in alio cujusvis Provinciæ hujusmodi respective Monachi ad prædictas facultates addiscendas idonei non reperiantur, eo aliis ejusdem, vel vicinarum Provinciarum numerosioribus Monasteriis ad Collegium ipsum loco illorum evocentur.

De Examinatoribus.

§. 4. Nemo autem ad dictum Collegium admittatur, quem morum probitas, & regularis disciplinæ studium, non commendet, & qui toti Philosophiæ, ac tribus duobus, vel saltem Scholasticæ Theologiæ tractatibus in aliis prædictæ Congregationis Gymnasiis sedulo non vacaverint, ab ipso Collegio arceantur. Ac propterea a Diffinitoribus ejusdem Congregationis in Capitulo Generali tres docti, præstantes, & zelo præditi Examinatores in unaquaque Provincia instituantur qui publico consulturi bono, Scholasticos diligenter interrogent, & propositis eis Theologicis, atque Philosophicis argumentis, serio, & non ad speciem examinent, deque eorumdem aptitudine, doctrina, & ingenio, præstito juramento in scriptis fidem faciant. Postquam vero sic examinati ad Urbem pervenerint, ab Abbate Monasterii S. Pauli, ac Procuratore Generali Congregationis, & Lectore Collegii hujusmodi pro tempore existentibus denuo interrogentur, & iterato subdantur examini, ac idonei reperti approbentur, excipiantur, & Collegii præmio adscripto declarentur, inhabiles vero inventi, præmissa ad Præsidem dictæ Congregationis de eorum insufficientia in scriptis attestatione jurata, cum ejusdem Præsidis consensu, ad professionis suæ, sive ad alia remittantur, & in Examinatores, qui muneri suo defuerint, tanquam in perjurii reos, graviter in proximis comitiis animadvertatur. Quapropter ad Abbatiam Sancti Pauli regendam, ac ad Procuratoriæ Generalis officium ii promoveantur, qui imposito sibi muneri satisfaciant, Visitatores autem dictæ Congregationis in actu visitationis d. Monasterii S. Pauli, præfatum Collegium visitent, ac de vita, & moribus Scholasticorum diligenter inquirant, & una simul cum prædictis Abbate Monasterii S. Pauli, & Procuratore Generali, eosdem scholastice examinent, & quos pravis moribus inquinatos, aut scientiis operam non dedisse cognoverint, præhabito Præsidis consensu, extra Collegium eliminent, & ab Urbe abigant, eorumque dimissionem eidem Præsidi, sine mora significent, qui ad præscriptum præsentium Literarum alios Scholasticos ejectorum loco substituendos curabit, ut omni tempore præfixus denarius numerus integer in Collegio hujusmodi perseveret.

De amotione Lectorum, & Studentium.

§. 5. Porro nulli Lectori ultra sexennium, nullique studentium ultra triennium in dicto Collegio liceat permanere, sed his temporum spatiis respective evolutis, novi Lectores, novique Scholastici antiquioribus subrogentur, incipiendo a proxime futuro Capitulo Generali dictæ Congregationis, quod tertia Dominica, post Pascha Resurrectionis Dominicæ currentis Anni 1687. celebrabitur. Lectores autem, & Scholastici legitime electi, ante præfixum tempus a Collegio prædicto non amoveantur, nisi intervenientibus veris, justis, atque gravioribus causis, quas Abbas Monasterii Sancti Pauli, & Procurator Generalis prædicti pro tempore existentes, tanquam Sedis Apostolicæ delegati cognoverint, & probaverint, & de quibus præmisso in scriptis juramento Præsidem dictæ Congregationis certiorem faciant, qui cum Visitatorum Provinciæ Romanæ, Abbatis Monasterii Sancti Pauli, & Procuratoris Generalis præfatorum, vel majoris partis eorum consensu, amovendos amoveant, aliosque in amotorum locum, servato quoad Scholasticos Monasteriorum ordine supradicto, ac præmisso semper duplici eorumdem examine, sicut præmittitur statuto, in Collegium judicant. Quod si contingat Lectores intermedio tempore justis, & gravioribus id exigentibus causis amoveri, & Collegio privari, Præses cum supradictorum, vel majoris partis eorumdem consensu, de aliis Lectoribus provideat, usque ad futuram Dietam, si proxime fuerit celebranda, in qua nova Lectorum hujusmodi electio, vel confirmetur, vel reprobetur, donec in Capitulo Generali Congregationis præfatæ, tunc proxime futuro, a Diffinitoribus, præstito prius Juramento, ut supra per secreta suffragia ea omnia, quæ interea gesta fuerint, confirmentur, vel recidantur. Eodemque modo pariter, ac lege in casu mortis, vel diutinæ ægritudinis, sive Lectorum, sive Scholasticorum incidentibus Collegii necessitatibus usque ad Dietam, sive Capitulum Generale pro interim consulatur.

De regulari disciplina, & exercitationibus Theologicis.

§. 6. Scholastici autem prædicti omnes, & singuli adinstar reliquorum Monachorum in præfato Monasterio Sancti Pauli degentium regulari observantiæ incumbant, mentali orationi, certis horis per Constitutiones statutis omnino vacare satagant. Chorum non omittant, Missarum oneribus, qui Sacerdotio initiati fuerint, satisfaciant, cæteraque monasticas Leges inviolate custodiant, ut tamen omni distractione semota scientiis adipiscendis insistere valeant, eos aliis occupationibus, & præsertim œconomicis curis nemo audeat implicare. Ipsi quoque Scholastici, dum in præfato Monasterio Sancti Pauli commorabuntur, præter quotidianas le-

ctiones,

ctiones, & repetitiones, singulis hebdomadis, semel per ordinem theses disputandas proponant, atque adversus arguentes ea, qua Monachos Ordinis Sancti Benedicti decet modestia, & religiositate defendant, & objecta dissolvant. Quibus literariis exercitationibus, Abbas Monasterii Sancti Pauli omnino, totiusque ejusdem Monasterii Conventus semper interfint; quocirca, ut hujuscemodi Scholasticæ concertationes studentium profectum juvent, & non ad inanem pompam excitentur, dictus Abbas hyemali tempore in præfato Monasterio habitet, ut ejus præsentia, auctoritate, & vigilantia regularis observantia non tepescat, & Scholasticorum studia ad scientiarum amorem inflammentur. Dum vero Sancti Callisti ædes prædictas incolent, consuetas lectiones, & repetitiones neutiquam intermittant, & insuper sigillatim theses in utraque facultate typis impressas publice tueantur, quæ omnia, ut alacrius, facilius, & commodius exequi valeant, tum Lectores, tum Scholastici ab accessu ad Monasterium Sancti Pauli, festivis diebus exceptis eximantur, prædicti vero Abbates, & Procurator Generalis, eosdem Lectores peculiari beneficentia, & specialibus charitatis Officiis prosequantur, ipsique Lectores sexennio in præfato Collegio laudabiliter expleto, a Religione debitis honoribus decorentur.

De victu, & vestitu, aliisque necessariis.

§. 7. Cæterum Magistris, & Scholasticis prædictis omnibus, & singulis victus, & vestitus, medicinalia, & alia ad vitam necessaria Monachorum Cassinensium more, & dicti Monasterii Sancti Pauli consuetudine servatis, ab eodem Monasterio cum omni benignitate præbeantur. Ut autem Monasterium ipsum horum causa nulli subjaceat incommodo, nec magis gravetur, cum de præsenti Lector, & sex Scholastici ab eodem ex suis proventibus substententur; pro alio Lectore, aliisque Scholasticis addendis usque ad præscriptum numerum denarium, Procurator Generalis dictæ Congregationis, eidem Monasterio, cum effectu, sine mora singulis annis persolvat scuta sexcenta monetæ, quæ cum dicta Congregatio interusuria debiti sexaginta millium quo in Monte novennali nuncupato obstringebatur diminui, & ad minorem quantitatem reduci nuper obtinuerit, ex ea summa, quæ per diminutionem, sive reductionem hujusmodi facta est compendii, præstanda erunt, cui solutioni, si ullus Procurator Generalis pro tempore existens satisfacere neglexerit, vel temere renuerit ipso facto, secluſa omni excusatione, nulloque favente colore, officio, dignitate Abbatiali, ac voce activa, & passiva in perpetuum privatus intelligatur, statimque a Præside dictæ Congregationis ab officio, gradu, & dignitate depositus, & privatus declaretur, potestate ad eosdem gradus, & dignitates iterum illum assumendi, vel rehabilitandi (Sede Apostolica inconsulta) cunctis penitus interdicta: quod si Præses negligentiæ, vel conniventiæ in his exequendis reus extiterit, in easdem pœnas se ipso facto noverit incurrisse. Pecuniæ vero in accessu ad Collegium, & recessu ab illo, ac in Conclusionibus quolibet anno imprimendis, expendendæ a Monasteriis professionis eorum Lectorum, & Scholasticorum respective subministrentur.

De Supranumerariis.

§. 8. Liceat autem Abbatibus, & aliis præfatæ Congregationis Cassinensis Monasteria respective regentibus, necnon aliis Abbatibus, vel Superioribus aliarum Congregationum, Monachorum nigrorum tantum sub S. Benedicti Regula militantium, supra præscriptum decem Scholarium numerum, præhabito in scriptis Præsidis dictæ Congregationis Cassinensis, ac Abbatis Monasterii Sancti Pauli, & Procuratoris Generalis præfatorum consensu, alios Monachos Monasteriorum quibus præsint, Alumnos ad Collegium prædictum mittere, persoluta quotannis dicto Monasterio Sancti Pauli, pro eorumdem sustentatione, aliisque necessariis convenienti pecuniæ summa, qui supra numerum mittendi, easdem Collegii leges, statuta, & consuetudines, quibus cæteri Scholastici obnoxii sunt, servare omnino teneantur.

De prædictorum omnium executione.

§. 9. Quia vero ad præmissa omnia prorsus exequenda potissimum obstringuntur, & valde conferre possunt ipsimet Religionis Superiores, idcirco statuimus pariter, & ordinamus, ut in quolibet memoratæ Congregationis Cassinensis Capitulo Generali, post Diffinitorium electionem, prima die, posthabito omni alio quantumvis graviori negotio, Diffinitores ipsi diligenter, & serio inquirant, an de iis, quæ in præsentibus literis continentur aliquid omissum, innovatum, aut a quoquam fuerit in contrarium, seu aliter dispositum, quod si hæc omnia, & singula non ad unguem servata, & his nostris Apostolicis jussionibus non plene obtemperatum animadverterint, statim emendanda emendent, & corrigenda corrigant, ac omnia ad formam earumdem præsentium literarum in integrum restituant, & a transgressoribus, violatoribus, & negligentibus pro culparum gravitate pœnas sumant. Si autem Diffinitores prædicti in præmissis exequendis desides, remissique extiterint omnia Capituli Generalis acta, promotiones, electiones, provisiones, designationes, & Decreta ipso facto nulla, inania, & invalida fore, harum serie decernimus, & declaramus, & præterea Abbas Monasterii Sancti Pauli, Procurator Generalis pro tempore existentes prædicti, in earumdem literarum nostrarum omnimodam executionem minime intendentes, in pœnas privationis gradus, dignitatis, & officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto se incurrisse noverint, super quibus, nonnisi a Sede Apostolica præfata dispensari possit. Denique ut nemo præmissorum ignorantiam valeat allegare, dilecto filio Andreæ Deodato a Neapoli per præsentes committimus, & mandamus, ut easdem præsentes literas, omni cura, & solicitudine, dilectis pariter filiis Præsidi, Visitatoribus, omnibusque Abbatibus præfatæ Congregationis Cassinensis notificare procuret, ipseque Andreas Deodatus, qui de præsenti Procurator Generalis ejusdem Congregationis existit, præmissorum omnium, & singulorum executioni accurate, atque diligenter invigilet, ac de omnibus Nos & hanc Sanctam Sedem quamprimum reddat certiores.

Clausulæ.

§. 10. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Superiores, & Monachi Congregationis Cassinensis, & Monasterii Sancti Pauli præfatorum, aliive quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomolibet prætendentes cujuscumque gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut

impetrato,

impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit felicis recordationis Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Congregationis Cassinensis, & Monasterii Sancti Pauli præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis etiam Congregationi, & Monasterio præfatis, illorumque Superioribus, & aliis personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & quantiscumque vicibus, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & ampliissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Martii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Erigitur in Congregationem Confraternitas Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, ejus novæ Constitutiones confirmantur, & privilegia, exemptiones, ac Indulgentiæ ei conceduntur. CLXVIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Mart. 1687. An. 11.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, ad ea per quæ pietatis, & Christianæ charitatis opera ubique locorum præsertim ad Infirmorum, & Convalescentium subventionem, & utilitatem provide, prudenterque ordinantur propensis studiis intendimus, & Christifidelium in id ipsum laudabiliter, & fructuose incumbentium Confraternitatibus in visceribus paternæ gerentes charitatis, felici illarum statui, & prosperæ in via mandatorum Domini directioni, libenter providemus, illasque, & personas in eis Domino famulantes opportunis favoribus, & gratiis prosequimur, sicut rerum, locorum, temporum, & personarum qualitatibus mature consideratis, ad Dei Omnipotentis gloriam, & animarum salutem, ac piorum operum incrementum, Populique Christiani ædificationem, & consolationem specialem conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Rodericus a Cruce Procurator Generalis Confraternitatis Confratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Hospitalibus Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus canonice (ut asseritur) erectæ, quod dicta Confraternitas in eisdem Indiis initium habuit, a quondam Petro Betancur a Sancto Josepho, qui primam Domum, & Hospitale ipsius Confraternitatis in Civitate Guatimalæ pro Pauperum Convalescentium cura, aliisve pietatis, & Christianæ charitatis operibus anno 1653. ædificare cœpit, subinde cum aliud simile Hospitale anno 1671. in Civitate Liman. fundatum fuisset, Constitutiones pro præfatæ Confraternitatis gubernio juxta tunc existentem illius statum factæ anno 1674. per Sedem Apostolicam confirmatæ fuerunt. Porro auctо ejusmodi Hospitalium numero, usque ad undecim, & in promptu existente multorum aliorum fundatione, pro felici, prosperoque ejusdem Confraternitatis regimine, & gubernio formatæ fuerunt novæ Constitutiones, præsenti illius statui convenientes, tenoris, qui sequitur videlicet.

Ortus, & progressus dictæ Confraternitatis.

Caput Primum.

De Confraternitatis Instituto.

§. 1. Finis societatis est strenue admodum incumbere in exercitium operum charitatis, & misericordiæ, tam spiritualium, quam corporalium erga omne genus personarum, præsertim erga Ægros convalescentes, procurando quam maxime Animarum tum propriarum, tum proximorum nostrorum salutem per omnium virtutum usum, & vitæ probatæ exemplar, adeout hi, qui ad nostra Hospitalia venerint corporis salutem recuperaturi in Animæ quoque salute egrediantur meliores effecti.

§. 2. Omnes subditi esse debent Præfecto Generali, & in humili subjectione suis Superioribus peculiaribus.

Caput Secundum.

De Recipiendis ad Confraternitatem.

§. 1. Quia multitudo confusionem parere solet, ac etiam relaxationem, conveniens erit, ut non adsit in nostris Hospitalibus major Fratrum numerus, quam quos exiget necessitas, non erit tamen duodenario inferior, & si opus erit numerum augere, fieri poterit, id de licentia Præfecti Generalis, & Assistentium Generalium.

§. 2. Omnes, qui apti fuerint Medicinæ, & Chirurgiæ artibus, illas addiscent ex Præfecti Generalis, & Assistentium permissione.

§. 3. Admittendi ætate, & viribus pollere debent ad ministeria, quibus initiantur, convenientibus, ab omni originis, & infamiæ labe, imo & ejus suspicione immunes, cœlibes, corpore sani, nec ullo modo ære alieno, aut aliis oneribus gravati, quæ molestiæ, seu impedimenti esse possint, nec qui ullius Religionis, seu Congregationis habitum habuerint.

§. 4. Peractis probationibus, & experimentis etiam spiritus, quo ducuntur, prout convenire visum fuerit, cum fuerint ex sententia Fratris Præfecti, & Assistentium approbati, & in habitu sæculari manserint per aliquot septimanas, humilibus Domus exercitiis se applicando, hoc tempore Generalem omnium suorum peccatorum facient confessionem, ac quas profiteri debent regulis instruentur, adimpletisque istis obligationibus, completo decimo sexto ætatis anno habitum eis dabit Frater Præfectus de Præfecti Generalis, seu illius, qui, ut infra dicetur, vices tenebit ejusdem Præfecti Generalis, & Assistentium licentia, ac elapso probationis, & Novitiatus anno, ac de ejusdem Præfecti Generalis, seu Tenentis ejus vices, & Assistentium licentia, dummodo Professionem emissuri sciant legere, & scribere, & non alias professionem emittent in manibus Fratris Præfecti vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ac Hospitalitatis vovendo, cujus posterioris voti obligatio extendatur ad inserviendum Pauperibus infirmis, etiamsi sint Infideles, & aliqua contagiosa ægritudine affecti, & successive fiet aliud votum perseverandi perpetuo in nostra Societate Bethlemitica, Infirmisque serviendi.

§. 5. Adesse debet unus Novitiorum Magister nominatus a Præfecto Generali, & Assistentibus in Hospitalibus, quæ pro Novitiatu destinabunt ipse Præfectus Generalis, & Assistentes, in id accurate incumbendo, ut Magister sit ex insignioribus virtute, & prudentia, & qui saltem semel Præfectus fuerit alicujus ex nostris Hospitalibus, & casu quo idem Novitiorum Magister modo, & forma, de qua supra destinatus decedat, vel alio impedimento detineatur, præelegi in casu impedimenti provisionaliter debeat a Præfecto Domus, in qua contingat tale impedimentum alias sufficienti doctrina, & moribus præditus; in casu vero obitus præfigi debeat alius ab eodem Præfecto Domus, qui hujusmodi munus exerceat, donec sequatur approbatio Præfecti Generalis, & Assistentium, eaque sequuta evadat verus Magister Novitiorum, alias subintrabit ille, quem Præfectus Generalis, & Assistentes nominare censuerint in Magistrum Novitiorum.

§. 6. Inquisitiones de admittendo fient coram Fratre Præfecto cum ejus Secretario, Assistente etiam Novitiorum Magistro.

§. 7. Non potest admitti in Societatem ullus qui sit in Ordine Sacro constitutus, nec Cappellani, nec ullo alio titulo, neque ullus Frater ex hucusque admissis, & in posterum admittendis ordinari, quia statui Sacerdotali non conveniunt manualia ministeria, in quibus exercere se debent Fratres; Et si quis ordinem susceperit ipso susceptionis facto remaneat exclusus, & Societatis habitu privatus, ac a votis absolutus, nec in Domo stare possit, etiamsi sit in alio habitu. Iis vero, qui jam reperiuntur in Ordine Sacerdotali permittatur in Societate permanere, præsensque dispositio respiciat tantum futurum, non obstantibus dispositis in contrarium in veteribus Constitutionibus a Sancta Sede confirmatis.

Caput Tertium.

De Habitu interiori, ac exteriori, ac Cubiculis.

§. 1. Habitus uniformis esse debet in omnibus Fratribus, isque ex quo appareat interna humilitas, & rerum mundanarum contemptus, & sit symbolum, quo vere pauperes, & pœnitentes esse dignoscantur.

§. 2. Habitus exterior erit ex panno rudi, & coloris, ut dicunt *buriel*, nimirum ex lana quæ dicitur de *Sumonte leucophæa*, forma sit adinstar Togæ talaris cingulo corei nigri ad duorum digitorum latitudinem restrictæ, cucullus una tertia, ut ajunt, altus extremitate in aliquod acumen desinente, & dicta Toga quatuordecim palmos habeat in circuitu, & unam tertiam in manica, clamys ejusdem generis, duabus tertiis brevior Toga, pileus leucophæus ex lana rudi, & cum limbo grandi circuitus decem digitorum subtus corio tenui nigro inducto, & cum duobus funiculis pendiculis, nudis Tibiis, & pedibus cum solis crepidis, quas vulgo nominant Ramplonas, rudibus, & crassis, ac latis soleis, adeout habitus paupertati, & ruditati respondeant, super latus sinistrum Chlamydis gestabitur in lamina ad instar scuti depicta Jesu Christi Summi boni nostri Nativitas.

§. 3. Vestis interior convenire debet in paupertate cum exteriori quæsito in illa nitore, qui optime potest convenire cum paupertate, idcirco nemini concedatur induere lineum indussium nisi in gravi necessitate, qua qui urgebuntur, illud ferre poterunt, quo duraverit infirmitas cum Fratris Præfecti licentia: Licitum erit gestare Tunicam multitiam rudem, & panniculos stupeos nec ulli concedatur radere, nec tondere barbam quantum ad illam, quæ solita est Eremitis conformabitur.

§. 4. Debent omnes unico vestitu contenti esse, & quia necesse erit illum mutare, erit in Hospitali locus pro Pannaria designatus omni genere Vestituum, quibus Fratres nostri indigere possunt instructus, quibus cum charitate, & diligentia illis providebitur singulis quindecim diebus, aut etiam ante si opus fuerit.

§. 5. Exteriori vestitus paupertati consonare debet interior Cubiculorum, seu Cellarum paupertas, in his permitti non debent laminæ, nec arculæ, nec alia supellex exquisita, & superflua, neque profani ornatus, qui summam dedeceant paupertatem, quam observare debent nostri Fratres, & ad evitandum quantum fieri potest, ne illa imminuatur, Præfectus Generalis, Assistentes, & Præfecti id satagent, ut eorum cubicula exemplo sint, quo alii addiscant humilitatem, & paupertatem, quas debent in suis observare; & ut illa facilius recognoscere possit Superior, carebunt clavibus, & seris Januæ: adeo ut lectus ex ligno cum duabus dumtaxat lodicibus, quæ illum cooperiant: Unum pulvinar panneum: Una Crux ex ligno rudi: Aquæ lustralis vasculum: Scabellum, & mensula cum capsula absque clavi, ubi asserventur pœnitentiæ Instrumenta: Liber de contemptu Mundi, aut alius spiritualis: Et quia incongruum foret, ut qui veniunt omnibus inservire, haberent qui eis inservirent, nemo poterit famulum habere peculiariter.

§. 6. Poterunt admitti in Donatos horum aliqui, qui ex quopiam justo impedimento excludantur, ne sint Fratres cucullati, qui nostrum

habitum

habitum induent absque cucullo, & poterit Præfectus Generalis una cum Assistentibus permittere, seu licentiam concedere, ut ipsorum aliqui profiteantur eadem vota, quæ profiteri debent Fratres ut majus meritum, & perseverantiam hoc modo possint obtinere.

Caput Quartum.

De Exercitiis Spiritualibus cujuslibet diei.

§. 1. Habebunt Fratres quotidie horam unam Orationis mentalis a quinta ad sextam matutinam, convenientes omnes ad Campanæ sonum cum Fratre Præfecto, cum quo protinus post orationem ibunt omnes ad verrendum, vasa promendum, & valetudinaria poliendum, & finitis istis exercitiis audient Missam ad arbitrium Fratris Præfecti. Diebus Jovis, & Dominicis cujuslibet Hebdomadæ Sacram Eucharistiam sument omnes Fratres in communi, & si inter Hebdomadam accidit aliqua solemnis festivitas, poterit communio anteverti, seu postponi feriæ quintæ, illam ad festivitatem transferendo.

§. 2. Hora secunda pomeridiana omnes in Ecclesia congregati recitabunt Stationem SSmi Sacramenti, & post ejus venerationem legetur unum Capitulum ex Libro, cui titulus Contemptus Mundi, & deinde omnes ordinate procedent, Psalmum Miserere, recitantes usque ad valetudinarium principale, & hoc finito partirim ad alia divertent ad verrendum, & sternendum lectos Infirmorum, & Convalescentium.

§. 3. Hora quarta cum dimidia post meridiem recitabitur Corona B. Virginis Dominæ Nostræ Septem Misteriorum, & finietur cum examine conscientiæ quadranti horæ duraturo, & advesperascente die dato ad orationes campanæ signo, habebitur una hora orationis mentalis, ad quam puncta dabit Frater Præfectus ex uno librorum, qui de hac agunt materia, & sunt P. Frater Ludovicus Granatensis, P. Thomas de Villacastin, Falconius, aut alii, finemque imponent actu contritionis.

§. 4. Duodecima nocturna surgent omnes (exceptis illis, qui Superioris judicio legitime fuerint impediti), & simul in Ecclesia recitabunt Coronam B. Mariæ Virginis cum Orationibus approbatis de Imitatione Passionis Jesu Christi, prout sunt in Diurno tenoris sequentis videlicet.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, & coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe adoro te in Cruce vulneratum, felle, & aceto potatum: deprecor te, ut vulnera tua sint in remedium Animæ meæ. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce: maxime in illa hora, quando Anima tua egressa est de benedicto corpore tuo: deprecor te, miserere Animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe adoro te descendentem ad Inferos, & liberantem Captivos: deprecor te ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad Cælos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, Peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi maximo Peccatori. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Sepulchro positum, mirrha, & aromatibus conditum; deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

Et dilatatis ad Crucis formam brachiis recitabitur Statio SS. Sacramenti, & in Vesperis festivitatum D. N. J. Christi, & B. M. Virginis, Sanctorum Apostolorum, & Sancti Dominici, ac S. Francisci, omnium Sanctorum, S. Josephi, S. Michaelis Archangeli, S. Gabrielis, & S. Teresiæ a Jesu recitabunt integrum Rosarium quindecim Mysteriorum, & dilatatis in Crucem brachiis, supradictam Stationem, & quoties recitabunt d. quindena Mysteria a relatis Passionis Orationibus supersedebitur.

Caput Quintum.

Exercitia Spiritualia cujuslibet Hebdomadæ.

§. 1. Ter in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, & sexta habebitur disciplina Communitatis in Ecclesia, idque fieri poterit post orationem mentalem nocturnam: habebitur toto tempore, quo recitabuntur Psalmi Miserere, & De profundis, adjunctoque actu contritionis signum dabit Superior, & cessabit disciplina.

§. 2. Capellanus nominatus pro administratione Sacramentorum singulis quindecim diebus hora septima cum dimidia nocturna habebit ad Fratres concionem, vel sermonem spiritualem, & quando id fiet, media hora anticipabitur Corona, & Oratio, ne desit tempus pro conscientiæ examine.

§. 3. Omnes Fratres debent jejunare juxta formam S. Matris Ecclesiæ, & feria sexta Paraseeve dumtaxat pane, & aqua jejunabunt.

§. 4. Omnes pedibus debent incedere in locis habitatis, sed per itinera, dum longinqua fuerint, equitare poterunt, illisque de necessariis ad ea prosequenda semper providebitur.

§. 5. Attento, quod efficacissimum ad observantiam Regularem, pacemque Animæ interiorem conservandam medium est secessus, omnes nostri Fratres districtissime evitabunt egressus e Domo, & Sæcularium visitationes in vana Officia, temporisque jacturam tendentes, & ita nemo licentiam petet pro hujusmodi egressibus, & visitationibus, etiam Parentum proximiorum, præterquam in casu necessitatis, aut gravis infirmitatis ad Præfecti arbitrium, aut quando ipse eos mittet pro re divini servitii, proximi subventione, vel Hospitalis utilitate.

§. 6. Hospitalia, & Fratres debent sustentari ex eleemosynis, & si temporis processu compertum fuerit expedire alicubi reddituum admissionem, ob eleemosynarum defectum, & devotionis imminutionem admitti poterunt ex Præfecti Generalis, & Assistentium licentia.

§. 7. Quando Fratres ex aliquo itinere extra Civitatem redibunt, cum ipsis dispensabitur, ut non assistant exercitiis domesticis, & spiritualibus per triduum, & non ulterius: Porro si iter longinquum fuerit, aut ultramarinum, (prout plerumque contingit in Indiis) novem dierum erit hujusmodi dispensatio, quo a fatigatione subleventur, prout bene ordinata charitas requirit, & ut hoc melius, & majori allevatione facere possint, id temporis dabuntur ipsis indusium, lectusque cum culcitra, & linteis cubilibus. Et infirmarius, aut alius ejus loco curam habebit illis ea prima nocte pedes abluendi, illosque excipiet in Hospitio, quod

ad hunc effectum noſtris in Domibus, & Hoſpitalibus debebit eſſe apparatum.

§. 8. Omnes Fratres, qui iter facient, aut Civitate egredientur ſingulis diebus, ea, qua poterunt hora, etiamſi tripartitim hoc fiat, recitabunt integrum quindecim Myſteriorum Roſarium, ac unam SS. Sacramenti Stationem. Et Superiori curæ erit id muneris eis in memoriam adducere tempore diſceſſus, & hoc aliis ſpiritualibus exercitiis æquivalebit, nec poterit quis mitti, nec Domo egredi ſolus, ſed ſemper aſſociatus, & quando ad iter faciendum egredientur, & quando ipſis eundum erit per Civitatem, ut ita reſpectus habeatur decentiæ, qua noſtros Fratres decet incedere, & aliis inconvenientibus, quæ ex contrario notorie reſultat, obvietur.

Caput Sextum.

Exercitia charitatis erga Pauperes Infirmos.

§. 1. Cum principale Fratrum Inſtitutum ſit Pauperibus infirmis inſervire, omnibus perſuaſum eſſe debet, id præcipue illis incumbere, ut tam Sancto exercitio ſint addicti, nec in nullo alio majus obſequium Domino noſtro præſtituros, miniſterio, quam hoc humilitatis, & charitatis ob ejus amorem illud exercendo erga Pauperes indigentes, & rebus neceſſariis deſtitutos.

§. 2. Ad hujus obligationis ſatisfactionem, in promptu quamprimum certiores facti fuerint ſe conferent ad illos aſportandos in Sella geſtatoria (quæ ad hoc erit præparata) uſque ab Hoſpitalibus, & Domibus, ubi eorum fuit habita curatio ad noſtrum Hoſpitale, ubi curatio eis adhibenda, aut convaleſcere debent, nec alienis humeris fidant onus, quod ſuiſmet Deus impoſuit.

§. 3. Non debet excludi ab Hoſpitalibus noſtris ullum genus perſonarum, ad omnes debent extendi, omnes debent amplecti charitatis ulnis Liberos, Servos, Mauros, Nigros, & Gentiles, exceptis Mulieribus, quæ nullo titulo poterunt ingredi ad curandum, nec ad inviſendum Pauperes intra Clauſuram noſtrorum Hoſpitalium.

§. 4. Habeat Infirmarius apparatos lectos, ubi recumbant ægri poſtquam eis pedes, ſi opus fuerit, abluti fuerint, & aliqua eis refectione ſubventum, & prima erit ſolicitudo eos diſponere, ut peccata confiteantur, id permittente ægritudinis qualitate.

§. 5. Aſſiſtet cum majori, & aliis Infirmariis Frater Præfectus, duabus vicibus, quibus medicus debet ægros inviſere, & in ſcriptis rediget quidquid iſte ordinaverit, idemque faciet major Infirmarius, & horis congruis Præfectus inquiret ab ægrotis, an major Infirmarius executus ſit quidquid Medicus diſpoſitum reliquit, & ſi quem compererit defectum, remedium protinus conferet, & convenientem ejus culpæ pœnitentiam majori Infirmario.

Caput Septimum.

Quid obſervari debeat in Valetudinariis erga Ægrotos Convaleſcentes, inſanabiles, Peregrinos, & Pauperes.

§. 1. Ut Ægroti, & Convaleſcentes ſervitia habeant, & refocillationem omni cum cura, & opportunitate, aderit Frater Infirmarius major, a Præfecto Generali, & Aſſiſtentibus deputatus, cui incumbet Valetudinariis præeſſe, & cui reliquii alii Infirmarii Hebdomadarii debent obedire in rebus ad ejus munus pertinentibus, & debet procurari, ut is qui hoc fungetur munere placidus ſit, & charitatis plenus, qui ſciat tolerare abſque ſui immoderatione Ægrotos, & eos emendare abſque afflictione illorum.

§. 2. Extabunt diverſa Valetudinaria ſeparata ab Hiſpanis pro Indis, Mauris, & aliis Gentibus, & hæc, & illa procurabitur, ut ſint ab officiis disjuncta ad Ægrotorum moleſtiam evitandam.

§. 3. Peculiarem curam adhibeat Infirmarius major, ut Valetudinaria ſemper ſint nitida, & accommodata, lectique bene ſtrati, iſtorum ſupellectilem, quolibet Sabbato variando, aut etiam anticipate, ſi quibus opus fuerit, & ut hoc facilius fiat, convenient omnes Fratres quotidie hora deſtinata ſecunda pomeridiana, & poſt Stationis Sanctiſſimi Sacramenti peractam recitationem.

§. 4. Magnopere ſatagat, ut modus agendi Convaleſcentium, & aliorum Pauperum Chriſtianus ſit, & modeſtus, ut nemo juret, vel vitium habeat ſcandali, & ſi quis licentioſus fuerit eum charitate ſemel, ac iterum corrigat, & ſi id ſatis non fuerit, reddat rationem Fratri Præfecto, ut blande, & officioſe eum dimittat ex Hoſpitali, antequam vitii ejus ulcus reliquos inficiat.

§. 5. Si cui Convaleſcentium aggravabitur infirmitas, aut ſupervenerit, unde ad arbitrium Medici curari debeat, Infirmarius certiorabit Præfectum, ut æger ad aliud deferatur Hoſpitale, ubi cura ejus habeatur, donec ſit in ſtatu ad noſtrum redeundi.

§. 6. Omnibus Ægris, & Convaleſcentibus, ac reliquis Pauperibus Miſſa dicetur quotidie in Valetudinariis hora congrua, & ſingulis diebus, quindecim confitebuntur, & communicabunt.

§. 7. Omnes Ægroti mane laudabunt Sanctiſſimum Sacramentum, & ad honorem S. Joſephi Patriarchæ recitabunt ſeptem Pater noſter, & Ave Maria cum Gloria Patri, recitante una cum illis majori Infirmario, qui cum aliis Infirmariis protinus curabit eis dare jentaculum, ante quod, uti & ante prandium, ac cœnam debent recitare Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro Benefactoribus.

§. 8. Undecima hora diei ad ſonum Campanæ conveniet Frater Præfectus cum omni communitate ad dandum prandium Pauperibus, & benedictionem impartietur, & Fratres noſtri propriis manibus apparabunt, & diſtribuent diſcos, non excluſis ab hoc charitatis officio illis, qui in eo mereri voluerint, obſervetur ſilentium dum comedunt Pauperes, habita ad ſpiritualem lectionem, quæ ipſis fieri debet, applicatione, & finita comeſtione, & peractis gratiis, claudantur Januæ, ut quieſcant, neque aperiantur uſque ad ſecundam pomeridianam.

§. 9. Quarta hora cum dimidia poſt meridiem ad Campanæ ſonitum Infirmarius recitabit Coronam noſtræ Dñæ cum ægrotis, & convaleſcentibus poſtquam protinus dabitur Pauperibus cœna, cui aſſiſtet Frater Præfectus cum tota Communitate, eodem obſervato ordine, quo datum ipſis fuit prandium, & d. Corona pro Benefactoribus vivis, & Defunctis applicabitur.

§. 10. Si quis Fratrem noſtrorum infirmabitur, illico advertet Fratrem Infirmarium, & hic Medicum, ut recognita ægritudine agatur de remedio, & toto, quo durabit tempore ei aſſiſtent reliqui magno cum amore, & ſtudio, adeout nihil ei deſit, præcipue incumbendo ſaluti, & bonæ Animæ compoſitioni, & caſu, quo Infirmitas periculoſa ſit, diſponat ſe ad modum opportune ne abſque omnibus Sacramentis moriatur, in hunc finem extabit diverſum Valetudinarium, cum ſupellectili alia, quam pauperum, ubi noſtrorum Fratrum cura habeatur, ſuper quo Frater Præfectus magno ſtudio incumbet, ut omnia ſint valde compoſita, & opportuna.

Caput Octavum.

De aliis Distributionibus, & animadversionibus pro bona observantia.

§. 1. Hospitalia nostra unicam debent habere ad plateam januam ultra porticulam pro Domus servitio, & ostium semper debet esse clausum, eique assistere Frater unus, qui Janitorem agat a Superiore deputatus ad aperiendum, & claudendum portas accurate eis, qui pulsaverint, & duodecima hora meridiana claves Superiori consignet, idemque faciet advesperascente die.

§. 2. Non permittatur ex januis in nostra Hospitalia Mulierum ingressus, & quæ ratione cognationis volent aliquem Convalescentem invisere, poterunt id in Conclavi ostiario agere.

§. 3. Non admittent Fratres visitationes in Conclavibus, sed ea poterunt admitti in Aula, aut aliis locis publicis ad hunc effectum in Hospitali designatis.

§. 4. In prandio, & cœna servabitur silentium in Triclinio omnibus, dum comedunt, aliquo pabulo Animarum refocillantibus, lectioni spirituali, quæ haberi debet incumbendo, sibi invicem inserviant, nec locorum aliqua sit præeminentia, quam quæ ordine resultabit, quo singuli adventabunt excepto Præfecto, qui debet locum præcipuum habere.

§. 5. Peractis gratiis post prandium, illico incipient Stationem Sanctissimi Sacramenti, quam recitando ordinatim ibunt usque ad Ecclesiam, & eam applicabunt pro Benefactoribus vivis, & mortuis. Noctu ante cœnam feria secunda, quarta, & sexta erit Capitulum Culparum in Triclinio, & eas dicet Frater Zelator, qui pro illa Septimana fuerit nominatus, & post cœnam finient cum uno responsorio, ac Oratione Sanctæ Synodi pro Animabus Purgatorii, eosque ad veniam prostratos lustrabit Superior.

§. 6. Post prandium, & cœnam aliquod intervallum habebunt familiaris conversationis, & post eam indicetur sonitu silentium, quod observari debet adamussim a prima usque ad secundam pomeridianam a nona nocturna usque ad sextam Matutinam, omnesque diei curriculo curent observare silentium, quod per nostra licebit ministeria.

§. 7. Non poterunt Fratres exarare literas, nec Scripturas, neque eas recipient absque peculiari Præfecti licentia, nec pariter poterunt in aliorum Conclavia ingredi, neque in Novitiatum, nec alias domesticas Officinas Domus, nisi quis indiguerit illis, quæ inibi extabunt, & tunc id eis licebit pecita a Præfecto licentia.

Caput Nonum.

De regimine nostræ Societatis.

§. 1. Pro nostræ Societatis conservatione, & ut tam pium Institutum manuteneatur adesse debebit generalis Præfectus, cui obediatur.

§. 2. Is etiam, qui per electionem infra indicandam Præfectus Generalis constituetur durare debet in exercitio talis muneris per sexennium tantum.

§. 3. Et quoniam debet habere Assistentes Præfectus Generalis, cum quibus negotia occurrentia conferat, & expediat, hinc est, quod juxta formam infra designandam eligi debebunt alii quatuor Fratres habentes qualitates infra requisitas, qui sub Assistentium titulo cum Præfecto Generali degere debeant, quique ab eodem Præfecto, quo voluerit convocari possint ad pertractanda, & expedienda negotia occurrentia, habebuntque prædicti Assistentes votum decisivum non consultativum tantum, & hæc pariter Assistentium munera debent durare per sexennium. Et quoniam in hoc initio non potest ad praxim deduci forma infra præscripta super electione, tam Præfecti Generalis, quam Assistentium, & nihilominus introductio formæ gubernii, necessaria est, propterea pro prima vice dignabitur Sanctissimus D. Noster Papa Innocentius XI. nominare unum ex Fratribus in Præfectum Generalem dictæ Societatis, & quatuor alios in Assistentes ad sexennium duraturos, qui eamdem habeant auctoritatem, perinde acsi legitime a dictis Fratribus electi forent.

§. 4. Præfecti Generalis electio pro prima vice celebrari debebit in Domo Guatimalæ, quoniam ipsa est Matrix, & prima origo nostræ Societatis, ut iste honor illi tribuatur. Perpetuis autem futuris temporibus, quoniam in d. Guetimalæ Provinciis propter locorum qualitates, & Domorum penuriam Capitula generalia celebrari commode non possunt: Hinc est, quod excepta dicta prima electione, perpetuis futuris temporibus, electio Præfecti Generalis, & reliqua omnia, quæ in generalibus Comitiis explenda sunt, fieri debebit alternatim Limæ, & Mexici, quæ sunt Domus antiquiores, itaut incipiatur a Domo Limæ, ac deinde in Domo Mexici hoc modo electiones alternando, quo æqua habetur ratio Domorum, quæ actu existunt, & favente Dei misericordia inposterum extabunt in dictis Regnis, & Provinciis.

§. 5. Electio Præfecti Generalis debet fieri a Vicario Generali, ut infra denunciando a quatuor Assistentibus, a Secretario generali, ab omnibus Fratribus Præfectis, & antiquiori discreto quorumcumque Hospitalium, necnon a Magistris Novitiorum, ad quam electionem aut personaliter, aut per Procuratorem legitimum, qui tamen esse nequeat neque ullus ex Fratribus residentibus in Domo, ubi fiet electio, neque ullus, qui alias sit vocalis, convenient omnes. Si quando vero adjuvante D. Hospitalium numerus in Regno, ubi electio celebrabitur pervenerit ad decem, & novem, tali casu cesset in electione Præfecti Generalis votum supradictorum Discretorum Hospitalium. Qui Electores cum dicto Vicario Generali, debent congregari in Aula Capitulari opportune instructa, invocatoque in primis Spiritus Sancti auxilio præsidente ipso Vicario procedant ad faciendam per secreta suffragia Præfecti Generalis electionem, proinde singuli vocales habeant secum plures schedulas uniformes eis per Secretarium distributas, quæ tribus vicibus plicari possint, & in Superiori parte ejusdem Schedulæ, quilibet ex vocalibus scribet nomen proprium per hæc verba: Ego Frater N., in secunda vero plica scribat: Eligo in Præfectum Generalem; & in tertia plica Schedulæ scribat nomen illius, quem eliget; quisque vero partem Schedulæ ubi scriptum est nomen ipsius vocalis primo loco plicabit, & sigillo claudet, ne aperiatur, nec legi possit, & deinde reliquum ejusdem Schedulæ ita plicabit, ut quod scriptum est non videatur. Quisque etiam ex vocalibus ita scribet, ut quod ab uno scribitur ab altero non videatur, & his peractis Schedulas hujusmodi complicatas juxta ordinem eorum antiquitatis projicient in Urnam, seu Vasculum ad id collocandum super mensa ante Vicarium appositа; omnibus autem Schedulis allatis Urna hujusmodi coram Vicario, & duobus Fratribus Assistentibus ex antiquioribus aperietur, & de Schedularum numero numeratio fiet, iisque compertis absque numeri defectu, & absque excessu, incipient aperiri in ea parte, in qua descriptum erit nomen eligendi, relicta integra altera parte, in qua est nomen eligentis. Et successive prout aperientur ab iisdem Vicario, & Assistentibus recognoscentur, & alta voce per Secretarium publicabuntur nomina Electorum, & prout in unoquoque vota data reperientur, adnotabuntur in folio ad id destinato, & unusquisque ex intervenientibus in electione adnotare poterit. Omnibus

bus autem perlectis, si reperiatur aliquis in quem concurrat major pars votorum, scilicet ultra medietatem eligentium, itaut unus supra medietatem sufficiat, is intelligatur electus, & electio legitima pronunciabitur. Si autem in supradicto Scrutinio in nullo respicietur concurrere major pars Votorum, tali casu ad novum Scrutinium, seu ad tot Scrutinia procedatur, donec aliquis remaneat electus. Electo vero in Præfectum Generalem, Fratres omnes a Vicario ipso incipiendo obedientiam præstabunt, in casu quo ita in Præfectum Generalem electus a loco electionis hujusmodi abfuerit, ne interim Societas aliquod suo in regimine dispendium patiatur, Vicarius Superioris partes ad Vicariatus normam exequi continuabit, donec ipsi de acceptatione ab electo Præfecto Generali facta constiterit. Quod si noviter electum in Præfectum Generalem ante istam acceptationem mori contigerit, Vicarius eo, quo supra modo continuabit usque ad novam Præfecti Generalis electionem.

§. 6. Et cum possit contingere, ut inter vocales adsit suffragiorum æqualitas, ne super hoc oriri possint turbationes, declaratur Vicarium, qui electione præsidebit ejusmodi debere suffragium habere, ut in suffragiorum æqualitate illam dirimat Vicarius novo voto per ipsum tunc præstando, quod si ipse Vicarius sit in paritate Votorum electionis passivæ cum altero, eo casu, non Vicarius, sed Assistens antiquior in electione passiva hujusmodi non comprehensus suo suffragio paritatem dirimet.

§. 7. Vicarius debet habere suffragium activum, & passivum, & quia potest evenire, ut in electione, quæ fiet, nominetur in Præfectum Generalem, & hoc casu incompatibile est, ut possit approbare, & publicare electionem, ideo disponitur, ut ipso Vicario in Præfectum Generalem electo Antiquior Assistens debeat approbare, & publicare electionem.

§. 8. Ut possit in Præfectum Generalem eligi, & nominari quilibet ex Fratribus dictæ Societatis debet habere completam quadraginta quinque annorum ætatem, & elapsis post Professionem quindecim ex illis. Et pariter debet habuisse ut minus bis regimen alicujus ex dictæ Societatis Hospitalibus.

§. 9. Et attenta distantia, quæ tanta est inter dicta Hospitalia, quandoquidem aliquam inter se plus mille leucis distant, & in eis, quæ in posterum extabunt eadem pro amplitudine illorum Regnorum intercedit distantia, & in eventibus, quæ in quolibet illorum occurrerent, promptam convenit adhiberi provisionem, cumque non possit Præfectus Generalis in adeo distantibus, & sejunctis locis una cum Assistentibus residere, ideo pro meliori dictæ societatis regimine disponitur, quod Præfecto Generali in Regno Peruano degente, debet committere vices suas Præfecto Sancti Francisci Xaverii de Mexico adjunctis eidem aliis quatuor Assistentibus in Capitulo generali eligendis pro omnibus, quæ occurrent in illius Regni Hospitalibus, & cum in nova Hispania fuerit, easdem vices committere debeat Præfecto Hospitalis Limæ nostræ Dominæ de Carmelo, adjunctis eidem aliis quatuor Assistentibus in Capitulo generali eligendis cum plenitudine potestatis, præterquam quod in pertinentibus ad normam regiminis generalis Societatis, & peculiaris cujuslibet ex Domibus, & citra remotionem, seu dimissionem Præfectorum ipsarum, possint tamen ex justa causa ad tempus ab officio suspendere, & Generalem certiorare, deputato interim in suspensi locum Vicario idoneo, nec non dimissionem alicujus ex Fratribus, nisi in uno ex delictis expressis in Constitutione 21. hujus Capituli noni, proviso, quod substitutio præfata non possit etiam post obitum Præfecti Generalis revocari, sed toto temporis intervallo, usque ad novi Præfecti Generalis electionem perduret, quodque uterque Præfectus substitutus in omnibus, quæ operabuntur debeant rationem reddere Præfecto Generali, sed eo defuncto, Vicario, ut una cum Assistentibus resolutionem statuat sibi beneviſam. Cum hoc tamen, quod si contingat ipsum Præfectum generalem actu moram trahere in aliquo ex duobus Hospitalibus, seu Domibus Limæ, vel Mexici consopita interim censeantur omnis jurisdictio, & potestas illius Præfati substituti, & exurgat tantummodo post decessum ipsius Præfecti Generalis ab illa Domo. Ac etiam magna locorum distantia considerata, quoniam si Præfectum Generalem mori contingeret in alio Regno, quam eo, ubi futura electio celebrari debebit, impossibile fere esset, ut Assistentes, qui futuræ electionis sunt pars præcipua opportuno tempore reperiantur in Domo talis electionis; Hinc est, quod statuitur, ut nisi alia necessitas, aut ratio moveat arbitrium Præfecti Generalis ad alibi residendum, idem Præfectus Generalis cum Assistentibus de novo electus, si electio celebrata fuerit in nova Hispania ire debet ad residendum in Peruvia, & ita e contra, si in Peruvia electus fuerit ad novam Hispaniam venire debeat, & quia vita functo Præfecto Generali, necesse est adesse Superiorem usquequo deveniatur ad novam electionem.

§. 10. Disponitur quod Prior tunc temporis existens Conventus, seu Domus Bethlem Guatimalæ, quoniam ipsa Domus est Matrix, & origo Nostræ Societatis assumat nomen, & vices Vicarii Generalis.

§. 11. Prædictus autem Vicarius regimen debebit habere, & eamdem auctoritatem, & potestatem, quam Præfectus Generalis, præterquam quod in concernentibus mutationem regiminis, ac remissionem seu dimissionem Præfectorum peculiarium, quia hæc non debet posse interim dum Vicariatus duraverit, facere.

§. 12. Idem Vicarius Generalis convocabit vocales ad electionem futuri Generalis, quæ ut supra facienda erit omnino post annum completum designando statutam diem ad illam faciendam absque potestate illam ulterius prorogandi, & si post completum hujusmodi tempus causa infirmitatis defuerit aliquis ex vocalibus, aut opportune non advenerit, eo casu fiet electio a Vocalibus, qui tunc temporis præsentes comperientur ad suffragia. Adveniente igitur die statuta in Aula Capitulari incipient peragi scrutinia pro eligendo Præfecto Generali, & quatenus in dicta die electio non concludatur, scrutinia continuari possint per alios duos dies sequentes, ita ut electiones spatio septuaginta duarum horarum de momento ad momentum a primo puncto ingressus in Aulam Capitularem omnino concludi debeant, quod si intra dictum tempus, non concludatur electio, devolvatur ad eum, quem secundum Deum expedire judicaverit in Præfectum Generalem nominare, & eligere; quod si is, qui Capitulo præsidet nominare, seu eligere recuset, is ipso facto absque alia declaratione voce activa, & passiva in perpetuum privatus censeatur, & sit, & facultas nominandi devolvatur ad antiquiorem ex Assistentibus, seu si ipse antiquior sit, qui præsidet, ad Assistentem subsequentem cum obligatione eligendi, & nominandi sub eadem pœna, & sic pari modo gradatim ad Assistentes subsequentes, seu Vocales antianitatis ordine succedentes devolvatur. Is vero, ad quem tali casu electio, & nominatio devoluta erit intra spatium 24. horarum debebit omnino eligere, seu nominare.

§. 13. Porro sequuta Præfecti Generalis publicatione pergat Capitulum præsidente ipso Præfecto Generali ad eligendum quatuor Assistentes, in quorum electione votum habeant ii

omnes,

omnes, qui in Generali Capitulo suffragia ferre possunt, & ipse etiam Ex-vicarius, in istorum electione servetur eadem forma pro electione Præfecti Generalis præscripta, & in casu paritatis votorum ipse Præfectus Generalis per excessum alterius voti paritatem dirimat. Omnium vero quatuor Assistentium hujusmodi intra spatium 24. horarum a publicata in Capitulo Præfecti Generalis electione omnino concludatur, quod si tali tempore non omnium, sive nullius electio concluſa fuerit, eo casu Præfectus Generalis pro totidem, pro quot electio concluſa non fuerit, Fratres sibi benevisos in Assistentes assumat, si vero contingat electum in Præfectum Generalem absentem esse a loco Capituli, tali casu nihilominus ad Assistentium electionem, præsidente eodem Vicario Capitulum procedat; In casu vero electionis intra præscriptum tempus non concluſa assumptio Assistentis, vel Assistentium, pro quibus electio concluſa non fuerit, ipsi Præfecto Generali relinquatur.

§. 14. Nominandi, & eligendi in Assistentes debent habere 40. annorum completorum ætatem, & 12. professionis, quique saltem semel Præfecti fuerint alicujus ex dictæ Societatis Hospitalibus, quodque moram traxerint in Regnis, seu Provinciis in quibus extant Hospitalia; ideoque si possibile fuerit duo eligi debebunt ex illis, qui Domum aliquam gubernarunt in Peruviæ Regnis, & duo alii ex iis, qui gubernarunt in nova Hispania, hoc tamen ordine servato, ut quoties electio Præfecti Generalis celebrabitur in nova Hispania, tunc primus, & secundus Assistens eligatur, seu assumatur ex iis, qui gubernarunt in Regnis Peruanis, quando vero Præfecti Generalis electio Limæ celebrabitur, tunc primus, & secundus Assistens eligatur ex iis, qui in nova Hispania gubernarunt.

§. 15. Adveniente obitu alicujus ex Assistentibus penes Præfectum Generalem, & reliquos Assistentes facultas sit nominandi ei successorem, & ille, quem ita nominaverit, eamdem habeat auctoritatem, ac durationem, perinde ac si fuisset electus in Capitulo Generali.

§. 16. Electio Præfecti, Vice-Præfecti, & quatuor Discretorum fiat a Confratribus cujuscumque Domus, & Hospitalis habentibus votum, prout majorum Infirmariorum, Procuratorum Domus. Electio autem Præfecti confirmari debeat a Præfecto Generali, qui confirmationem negare non possit, nisi ex justa causa ab Assistentibus approbanda, & donec Præfectus electus confirmetur, gubernet, non tanquam Præfectus, sed tanquam Præsidens. Prædictorum autem officium ad triennium duret, & possit Præfectus Generalis una cum Assistentibus ad eorum arbitrium nominare Secretarium generalem, atque is, qui Generali obeunte in tali munere reperietur, usque ad novi Generalis electionem, ejusque publicationem debeat continuare.

§. 17. In eligendo autem a Vocalibus cujusque Domus, & Hospitalis in Præfectum peculiarem debent in eo concurrere triginta quinque anni completi ætatis, & novem professionis, & casu, quo ut continget in una, vel altera Domo, seu Hospitali, prout sibi videbitur, & expedire censuerit actu commoretur idem Præfectus Generalis, tunc cura, gubernium, & administratio illius Domus particularis pertineat, & spectet ad ipsum Præfectum Generalem, itaut Præfectus localis nullam habeat durante illo tempore Jurisdictionem præter eam, quam illi committere, vel permittere judicaverit arbitrio suo Præfectus Generalis.

§. 18. Præfectus Generalis, & Assistentes a Fratribus rationem petent, & recognoscent, nec non administrationis gestionem cum arbitrio, & potestate Fratres ab uno ad aliud Hospitale demutandi, & puniendi contumaces, & Instituti transgressores, nec non illos, qui deliquerint juxta excessus, & culpæ, in quam incurrerint qualitatem.

§. 19. Fratres Præfecti, prout ad quemlibet spectabit, conservabunt in Archivio documenta Fundationis, nec non libros, & scripturas ad Hospitale pertinentes, omnibus distincte, & clare admodum in Inventarium redactis, nec ullo modo quovis prætextu, causa, ratione, aut occasione extrahet, nec levabit ex Archivio ipso originaliter scripturas, quæ pro tempore inibi fuerint, aut in posterum perpetuo in eo ponentur, neque has præsentes sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam eo ipso, absque ulla alia declaratione incurret dictus Pater Præfectus, & quicumque alii contravenientes, nec minus permittet, ut inde extrahantur, aut leventur, nisi ob necessariam causam, quæ sit approbata a Præfecto Generali, & Assistentibus, vel Fratre ab eis commissionem habente ad extrahendam attestationem ex originalibus, quo peracto in Archivio reponentur.

§. 20. Si quis Fratrum non fuerit aptus ad Domus ædificationem, & Pauperum servitutem, & cum charitate aliquoties admonitus, incorrigibilem se demonstraverit Præfectus certiorem faciet Generalem Præfectum, ut jubeat una cum Assistentibus illi missionem facere, & dimissus a votis absolutus remanebit.

§. 21. Et quando quis Frater Nostrorum, quod Deus averrat, crimen læsæ Majestatis tum Divinæ, tum humanæ incurrerit, aut fidei suspectæ fuerit, seu quodcumque aliud Capitale delictum admiserit, expelletur a nostra Societate, eique illius habitus auferetur.

§. 22. Frater Præfectus noviter electus rationes sumat a Præfecto Hospitalis, qui munus suum finierit assistentibus quatuor Fratribus Discretis recenter electis, & a majori Infirmario, dictusque Præfectus petet ab Antecessore suo libros, & omnes alias Scripturas Archivii.

§. 23. Si quis Frater admiserit culpam dignam reprehensione hanc illi Præfectus blande, & officiose impartietur, & si culpa fuerit magni momenti, ut judicet reprehensioni adjungere pœnitentiam, seu punitionem, id prudenter faciet.

§. 24. Aderit in omnibus Hospitalibus capsa cum tribus clavibus, ubi pecunia reponatur, earumque unam habebit Præfectus, & alias duas duo antiquiores Discreti, & in ipsa Arca duo erunt libri, ut in uno, quod recipitur, in altero quod expenditur adscribatur.

§. 25. Vocent se invicem titulo vestræ charitatis, & Fratrum etiam scribendo, seu loquendo ad Generalem Præfectum.

§. 26. Continuetur pium, & necessarium Ministerium, quod introductum reliquit noster Frater Petrus a S. Josepho docendi Pueros pauperes legere, scribere, & supputare, ac doctrinam Christianam in schola speciali, quæ debet extare in quolibet Hospitali, eritque Magister unus ex nostris Fratribus, animadverso, quod is talis sit, cujus virtuti confidi possit bona educatio, & doctrina Puerorum, & hoc gratis absque receptione solutionis, & stipendi alicujus.

§. 27. Quoties bis poterit haberi oblectatio Ruri, vel Domui ad arbitrium Superioris, ut exinde aliquod detur labori sublevamen, & ita id fiet, ut non desint Fratres obsequio Pauperum Infirmorum.

Caput Decimum.

Suffragia, & preces, quæ debent peragi pro nostris Defunctis, & Benefactoribus.

§. 1. Pro quilibet ex Fratribus, qui obierint dicetur in illo Hospitali Missa solemnis, ut ajunt

de corpore præsenti, & similiter alia nona post ejus obitum die, curabiturque pro ejus Anima celebrari triginta Missas planas, & omnia Hospitalia, quæ sub jurisdictione fuerint Præfecti, qui fuerit Superior Hospitalis ubi Frater obierit, ei tres Missas planas pro ejus Anima facient celebrari, & omnes Fratres illius Domus, vel Defunctus fuerit novem dierum ab ejus morte sequentium spatio pro dicti Fratris defuncti Anima applicabunt omnia Rosaria, Coronas, & alia pœnitentiæ opera, quæ fecerint exceptis illis quæ tenebuntur pro Benefactoribus applicare, eique applicabunt alias Indulgentias, quas consequi procurabunt, prout visitatio quinque Altarium, vigore Bullæ Sanctæ Cruciatæ.

§. 2. Singulis annis in omnibus nostris Hospitalibus uno post Defunctorum Commemorationem die dicetur Missa solemnis cum nocturnis, & tumulo pro omnibus nostris Fratribus defunctis, & finietur cum solemni responso assistentibus omnibus Fratribus cum cereis præmanibus accensis idemque fiet in Missis, quæ cantari debent peculiariter pro quolibet Fratre defuncto.

§. 3. Exactissimum afferant in observantia, & servatione Constitutionum studium, ut ad literam observentur, & ad hunc finem in Triclinio legentur hora Prandii, & Cœnæ omnibus anni sextis feriis.

Omnes istæ Constitutiones exceptis votis non obligant sub peccato eorum Transgressores, attamen Nos ad earumdem observantiam inviolabilem compellere debet Dei amor, qui nos in illas congregavit, & salutis æternæ desiderium uti nostræ observantiæ præmium.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Rodericus Procurator Generalis Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & alias dictæ Societatis statui opportune a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: nos ipsius Roderici Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, præfatam Societatem Confratrum Bethlemitarum nuncupatam Hospitalium Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus in Congregationem sub Regula S. Augustini, & suprascriptis Constitutionibus auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus; Ac easdem Constitutiones præinsertas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea eandem Congregationem sic a nobis erectam, ejusque Confratres, Hospitalia, Ecclesias, & personas quascumque ab omnimoda Jurisdictione, & correctione quorumcumque Ordinariorum locorum, eadem auctoritate harum serie eximimus, & plenarie liberamus, ipsamque Congregationem, Confratres, Hospitalia, Ecclesias, & personas hujusmodi sub immediata nostra, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ protectione, & subjectione suscipimus. Porro ipsam Congregationem sic erectam, ejusque Confratres quoscumque a solutione quartæ funeralis tam Sæcularibus, quam Regularibus Ecclesiis Parochialibus, aliisque locis piis, etiam doctrinæ Populi Indorum, aut alia quavis denominatione nuncupatis, debitæ, auctoritate præfata earumdem tenore præsentium plenissime, & amplissime de novo eximimus pariter, & liberamus: Declarantes hujusmodi exemptionem suffragari debere etiam quoad Hospitalia in futurum erigenda, & personas commorantes, & inservientes intra septa Hospitalium, dummodo tamen sepeliantur in Ecclesiis dictorum Confratrum, & dictæ Ecclesiæ alias habeant Cœmeterium. Insuper eisdem Confratribus, ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, debito tamen cum honore, & reverentia, in Ecclesiis dictorum Hospitalium assidue, & perpetuo asservare, & retinere, libere, & licite possint; Utque Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis administrari valeant Infirmis, & aliis personis supra expressis per Capellanos eorundem Hospitalium, dummodo tamen iidem Capellani intra septa dictorum Hospitalium commorentur; Utque liceat eisdem Capellanis in dictis Ecclesiis divina officia, & Missas solemnes celebrare, etiam in hebdomada majori, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Denique Confratribus dictæ Societatis vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis die prima eorum ingressus in Societatem hujusmodi plenariam, necnon omnibus, & singulis ipsius Societatis Confratribus, ac Infirmis morientibus, & personis inservientibus in dictis Hospitalibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere similiter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, itidem plenariam, ac omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere quoque pœnitentibus, & confessis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictorum Confratrum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, in duabus tantum anni festivitatibus per ordinarios locorum respective semel tantum designandis a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festivitatum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua festivitate præfatarum id egerint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Erectio Confraternitatis in Congregationem sub Regula S. Augustini.

Confirmatio relatarum Constitutionum.

Exemptio a Jurisdictione Ordinariorum.

Item a solutione quartæ Funeralis.

Indultum asservandi SS. Eucharistiæ Sacramentum.

Facultas administrandi Sacramenta.

Indulgentia plenar. in die ingressus.

Item in articulo mortis.

Item visitantibus Ecclesias.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Confraternitatis, ac Ecclesiarum, Ordinum, & locorum Piorum quorumlibet, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium

præ-

præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXIX. Confirmantur Decreta Card. Protectoris pro reformatione Provinciæ Pedemontanæ Ord. B. M. de Monte Carmelo.

Dat. 27. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Prædicta Decreta edita fuerunt a Cardin. Protectore auctoritate recepta a Congr. Episc. & Regul.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Fratres Reformati Provinciæ Pedemontanæ Ordinis Fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo, quod dilectus filius noster Palutius S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis de Alteriis nuncupatus d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector pro Reformatione dictæ Provinciæ jussu nostro instituta auctoritate sibi ad id per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, attributa, nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

Species facti.

§. 1. Palutius de Alteriis S. R. E. Cardinalis totius Ordinis Carmelitarum Protector: Cum expositum fuisset Suæ Sanctitati Reformationem primum in Conventu Taurinensi Ordinis Fratrum Beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, deinde in aliis Conventibus Provinciæ Pedemontanæ a quadraginta circiter annis successive institutam sub observantia Constitutionum a fel. me. Urbano VIII., & Innocentio X. pro Conventibus in eodem Ordine reformatis, & reformandis, ita dilapsam esse, ut vix illius, vel leve remansisset vestigium: Illa nobis injunxit, ut isti Reformationi restaurandæ omnino provideremus. Ideo ad dictam Provinciam ablegavimus Reverendum Patrem Valentinum a Sancto Joanne Sacerdotem Professum Provinciæ Aquitaniæ, & Sacræ Theologiæ Professorem emeritum, qui postquam a mense Julio proxime præterito Visitationi singulorum Conventuum accurate, ac diligenter incubuisset, eorum statum in spiritualibus, & temporalibus ad Nos transmisit, quo dignovimus, Disciplinæ Regulari in ista Provincia propemodum extinctæ prompto, salutarique remedio subveniendum esse. Quocirca ut justioni Suæ Sanctitatis pareamus, auctoritate per Sacram Congregationem nobis commissa, sequentia observanda esse duximus.

Tria Cœnobia seliguntur pro reformatione.

Primo. Quia in præsenti rerum circumstantia vix sperari potest, ut in omnibus Conventibus exacta præfatarum Constitutionum praxis restitui queat, tum ob quædam Decreta, quæ leges municipales vocant, in variis successive Congregationibus, condita, & pluribus dictarum Constitutionum articulis adversantia, ideoque ab una parte Provinciæ impugnata, & per aliam propugnata, tum ob tenuem affectum: quem plures Alumnorum Provinciæ habent ad observandam disciplinam in eisdem Conventibus contentam, & aliunde nonnulli prædictorum Alumnorum ardenter aspirant ad sinceram exactamque illarum observantiam, & a nobis efflagitant, ut in uno, alterove Conventu congregati, & ab aliis sejuncti in perfecta, & literali Constitutionum praxi, prout Deo in sua professione polliciti sunt, viventes suæ obligationi satisfacere queant: Nos inhærentes Decretis pro Provincia Narbonensi antehac factis per bo. me. Cardinalem Ginnettum Protectorem Ordinis, ac fel. rec. Urbano VIII. confirmatis per Breve datum 24. Februarii 1644., & articulis conditis per Joannem Antonium Philippinum Generalem 29. Septembris 1640. pro introducenda, & conservanda stricttiori observantia in Conventibus, & Provinciis ex parte reformandis in dicto Ordine, ordinamus prædicto Visitatori, ut eos, quos in conscientia ad id idoneos arbitrabitur, in Conventibus Astensi, Doglianensi, & Clarasiensi constituas, & singuli illorum post recollectionem decem dierum solemniter coram Sanctissimo suam professionem renovabunt, & juxta articulum 15. Cap. 5. part. 3. Constit., & articul. 6. cap. final. quæst. 4. dictarum Constitutionum juramento promittent, & in carta renovationis si scribent, se illas literas rursus amplecti, & cum Dei gratia se fideliter observaturos, manebuntque eo ipso immunes a quibuscumque legibus municipalibus, consuetudinibus, & Decretis Congregationum Diffinitorialium, Capitulorum Provincialium, & Generalium, etiam auctoritate Apostolica firmatis, conformiter artic. 6. part. 4. Constitutionum in quantum sunt dictis Constitutionibus adversa, aut diversa.

De Graduatis.

Secundo. Quia compertum est, istius reformationis excidium, eo perniciem potissimum ex usu Privilegiorum, & præeminentiarum, quæ Graduatis conservata fuere, provenisse, ne illa quam Sanctissimus Dominus vult institui, simili periculo exponatur, ordinamus, quod nullus deinceps poterit ullum gradum Scholasticum suscipere, nisi modo, & forma, ac sub conditionibus, exacteque servatis omnibus, quæ artic. 10. cap. 9. part. 1. dictarum Constitutionum præscribuntur; Et si qui ex illis, qui in præfatis tribus Conventibus collocabuntur, sint aliquo gradu Scholastico insigniti, omnibus privilegiis, exemptionibus, & quibuscumque præeminentiis, quæ suis respective gradibus, & quacumque concessione etiam S. Sedis, & Sacræ Congregationis competunt in perpetuum scripto renunciabunt, quod & facient alii, qui ad dictam strictiorem observantiam ex aliis Conventibus servatis servandis posthac transire volent, omnesque sese jurejurando adstringent nunquam in participationem dictorum Privilegiorum ob quamcumque causam se consensuros, sed illi semper obstituros, & si qui contra fecerint (quod Deus avertat) eo ipso tanquam perjuri, & infames absque alia declaratione subjacebunt omnibus pœnis dict. articul. 10. Cap. 9. part. prima Constitutionum expressis.

De Cœnobiorum dispositione, & Vicarii Provincialis auctoritate.

Tertio. Præfatos tres Conventus colendæ isti strictiori observantiæ addimus, & in Astensi Novitiatu instituimus, extra quem nullus sub pœna nullitatis pro dicta Provincia investiri, & probari poterit, in aliis duobus, vel Seminarium Juniorum Professorum, vel Studia collocabuntur, qui omnes cum aliis postea aggregandis perpetuo regentur ab uno Vicario Provinciali immediate subjecto Patri Generali Ordinis pro tempore existenti, cum potestate, & Jurisdictione, nempe independenter a Provinciali, postulantes ad Novitiatum, ac Novitios servatis servandis ad professionem admittendi; Seminaria Juniorum Professorum instituendi; illos

ad ſtudia in Conventibus reformatis mittendi, dignos ad Sacros Ordines præſentandi, nec non ad Conciones, & Confeſſiones audiendas admittendi; Fratres de uno Conventu ad alium Reformatorum transferendi, & generaliter faciendi alia latius expreſſa in dictis Brevi, & articulis, quæ exacte in omnibus, & per omnia ſervanda erunt in dicta Provincia Pedemontana ac ſi pro ea nominatim conceſſa, vel ordinata eſſent, niſi præſentibus ſint contraria.

De Vicarii Provincialis ſolutione.

Quarto. Vicarius Provincialis eligetur a perſonis, & modo præſcriptis §. 20. Articul. D. Philippini, non tamen is, qui in Capitulo terminabit Officium Provincialis, nec etiam in Provincialem eligi poterit, qui in Capitulo definet eſſe Vicarius Provincialis.

De ejus muneris diuturnitate.

Quinto. Semper Vicarius Provincialis manebit, etiamſi Provincialis eſſet reformatus, & independenter ab illo ſua auctoritate fruetur, donec exacta Conſtitutionum obſervantia, perfectaque reformatio in omnibus Conſtitutionibus Provinciæ inſtituta fuerit, habebitque vocem, & locum in Capitulis Provinciæ poſt Provincialem abſolutum, & recens electum.

De Cœnobiis aggregandis.

Sexto. Poterit ſingulis trienniis ſine cujuſcumque conſenſu, unum aliorum Conventuum Provinciæ iſtis tribus adjungere, ſi opportunum judicaverit, ſuoſque ſubditos, aliis remiſſis ad Patrem Provincialem, ut illis de Conventu provideat, collocare, excepto aliquo ſexagenario, ſi quis forſan ibi reperiretur, quo ſic paulatim non fucata, ſed ſincera Reformatio introducatur.

De Diffinitoribus, & ſocio Provincialis.

Septimo. Juxta articulos D. Philippini ſemper erunt ſaltem duo Diffinitores ex Reformatis, qui in ſingulis Capitulis Provinciæ eligentur ex quinque, quos Vicarius Provincialis, & duo Diffinitores abſolvendi, & Priores Reformatorum cum ſuis Diſcretis nominaverint, ſi ſecus factum fuerit, primi duo ex nominatis eo ipſo erunt primi Diffinitores Provinciæ. Similiter Provincialis electus, etiamſi eſſet Reformatus, tenebitur eligere pro ſuo Aſſiſtente, ſeu Socio unum ex tribus, qui ſibi a prædictis Vicario, duobus Diffinitoribus recens electis, & Prioribus præſentabuntur.

De Religioſis mittendis, & recipiendis.

Octavo. Non poterit Vicarius conſentire, ut ullus ſuorum Subditorum a quocumque Superiore Ordinis miſſus, etiam ſtudii, Concionum, aut Regentiæ, vel alia quacumque cauſa, vadat habitatum in Conventu non obſervante dictas Conſtitutiones ſub pœna depoſitionis ab Officio per Vicarium, & perpetuæ privationis vocis, & loci a Religioſo migrante ubicumque inhabitet, incurrenda, qui etiam habebitur pro Deſertore reformationis, nec viciſſim Vicario fas erit aliquem non obſervantem dictas Conſtitutiones a quocumque miſſus fuerit, in Conventibus ſibi ſubditis ad habitandum admittere, niſi prævia annua probatione, aut forſan ad Conciones habendas tempore Adventus, & Quadrageſimæ.

Iterum de iiſdem.

Nono. Nullus etiam ex aliis Conventibus in iſtis tribus, & aliis ſucceſſive aggregandis admitti poterit, niſi conformiter Conſtitutionibus §. 5. de Regimine Provinciarum part. 3. Conſtitutionum, & 5. articul. D. Philippini probatus fuerit per annum, gaudebit tamen durante probatione ſuis voce, & loco, ſed ſolum cum Patribus, & non cum Novitiis converſabitur.

De Viſitatione.

Decimo. Conventus ſemel in anno viſitabuntur, niſi caſus extraordinarius aliud exigat, & quidem a ſolo Vicario Provinciali, cum Aſſiſtente ſingulis trienniis de conſilio Piorum Reformatorum a ſe aſſumendo.

De Viſitationibus, & Vita Communi.

Undecimo. Virtute ſupraſcriptorum Decretorum nec ſunt, nec erunt liberi ab obſervatione Conſtitutionum ſtrictioris obſervantiæ, qui illam in ſua Profeſſione promiſerunt, nec ab obligatione ſervandi vitam communem ii, qui jurejurando ipſo juxta Decretum fel. rec. Urbani Papæ VIII. die 24. Februarii 1644. obſtricti ſunt, qua ab iſtis obligationibus eos ſolvere non intendimus, nec poſſumus, anteſcripta Decreta in præfata Provincia Pedemontana præcipimus perpetuo ſervari. Datum Romæ in Palatio noſtro die 28. Januarii anno Dñi 1686. ſic ſignatum Palutius Protector -- Loco ✠ Sigilli -- Gregorius Grippanus Secretarius, concordat cum Originali, ſic teſtor Romæ 27. Decembris 1686. Frater Damaſcenus a Nativitate Beatæ Virginis Mariæ Notarius Apoſtolicus Ordinis Carmelitarum.

In Capitulo Gen. definitum fuit, hæc Decreta confirmanda Apoſtolica auctoritate, & ſervanda etiam in Provincia Poloniæ.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Decreta hujuſmodi ſubinde per Commiſſarios a Capitulo Generali Ordinis prædicti noviſſime celebrato, deputatos, poſt exactum illorum examen, digna reperta fuerint, quæ pro ſolidiore introductione, & feliciori progreſſu dictæ Reformationis, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio, ſi ita Nobis placeret, munirentur, quinimo idem Capitulum Generale Decreta præinſerta in Provincia Poloniæ dicti Ordinis obſervari ordinaverit. Et nos illa per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis literas pro eadem Polonia confirmaverimus. Nunc vero dicti Exponentes vereantur ne ſimilis Apoſtolicæ confirmationis defectu eorum Provinciæ reformatio ſtatim pereat, ſicut alia, quæ ante annos triginta, vel circiter inſtituta fuerat, & multi Fratres, qui ad Reformationem hujuſmodi anhelant, non audeant illam amplecti, niſi petita, & obtenta prius Decretorum hujuſmodi Apoſtolica confirmatione. Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune provideri, & infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Fratrum Reformatorum.

§. 3. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decreta præinſerta, pro Reformatione Provinciæ Pedemontanæ a memorato Palutio Cardinale, & Protectore edita, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & in eadem Provincia Pedemontana ſervari mandamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, aliiſque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quo-

que,

que, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVII. Mar. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXX. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum, quo permittitur Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum recitatio Officii cum Missa S. Raymundi de Peñafort sub ritu secundæ Classis cum octava.

B. Raymundus SS. albo adscriptus fuit a Clemente VIII. Const. ed. 1601., April. 29., P. 10., ejusque festum die 7. Jan. Ab Inn. vero XI. Const. ed. 1680., Feb. 15. P. 4. extensum fuit Officium B. M. de Mercede. Et Const. ed. 1687., Apr. 18. P. 11. agitur de B. Petro Armengol.

Dat. 18. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præposita ad supplicationem dilecti filii Bartholomæi de Ribero Vicarii, ac Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. *Sacra Rituum Congregatio ad preces R. P. Magistri Fr. Bartholomæi de Ribero Vicarii, ac Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, referente Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Capisuccio, indulsit, ut Officium cum Missa S. Raymundi de Peñafort Ordinis Prædicatorum, quod hactenus sub Ritu Duplicis majoris quatenus die 23. Januarii recitatum est a Religiosis utriusque sexus prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, in posterum ab eisdem Religiosis utriusque sexus de Mercede recitari, ac respective celebrari possit, & valeat sub Ritu duplici secundæ Classis, cum octava, eo quod idem S. Raymundus cum S. Petro Nolasco primo Fundatore, & Jacobo primo Aragoniæ Rege in Civitate Barchinonensi de anno 1218. fuit confundator prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede. Hac die 22. Febr. 1687. I. C. Cardinalis Lad. Bernardus Casalius Secr. Rit. Congregationis Secretarius.*

Decretum d. Congregationis.

§. 1. Cum autem sicut dictus Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret. Nos ipsius Bartholomæi Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Preces Vicarii, & Procuratoris Generalis.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXXI. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum quo conceditur Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum facultas recitandi Officium, & celebrandi Missam Beati Petri Armengol Martyris.

Hic Beatus declaratus fuit Religiosus d. Ord., & non Trinitariorum a Clem. IX. Const. ed. 1675., Apr. 20., P. 5. De S. Raymundo altero hujus Ord. Sancto vid. Const. præcedentem. Et de Beata Maria de Jocos vid. ad Inn. XII. Const. ed. 1696., Jan. 30., P. 5. Const. vero ed. 1696., Julii 6., P. 5. agitur de Festo laudati B. Petri.

Dat. 18. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper ad supplicationem dilecti filii Bartholomæi de Ribero Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præposita Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. *Cum Sac. Rituum Congregatio die 23. Martii 1686. ad relationem Eminentiss., & Reverendiss. Cardinalis Azzolini declaraverit, constare de cultu a tempore immemorabili præstito dicto Beato, & de casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani VIII. cum approbatione Sanctissimi Domini subsequuta die 28. dict. Mensis. Hodie ad enixas preces R. P. Magistri Fr. Bartholomæi de Ribero Vicarii, & Procuratoris Generalis prædicti Ordinis, eadem Sac. Congregatio referente eodem Emo Azzolino audito in voce, & in scriptis Reverendissimo D. Fidei Promotore, censuit concedendam esse omnibus Religiosis utriusque sexus ex præfato universo Ordine B. Mariæ de Mercede tantum facultatem recitandi Officium, & celebrandi Missam in honorem d. Beati Petri Armengol de communi unius Martyris quotannis die 1. Septembris anniversaria obitus ejusdem Beati, cum lectionibus, & oratione pariter de Communi sub Ritu duplici secundæ Classis cum octava, ut in libello impresso Officiorum prædicti Ordinis, seu Religiosis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit hac die 23. Januarii 1687. Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo, Sanctitas sua benigne annuit die 3. Februarii 1687. H. C. Ludovicus, Bernardus Casalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.*

Decretum Congreg. Rituum pro festo d. S. die prima Septem. sub ritu 2. Classis cum octava.

§. 1. Cum autem sicut dictus Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde

Preces Vicarii, & Procuratoris Gen.

exponi

exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Bartholomæo Vicario, & Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVII. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri anno Undecimo.

CLXXII. Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. declarans Superioribus Localibus Fratrum Discalceatorum B. M. de Mercede Redemp. Captivorum non licere pecunias mutuo accipere, nisi juris ordine servato.

Aliud Decretum pro Magistro Generali circa electionem Magistrorum extat Const. ed. 1683., Decembris 18., P. 8., & nonnulla statuta Capituli Gener. referuntur Const. ed. 1687., Maii 15., P. 11.

Dat. 19. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Caroli a Matre Dei Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, expositio, quod dilectus pariter filius Vicarius Generalis dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum cognoverit in eadem Congregatione, a nonnullis Superioribus localibus introductum fuisse abusum consumendi Capitalia pecuniarum sub titulo mutui, cum sola licentia unius ex Superioribus majoribus ipsius Congregationis, ipsosque Superiores locales subinde ad restitutionem obligatos allegare impossibilitatem, eo quod pecuniæ hujusmodi in solutionem æris alieni, aliasque necessitates erogatæ fuerint, atque ita Conventus in perpetuum aggravatos remanere, cum pecuniæ sic mutuo acceptæ consumantur, contra Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum Consiliarium dispositionem, ac proinde idem Vicarius Generalis mandaverit ipsi Carolo Procuratori Generali, ut a præfata Congregatione Cardinalium prohiberi obtineret omnibus Superioribus cujuscumque gradus præfatæ Congregationis Fratrum Discalceatorum, ne in futurum facultatem concederent recipiendi mutuo capitalia pecuniarum, nec illa consumerent, nisi servato juris ordine: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit prædictis Religiosis non licere enunciatas pecunias mutuo accipere nisi juris ordine servato. Romæ 20. Martii 1687. G. Cardinalis Carpineus B. Panciaticus Secretarius.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dictus Carolus Procurator Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsum Carolum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extitit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annullo Pisc. die XIX. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXXIII. Confirmantur quædam Decreta Capituli Gener. Fratrum B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum anno 1686. edita.

Conſt. ed. 1687., Apr. 19., P. II. extat Decretum de pecuniis mutuo accipiendis a Superioribus. Et Inn. XII. Conſt. ed. 1691., Decem. 7., P. I. confirmantur Conſt. Ordinis.

Dat. 15. Maji 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Eccleſiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidentes, eaque pro felici, proſperoque Chriſtifidelium, qui e fluctibus ſæculi in Portum religioſæ vitæ confugiunt, & vota ſua Altiſſimo in Sanctitate, & juſtitia aſſidue reddere ſatagunt, regimine, & Gubernio, ac Religionis incremento provide, prudenterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

Decreta prædicta ſunt inſequentia.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Bartholomæus de Ribero Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis, illiuſque Diffinitorio die prima Junii anni proxime præteriti 1686. a dilectis pariter filiis Magiſtro Generali, & Diffinitorio ejuſdem Ordinis unanimi conſenſu edita, & promulgata fuerunt nonnulla Statuta, ſeu Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet.

De Lectoribus.

§. 2. Cupiens Sanctum Diffinitorium majores in toto Ordine progreſſus literarum cum profectu legentium Philoſophiam, & Sacram Theologiam, utilitatemque Diſcipulorum tamquam præcipuum fundamentum, & origo totius æſtimationis Religionis, augmentumque ejus in ſpiritualibus, & temporalibus, inviolabili Conſtitutione, & ſtatuto decernit, ut qui deinceps curſum lecturæ operam daturi fuerint, ut Gradus Præſentatorum, & Magiſtrorum obtineant, indiſpenſabiliter ſe exerceant in officio Lectorum per ſpatium quindecim annorum, ita taliter, ut qui gradum Præſentati de juſtitia obtenturi ſint, prius ſe exerceant in officio Lectoris per ſpatium octo annorum, quorum approbatio facta ſit a Capitulo Provinciali ſuæ Provinciæ. Qui autem obtenturi fuerint gradum Magiſtri ſimiliter de juſtitia, ultra illos octo annos lecturæ requiſitos ad gradum Præſentati per alios ſeptem annos, etiam a Capitulo Provinciali approbatos, in lectura ſe exerceant. Decernens in præſenti Decreto non comprehendi Patres Lectores qui actualiter legunt Sacram Theologiam.

Item circa præſentem materiam decernit Sanctum Diffinitorium, quod Patres lectores, qui per ſpatium prædictorum quindecim annorum Philoſophiam, ac Sacram Theologiam legerint, ſi nondum gradum Præſentati obtinuerint, fruantur titulo Lectorum jubilatorum cum omnibus gratiis, exemptionibus, & præeminentiis, quibus gaudent Patres Præſentati, excepto dumtaxat voto, & cum præcedentia in loco ad omnes illos, qui non ſunt Præſentati de juſtitia, tanquam ſi eſſent ultimi Præſentati de juſtitia, & ſervata inter ipſos Lectores præcedentia ſecundum antiquitatem lecturæ.

De Vocalibus in Capitulo Gen.

Præterea quoniam magna experta ſunt damna, & inconvenientia ex hoc, quod in Provinciis Ordinis eligantur ſuffragia vocem habitura in Capitulo Generali, eo præciſe ſi forte aliquis in Capitulo Provinciali impediri contigerit, decernit, & ſtricte præcipit hoc ſtatuto Diffinitorium, ut in poſterum nulla cauſa, colore, vel prætextu quæſito, tale ſuffragium in aliqua Provincia eligi poſſit, niſi evidenter authentico, & fide digno Teſtimonio conſtet de legitimo impedimento illius qui ad talem vocem habendam in Capitulo Generali electus fuerat Capitulo Provinciali ſuæ Provinciæ, aliter autem factam prædictam electionem Sanctum Diffinitorium caſſat, irritat, atque nullam fuiſſe declarat, & talem electum incapacem habendi vocem, ſeu ſuffragium in aliqua functione dicti Capituli.

De non Vocalibus.

Deinde conſiderans Sanctum Diffinitorium magna, & intolerabilia diſpendia, quæ fiunt in Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus cauſa Religioſorum, qui non vocati, nec de corpore ſunt Capituli, nec functionem in ipſo habent, & tamen in exceſſivo numero ad Capitulum concurrunt, præcipit ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, trina canonica monitione de jure præmiſſa, ipſo facto incurrenda, & ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum, quibus pœnis, & cenſuris irremiſſibiliter punietur in eis incurrens, quod nullus Religioſus cujuſcumque gradus, qualitatis, vel conditionis extiterit ire, vel intrare præſumat in Capitulum, vel Domum Capituli, niſi ſit de corpore ipſius Capituli, vel de licentia Reverendiſſimi Patris Generalis, vel Vicarii Generalis totius Ordinis.

De Alternativa.

Cum etiam perveniſſet ad notitiam hujus Sancti Diffinitorii magnas ſubortas eſſe perturbationes in Provincia Italiæ, ob non ſervatam alternativam inter Fratres Italos, & Hiſpanos in proviſione officiorum vacantium: reſolutorie præcipit, ut in poſterum indiſpenſabiliter obſervetur prædicta alternativa, & concordia inter Italos, & Hiſpanos.

De Procuratore Gen. in Curia Romana.

Item cognoſcens hoc Sanctum Diffinitorium quam multum conducat bono communi Religionis, quod RR. PP. Vicarii Generales Italiæ interſint Capitulis Generalibus, ut tanquam Procuratores Generales Ordinis in Curia Romana referant Diffinitorio Generali rationem certam, & ſtatutum negotiorum pendentium in ipſa Curia, declarat, & decernit, quod in poſterum Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana, qui vocatus acceſſerit ad Capitulum Generale etiamſi tantum ſit inſignitus gradu Præſentati, vocem, & ſuffragium habeat in Capitulo, tam quoad electionem Reverendiſſimi Magiſtri Generalis, quam ad omnes alias functiones Diffinitorii Generalis.

De Viſitatoribus Indiarum.

Animadvertens etiam Sanctum Diffinitorium graviſſima damna, & inconvenientia, quæ ſequuntur in Provinciis Indiarum, ex hoc quod RR. PP. Vicarii Generalis earum inſtituunt Viſitatores Provinciarum, vel Conventuum Religioſos non Præſentatos, nec Magiſtros, & ſimiliter ex eo, quod re non debita maturitate conſiderata, ſocios ſuos officiis, & honoribus dictarum Provinciarum afficiunt, decernit, & præcipit RR. PP. Vicariis Generalibus Indiarum, quod in poſterum non audeant, nec poſſint nominare, vel inſtituere Viſitatorem aliquem, qui non ſit adminus Præſentatus, nec conferre officium, vel honorem Religioſo alicui, ſive ſit ejus ſocius, ſive non, niſi poſt quinquennium completum a die adoptationis ejus in filium illius Provinciæ, in qua officium, vel honorem conſequuturus ſit.

De Vicariis Provincialibus.

Attendens Sanctum Diffinitorium gravia inconvenientia, quæ poſſunt oriri ex eo quod RR. PP. Provinciales, qui a noſtra Conſtitutione facultatem habent creandi Vicarios Provinciales ſuarum Provinciarum in caſibus ibi expreſſis eligant ad hoc munus Religioſos non Ma-

giſtros

gistros, nec Præsentatos: decernit, & præcipit dictis RR. PP. Provincialibus, quod inposterum in casibus Constitutionis non possint instituere Vicarium Provincialem eum qui ad minus non sit insignitus gradu Præsentati.

De Patre Ferdinando de Carvajat.

Considerans hoc Sanctum Diffinitorium, & tota attentione perpendens infatigabilem laborem, vigilantiam, industriam, & zelum R. P. M. Fr. Ferdinandi de Carvajat, & Rivera in promovendis causis Religionis in Curia Romana, dum in ea Procurator Generalis existeret, primo refert illi debitas gratias, deinde declarat, quod in virtute literarum Apostolicarum, quas impetravit etiamsi tale munus Procuratoris Generalis Curiæ non obierit per totum tempus a nostra Sacra Constitutione præfixum, est, & manet Pater Provinciæ Castellæ cum omnibus honoribus, gratiis, exemptionibus, & præeminentiis, quibus gaudent, & gaudere solent omnes dictæ Provinciæ Patres de Justitia.

De numero Lectorum.

Confirmat Sanctum Diffinitorium Decretum Capituli Generalis celebrati in Conventu Carraracensi anno 1676., in quo præcipitur, quod in Domibus, seu Conventibus studiorum non possint esse plures, quam tres Lectores Sac. Theologiæ in unoquoque, exceptis Conventibus Principatus Cathaloniæ, in quibus, quia pauci sunt ratione devastationis belli præteriti, esse poterunt in unoquoque quatuor Lectores Sacræ Theologiæ.

De Graduatis ex Gratia.

Similiter confirmat Decretum ejusdem Capituli Generalis jam etiam confirmatum in Capitulo Generali proxime præterito Oscæ celebrato anno 1682. quo præcipitur ne possit admitti in aliqua Provincia gradus aliquis de gratia, nisi prævio rigoroso examine, & insuper decernit Sanctum Diffinitorium, quod PP. Magistri de gratia possint præcedere in locum sedendi Patres Præsentatos de Justitia, quin præsenti Decreto intelligatur comprehendi Patres Magistros de gratia, qui actualiter inveniuntur in possessione talis præcedentiæ.

De Secretariis.

Ad obviandas inconvenientia, & tollendas de medio omnes confusiones, decernit Sanctum Diffinitorium, non posse RR. PP. Secretarios Reverendissimi P. N. Magistri Generalis frui exemptionibus ipsis assignatis, quin prius per spatium completi quinquennii dictum officium exercuerint, & hoc sine præjudicio eorum, qui usque nunc fuerunt Secretarii Generales.

Similiter decernit Sanctum Diffinitorium inviolabiliter observari, quæ stabilita sunt in Capitulis Generalibus circa locum, quem debent habere PP. Secretarii RR. PP. Vicariorum Generalium Indiarum.

De Provincialibus.

Considerans tandem Sanctum Diffinitorium inconvenientia, quæ oriuntur ex reassumptione officiorum, itaut Reverendi Patres Provinciales absoluti sint, & reeligantur Vicarii Provinciales, decernit, & præcipit, quod dicti Reverendi Patres Provinciales absoluti non possint reelegi ad officium Provincialis, etiamsi per renunciationem vacaverit, nisi transactis duobus trienniis.

De Magistris, & Præsentatis.

Circa expressionem gratiarum, exemptionum, & præeminentiarum, quibus frui, & gaudere debent Patres Magistri, & Præsentati remittit se Sanctum Diffinitorium Congregationi, ut supra numer. 6. erigendæ ad disponendas, & ordinandas Sacras Congregationes.

Preces.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tam præfatus Bartholomæus Procurator Generalis, quam dicti Magister Generalis & Diffinitorium, Decreta, seu Statuta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem illis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus pro parte dicti Bartholomæi Procuratoris Generalis, etiam eorumdem Magistri Generalis, & Diffinitorii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præinserta Statuta, seu Decreta cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium, confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas & Statuta, seu Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XV. Maji MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Confirmatur Erectio Universitatis Studii Generalis in Civitate Guatimala in Indiis Occidentalibus. CLXXIV.

De erectione Universitatis in Diœcesi Chelmensi vid. Const. ed. 1684. Febr. 20. Pont. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 18. Junii 1687. An. 11.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

E Suprema militantis Ecclesiæ specula pastorales vigilias super universum gregem Domini cum curæ nostræ divinitus commissum jugiter agentes, ac mentis nostræ aciem per omnes Christiani Orbis partes solicite circumfe-

rentes

rentes ad ea per quæ Christi fidelium mentes, depulsis ignorantiæ tenebris, scientiæ lumine illustrantur, ac sacrarum, aliarumque bonarum literarum studia, ad Ecclesiæ, Reique publicæ decus, & præsidium promoventur, libenter intendimus, muneriſque nostri pastoralis partes propensiori paternæ charitatis benignitate interponimus, sicut pia Orthodoxorum Regum de Ecclesia Dei multis nominibus optime meritorum vota exposcunt, & Nos locorum, temporum, rerum, & personarum qualitatibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæque fidei conservationem, & propagationem, ac publicam, privatamque Christifidelium utilitatem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Erectio dictæ Universitatis sub titulo S. Caroli.

§. 1. Nuper siquidem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis expositum fuit, quod cum in Civitate Guatimalæ Regni novæ Hispaniæ in Indiis Occidentalibus, de ejus Regio assensu, & licentia una nova Studii Generalis Universitas sub titulo, seu invocatione Sancti Caroli ad instar Universitatum Studiorum generalium Liman., & Mexican. fundata, ac erecta, & instituta fuerit, ipse Carolus Rex provide considerans quantum exinde utilitatis divino cultui, & servitio, ac Catholicæ fidei tuitioni, & propagationi, communique, & privato, præsertim illius Provinciæ Incolarum subditorum suorum bono sit accessurum, etiam Sacros Canones, & Theologiam in eadem nova Universitate doceri, & perlegi, ac facultatum hujusmodi studiosos, peractis studiorum suorum laboribus, condignis graduum scholasticorum honoribus, & præmiis decorari posse plurimum desideret. Quare ejusdem Caroli Regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Caroli Regis Catholici.

§. 2. Nos igitur laudabilia ipsius Caroli Regis in Dei obsequium, Ecclesiæque, & Reipublicæ bonum studia plurimum in Domino commendamus, piisque ejus postulatis favorabilem assensum, quantum Nobis ex alto conceditur, præbere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, ac erectionem, & institutionem dictæ novæ Universitatis Studii Generalis in præfata Civitate Guatimalæ factas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis inde cæteroqui legitime secutis, & sequuturis, itaut in eadem nova Universitate, tam Sacri Canones, & Theologia, quam aliæ omnes scientiæ, & facultates perlegi, & doceri, in eisque studiosi, immensis studiorum curriculis, ad quoscumque gradus scholasticos, pro eorum meritis, & idoneitate, quemadmodum in supradictis Limana, & Mexicana Universitatibus fieri consuevit promoveri valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum in similibus, etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet, etiam quantumvis formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu interveniſſe dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus. Ac eidem novæ Universitati studii generalis sic a Nobis confirmatæ, & approbatæ, illiusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, cæteriſque Officialibus, Ministris, & personis quibuscumque nunc, & pro tempore existentibus, aut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus præfatæ Limana, & Mexicana studiorum generalium Universitates, illarumque Rectores, Magistri, Doctores, Lectores, Præceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, cæterique Officiales, & Ministri, ac personæ quæcumque respective, tam de jure, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam æque principaliter & pariformiter in omnibus, & per omnia uti, frui, potiri, & gaudere; Rectori autem ipsius novæ Universitatis pro tempore existenti, ut illos, quos in eadem Universitate per debitum tempus studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse repererit in præfatis facultatibus, sive scientiis, quæ in ipsa Universitate docebuntur, seu legentur, ad Baccalaureatus, etiam Formati, Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magisterii gradus, servata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles supradictarum Limanæ, & Mexicanæ Universitatum ritus, & consuetudines promovere, solitosque gradus hujusmodi eis conferre, & exhibere; Ipsis vero ad eosdem gradus per illum sic promotis, ut postea publice, privatimque, etiam in aliis Universitatibus studiorum generalium, facultates, sive scientias prædictas respective alios docere, & interpretari, de eis disputare, aliosve actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere, & licite possint, & valeant respective auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Rectori conceditur facultas conferendi gradus.

Graduatorum facultates.

Confirmatio erectionis d. Universitatis ad instar illarum Limanæ, & Mexicanæ.

Eidem tribuuntur privilegia omnia prædictarum Universitatum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, & locis, etiam specifica, & individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, ac insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Junii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXXV. Prohibetur, ne extrahantur Libri Musicales ex Archivio Capellæ Pontificiæ.

Collegium Cantorum Capellæ erectum fuit a Sixto V. Constit. edit. 1586. Sept. 1. Pont. 2. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690. Octob. 21. Pont. 2. edita fuere nonnullæ Ordinationes circa Libros ejusdem Capellæ.

Dat. 15. Oct. 1687. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa prohibitionis.

CUM sicut dilectus filius modernus Magister Collegii Cantorum Pontificiæ Nostræ Capellæ Nobis nuper exponi fecit, occasione Inventarii Librorum Musicalium ad dictam Capellam spectantium, non ita pridem per ipsum confecti, plura dictorum Librorum folia, in quibus diversa Missarum primordia descripta erant, seu etiam in quibus figuræ nonnullæ affabre, & singulari artificio descriptæ reperiebantur, ac forsan integra Volumina ex Archivio, seu Custodia dictæ Capellæ in grave ejusdem præjudicium temere sublata fuisse repertum fuerit: Nos ejusdem Capellæ indemnitati, cujus cura strictiori jure, Nobis incumbit, ac dictorum Librorum conservationi quantum cum Domino possumus benigne consulere, nec non ejusmodi malis in posterum occurrere volentes, ne de cætero quisnam quavis auctoritate, vel superioritate, aut officio fungens libros Musicales, quinterniones, chartas, & alia folia quæcumque, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus in Archivio, seu Custodia hujusmodi pro servitio dictæ Capellæ collocata, donata, seu alias assignata, quam in posterum forsan collocanda, donanda, & assignanda sub quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, causa, ratione, & occasione, præterquam ad effectum illos, seu illa ad supradictam Capellam pro usu Cantorum præfatorum deferendi ex Archivio, seu Custodia hujusmodi extrahere, & asportare, seu ut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat sub excommunicationis latæ sententiæ per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut præfato usu finito, Libri prædicti in Archivio, seu Custodia hujusmodi sub pœnis supradictis illico reponantur: utque præsentis prohibitionis exemplum valvis Archivii, & Custodiæ hujusmodi, seu alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixum remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XV. Oct. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CLXXVI. Conceditur Priori Generali Ord. Carthusien. facultas absolvendi in foro conscientiæ etiam per alios suos Monachos a casibus reservatis in Bulla *Cœnæ Domini* quoque contentis.

De alio privilegio hujus Ord. vid. Constit. ed. 1682. Sept. 11. Pont. 8.

Dat. 18. Oct. 1687. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SUpremi Apostolatus Officium humilitati Nostræ divinitus commissum postulat, ut Religiosarum personarum, earumque præsertim, quæ in agro sanctæ solitudinis, cui benedixit Dominus, mundanis abjectis illecebris, devotum, ac sedulum exhibent Altissimo famulatum, paternam curam gerentes, ad eas peculiaris muneris nostri partes intendamus, quæ spirituali earum consolationi, quietique Religiosæ conducibilia fore in Domino arbitramur.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Carthusien., quod in dicto Ordine semper bona fide creditum fuerit Priorem Generalem pro tempore existentem ipsius Ordinis ex privilegiis plurium Summorum Pontificum, habere facultatem absolvendi personas sui Ordinis a quibuscumque excessibus etiam in literis Apostolicis, quæ in die Cœnæ Domini quotannis legi, seu promulgari consueverunt, eumque hanc facultatem aliis subdelegare posse, quodque ita huc usque in eodem Ordine observatum fuerit; verum quia Congregatio particularis nonnullorum Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium a Nobis specialiter deputatorum, censuit dictum Priorem Generalem pro tempore existentem hujusmodi facultate uti non posse, & ab ea super hoc emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Monet Sacra Congregat. tam Reverendissimum Patrem, quam reliquos Superiores, & Monachos Ordinis, ipsos in vim Privilegiorum hactenus Ordini Carthusianorum concessorum, nullatenus posse absolvere a casibus in Cœna Domini, & aliis Papæ reservatis, proindeque supplicandum Sanctissimo pro necessaria facultate concedenda Reverendissimo Patri pro tempore existenti, etiam cum facultate subdelegandi, & cum specifica derogatione dictæ Bullæ, nec non cum clausula, quod non censeatur per annuam promulgationem dictæ Bullæ revocatum hujusmodi Indultum, nisi

Decretum Congregationis particularis.

facta

Approbatio Pontificis relati Decreti.

facta specifica mentione Carthusianorum &c. Die 29. Maji 1687.--Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione &c. Oratoris precibus benigne annuit. Romæ &c.--G. Cardinalis Carpineus--B. Brancatius Secretarius.--Nobis propterea dictus Modernus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Prioris Generalis.

§. 2. Nos igitur, qui audita relatione Congregationis hujusmodi petitis dicti moderni Prioris Generalis dudum annuendum duximus, eundem Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem moderno, & pro tempore existenti Priori Generali ordinario præfato, & per se, vel alium, seu alios, quos ad id subdelegandos duxerit, dicti Ordinis personas ab omnibus excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, ac casibus etiam per Literas Apostolicas in die Cœnæ Domini legi, & promulgari solitas, aut alias quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Constitutiones quomodocumque Nobis, & Sedi Apostolicæ reservatis, pœnitentia salutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conscientiæ tantum absolvere, & liberare valeat, perpetuis futuris temporibus, facultatem concedimus, & impartimur.

Concessio prædictæ facultatis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes præsentes literas perpetuo firmas, validas, & efficaces esse, & fore, itaut illæ per annuam promulgationem dictarum Literarum Apostolicarum in die Cœnæ Domini publicari solitarum numquam revocatæ censeantur, aut censeri possint, vel debeant, nisi facta specifica mentione Carthusianorum.

§. 4. Non obstantibus præfatis in die Cœnæ Domini legi solitis Literis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quibus omnibus, & singulis illarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie ad præmissorum effectum tantum, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Octob. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CLXXVII. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ord. Eremitarum S. Augustini, quo Senarius numerus Magistrorum Peruanæ Provinciæ ad duodenarium extenditur.

Alia Decreta pro Provinciis Indiarum extant Constit. ed. 1680., Sept. 14. P. 4. Const. ed. 1680. Aug. 8. P. 4., & Const. ed. 1688. Feb. 27. P. 12. Pro solis vero Magistris Inn. XII. Const. ed. 1690. Apr. 30. P. 1. Et Const. ed. 1692. Sept. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 22. Jan. 1688. An. 12.

Exordium. PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat, ut fovendis, promovendisque inter viros Religiosos vota sua Altissimo in Sanctitate, & Justitia reddere fatagentes, Sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studiis propensa charitate incumbamus, ac proinde ea, quæ consimili consilio statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant Apostolici muniminis nostri præsidio libenter corroboramus.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Suazo Procurator Provinciæ Peruanæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod cum alias Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita animadverterit in præfata Provincia Peruana nonnullis abhinc annis numerum Fratrum valde excrevisse, ac plurimos ad præsens in illa esse, qui Studiorum curriculis peractis, digni, & idonei sunt, quibus Magisterii gradus conferatur inter alia pro salubri, ac felici ejusdem Provinciæ regimine decreta sub die 19. Mensis Novembris 1683. demandavit, ut in Capitulo Generali ejusdem Ordinis tunc proxime celebrando de numero Magistrorum ejusdem Provinciæ augendo ageretur, ac subinde idem Capitulum Generale, ut debitus virtuti honor rependeretur, & Fratres præfatæ Provinciæ congruis honorem præmiis ad Sacrarum, bonarumque literarum Studia amplectenda, & prosequenda, alacriores, & ferventiores redderentur, re mature perpensa, atque discussa, ac dilecto Filio nostro Palutio Tituli S. Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis prædicti apud nos, & Sedem Apostolicam Protectore approbante, inter cæteras pro dicta Peruana Provincia editas ordinationes, Senarium ejusdem Provinciæ Magistrorum numerum (si ita nobis placeret) ad duodenarium imposterum extendendum esse sancivit, decretumque hac in re sub titulo pro Peruana Provincia §. 11. edidit tenoris, qui sequitur videlicet.-- *Quoniam præfata Provincia satis ampla, lateque extensa divino favente numine viris eximiis abundat, quos debita præmiorum vicissitudine non decet esse destitutos, ac eadem Sacra Congregatio ad Capitulum Generale commiserit agere de augendo numero Magistrorum, declaratur, in Provincia Peruana duodecim imposterum futuros esse Magistros de numero, si Sanctiss. D.N. placuerit, habito respectu proportionatæ distributionis, itaut pro natis in Indiis, qui sunt in majori numero novem designentur Magisteria, & tria pro Hispaniis longe paucioribus.*

A Congreg. Reg. demandata fuit res Capitulo Generali.

Decretum Capituli Gener.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Joannes Decretum hujusmodi in præfato Capitulo Generali factum, ut firmiter subsistat, & exacte servari valeat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illudque executioni mandari debere decernimus.

Preces Procuratoris Provinciæ.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici

Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Jan. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXVIII. Confirmantur quædam Decreta Capituli Generalis Ord. S. Augustini, quibus prohibetur, ne Religiosi Provinciarum Mexicanæ, & Mechoacanensis, soli, aut cum pallio, vel galero incedant.

De Decretis pro Provinciis Indiarum vid. præcedentem Const. Pro duabus vero memoratis vid. Const. ed. 1692. Septem. 28. P. 3., & Constit. ed. 1699. Septem. 5. P. 9.

Dat. 27. Febr. 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex debito Pastoralis officii, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ altitudo humilitati nostræ, viribus licet & meritis longe impari, imponere dignata est, paternam Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ religiosæ confugerunt, curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod alias in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe nostra celebrato de anno 1673. pro Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis ordinis prædicti edita, & facta fuerunt nonnulla decreta, seu ordinationes, tenoris, qui sequitur, videlicet: Decreta Capituli Generalis anno 1673. Romæ celebrati edita specialiter pro Mexicana, & Mechoacan. Provinciis &c. modo sequenti, videlicet: Magister Frater Nicolaus Oliva Senen. &c. Etsi omnis gloria &c.

Decreta prædicta edita fuere anno 1673., & 1685.

§. 2. Quoniam vero audivimus in iisdem Mexicana, & Mechoacan. Provinciis damnabilem irrepsisse abusum, ut Religiosi nostri per Urbes, Oppida, perque loca, in quibus immorantur, dissociati incedant, pallium, & galerum deferentes. Idcirco Decreto resolutum fuit in Congregatione Diffinitoriali Capituli Generalis, ut stricte, & sub pœnis infra exprimen. prohibeatur, prout nos tenore præsentium prohibemus, ne aliqui ex Religiosis nostris prædictarum Mexicanæ, neque Mechoacan. Provinciarum e Conventibus, etiam associati cum pallio, neque cum galero exire audeant, & per publicas Urbium, aliorumque locorum vias incedere, sine socio. Mandantes in meritum salutaris observantiæ, & sub pœnis privationis Graduum, & officiorum, aliisque nostro, & successorum arbitrio reservatis, ut quoties Religiosis prædictis erit exeundum serventur præscripta Sacrarum nostri Ordinis Constitutionum, & postulata, atque obtenta a Patre Superiore licentia semper associati incedant, juxta Christi Domini exemplum, qui Apostolos, Discipulosque suos non solos, sed binos semper mittere consuevit. Romæ die 2. Junii 1673., & sane Decretum contra usum pallii, & galeri pro prædictis Provinciis subinde innovatum, & confirmatum fuit in nupero Capitulo Generali ejusdem Ordinis in eadem Urbe celebrato de anno 1685. per aliud Decretum ibidem editum sub titulo pro Mexicana Provincia sub num. 10. tenoris qui sequitur: Innovatur, & confirmatur Decretum Reverendissimi Olivæ contra usum pallii, & galeri in Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, eorumdem Decretorum observantia in prædictis Provinciis hucusque neglecta fuerit, & de præsenti etiam negligatur, ideoque idem supradictus Procurator Generalis, quo illa firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ejus votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta Decreta, & Ordinationes, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Procuratoris Generalis.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 4. Decernentes præinserta Decreta, & Ordinationes, ac easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective, sub pœnis in eisdem Decretis contra transgressores inflictis, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, spe-

xat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Januarii MDCLXXXVIII. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

CLXXIX. Confirmatur Decretum Congreg. Epiſc., & Reg. ſuper executione Conſtitutionum Tertii Ordinis S. Franciſci quoad Fratres Laicos, & Oblatos Provinciæ Franciæ.

De Oblatis vide Conſtitut. ed. 1681. Aug. 27. P. 5. Aliud vero Decretum Cong. particularis extat Inn. XII. Conſt. ed. 1693. Octob. 19. P. 3.

Dat. 13. Mar. 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

ALias pro parte dilecti filii Benedicti Pariſienſis Procuratoris Provinciæ Franciæ Tertii Ordinis S. Franciſci nobis expoſito, quod Superiores dictæ Provinciæ a pluribus annis ad hanc S. Sedem, recurſum pluries habuerunt pro bono regimine, & receptione Fratrum tam Laicorum, quam Oblatorum, ſeu Servientium dicti Ordinis in eadem Provincia, & plures ſuper hujuſmodi negotio literæ Apoſtolicæ in ſimili forma Brevis expeditæ emanarunt, veram tamen exinde pacem, & religioſam tranquillitatem inter utroſque Fratres præfatos adhuc conſequi non valuerunt, quandoquidem ex eorundem Fratrum Laicorum, & Oblatorum differentia, alii etenim pileum, alii vero caputium deferunt, continua ferme diſſidia inter eos exoriuntur, indeque humani generis inimico ſciſſuras hujuſmodi promovente; cum minori zelo exhibent Altiſſimo famulatum; Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod ad perturbationes præfatas præcidendas in poſtremo Provinciali Capitulo dictæ Provinciæ die 29. Maii 1686. celebrato, decretum fuit, idque ab omnibus vocalibus, nemine reluctante ſubſignatum, iterum ad nos recurrere, quatenus in poſterum in præfata Provincia Conſtitutiones, & Statuta circa Fratres Laicos, tam præſentes, quam futuros, quoad eorum jura ſtricte obſervari, & Fratres Oblatos, qui nunc in eadem Provincia exiſtunt ad Statum Laicalem aſſumi, cum privilegio gaudendi juribus Fratrum Laicorum, modo quartum profeſſionis annum attigerint, ut in iiſdem Statutis præfertur, mandaremus. Et propterea Nobis humiliter ſupplicato, ut ad prænarratas controverſias tollendas, quæ novum adhuc paternæ charitatis, & prudentiæ noſtræ præſidium expoſcunt, præfatæ Capituli Provincialis petitioni annuere dignaremur. Nos ſupplicem libellum hujuſmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum remiſimus, a qua emanavit Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet: *S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta remiſſione Sigilli per SSmum D. N. facta, cenſuit circa præmiſſa ſervandas eſſe prædicti Ordinis Conſtitutiones. Romæ 15. Novembris 1686. I. Card. Carpineus -- Loco ✠ Sig. B. Panciaticus Secretar.*

Decretum Capituli Provincialis pro recurſu ad Pontificem.

Decretum Congreg. Epiſc., & Regul. de ſervandis Conſtitutionibus Ordinis.

§. 1. Cum autem ſicut prædictus Benedictus Nobis denuo exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Benedictum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Provinciæ prædictæ, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Martii MDCLXXXVIII. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

CLXXX. Confirmatur nova Collectio Statutorum Ordinis Carthuſienſis.

Extat Decretum quoddam Cap. Gen Conſt. ed. 1682. Julii 31. P. 6., & aliud Cong. particularis Innocen. XII. Conſt. ed. 1692., Apr. 11., P. 1.

Dat. 27. Mar. 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctum Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis officium, meritis licet, & viribus longe impares ad Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Terrarum Orbem diffuſæ ædificationem, bonorumque, & piorum operum incrementum, & Animarum ſalutem fideliter exequi adjuvante Domino ſatagentes, Regulares Ordines in Eccleſia Dei pie ſancteque inſtitutos, ac multiplici, celeberrimaque virtutum laude fulgentes, in ſalutari eorum vivendi norma, veteriſque diſciplinæ obſervantia confovere, atque conſervare omni ſtudio connitimur; ac proinde ea, quæ pro felici, proſperoque Religioſorum virorum eorumque præſertim, quos ſuave Chriſti jugum ſub auſterioris vitæ regula amplexos, cæteris Sanctitatis, & Religioſitatis exemplo prælucere de-

cet, regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, ut serventur exactius, & perenni stabilitate persistant, Apostolici muniminis patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, sicut omnibus matura deliberatione perpensis, salubriter in Domino expedire conspicimus.

Causa novæ Collectionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Innocentius Prior Carthusiæ majoris Gratianopolitanæ Diœcesis, totius Ordinis Carthusiensis Minister Generalis, ac Diffinitores Capituli Generalis ejusdem Ordinis, quod ipsi alias animo revolventes ineffabilem divinæ bonitatis altitudinem, qua factum est, ut idem Ordo, quem Romani Pontifices Prædecessores nostri, velut bonam in agro militantis Ecclesiæ dextera Domini plantatam, ac fructus uberes Justitiæ jugiter producentem merito appellarunt, singulari plane prærogativa ad hoc usque septimum a fundatione sua sæculum, in suo primævo instituto absque ulla reformationis necessitate perseveraverit, tam ingentibus Altissimi beneficiis obstricti aliquam Domino pro omnibus, quæ iis retribuit, retributionem reddituri, quam exactissimam regularis disciplinæ observantiam solicitis magis studiis custodire decreverunt, adeoque juxta ordinationem anno 1679. a Capitulo Generali Ordinis præfati emanatam, novam Statutorum pro salubri ejusdem Ordinis Fratrum in via mandatorum D. directione editorum collectionem, longo labore, ac diligentia perfectam Correriæ apud dictam Carthusiam Majorem anno 1681. typis evulgari curarunt, antiqua in ea operis hujusmodi secunda editione, majorum suorum vestigia persequentes, qui primis Statutis eas Ordinationes, & interpretationes adjunxerunt, quæ illis ad veteris Instituti conservationem, & abusuum ex humana infirmitate erumpentium extirpationem, necnon ad præcavendas relaxationes conducere visæ fuerunt; & sane opus istud ab omnibus fere universi Ordinis, Provinciis, & Domibus regularibus in spiritu humilitatis, & obedientiæ, pacifice, & reverenter (ut asseritur) admissum, paucorum solummodo querelis, qui præcipue adversus ordinationes, & interpretationes præfatas reclamarunt, excerptum fuit.

Hujusmodi Collectio recepta fuit a toto Ordine.

Ad examen revocata fuit a particulari Congregat.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfata Statutorum collectio, ut supra edita, per Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quos super hoc negotio dicto Innocentio Priore, & Ministro Generali, ac Diffinitoribus præfatis potissimum instantibus, ad quascumque dissentiones dirimendas, quæ inter viros solitariæ vitæ professores fraternæ charitatis serenitatem, religiosamque tranquillitatem obnubilare potuissent, specialiter deputavimus, diligenter ac sedulo revisa, imo & contradictoribus auditis discussa, ac ubi opus esse visum est opportune etiam correcta, & emendata fuerit in volumine; tenoris, qui sequitur, videlicet.

Nova Collectio.

§. 3. NOVA COLLECTIO STATUTORUM ORDINIS CARTHUSIENSIS EA, QUÆ IN ANTIQUIS, ET NOVIS STATUTIS, ac tertia compilatione dispersa, & confusa habebantur simul ordinate dispositia complectens.

Ordinatio Capituli Generalis anni 1679. in majori Carthusia celebrati pro secunda Editione secundæ, & tertiæ partis Statutorum facienda.

Quia ubique majorum Statutorum penuria laboramus, ordinamus, ut illorum fiat secunda, & nova editio, juxta exemplar a R. Patre correctum, & a Capitulo Generali visum, examinatum, & approbatum, in quo locis obscurioribus notæ appositæ sunt, & Capitulorum Generalium Ordinationes ad totum Ordinem, & materias in his majoribus statutis contentas spectantes a postrema statutorum collectione editæ, suo quæque loco in fine paginarum, aut Capitulorum reponuntur. Ex quibus Ordinationibus revisis, & examinatis, quæ magis utiles, aut necessariæ visæ fuerunt, selectæ sunt, quædam etiam additæ, & simul ad formam, & numerum, quæ in Aula præsentis Capituli publicabuntur, redactæ, inposterum vim statuti habituræ, cæteris quæ ad Ordinem integrum, & has statutorum partes spectant, in ista publicatione non contentis, resecatis, aliis vero quæ ad singulares Provincias, & Domos pertinent in suo robore semper remanentibus.

Ordinatio Capituli Generalis anni 1680. Ordinationem præcedentis Capituli, quæ incipit: Quia ubique majorum Statutorum &c. *confirmans.*

Frater Innocentius humilis Prior Carthusiæ, cæterique Diffinitores Capitulorum Generalium annis 1679., & 1680. in majori Carthusia celebratorum, universis Carthusiensis Ordinis alumnis, & professis salutem, & propositi certaminis felicem cursum. Cum nihil nobis post Sancta Christi Evangelia, Sacramque scripturam sit magis necessarium, quam statuta Ordinis, ad quorum normam Christo militare professi sumus, & in quibus media ad sermones ejus servandos nobis præfixa reperimus; ideo omni qua potuimus diligentia laboravimus, ut in hac nova editione nihil omitteretur, quod illorum rectæ intelligentiæ, atque observantiæ habita ratione multorumque sæculorum experientia sensim edocuit, posset desiderari, qua de causa Ordinationes Capitulorum Generalium suis locis attexuimus; nihil etiam relinqueretur inemendatum, ex his, quæ temporum ratione, & Fori Ecclesiastici moderna praxi exigentibus, Sancta Sedes Apostolica, cui omnimodam subjectionem, & obedientiam devovemus, commendaverat exprimendum. Hunc ergo librum diligentius revolvite, & veluti panem quotidianum masticare satagite. Ad hoc enim singulari ordinatione præcepimus ut singuli Monachi illum penes se habeant; nec etiam deerunt aliquando Conversis, & Monialibus exemplaria Tertiæ Partis in linguam vernaculam conversa. Quod autem verba exhortationis de correctione paulo durius prius expressa, verbis lenioribus, salva tamen rerum substantia, nunc proferantur, id tum Justitia, tum discretione exigentibus factum est. Justitia, quia revera ulceribus de facto non apparentibus, aut rarissime in paucis existentibus, non debet publicum, aut commune omnibus remedium nunc applicari. Discretione autem, quia juniores auditores putantes existere, & verum esse ad literam, quod ex succenso zelo procedit Matres imitante, quæ ex pueri casu statim filium suum clamant esse mortuum, inde quandoque, ut experientia docuit, scandalizantur. Porro de sola exhortatione agitur, & non de observantia aliqua Regulari. De quibus omnibus vos etiam monitos esse voluimus præsenti serie, ut nullius offendiculi occasione relicta, hoc opus libentius suscipiatis, reverentius observetis, & inde forma Carthusiane vivendi assumpta, Religioseque servata, ad bravium supernæ vocationis perveniatis, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS

In novam Statutorum Ordinis Carthusiensis collectionem.

Ad Dei laudem, nostram, Subditorumque nostrorum omnium communem salutem, & pacem, & observantiæ regularis augmentum. Nos humiles Fratres, Bernardus Prior majoris Do-

mus Carthusiæ, cæterique Diffinitores Capituli Generalis nostri Carthusiensis Ordinis Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo Carthusiæ celebrati: novam hanc statutorum collectionem, ex consuetudinibus Guigonis, antiquis, & novis statutis, tertia compilatione, Generalium Capitulorum Ordinationibus, Statutorum concordantiis, glossis, ac cæremoniali libro Domus nostræ majoris Carthusiæ, omnibus simul collatis, & quibusdam pro temporum, personarum, & Causarum qualitate, & necessitate prudenter, & salubriter resecatis, seu emendatis, aliquibus etiam additis utilibus, & necessariis de mandato nostro collectam, & omnem, quæ in universis prædictis confusa, & dispersa habebatur substantiam simul compactam, & conjunctam in se complectentem, tribusque partibus distinctam, atque sub suis titulis, & capitulis ordinatam per nos, & Deputatos a nobis diligenter examinatam, & jam semel, & secundo per duo Capitula, accedente consensu Conventus Carthusiæ approbatam, & confirmatam, iterum nunc, & tertio, communi omnium nostrorum, necnon, & Conventus Carthusiæ consilio, pariter, & consensu, auctoritate Privilegiorum nostri Ordinis laudamus, approbamus, & confirmamus, & eam cum singulis in ea contentis, & descriptis, vim Statutorum habere, & ab omnibus nostri Ordinis personis studiose observari volumus, & ordinamus. Utque nullus ignorantiæ justam causam prætendere possit, volumus etiam, & ordinamus, quod infra annum a die publicationis computandum, quælibet Domus Ordinis novam istam collectionem penes se habeat. Declarantes quidquid ista nova collectione (sic enim volumus eam appellari) non continetur, carere omni vi, & obligatione. Nolumus tamen propterea priora statuta aboleri, sed vigere quidem, & diligenter asservari propter Patrum reverentiam: non autem habere vim statuti in posterum, cum ex illis hic inserta sint omnia ad quæ volumus nostros obligari (*a*). Et quoniam præsentia hæc statuta, si diligenter observentur ad conservandum Ordinis statum sufficere videntur: præsertim cum raro, rarique casus (de quibus propterea non debet fieri lex, aut ordinatio specialis) inter nos eveniant, qui per ea decidi, & determinari non possint: hortamur successores nostros, ut ab onerosa, & periculosa statutorum, & ordinationum utiliori non necessaria multiplicatione cessent, & omnes nostræ Religionis Professores, & alumnos obsecramus per misericordiam, & bonitatem Dei (qui tam clementer Carthusianum Cœtum, & familiam a principio ad hodiernum usque diem fovere, dirigere, ac protegere dignatus est, omnia nobis abunde suppeditans, quæ ad nostram salutem, perfectionemque conducunt) ut singuli in sua vocatione, & officio conaremur per gratitudinem nobis possibilem tam paternæ liberalitati, & benevolentiæ Domini Dei nostri respondere. Quod præstabimus, si ad regularem observantiam, per hæc statuta nobis traditam, sic fideliter, & solicite laboremus, ut nostro homine externo his Institutis recte, & sicut decet instructo, & exculto, (*b*) ipsum Deum in homine interiori studiosius quæramus, citius inveniamus, & perfectius possideamus, sicque Domino concedente ad perfectionem charitatis (quæ nostræ professionis, & totius Monasticæ vitæ finis est) pervenire, & æternam inde beatitudinem obtinere valeamus.

(*a*) *Vide Ordinationem Capituli Generalis anni 1679. in fine hujus Prologi*, Ad tollendas &c.

(*b*) Hinc perpende quis sit observantiarum externarum scopus, & qno tendere debeat illarum usus, nempe, ut ad hominem vere interiorem adorantem in spiritu, & veritate perveniamus. Sunt enim tantum media ad quærendum, & inveniendum Deum in homine interiori, & hic expressum habes.

EXPLICIT PROLOGUS.

(*) *Ordinatio Capituli Generalis anni 1679.*

Ad tollendas occasiones erroribus, & dubiis, ex quibus Personarum Ordinis conscientiæ in peccandi discrimina possent conjici circa qualitatem obligationis statutorum Ordinis, & sic satisfaciendum optatis multorum, qui instanter postulant id dilucide exprimi declaramus mentem Ordinis circa præcepta, & pericula inde cavenda satis apparere ex *n.* 20. *cap.* 3. *secundæ partis statutorum*; cum ergo velit omnia in ædificationem, & non in destructionem disponere, ac proinde media egregia ad perfectionem obtinendam tradendo laqueos ad multiplicanda peccata non ponere obligatio illa quoad culpam, debet desumi ex præcepti formalitate, aut materiæ gravitate ex respectu ad ea, quæ sunt statui Religioso essentialia, vel ex negligentiæ, aut scandali qualitate. Licet enim simplex statutum (idest nullo præcepto expresso, & vero conjunctum) non obliget per se ad culpam, sed tantum ad pœnam, ex cujus diligenti exactione vigor Regularis disciplinæ in Monasteriis servatur, attamen actus transgressoris fit per se peccatum, ex ratione negligentiæ, & mali exempli aliis præstiti; itaut supposita etiam ratione scandali, atque etiam materia ad essentialia Votorum pertinente raro fieri possit transgressio simplicis statuti notabilis, plene libera, & voluntaria, idest absque tentationis luctamine, ut egregie explicat Sanctus Franciscus Salesius, quæ non sit peccatum veniale. Si vero contemptus reperiatur, aut grave scandalum ex habitualibus transgressionibus, quas quis corrigere non curat, aut contemnit; tunc grave peccatum est, & talis Monachus in periculosissimo suæ salutis statu versatur.

(*) *Videndi sunt de hac materia* San. Franciscus Salesius *in collatione de Constitutionibus*, & Illustr. Card. a Turre Crem. *in reg. S. Benedicti tract. v.*, atq; etiam D. Thomas 1. 2. *q.* 188. *ar.* 9. & Navarr. *in Manuali cap.* 23. *num.* 62.

Hujus novæ Collectionis

PARS PRIMA.

Sub Ordinarii nomine separatim est impressa.

Hic autem sequuntur Capitula Secundæ Partis.

1. De tripliti divisione Statutorum, & quando legantur: deque Divino Officio, uno eodemque modo, ab omnibus celebrando, librisque corrigendis.
2. De electione Prioris.
3. De Officio Prioris.
4. De tractando consilio.
5. De Officio Vicarii, & antiquioris.
6. De Procuratore.
7. De Confessione, & Communione.
8. De Capitulo.
9. De Lectore Refectorii, ipsoque Refectorio.
10. De abstinentia, & Jejuniis.
11. De Minutionibus, Rasura, Infirmis, & medicinis.
12. De Vestimentis, & utensilibus Cellæ, ædificiisque construendis.
13. De solitariæ vitæ commendatione.
14. De Cellæ, & silentii observatione.
15. De Colloquio claustri, & spatiamentis.
16. De operibus communibus.
17. De Novitio.
18. De professione Novitiorum.
19. De vitio Proprietatis, & excommunicatione Proprietariorum.
20. De Pauperibus sublevandis, & mulieribus fugiendis.
21. De numero Habitatorum novis Domibus, & Hospitium Viaticis, & expensis.

22. De Generali Capitulo.
23. De visitationibus.
24. De reprehensione.
25. De Criminosis, & fugitivis.
26. Conclusio Statutorum.

Incipit novæ Collectionis Statutorum Ordinis Carthusiensis

PARS SECUNDA.

De triplici divisione Statutorum, & quando legantur, deque Divino officio, uno eodemque modo, ab omnibus celebrando, & libris corrigendis.

Caput Primum.

1. Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, visum est Capitulo Generali, quod omnes scriptæ consuetudines, & statuta Ordinis nostri, quæ in antiquis, & novis, ac tertia compilatione dispersa erant simul in unam quantum possibile foret aggregarentur consonantiam, ut inveniri citius, & facilius possent memoriæ commendari. Si quæ vero addenda, vel emendanda essent: adderentur, vel emendarentur.

2. Quod opus per plures annos a Patribus Ordinis serio, & mature revisum, & examinatum tandem anno 1578. auctoritate ejusdem Capituli Generalis, totiusque Conventus Carthusiæ consensu, & Consilio in præsentem formam est redactum, & per tria Capitula approbatum, & confirmatum.

3. Hujus autem operis tres sunt partes. Quarum prima continet ea, quæ ad uniformem ritum, ac modum divina celebrandi officia in Ordine nostro faciunt, quam propterea idem Capitulum voluit sub Ordinarii nomine separatim a reliquis partibus typis mandari, ut Monachi omnes facilius possent eam diligenter, & cum judicio, quoties opus fuerit, legere, & consulere: quatenus Divinum Officium ab omnibus uno ritu, & cum eisdem Cæremoniis persolvatur.

4. Secunda Pars ea tractat, quæ concernunt externum Carthusiani Instituti regimen; externas item observantias, & officia: ad Monachos magis, quam ad Conversos pertinentia (*): Quæ pars singulis annis in Clausiro, vel alibi pro Domorum consuetudine, præsente Conventu ex integro legatur, a festo omnium Sanctorum usque ad Pascha singulis diebus Capituli post nonam: exceptis diebus Paschæ, Natalis, & Cœnæ Domini, cæterisque festis Capituli super hebdomadam in Quadragesima occurrentibus.

5. Tertia, & ultima pars, Conversos, Donatos, & Moniales nostri Ordinis instruit, quæ semel ad minus singulis anni legi debet in Capitulo Conversorum, quo ad ea, quæ ad eos, & Donatos pertinent, & in Capitulo Monialium, quoad illa, quæ ad eas spectant.

6. Cum autem in ipsa Statutorum lectione occurrerit, quod minus fuerit observatum, finita lectione, aut alias opportuno loco, & tempore, singuli interloquendo tractent, & diligenter considerent, quomodo istud possit, & debeat emendari. Etsi Prior est in culpa, privatim cum omni reverentia, & modestia moneatur, ut inde se corrigat. Si autem alii sunt culpabiles, denuntientur Priori, ut eos corrigi faciat. Quod si nec ita emendatio fuerit subsecuta, denuncietur primo Visitatoribus (a), deinde (si opus fuerit) etiam R. Patri Carthusiæ, vel Capitulo Generali.

(*) *Ordinatio Capituli gen. anni 1676.* Singuli Monachi habeant in Cella Statuta Ordinis integra, ut non solum possint auditu illa percipere, sed etiam apud se revolvere, & legere, & omnes actus suos ad illorum formam conformare semper studeant.

(a) *Mens ergo Statuti est, ut ordo in recursibus servetur, & primo ad Visitatores Provinciæ, deinde ad R. P. recurratur.*

7. Insuper statutum, firmiterque sancitum est, ut Divinum Ecclesiæ officium per omnes Domos uno ritu, & cum eisdem cæremoniis celebretur. Sicut in Ordinario, Breviariis, & Missalibus continetur. Neque R. Patri, neque cæteris quibuslibet, de his omnibus, quæ ad Divinum Officium pertinent, vel cæteras quaslibet consuetudines in statutis expressas, sine Capituli Generalis consilio, demere aliquid, vel additione, seu alteratione aliqua occasione qualibet, liceat immutare.

8. Nullus etiam ipsa statuta præsumat glossare, vel interpretari, sine speciali auctoritate, & licentia dicti Capituli, vel R. Patris Carthusiæ. Sed si quid dubietatis emerserit, seu quæstionis, dictum Capitulum, seu R. Pater consuli poterit, & debebit pro responsione obtinenda si dubietas, & quæstio talis fuerit, quæ responsum exegerit.

9. Ea vero, quæ non sunt expressa in statutis relinquuntur ordinanda Priorum arbitrio; ita dumtaxat, quod ea, quæ ordinaverint non dissonent ab eis. Hac tamen occasione, vel alia, nolumus Domorum consuetudines honestas, & Religiosas, & quæ, vel contra statuta, & scripta Capituli non sunt, leviter a Prioribus immutari.

10. Libros quoque veteris, & novi Testamenti, & Ecclesiasticorum Doctorum, ac demum omnes, cum quibus celebrantur divina officia nullus emendare præsumat, nisi per libros Carthusiæ, vel alios juxta illorum tenorem, & a Biblia Sixtina, id est vulgatam editionem emendatos. Si vero posthac aliqui novi libri ex supradictis imprimantur, aut describantur, ordinamus imprimi, vel transcribi ex exemplaribus, ut supra emendatis. Qui autem aliter eos corrigere, vel describere præsumpserit, aut etiam imprimi curaverit, districtam a Capitulo Generali, vel Visitatoribus si Præsidens est; si vero subditus, à suo Superiore suscipiat disciplinam.

De Electione Prioris.

Caput Secundum.

1. Cum Priorem cujuscumque Domus Ordinis nostri obire, vel dimittere Prioratum ad formam statutorum nostrorum (*), vel etiam per Visitatores in actu visitationis absolvi contigerit, post Sepulturam, dimissionem, aut absolutionem hujusmodi Vicarius, aut eo absente, vel impedito, antiquior Domus, cui sit commissum officium antiquioris, debet ante omnia in Colloquium convocare Conventum, & ibidem, dicto prius per eum, ut moris est, *Benedicite*, coram omnibus proponere, quod cum Domus sit orbata Pastore, necesse est, ut de novo Priore provideatur.

2. Deinde si Domus forte est parva, aut omnino talis, quod aliquo modo possit dubitari an ibi tot sint idonei Electores, quot necessarii sunt ad faciendum electionem, ut infra dicetur, debebit ibidem coram omnibus taliter tractare, quod per talem discursum manifeste constet, an talis Domus legitime possit, si vult, aut etiam non possit procedere ad electionem faciendam.

3. Et quia hoc constare non potest, nisi prius sciatur, quot, & quales necessario requiruntur ad electionem canonice faciendam: idcirco dicimus, & quatenus opus est statuimus, & declaramus, quodammodo in omni casu electionis, non poterit, nec debebit ullo modo procedi ad electionem faciendam, nisi ubi fuerint saltem quatuor Professi Domus Eligentis: qui etiam ultra hoc sint idonei ad faciendam electionem.

(*) *Ordinatio Capituli gen. anni 1647.* Visitatores, vel Commissarii de cætero non præsumant admittere Resignationem Priorum vel facere eis misericordiam sine licentia R. P., qui vero de ejus licentia id fecerint pro ea vice sint in eadem Domo ineligibiles.

4. Non sunt autem ad id idonei sive non habent vocem eligendi, etiamsi sint Professi Domus Eligentis, infrascripti quicumque, videlicet. Primo, qui non sunt promoti saltem ad Subdiaconatum; deinde fugitivi quacumque fuga, & quocumque tempore manserint in tali fuga, nisi vox fuerit eis expresse restituta, Criminosi, nisi fuerit expresse habilitati ad vocem activam, in disciplina generali constituti, Leprosi, Excommunicati, Suspensi, Interdicti, & Irregulares. Nulli istorum idonei sunt ad eligendum.

5. Si igitur in Domo orbata non fuerint saltem quatuor Professi Domus idonei (*) tunc qui ibi erunt, scribent Visitatori, sive Visitatoribus Provinciæ se orbatos esse Pastore, qui eis providebunt de Rectore usque ad sequens Capitulum Generale.

(*) *Ordinatio Capituli gen. anni 1679.* In electione Prioris vocem etiam activam habebit Vicarius tantum, qui non est Domus eligentis professus: Sed nihilominus juxta Statutum non poterit procedi ad electionem, nisi insuper adsint quatuor professi ipsius Domus. In cæteris vero negotiis Procurator, & Sacrista vocem habebunt, sicut jam alias concessum est, etiamsi non sint Domus Professi.

6. Et quia interdum contingit præsertim in parvis Domibus, aut ubi sunt pauci Domus Professi, quod etiamsi legitimus ibi sit numerus Electorum idoneorum, tamen nolunt eligere propter aliquas Causas, sed malunt sibi provideri de Priore per Capitulum Generale, aut per R. Patrem, propterea debebit Vicarius interrogare Conventum, an velit pro novo Priore habendo procedere per viam electionis: an potius super hoc per R. P. aut Capitulum sibi provideri, & juxta sensum majoris partis Conventus per vota secreta exquirendum uni ex duobus standum est.

7. Si responderit se velle eligere, debebit tunc Vicarius, ibidem palam proponere, & coram omnibus tractare. An illa Domus distet a Carthusia ultra tres dietas. Nam si non distat, debebunt antequam procedant ad electionem significare Domui Carthusiæ, id est Reverendo Patri Priori Carthusiæ (*a*) se esse orbatos Pastore, & petere ab ea, ut sibi providere dignetur, Domus autem Carthusiæ id est R. P. Prior ejusdem Domus pro sua prudentia, & paterna cura, providebit orbatæ Domui, prout sibi magis expedire videbitur.

8. Quod si Domus orbata distat a Domo Carthusiæ ultra tres dietas, tunc ut Conventus præparetur prius pro instanti electione, Vicarius debebit eum serio in Domino admonere: quod eligere Pastorem Animarum non est facilis, & vulgaris res, sed maxime ardua, & summæ importantiæ: Cum ex bono, vel malo Pastore pendeat propemodum omne bonum, vel malum totius Gregis, ideo debere eos in hoc negotio, cum omni rectitudine, & prudentia, & timore Dei procedere, ne si, quod absit, malum pro bono elegerint, ipsi sibi in suam perniciem lupum pro Pastore accersant. Et eis imputentur omnia mala, quæ illum facere, & pati contigerit, occasione talis inordinatæ electionis.

9. Quin etiam scire illos debere, quod sub pœna peccati mortalis, tenentur eligere talem quem ipsi in sua conscientia credant, aut verisimiliter existiment esse magis idoneum ad regendum secundum Deum animas, & Domum eorum in utroque statu, quam sit aliquis alius, qui pro tunc ad id ab eis eligi possit, nisi forte tam parva esset inter eum, quem eligunt, & alium illo aptiorem differentia, quod merito hoc pro nihilo reputari debere videretur.

10. (*b*) Quod si forte non posset tunc inveniri aliquis unus talis, qui esset in utroque statu aliis eligibilior, & aptior, sed unus videretur aptus pro spiritualibus, alius vero pro rebus, & negotiis temporalibus, tunc in tali casu possent istum in temporalibus expertum eligere, si tamen duas in se haberet conditiones. Primum quidem, quod esset sufficienter idoneus ad spiritualem animarum profectum, deinde quod ultra hoc, etiam multum superaret in temporalium administratione, alterum qui spiritualior haberetur. Alias non concurrentibus istis duabus conditionibus, tenerentur illum magis eligere, qui esset aptior pro salute, & profectu animarum, quoniam hoc est magis principale, & necessarium, & proprium Prioris officium. Temporalia vero sunt accessoria, & secundaria, & non proprie ad pastorale officium pertinentia, & ultra hoc possunt etiam per idoneos Procuratores, aut etiam per alios suppleri, & bene gubernari.

11. His igitur, & aliis hujusmodi per Vicarium propositis, consequenter debebit Conventum monere, qui, & quot sint, qui eligi canonice non possint. Ne si hoc eis non proponat per ignorantiam forte, vel per inadvertentiam: eligant aliquem, qui canonice eligi non possit.

12. Nam si scienter aliquem talem eligerent, essent pro ea vice privati potestate eligendi, & potestas devolveretur ad Capitulum Generale, vel R. P. (*c*) qui in tali casu cum consilio sui Conventus, provideret illis de aliquo Pastore; aut etiamsi ei benevisum esset, concederet de speciali gratia, ut possent iterum eligere.

13. Sunt igitur, qui eligi non possunt ii omnes, qui sequuntur, & nulli alii: videlicet, qui post factam professionem, non steterunt in Ordine saltem per tres annos integros, qui tantum scientiæ non habent, quantum de necessitate requirit officium Prioratus; non promoti ad Sacerdotium, omnis Prior, qui non sit professus Domus Eligentis, nam qui est professus potest eligi, nisi ab ea fuerit absolutus sua culpa, licet non criminali (*d*). Visitatores, qui in actu Visitationis absolvunt Priorem pro ea vice, & omnes qui aliquo perpetuo impedimento non possunt ascendere ad Capitulum Generale. Præterea intelligibilis est etiam omnis, qui sit aperte malæ famæ, aut etiam dubiæ, & suspectæ apud probos, & graves viros, vel Ordinis, vel etiam extraneos. Criminosi, fugitivi, etiam ab omni disciplina absoluti, in disciplina generali constituti, etiamsi non sint criminosi, leprosi, excommunicati, suspensi, Interdicti, Irregulares.

14. Quisquis etiam dimiserit Prioratum Domus Carthusiæ, quamdiu in eadem Domo manserit, licet possit eligi; non poterit tamen cogi ad consentiendum electioni, Domus autem Carthusiæ omnem Priorem cujusvis Domus nostri Ordinis, poterit, non solum eligere, sed etiamsi ei expedire videbitur ad consentiendum electioni, obedientiæ præcepto compellere. Isti igitur omnes, qui supra numerati sunt, ineligibiles sunt: alii vero omnes possunt eligi.

15. Et quoniam sunt aliqui interdum, qui non cognoscunt Personas, & libenter per alios informarentur, sed putant non licere: Declaramus, quod omnes, qui in hoc pia intentione ducuntur, licite possint, imo etiam potius debent interrogare illos, qui, & melius cognoscunt personas, & meliores etiam, & aptiores Pasto-

(*a*) *Idest R. P. Priori Domus Carthusiæ, cui soli committitur auctoritas Capituli Generalis prout exprimitur* n. 56. cap. 22. Secundæ partis, vide etiam num. 32. præsentis Capituli, & nu. 43. & 44. cap. 22.

(*b*) *Ista sic expressa sunt ad quorumdam scrupulos subleyando, & anxietatem debitantis, & fluctuantis animi sedandam.*

(*c*) *Vide n. 44. cap. 22.*

(*d*) *Intelligitur de Commissariis, nam Visitatores Ordinis non visitant Domum suæ Professionis.*

res se-

res secundum Deum habere desiderant. Nam, qui cognoscunt quidem meliores, sed eos nolunt, volunt autem Priores prurientes auribus, & qui sunt vitæ largæ, & laxatæ, isti interrogari non debent: quia potius darent consilium conforme suæ inordinatæ cupiditati.

16. Sicut autem plurimum commendandi sunt, qui piam solicitudinem pro bonorum Pastorum electione gerunt, ita illi sunt magnopere culpandi qui pro eligendis deterioribus statim inter se secreta conventicula faciunt, & ut omnes ad suam cupiditatem trahant, conantur quantum possunt per se, & per interpositas Personas, non precibus modo, sed interdum etiam, quod est deterius muneribus, promissionibus, & bonorum maledicentiis, & detractionibus multis, obtinere, quod volunt. Quam perniciem, ut omnes diligentissime caveant, Vicarius quanta poterit majori efficacia, debebit omnibus persuadere.

17. Nam qui talibus mediis inducunt, aut inducuntur ad consentiendum scienter in personas non tales, quales jus commune, & nostra Instituta necessario requirunt, mortaliter peccant, & vitium simoniæ realis, vel saltem mentalis committunt, & Spirituum Sanctum a tali electione, & a domo sua expellunt.

18. Omnino autem ab omnibus caveatur, ne ullus in domibus nostris qualibet astutia, seu violentia in Priorem præficiatur, nisi quem Monachi communi consensu, vel Monachorum vocem habentium major pars, secundum Deum & approbata nostri Ordinis Instituta providerint eligendum.

19. His igitur omnibus per Vicarium propositis, triduanum continuum, nisi festum Capituli interfit, cunctis Fratribus indicitur jejunium: & quousque Priorem habeant post laudes, & vesperas pro Conventibus omnibus super formas, etiamsi sit festum duodecim lectionum, vel tempus aliquod, in quo venia non sumitur, Psalmus, *Ad te levavi*, nudatis capitibus, communi devotione cantatur, incipiendo in Choro Cantoris hebdomadarii, cum aliis precibus, ut in prima parte habentur.

20. Interea quamcitius commode fieri poterit, vocabuntur confirmatores, qui præsint futuræ electioni novi Prioris. Sunt autem vocandi duo Priores nostri Ordinis de vicinioribus, & discretioribus Provinciæ, aut unus cum antiquiore domus eligentis, si duo Priores commode haberi non poterunt: quorum unus, si commode fieri poterit, debet esse Visitator principalis, aut si ille non potest, aut non valet; Convisitator Provinciæ.

21. Porro vocati ad assistendum electioni nullum omnino electorum verbo, scripto, nutu, signis, muneribus, per se, vel per interpositam personam, directe, vel indirecte solicitent de aliqua particulari persona eligenda, aut postulanda: Sed eligentium vota pure, & simpliciter & cum omni integritate recipiant.

22. Post expletum triduanum jejunium, & præsentibus ipsis Confirmatoribus devote cantatur Missa de Spiritu Sancto, toto præsente Conventu; ab altero Confirmatorum: vel si ipsi ita voluerint, a Vicario; Debebit autem antequam Missa incipiatur præparari aliqua Mensa ante Altare Capituli cum quinque Sedibus, super quam poni debent omnia instrumenta scriptoria, cum papyro, & vase apto, quod tamen non sit Calix consecratus, in quod omnes Schedulæ votorum Eligentium immittantur.

23. Præparari etiam debet alia mensa in aliquo angulo Capituli, si Capitulum sit amplum, ita quod nemo præsentium possit videre quid quisque scribat, aut in aliquo alio loco contiguo ipsi Capitulo, super quam Mensam parata sint omnia instrumenta scriptoria cum papyro, cera, & filo: ut ibidem a singulis per se, & separatim scribantur Schedulæ votorum, involvantur, & cera, vel filo connectantur.

24. Missa cantata, Vicarius convocabit in Capitulum omnes, & solos professos domus: idoneos, (*a*) ut supra ad eligendum, & Confirmatores, idest Scrutatores, nullos alios. Si quis autem ex habentibus vocem eligendi, infirmitate, aut alio impedimento legitimo detentus, non posset commode personaliter electioni interesse, poterit tamen interponere votum suum in Schedula clausa inscriptum, eo modo, quo cæteri votum suum inscribunt, & involvunt, ut differentia aliqua notari, & cognosci non possint, sed ipsi Confirmatores, id est Scrutatores, debent ad Cellam Infirmi accedere, ut illius schedulam accipiant.

25. Porro nullatenus, qui de Ordine nostro non sunt ad electiones Priorum nostrorum advocentur. Et si forte in Domo præsentes sunt, nullo modo de personis eligendis cum eis loqui, aut eos consulere debemus: Hospites tamen Ordinis, & Professi Domus, qui non sunt idonei ad electionem, possunt si volunt interesse sermoni Confirmatorum: Sed eo expleto, statim debent recedere, nec ullo modo futuræ electioni interesse.

26. Postquam omnes simul in Capitulum convenerint, Vicarius dicit, *Benedicite*, deinde antiquior Confirmatorum incipit Psalmum, *Ad te levavi*, cum precibus, & orationibus supradictis: In quibus stamus omnes nudatis capitibus.

27. Principalis autem Confirmator ille judicatur, & erit, qui est Visitator, vel Convisitator Provinciæ, & ipsis absentibus, si fuerint vocati duo Priores ille dicetur, & erit principalis, qui plures annos, sive continuos, sive intermissos exegerit in Prioratu. Idem statuimus etiam de Commissariis, qui interdum mittuntur pro aliqua visitatione, aut inquisitione, seu quacumque provisione facienda.

28. Persolutis precibus Confirmator principalis dicit *Benedicite*, & tunc, vel ipse, vel Collega ejus aliquam faciet exhortationem aptam negotio. Finita exhortatione principalis Confirmator, auctoritate Capituli Generalis præcipiet omnibus Electoribus, quatenus talem eligant, quem secundum Deum, & conscientiam judicaverint vita, scientia, & ætate aliisque debitis qualitatibus esse magis aptum, & idoneum ad officium Prioratus suæ Domus, quam quivis alius, qui tunc ab eis possit eligi.

29. Post præceptum nominentur per principalem Confirmatorem tres alii ex antiquioribus eligentium, qui assistant electioni, & omnia diligenter fieri videant. Postquam nominationem statim, & qui nominati sunt pergunt ad præparatam mensam, ibique sedent simul cum Confirmatoribus, cæteri vero Conventuales eligentes, sedent aliquanto remotius a mensa in locis solitis.

30. Post sessionem principalis Confirmator, jubet, ut singuli suo loco, & ordine, hoc est unus post alium, secundum rationem antiquitatis eant suo quisque tempore in locum deputatum ad scribendas Schedulas, & ibi unusquisque solus existens scribat votum suum tali modo quod nemo scribat nomen suum proprium, sed tantum dicat, Ego, nomen autem proprium illius, quem vult eligere, & nomen Domus ejus, cujus est professus, aut nomen officii, si est officialis, scribere debet, sic dicendo: Ego eligo D. N. Professum Domus talis, vel loco professionis dicat Priorem, vel Vicarium Domus talis: in Priorem

(*a*) *Vid. Ord. relatam sub num.* 5. *hujus Capituli.*

hujus noſtræ Domus, quod poſtquam ſcripſerit involvat Schedulam in modum parvi rotuli, & filo ligabit; vel cera connectet, & ſtatim afferet illam ad menſam Confirmatorum, ubi ſtans aperto capite, paululum porrecta manu, & manicis reductis immittet illas in vas adhoc ibidem præparatum. Poſt hæc idem Confirmator jubet antiquiorem antiquiorum, qui aſſiſtunt electioni, ire ad locum deputatum ad ſcribendum Schedulam ſuam, modo quo ſupra. Qui reverſus immittet illam in vas, ut ſupradictum eſt. Idem facient alii duo antiquiores Aſſiſtentes, & poſtea cæteri per ordinem, ut quiſque præcedit antiquioritate Profeſſionis.

31. Schedulis omnium injectis, & receptis in vas, ubi ille qui ultimus injecit ſeſſum ſe receperit, monet Electores principalis Confirmator intentos eſſe vaſis everſioni, & numerationi Schedularum. Ubi id monuit, confeſtim bene exporrecta manu evertit vas ſuper menſam, & numerat illas inſpectantibus antiquioribus, qui aſſiſtunt. Nondum tamen eas aperit, nec legit, ſed numerat dumtaxat: ut intelligat, an numerus Schedularum congruat cum numero eligentium. Totidem nempe debent eſſe, quot Electores. Si non congruit, ſed plures ſunt numero, declarat repetendam eſſe electionem, corrigens eum qui fraudem fecit, ut reſipiſcat a tanta Spiritus Sancti contumelia, & Patrum contemptu: & mox in omnium conſpectu comburit omnes Schedulas, & ſi quidem tempus ſuppetit, jubet alias ſcribi a ſingulis in loco deputato, & ut ſupra in vas conjici, & numerari.

32. Porro ſi numerus Schedularum conveniat, tum demum, ubi id conſtiterit aperiuntur, & votis diligenter enumeratis, & ſeorſum in papyro deſcriptis: Conſiderabunt Confirmatores, quod idem eſt, ac Scrutatores (*a*) utrum aliquis electus ſit ſufficienti numero votorum. Oportet autem, ut qui canonice futurus ſit Prior, habeat tota vota; quæ excedant mediatem totius Conventus eligentis. Quodſi nullus habuerit, Confirmatores hoc publice denunciabunt, & ſi quidem plures electi fuerint, neminem tamen nominabunt, ſed ſolum dicent quot fuerit electi, & quot quiſque Schedulas, & vota habuerit. Et cum ſupputato votorum, & eorum, qui electi ſunt numero, publice conſtiterit coram omnibus, neminem eorum habuiſſe ſufficientem numerum; tunc ibidem coram omnibus comburentur Schedulæ, & toties ſcribendæ, ſive faciendæ erunt novæ, donec aliquis ſufficientem numerum habuerit: niſi forte toties effectæ jam eſſent, ut in judicio Confirmatorum deſperari de electione poſſet, & obſtinati apparerent animi. Quare contingente, ceſſandum erit ab electione, ac per viam aliam ſcilicet proviſionis procedendum; ut negotio delato ad R. P. Carthuſiæ, expectetur, quod illa re intellecta reſpondeat, vel faciat. Videtur autem nobis ſatis probabiliter deſperari de electione poſſe, ſi poſt ternam Schedularum repetitionem, nemo inveniatur electus cum ſufficienti numero votorum.

33. Verum permittimus, ut ſi Confirmatores aliqua probabili ſpe ducantur, poſſint etiam dare quaternam novarum Schedularum, & votorum conſcriptionem: Sic tamen, ut eodem die, & tempore hæc fiant; neque antea liceat egredi Capitulum, aut locum, in quo celebratur electio, quam finis ei imponatur: Neque interim ſit aliqua inter Eligentes, & Confirmatores communicatio. Hac autem ultima vice, ſi nullus electus ſit cum numero votorum ſufficienti, & neceſſario nullam præterea dare poſſint aliam electionem, quo caſu contingente, ſcribendum tunc erit totum negotium R. P. Carthuſiæ, qui cum conſilio ſui Conventus providebit orbatæ Domui de Paſtore.

34. Porro ſi numerus ſufficiens habeatur; & unus ſolus fuerit electus; publicabitur nomen ipſius cum numero votorum, quæ habuit. Sin plures electi fuerint, illius tantum nomen publicabitur, qui numerum ſufficientem habuerit. Cæterorum vero ſupprimentur: ſed tamen dicent quot fuerint ſimul electi cum eo, & quot quiſque vota habuerit: Ut nemo aliquam forte poſſit prætendere ſuſpicionis, aut fraudis occaſionem. Porro omnes Schedulæ poſtquam lectæ fuerint, publice ibidem comburentur, quod ſemper toties eſt faciendum, quoties denuo eas repeti contigerit: illiſque combuſtis, dicat clara voce principalis Confirmator; *Habemus Priorem*, & nominet eum, & Domum, cujus ſit profeſſus, & obedientiam, quam habet, ſi aliquam tunc habeat, & numerum votorum, quæ habuit, ut omnes intelligant, an ille numerus excedat mediatem totius Conventus eligentis.

35. Priore coram omnibus nominato, & publicato, Vicarius niſi ſit Confirmator, aut electus in Priorem, hoc enim caſu tranſibit id officii ad eum, qui exercet officium antiquioris: dicat clara voce ſic: Venerabiles Patres Confirmatores, Nos Conventuales petimus a veſtris Paternitatibus, auctoritate Dei, & Capituli noſtri Generalis confirmari nobis in Priorem hujus Domus V. P. D. N. Profeſſum Domus N.

36. Poſtulatione facta Confirmatores aſſignabunt terminum ad opponendum contra electionis formam, & Perſonam electi, diem videlicet unum, qui ſatis eſt: aut ſi ratio ſuadeat, duos, aut plures, qui non ſint dies feſti. Nec ſine termino hujuſmodi, aut terminis confirment Electum, etiamſi Conventus aliter inſtaret, cum in re tam ardua nihil ſit per feſtinationem agendum, & multa interea latere poſſint de perſona electa, aut de Electoribus, vel forma electionis, quæ matura conſideratio, & tempus afferre, ac declarare poterunt.

37. Interea tam Conventuales, quam Confirmatores debent diligenter conſiderare, & perſonam electi, & formam electionis. Formam, an ſit canonice facta. Erit autem canonice facta ſi ſervata fuerint omnia, quæ in hoc capite jam dicta ſunt, & infra dicentur. Perſonam electi, an talis ſit, qualem neceſſario eſſe debere ſupra deſcripſimus, cum de ineligibilibus ageretur.

38. Confirmatores autem Deum Judicem præ oculis habentes, a via Dei, amore aliquorum non exorbitent, vel timore. Sicut enim præcipitur Conventualibus electionem facturis, ut omni meliori modo, quo poterunt ſecundum Deum eligant, eodem modo vocatis ad electionem Prioribus, præcipitur ne in perſonam non idoneam ſcienter aliquando concordent. Non tenebuntur tamen conſiderare, an perſona electa ſit melior, & aptior, quam omnis alius, qui tunc potuiſſet eligi: Sed ſolum, an habeat aliquid impedimentum eorum quæ ſupra de ineligibilibus poſita ſunt. Si tamen electus eſſet talis, quod manifeſte pateret illum eſſe notabiliter tranſgreſſorem obſervantiæ Regularis: tunc non debent talem confirmare. Cum enim regularis obſervantia ſit diligenter a Perſonis noſtri Inſtituti exercenda, ut per formam profeſſionis patet, qui hujuſmodi obſervantiam non haberet, nec ad eam afficeretur, non eſſet probabilis ſpes, quod eam conſervare, augere, vel introducere in aliis poſſet: Quod tamen neceſſarium eſt unicuique Priori.

(a) *A ſolis Confirmatoribus debent videri, & legi vota Eligentium, ut ſecretum in hoc ſervari Mandatum.* Seſſ. 25. cap. 6. Conc. Tridentin. *Convenienter obſervetur.*

39. Si autem Confirmatores ex aliqua rationabili causa judicaverint non esse confirmandum electum: Scribent tam ipsi, quam Conventuales R.P. cum plena informatione totius negotii, qui pro sua prudentia, & maturo consilio, confirmabit, vel infirmabit electionem, aut aliter orbatæ Domui providebit, sicut sibi melius secundum Deum videbitur expedire.

40. Quod si nullum impedimentum inveneriut in persona electa, nec in forma electionis, termino ad opponendum exacto confirmabunt illum in die non festo: (*) Sic dicente principali Confirmatore. Nos talis, & talis humiles Priores Domorum N. & N. electi per vos, vel deputati per R. Patrem Carthusiæ ad præsidendum vestræ electioni, auctoritate Statutorum nostrorum, confirmamus Vobis in Priorem hujus Domus V. P. D. N. professum, vel Vicarium talis Domus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et respondeat Conventus, Amen. Sciendum est autem quod quamvis electiones diebus festis Ecclesiæ, vel Ordinis licite fieri valeant, assignationes tamen terminorum, quæ fiunt per Priores vocatos, ad opponendum contra electionis formam, & personam Electi, debent cadere in diem non festivam, & die feriali Confirmatio ipsa fieri, cum sit actus judicialis.

41. Facta igitur Confirmatione poterunt Confirmatores, imo etiam debebunt in virtute S. Obedientiæ præcipere Priori electo, ut electioni consentiat, & illam exequatur. Significabunt tamen ei Confirmatores, si absens sit, utrum ipse sua sponte accedere debeat ad Domum, in qua fuit electus: an expectet donec aliquis ab ipsis designandus mittatur ad eum, qui eum ducat, & associet, super qua re ipsi judicabunt, & facient, prout eis melius, & expedire videbitur.

42. Quod si forte talis Electus esset præsens in Domo a qua eligitur; ipsimet Confirmatores, alioquin cum advenerit, Vicarius cum antiquiore, eundo in Ecclesiam ipsum in prædecessoris transferunt locum: ibique facta oratione, & dicto Pater noster, & Ave Maria, a quolibet in loco suo super formam genibus flexis, & capite discooperto, veniunt in Claustrum Ecclesiæ, & accedens Vicarius ad Priorem genibus flexis, junctas manus infert in manus Prioris: & interrogatus ab ipso, Promittis obedientiam? respondit, Promitto; & osculata manu ejus surgens recedit ad suum locum. Similiter facit post Vicarium antiquior, & cæteri alii per ordinem, etiam hospites si ibi sint, & postea conversi in Capitulo ipsorum.

43. Totamque diem illam gaudio dedicantes, & Sextam diei in Ecclesia submissa voce dicentes, bis in Refectorio comedunt: nisi tale fuerit jejunium quod pro festo Capituli minime frangeretur. Et hebdomadarius, aut si illa die non celebraverit, Vicarius ejus Mensas benedicit. Post prandium etiam, ab exaltatione Sanctæ Crucis usque ad Adventum, & a Nativitate Domini usque ad Quadragesimam, utramque Nonam subjungunt. In æstate vero Nonam de die tantum, paulo post meridiem in Ecclesia dicant, præmissa in Cellis Nona de Beata Maria: & in gratiis agendis post prandium, & cœnam veniam non accipiunt, licet, si tempus postulat, dictam veniam in horis diei sumant, quod si jejunium fuerit, post Nonam in Ecclesia submisse dictam, erit in Refectorio comedendum. Si autem, qui eligitur præsens non fuerit, non in die lectionis, sed quando accipit sedem, in Refectorio manducatur.

44. (*) Sciendum est autem, quod R. P. Carthusiæ poterit cum consilio sui Conventus Electum destituere, si secundum Deum ex aliqua justa, & rationabili causa judicaverit expedire. Et ideo Confirmatores communibus literis debent, quam citius commode poterunt, significare Rev. Patri hujusmodi electiones Priorum, quascumcumque pro tempore per eos fieri contigerit: Domus tamen, in qua fient electiones, Priorem sic electum reprobare non valebit.

45. Porro Electiones debent saltem intra quadraginta dies fieri. Quod si aliqua Domus in hoc fuerit inobediens nisi legitimo impedimento excusetur, in futuro Capitulo pœnam sustinebit condignam. Si vero, quod absit, ultra tres menses, justo impedimento cessante, Conventus electionem non fecerit; eligendi potestate ea vice privabitur, & provisio de Priore ad R. Patrem Carthusiæ devolvetur, vel ad Capitulum Generale. (*)

(*) *Ordinatio anni* 1647. Quando ex Præsidentibus electioni novi Prioris unus moritur, vel in Priorem eligitur; alter non præsumat sine Socio electum confirmare, sed teneatur ad hunc actum convocare Priorem vicinioris Carthusiæ, vel eo impedito Monachum antiquiorem professione ejusdem vicinioris Carthusiæ ut insimul ad Confirmationem electi deveniant.

(*) *Ordinatio anni* 1688. Servetur antiqua consuetudo Ordinis de petenda statim per Conventuales a R. P. Confirmatione novi Prioris electi, & a Præsidentibus ejus Electione confirmati: sub pœna infirmandæ electionis.

De Officio Prioris.

CAPUT TERTIUM.

1. Primum, & principale Prioris officium est, suæ ipsius, & omnium subditorum saluti, & profectui spirituali invigilare, se simul, & creditum sibi gregem secundum Deum, & regularem Ordinis disciplinam, & formam, Statutorum nostrorum in omnibus bene dirigere: bonum fratribus suis, & aliis de se ipso in omni virtute, & observantia regulari exemplum præbere, se cum illis in victu, & vestitu, in sequenda Ecclesia, & toto tam diurno, quam nocturno Officio, nisi aliud valetudo, & Domus negotia cogant, conformare.

2. Prioris est omnium sibi Subditorum confessiones audire, aut aliis idoneis committere, Infirmos inungere, communicare, & Defuncti Missam in Conventu celebrare, totum sepulturæ officium facere, Capitulum diebus festivis tenere, hebdomadam ordinare, missas singulis diebus in Conventu dicendas disponere, beneficia, & eleemosynas, & eos, qui se nostris Orationibus ex aliqua speciali causa commendaverunt denunciare, Sermones in Capitulo facere, aut cum vult aliis committere.

3. Prioris est in die Natalis D. SS. Nominis Jesu, Cœnæ Domini, Paschæ, & Pentecostes, Corporis Christi, S. Brunonis Patris nostri, & professionis Novitiorum, Missas in Conventu celebrare, & totum diei, & noctis eorum festorum, excepto professionis die, officium facere, Corporalia, vestes Sacerdotales, Altaris paramenta, & Cruces benedicere ad lectionem Sacerdotis hebdomadarii, benedictionem largiri, Te Deum inchoare.

4. Prioris est Conversis, & aliis Fratribus in Superioribus Domo Capitulum tenere, vel Vicario, aut alii idoneo committere. Eosdem etiam circa Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, Decalogum, præcepta Ecclesiæ, Maternam Orationem, modum serviendi Missis privatis, & modum recte confitendi, communicandi, & religiose vivendi plene instruere, (a) aut ab idoneis instrui facere. Et ut omnes debitis temporibus confiteantur, communicent, Missas audiant, Divinis Officiis interfint, & Ecclesiam frequentent, quantum unumquemque decet, & tenetur solicite providere. Scriptum est enim, si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior: propterea illum monemus, ut curet Sermones Conversis festivis diebus fieri; quibus etiam interfit familia.

5. Prior debet rebus, & negotiis Domus suæ superintendere, & de omnibus, generalem solicitudinem, & providentiam habere: bona etiam omnia per suos officiales, & ministros recte administrare, & ea secundum Deum, conscientiam, & formam Ordinis, & statutorum nostro-

(*) *Ordinatio anni* 1623. Mandamus omnibus Visitatoribus Provinciarum Ordinis, ut curent in singulis Domibus Provinciarum suarum publicari Decretum D.N. PP. Gregorii XV. sub data diei 27. Sept. an. 1622. pro conservando antiquo usu Ordinis, tam in Institutione Priorum, quam cæterorum Officialium.

(a) *Hinc animadvertant Priores non suis Officialibus, sed sibi ipsis curam spiritualis educationis Fratrum specialiter commissi.*

rum discrete dispensare: ac ne quid omnino rerum negligatur, ne quid pereat, ne quid male expendatur, solicite curare. Non enim res suas, aut hominum curet, sed Christi: cui de omnibus districtam illam reddere rationem oportebit. Verumtamen, ne forte temporalium cura rerum, ac solicitudine prægravatus, spiritualibus minus possit intendere, tales singulis obedientiis sataget deputare, quorum eas fidei secure valeat credere.

6. Prioris enim est officiales suos omnes, tam Monachos, quam Conversos, (a) & cæteros quoscumque cum maturo consilio instituere, destituere, mutare (nec hæc possunt impediri per Visitatores, nisi in actu visitationis existentes) & unumquemque in suis officiis, & obedientiis bene dirigere, & quoties est opus arguere, monere, & pie, & charitative pro eorum culpis, & inobedientiis salutares pœnitentias imponere. Verumtamen non debet Hospitibus Officium Vicarii, Procuratoris, vel Sacristæ commendare: (b) nisi forte ad hujusmodi officia in eadem domo idoneum professum inveniret.

7. Qui autem instituti sunt officiarii, vel alicui obedientiæ deputati, non audeant statim, vel postea in Conventu petere misericordiam, nisi de consensu Prioris. Qui quæsierit, arbitrio Prioris puniatur: & nihilominus obedientiam illam habeat, quandiu Prior viderit expedire.

8. Monachis potest obedientias in Claustro commendare: sed sæpius fit, & fieri debet in Capitulo. Cum autem in minoribus aliquando quærat consilium, potest, & in commendandis obedientiis, si vult aliquos consulere: eos maxime inter quos conversati sunt hi, quibus eas commendare proponit.

9. (*) Prior annis singulis in Adventu, aut alio tempore pro consuetudine Domorum in præsentia sua, & Vicarii, & duorum adminus ex senioribus, & discretioribus Domus: faciet Procuratorem reddere rationem generalem totius receptæ, & expensæ in illo anno factæ. Quod si Procurator facere neglexerit, arbitrio Prioris puniatur. Et nihilominus, si opus fuerit, sæpius ab eo ratio exigatur. Verumtamen Prior debebit tempestive prænonere Procuratorem, ut ad reddendum sua computa se præparet.

10. Prior sine consilio Vicarii, Procuratoris, & Sacristæ non præsumat commodare pecuniam, simul, vel per partes, ultra viginti scuta, & tam Priores, quam alii, qui Domus suas gravare non verentur, dando de bonis Ordinis, sine consensu suorum Conventualium extraneis, vel propinquis; ab officiis absolvantur, & nihilominus graviter puniantur.

11. Volumus quod quælibet Domus arcam communem habeat, sub tribus clavibus, quarum unam Prior habeat, alias aliqui ex Monachis quibus Prior commiserit Clavarii nuncupandi, in qua servetur omnis pecunia domus, præter eam, quam judicaverit Prior provisionibus Ordinariis necessariam. In qua etiam arca deposita aliena custodiantur: nec liceat ea commodare, vel expendere, nisi de voluntate Deponentium, & cum assistentia Clavariorum quando reponuntur, & extrahuntur pecuniæ, & depositæ ex dicta arca communi; atque retineatur in ipsa capsa liber, quo annotentur pecuniæ, & depositæ in eadem respective deponenda, & extrahenda, stricte servata in cæteris præsentium Statutorum forma. Si Prior, aut Procurator contrafecerit: Prioratum Prior, & Procurationem Procurator amittat.

12. Quod datur alicui Priori Domorum Ordinis, vel Rectori, vel etiam Vicario Monialium, acquiritur domui, cui noscitur præsidere: nisi constaret evidenter, quod non in gratiam, & intuitum domus illius, cui præsidet, vel officii aut personæ ipsius, sed magis favore domus suæ professionis conferretur; quia tunc tale donum ad Domum dictæ suæ professionis pertinebit: & quando aliquod dubium ex præmissis oriretur, judicium, sive determinatio reservetur R. Patri Carthusiæ, sive Capitulo Generali.

13. Prior licet nullo tempore debeat unquam sine multum rationabili causa exire de Domo: a principio tamen Adventus, usque ad primam post Epiphaniam diem, & a Quinquagesima, usque post Octavas Paschæ propter arctiorem sui Custodiam, & Gregis sui curam, nisi urgente necessitate, aut evidenti, & magna utilitate non poterit exire. Pro negotiis autem, quæ per Procuratorem, aut alium quempiam, aut etiam per literas, vel aliter commode expediri poterunt, a sua Domo non exeat, nec ea per se ipsum exerceat: sed in domo cum iis, a quibus assumptus est, resideat.

14. Cum autem pro negotiis expediendis eum personaliter exire oportebit, quam citius poterit revertatur, nec unquam solus equitet (c) nec solus incedat, sed semper habeat secum honestam alicujus comitivam, nec equitet extra terminos sine Cappa, nec etiam intra per Villas: remotus tamen a Villis, & a concursu hominum, eam exuere potest. Honestam vero Comitivam intelligimus Conversos, Donatos, aliosque domesticos famulos, maturam habentes ætatem, & nomen bonum: quos secum ducant tam ad Capitulum Generale, visitationes faciendas, & alia loca remota, quam ad Civitates suis Domibus propinquas, & vicinas Grangias. Hoc tamen prohibentes, ne prædictæ personæ incedant unquam equestres per hujusmodi Civitates; exceptis ipsis Prioribus ex causa rationabili, ubi consuetudo id toleret.

15. Priores dum sunt in itinere constituti, omni die feriali, si commode fieri possit, Missas audiant, aut celebrent; nam festivis certum est eos teneri dicere, vel audire.

16. Ubicumque duo, pluresve simul fuerint Priores, si unus ex eis, vel alicujus eorum Conversus, vel famulus excessum fecerit, vel dixerit, antiquior eorum, nisi adsit aliquis Visitator, excessum sic reprehendat, si Prior suus hoc facere neglexerit: ut alii, qui talia audierint, attentare similia pertimescant.

17. Priores, & omnes Personæ nostri Ordinis, personas omnes, & loca, & tempora, & res, & actiones omnes suspectas, & periculosas devitent, alioquin si res fuerit vehementer suspecta, & scandalosa, Visitatores scribant R. Patri, qui pro sua prudentia, & integritate providebit, prout ei secundum Deum, & facti qualitatem expedire videbitur.

18. Animadvertentes periculum Animarum, quod omnibus omnium statuum, & conditionum hominibus provenit ex prohibitorum librorum lectione, & usu, ordinamus, quod omnes Priores, libros omnes, qui in suis Domimus habentur, quam diligentissime fieri poterit, per se, aut alios ex suis idoneos visitent:

(*) *Ordinatio anni 1649.* Servantur n. 9., & 11. c. 3., & 17. cap. 6. 2. partis Statutorum de computis reddendis, & Arca communi habenda sub pœna absolutionis Priorum, & Officialium a suis officiis.

(a) *Officiales Conversos intellige Coquinarios, Hortolanum, Pistorem &c. ut latius exprimitur* cap. 32. Tertiæ Partis antiquorum Statutorum, *inde sciendum est Conversos nunquam posse instituí Procuratores, aut Coadjutores; quod ultimum officium committitur tantum Monachis, & in domibus, ubi ex rationabili Causa a R. P. sive fixe, sive transitorie præfatum officium Coadjutoris permittitur, cujus functiones arbitrio Prioris relinquuntur cum nullas habeat per statuta præfixas.*

(b) Vid. num. 12. Cap. 5.

(c) *Inde non est intelligendum, quod Prior debeat semper famulum equestrem secum ducere, sed de Comitiva ubique in itinere habenda, id intellige.*

recognoscentes libros devotionis juxta Bullam Pii V. præfixam Officio gloriosissimæ V. Mariæ, correcto, & emendato per Decretum Sacri Concilii Tridentini: Alios vero omnes recognoscant juxta Indicem prohibitorum librorum compositum ex Decreto ejusdem Concilii, & ejusdem Indicis regulas adhibentes, etiam alios Indices de hac materia; si qui compositi sint ab illarum Provinciarum Universitatibus, Episcopis, & Inquisitoribus, & si opus fuerit Theologos qui in illis morantur partibus consulant, aut consulendos curent, & Visitatores in actu visitationis diligenter inquirant: an talis recognitio librorum fuerit facta. Priores insuper præcaveant, ne aliqui ex suis subditis legant, vel penes se retineant ullos libros per supradictam Bullam, & Indices prohibitos: ne pœnam excommunicationis, & aliorum, quæ in Bulla ipsa, & Indicibus continentur incurrant.

19. Nullus Prior nostri Ordinis sive palam sive secreto præsumat ludere, aut solatiari cum subdito suo, aut etiam non subdito: nec quisquam Subditus præsumat ludere, vel contendere cum Priore suo, sed semper, & ubique tam in verbis, quam in factis ei deferat, & obediat reverenter, nec præsumat eum reprehendere: sed si quid Prior errare videbitur, Vicarius, aut alius de antiquioribus, & discretioribus Domus, secrete, & reverenter eum monere poteſt, & debet.

20. Prior in præcipiendo, & excommunicando, & in omnibus aliis censuris modum servet, tam propter periculum præcepti, & censurarum, quam etiam, ne sua indiscretione oves suas in amaritudinem perducat. Et ideo intelligens sibi datam fuisse potestatem in ædificationem, & non in destructionem, nisi pro gravissimis culpis, & periculis ad talia remedia non deveniat, sed potius ita se gerat, ut si interdum ipsius auctoritas timeatur; ipsius tamen persona semper diligatur. Nam etsi utrumque necessarium est, amari scilicet, & timeri: non expedit tamen, ut Prior præter potestatem, etiam natura sua, & moribus timeatur.

21. Sit ergo Prior talis, aut saltem curet, ut fiat, ut oves ipsius præsertim in tentationibus, & tribulationibus positæ, possint tanquam ad benignum Parentis sinum confugere, & ei omnia secreta sua manifestare. Non tamen debet Prior, ut ametur a suis ovibus, statuta Ordinis, aut regularis disciplinæ rigorem relaxare. Cum sit hoc non placare virtute, sed vitio; non oves servare, sed perdere: sed debet a suis moribus omnem auferre sævitiam, & iracundiam, & imperiositatem, & alia hujusmodi vitia, propter quæ timentur, & odiuntur Priores, ut sic non vitæ relaxatione sed religiosa morum benignitate diligatur.

22. Priores non mittant, aut Ordinariis præsentent Monachos suos pro Ordinibus suscipiendis, absque prævio examine ab iisdem Prioribus faciendo, & antequam ad legitimam ætatem pervenerint, ætas autem legitima est in Subdiacono annus 22. in Diacono, 23. In Sacerdote 25. Sufficit autem quod annum prædictum quis attigerit, licet nondum compleverit. Quando autem mittuntur ad Ordines suscipiendos, habeant secum Procuratorem Domus, vel si non possit, Conversum aliquem, aut Donatum, vel Sæcularem famulum gravem, & honestum, & mittantur ad propriam Civitatem, si in ea Ordines conferantur, vel ad locum magis vicinum ubi Ordines ipsos conferri contigerit, nec eundo, & revertendo a recto itinere notabiliter divertant, nec ibidem inordinatam moram faciant. Super quo Priores eorum curam adhibeant diligentem. Et ad evitandum omnes pernicioſos exceſſus, qui circa hoc contingere possunt, statuimus, ut omnes Priores teneantur quamprimum commode poterunt significare in verbo veritatis R. Patri, & Capitulo Generali, moram, quam sui facere solent in Ordinibus suscipiendis, quam moram si R. P., & Capitulum Generale viderint esse inordinatam, moderabuntur, & certum terminum præfigent. Quem postea nulla Domus, aut Provincia ullo modo transgredi possit sub pœna inobedientiæ. Declaramus etiam, quod Personæ Ordinis ad suscipiendos ordines non valeant absque licentia R. P. Curiam Romanam ordinate intrare; exceptis personis Domorum a dicta Curia ultra unam dietam non distantium; cum alibi dictos Ordines suscipere non valebunt.

23. Nulla Domus habeat duo magna sigilla hoc est unum pro Conventu, & alterum pro Priore, sed quælibet uno sigillo magno authentico sit contenta, quod Prior custodiat, sed nomine Conventus ipse non sigillet, nisi de totius Conventus, vel majoris partis voluntate, & consensu. Poterit tamen Prior habere sigillum parvum, & eo sigillare literas, quas scribit suo privato nomine.

24. Nullus Prior, nullaque Ordinis nostri persona admittat in se executionem Testamentorum, etiam ad pias Causas, nec solicitudinem, aut procurationem aliquarum Causarum, aut negotiorum alienorum, nec pariter legationes, seu ambasciatas, quæ simplicitati nostri Ordinis minime conveniunt.

25. Nullus etiam nostri Ordinis in se tanquam Judex, vel Arbiter lites, & negotia aliena suscipiat proprio motu. Quod si a Sede Apostolica, causa aliqua cuilibet ex Nobis fuerit delegata, tunc ad eam audiendam exeat, quamvis a R. P. Carthusiæ licentiam non habuerit exeundi. Qua in re sciendum, quod nisi in literis commissoriis Ordo Carthusiensis exprimatur, eam non tenetur Delegatus audire, sicut indulgentia, quam a Domino Innocentio Papa III. habemus, manifeste declarat.

26. Pro his etiam, qui non sunt de Ordine nostro, nullus nostrum quaslibet res cambiat, permutet, aut vendat, nec pro eis spondeat Emere vero si necessitas exegerit possumus: non tamen hoc fiat passim, nec pro quolibet, nec sine licentia Prioris.

27. Priores, & Procuratores quantum poterunt lites, & Processus fugiant, servos enim Dei litigare non decet. Quod si ad id interdum impellat eos necessitas, pacem cum Adversariis via amicabili, si fieri potest quærent, vel oblatam amplectantur ad vitandum discursus varios, litis eventus dubios, & expensas. Ex his enim multa Domibus, & personis Ordinis evenire possunt incommoda.

28. Nullus Prior, aut alia quævis persona Ordinis, verbis, literis, Nuntiis, promissionibus, aut alio quovis modo solicitet, subornet, vel inducat personas aliarum Domorum ad aliquam instabilitatem in non modicum personarum, & dictarum Domorum detrimentum. Qui contra fecerit, & quoties id fecerit, Ordinem per mensem in victualibus teneat sine misericordia. Et nihilominus per Capitulum Generale, vel Visitatores, prout casus exegerit, rigide puniatur.

29. Nullus Prior, aut alius nostri Ordinis publice prædicare præsumat, nisi in Claustro, vel Capitulo Monachorum, aut Conversorum, nec ibidem aliquis sæcularis præter domesticam familiam, nisi quando Priori videbitur expedire admittatur.

30. Prior circa subditos suos sit solicitus, ne Ordinem dimittant, vel de Ordine fugiant. Et quos hujus propositi probabiliter esse cognoverit, & eos qui alium, vel alios ad hoc induxerint, valeat carceri mancipare. Nullus Prior cum bona conscientia potest dare literas de non

repetendo aliquo ſubdito ſuo Ordinem noſtrum jam Profeſſo, prout in Romana Curia exiſtit declaratum.

31. Prior in domo ſua cum Hoſpitibus advenientibus, non debet paſſim, & indifferenter comedere, ſed dumtaxat cum perſonis honeſtis & talibus, quibus hoc commode negari non poterit; & tunc etiam quanto rarius, tanto melius. Converſi in Domibus noſtris, tam ſuperiori, quam inferiori non comedant cum Prioribus ſuis.

32. Priores in aliis Domibus Ordinis, non debent loqui cum Monachis, niſi de licentia proprii Prioris ipſorum Monachorum.

33. Prior quiſque novus in præſentia prædeceſſoris, ſi præſens fuerit, ac quatuor magis Diſcretorum de Conventu, ſi tot aut plures affuerint, vel ſi prædeceſſor non ſupervixerit, aut nimium remotus fuerit: In præſentia quatuor prædictorum perfecte in ſcriptis redigat ſtatum Domus.

34. Novus Prior, tam Domus Carthuſiæ, quam cæterarum in proximo ſequenti Capitulo profeſſionem faciat in hunc modum. Ego Frater N. promitto obedientiam communi Capitulo pro me, & Domo noſtra. Siquidem de antiqua, & approbata Ordinis noſtri conſuetudine, ſinguli Priores, Rectores, Vicarii Monialium, in ſingulis Capitulis Generalibus per ſe ipſos ſi præſentes fuerint, alioquin per literas, miſericordiam petere tenentur. Quod ſi non fecerint: nihilominus pro petita habeatur.

35. Prior abſolutus, ante deſcriptum ſtatum Domus a cujus Prioratu abſolvitur, in ſui ſucceſſoris præſentia, ad Domum aliam non recedat, nec ſecum aliquid deferat, vel ante ſe præmittat, niſi veſtes debitas, & quæ ſucceſſori ſuo decentia, ſalvo moderamine, videbuntur. Quod ſi in illa Domo, in qua eſt abſolutus remanere, vel ad Domum profeſſionis reverti voluerit, & cella non vacaverit: locus ei competens, & honeſtus extra cellam Prioris interim deputetur. In Eccleſia vero, & alibi in Conventu locus ei detur, ſecundum quod fuit in Ordine.

36. Poteſt etiam idem abſolutus eligere quamcumque Domum illius Provinciæ, in qua eſt ſita Domus a qua abſolvitur, ſi Domus, quam eligit velit illum recipere, propterea, ut eidem abſoluto provideatur, & evagationis materia ſubſtrahatur, ordinamus, quod abſolutus non recedat extra Domum, a qua abſolvitur, niſi prius fuerit debite certificatus, quod Prior, & Conventus Domus, quam eligit, voluerint eum recipere, ut tunc, & non ante Domus illa: cui præfuit, pecunias pro expenſis itineris neceſſarias ad prædictum locum cum equo, & famulo eis miniſtret. Quod ſi diligentiam fecerit jam in duabus Domibus, ut ab una, aut altera illarum reciperetur, & nec ſic quidem receptus fuerit, poſtmodum aut maneat in Domo a qua abſovitur, aut ad Domum ſuæ profeſſionis revertatur; donec ſequens Capitulum Generale, aut interim R. Pater Carthuſiæ, ſi hoc petierit, aliter ei provideat.

37. Prior, qui non propter crimen, ſed propter aliam culpam depoſitus eſt, in alia quidem Domo poterit eligi, niſi ſpecialiter a Capitulo Generali ſibi fuerit interdictum: ſed in amiſſa nunquam, niſi de licentia Capituli Generalis. Cum Prior, & Procurator pro eadem culpa ſuas amittunt obedientias: in ipſa Domo non debent habere eaſdem, donec a Capitulo concedantur.

38. Cum Prior propter infirmitatem, vel ſenium, factus inutilis voluerit ſuper annum habere miſericordiam, ſignificet Domui Carthuſiæ (*a*) quæ auctoritate Capituli Generalis, faciet ei miſericordiam, ſi viderit expedire, aut dabit licentiam convocandi duos Priores de vicinioribus, & diſcretioribus, qui poterunt ei facere miſericordiam, ſi hoc rationabile eſſe judicaverint.

39. Rector Domus Ordinis non ſedet in ſede Prioris in Eccleſia, nec in Refectorio, ſed in ſede Antiquioris e parte dextra ante Vicarium, nec promittitur ei obedientia in principio Rectoratus: tamen obeditur ei in omnibus tanquam Superiori.

40. Rector Novitiorum profeſſiones recipit mutato nomine Prioris in nomen Rectoris: quando Priores diſtant pluſquam unam dieram.

(a) *Vid.* num. 18. cap. 2.

De tractando Conſilio.

Caput Quartum.

1. Siquid magnum, vel grave tractandum fuerit, Prior Monachos profeſſos Domus ſuæ vocem habentes, & quinque annos profeſſionis completos (*b*) in unum facit convenire. Quibus proponens negotium, non debet manifeſtare ad quid inclinatur, ne per hoc videatur velle trahere alios ad hoc quod intendit: Sed tantum aperire quidquid occurrit in materia propoſita prout contra, ut, omnibus hinc inde conſideratis, & ſingulis quid ſentiant libere pronunciantibus: quod melius, rectiuſque exiſtimaverit, ſine ulla Perſonarum acceptione exequatur.

2. Non enim ullo Jure cavetur, ut quoties aliquis tenetur petere conſilium, teneatur etiam illud executioni mandare, cum conſilium de ſua natura non obliget ad ſequendum, quoniam ex multorum auditis judiciis, inſtruitur, & informatur animus conſultantis. In aliis autem, in quibus neceſſarius eſt conſenſus, & vota eorum, qui requiruntur: non eſt liberum Priori facere quod vult, ſed tenetur ſequi majorem partem ſui Conventus, quem tunc totum convocare debet.

3. Cæterum Hoſpites, non promoti ad Subdiaconatum, in diſciplina generali conſtituti, criminoſi, fugitivi, interdicti, ſuſpenſi, excommunicati non habent vocem in neceſſariis tractatibus: propterea Priores illorum voces, requisitere non tenentur.

4. Hoc autem in tractatibus, & conſiliis conferendis, omnino tanquam utiliſſimum, rectiſſimumque ſervari debet, ut nemo ſuam, vel alterius contentioſe præſumat defendere, vel aliorum impugnare ſententiam, ne bonum conſilii in diſcordiam, quod abſit, furoremque vertatur. Qui vero contrafecerit, & in his fuerit aſſuetus, communituſque reſipiſcere noluerit, tanquam pacis turbator a communibus tractatibus excludatur: pœna nihilominus plectendus graviori, quæ pro modo culpæ, & conditione delinquentis, remittitur arbitrio Præſidentis.

De Officio Vicarii, & Antiquioris.

Caput Quintum.

1. Prior quilibet unum ex ſuis Monachis Vicarium talem ſibi eligat, cui tuto ſuam poſſit conſcientiam committere, & in rebus arduis bono per eum juvari conſilio. Qui etiam abſente, & impedito Priore, cæteris exemplo, & verbo prælucere, & omnes in obſervantia regulari, & ſancta pace continere. Maternaque omnibus ubera, maxime tentatis, Infirmis, Afflictis, Novitiis, noviterque profeſſis fructuoſe exhibere

(b) *Juniores Monachi ab his tractatibus non abſolute neceſſariis ſemoventur, ne ulla rerum externarum diſcuſſione, aut temporalium cogitationibus, ab habitu intimæ recollectionis aſſumendo, & a temporalium oblivione retrahantur.*

valeat. Igitur esse debebit exemplaris, sufficienter doctus, maturus, benignus, zelator Ordinis, & observantiæ regularis : præcipuus amator pacis, & unitatis.

2. Vicarius absente, vel impedito Priore vices ejus agit in visitandis Monachis, licentiis dandis (*a*) Confessionibus recipiendis, inungendis, & communicandis Infirmis non tantum Monachis, sed etiam Conversis, Donatis, & Mercenariis in Domo superiori infirmantibus, in sepeliendis mortuis, in cantandis Missis quas Prioratus requirit (*b*), excepta Missa, in qua Novitius est professionem facturus.

3. (*c*) Et quoniam Vicarius repræsentat Priorem, & est secunda Persona Domus : ut officio ejus congruus locus deputetur, statuimus ut ubique in Conventu locum teneat Antiquioris a parte dextra Prioris, nec unquam absente Priore in Refectorio legat.

4. Cum Prior, & Procurator absunt, vel forsitan non possunt, vel si Procurator non sit Sacerdos, Vicarius descendit ad Domum inferiorem ad inungendum Infirmum, vel communicandum, si necessitas cogat; Et si non adsit Clericus aliquis, unum de Monachis secum introducat,

5. Vicarius absente Priore de uno Choro in alium, si opus est, adjutorium mittit, orationem ante horas terminat, ad lectionem hebdomadarii benedictionem largitur : etiam ad lectionem Prioris in die Nativitatis Domini, SS. Nominis Jesu, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, & S. P. N. Brunonis, & quando Prior est hebdomadarius. In festis absente Priore ultimam dicit lectionem : nisi adsit Prior nostri Ordinis, qui velit eam legere. Semper tamen absente Priore, *Te Deum laudamus* incipit.

6. In die Natalis Domini Missam mediæ noctis celebrat, nisi sit hebdomadarius, aut officium Prioris facere debeat. In vigiliis Paschæ, & Pentecostes ad Missam legit secundam, vel absente Priore, primam lectionem, & Missam Conventualem officii Capituli Generalis Cluniacensium, & Benefactorum post Natalem Domini : Absente Priore dicit, & similiter in Capitulo in Claustro, & in opere communi *benedicite* dicit, postulantibus misericordiam, vel culpas suas recognoscentibus respondet; Si quid faciendum est super hebdomadam insinuat, ad ostium Refectorii pulset, *Benedicite*, & sequentem versum incipit, similiter, & versum post prandium, & cœnam : cum cultello signum facit.

7. Priore absente, vel infirmante, vel committente, Vicarius Laicis Capitulum tenet, & hospites visitat. Cum Procurator deest, vel si non potest, Vicarius incensum ministrat, si tamen cantoriam hebdomadalem tunc facit, ad vesperas non offert incensum, sed Antiquior : Et si est hebdomadarius Missæ, & aliter suum facit Officium, debet etiam tunc ministrare Incensum.

8. Absentibus Priore, & Procuratore diebus Festis Capituli congruo tempore exit ad providendum ne Mensis Refectorii de his quæ apponenda sint aliquid desit. Priore autem præsente, & absente Procuratore, Vicarius scutellas apponit, & removet; nec tamen in sede Procuratoris sedet, sed servat sedem suam in capite Mensæ.

9. Priore existente in sua Cella, vel in Claustro, Vicarius non potest Monachum de Cella sua educere, vel in Cellam alterius introducere, nisi specialiter jussus, aut permissus, alias absente, vel sic impedito Priore, ut non possit haberi accessus ad ipsum, Vicarius dat petentibus licentias visitandi aliquem Infirmum, vel sanum, & ad Infirmum mittit, quem voluerit. Verumtamen licentiam a Priore alicui Monacho, vel Converso denegatam, non poterit postea dare, nisi urgente necessitate postea occurrente. Et ideo petitor etiam non interrogatus dicat, quod sibi fuerat a Priore denegata : Ne ut fraudis Reus, si eam ab ignorante obtinuerit, argui debeat, & puniri. Similiter si quis licentiam a Vicario, absente Priore denegatam, postea a Priore petere voluerit, a Vicario fuisse denegatam eidem manifestet.

10. In cæteris Prior de Vicarii potestate semper disponit secundum suæ directionis arbitrium, excepto, quod cum hospitibus, non comedat, aut bibat, quamvis possit præsens esse dum comedunt, & bibunt. Nec pro facienda Prioris hebdomada descendat ad inferiorem Domum : nec intret coquinam. De potestate Vicarii in foro pœnitentiali, quoad Priorem, & mortuo, aut suum officium non exercente Priore, quoad Monachos : habetur infra in Capitulo de Confessione.

11. Ad Vicarium spectat Ordinationes, quæ per Capitulum Generale fiunt, eo anno, quo fiunt, quater legere in Conventu; Et si sequens Capitulum approbaverit illas, in libro ad id deputato describere, & similiter Anniversaria perpetua per Capituli chartam quibusdam Personis per totum ordinem concessa, & quæ in sua Domo debentur recenter mortuis, debet Vicarius in Calendario Domus describere.

12. In Domibus Monachorum, nullus sit Vicarius, Procurator, aut Sacrista, nisi sit ipsius Domus professus, sine speciali licentia Capituli Generalis, vel R. Patris, vel in casu imminentis necessitatis, Visitatoris Provinciæ, qui si super hoc licentiam dederit, in tunc sequenti Capitulo ratificari debebit : alias ulterius non valebit.

13. Priore, & Vicario absentibus ubique in Conventu antiquior (*d*) præsidet, & omnia facit, quæ ad Vicarium absente Priore spectare diximus; unus tamen tantum designetur Monachus sub nomine, & officio Antiquioris in quolibet Conventu : Porro nullus criminosus, vel in disciplina generali positus, exercere potest officium Antiquioris, nec hospes similiter, nisi ex speciali concessione. Quandocumque autem ille, qui antiquior est professione, Judicio Prioris non erit idoneus ad exercendum officium Antiquioris : poterit Prior, alium idoneum instituere.

14. Priore, & Vicario absentibus, si Antiquior sit de choro sinistro transit ad dextrum pro inchoando *Te Deum*, & postea ad Sedem redit.

De Procuratore.

Caput Sextum.

1. Conversis, & famulis Domus præficitur a Priore unus e Monachis diligens Procurator : (*) sic eum volumus appellari, qui quamvis exemplo Marthæ, cujus suscepit officium circa multa solicitari, ac turbari habeat; Silentium tamen, & quietem Cellæ non penitus abjicere, aut abhorrere debet, sed potius quantum Domus negotia patiuntur, quasi ad tutissimum,

(*) *Ordinatio anni 1679.* In omnibus ubi sunt plures Procuratores, quod in Statutis de uno dici-

(a) *In quibuscumque rebus, ubi ex Statutorum præscripto requiritur licentia, debet etiam ab Officialibus peti a Vicario in absentia Prioris, nisi licentiam specialem haberent a Priore, de qua tamen ob rationem boni exempli ab Officialibus singulariter omnibus dandi, debent modeste Vicarium monere.*

(b) *Vid.* num. 7. cap. 18.

(c) *Vide* num. 20. cap. 20. secundæ partis.

(d) *Unus tantum designatur Monachus sub nomine, & officio antiquioris, nec de antiquis in Statutis nulla fit mentio. Unde cavendum est, ne alicubi senioribus quibusdam Monachis, titulus aniquus attribuatur, aut permittatur, sive aliqua licentia, aut privilegium concedatur, cum omnes Monachi unum Conventum efficiunt, & omnes æquales esse debeant tum in observantiis singularibus, tum in cæteris, ut per Statuta satis exprimitur.*

& quie-

tur, de singulis intelligitur, & quisque in obedientia a Priore sibi commissa, sua munia exercet circa res, & personas, prout *cap. 6. 2. partis Statutorum* exprimitur, sub immediata directione Prioris.

& quietissimum portus sinum ad Cellam semper recurrit, ut legendo, orando, meditando, & turbulentos animi sui motus ex rerum exteriorum cura, vel dispositione surgentes, sedare, & in arcanis sui pectoris aliquid salubre quod Fratribus sibi commissis in Capitulo Domus inferioris suaviter, & sapienter eructet, possit recondere: qui tanto frequentioribus monitionibus indigent quanto minus literas norunt.

2. Procurator si est Sacerdos hebdomadam Sacerdotii facit in ordine suo, sicut, & cæteri Monachi, incensum Sacerdoti semper ministrat quoties adolendum est, & in Laudibus quando cantatur Psalmus *Laudate Dominum de Cælis*; Ad Vesperas autem cum dicitur ultimus Psalmus tradit Cuppam Thuribili ad ostium Chori coquinario, vel ejus adjutori: ibidem illud recepturus cum incipitur, ultimus versus Hymni. In Missa vero post Epistolam traditur eadem Cuppa, & ante Evangelium recipitur. Aquam benedictam fert diebus Dominicis ad gradum Altaris. Quando vero benedicuntur Candelæ, Cinis, & Rami, & in Professione Novitii eamdem aquam benedictam fert Procurator in aspersorio Sacerdoti, & aperit portas Chori: Similiter administrat Vinum, quando communicant Fratres.

3. In Missa Conventuali si præsens est, semper legit Epistolam, nisi sit Sacerdos hebdomadarius, aut adsit Subdiaconus. Nullum aliud facit officium hebdomadale, non Diaconatum, non Cantoriam, non legit in Refectorio: legit tamen lectionem in Matutinis, quando sibi contingit, legit etiam in Claustro quod de Evangeliis, & Statutis legendum est; aut Vicarius, quando Priori expedire videbitur.

4. Procurator universorum sibi a Priore Commissorum curam gerens, (*a*) de negotiis pene omnibus, & sumptibus ad Prioris semper recurrit consilium: nec grande aliquid præter ejus licentiam agere, vendere, emere, accommodare præsumat, aut donare, munuscula tamen & literas recipere potest, vel dirigere, non debet pecuniam mutuo dare, vel accipere, aut deposita custodienda recipere, nisi sciente, & consentiente Priore; & si forte ex causa receperit, vel mutuum acceperit, aut dederit, quamcitius potest, debet hoc manifestare Priori.

5. Si Domus aliqua nostri Ordinis ultra suam provisionem vinum habeat, quod vendere velit, Procurator de licentia Prioris, illud in grosso vendere poterit: vel si hoc commode facere non potest sine magno Domus incommodo, poterit vendi in minuto in Civitatibus, seu Villis, aut locis aliis extra tamen septa Monasterii sui: Proviso etiam, quod per aliquem fidum Sæcularem, & non per aliquam personam Ordinis, dispensabitur in mensuris, ut moris est (*b*) alibi bibendum.

6. Pannos, Ferrum, & similia quæ ad generalem Domus provisionem pertinent, custodit, veteres, & detritas vestes dare potest pauperibus, non novas: nec pecuniam ultra quantitatem sibi a Priore præfixam, nec alicui caseum integrum. In grangiis proximis nunquam jacet, sed comedere potest.

7. Ea, quæ nobis debentur ex Ordine (*c*) a Procuratore non a Priore petenda sunt, nisi forte cum Procurator dare noluerit. Propter hoc tamen non intrant Monachi illius Cellam absque speciali licentia, nec aliud habent cum illo colloquium.

(a) *Vide* num. 5. & 6. cap. 3. hujus secundæ partis.
(b) *Vinum sic in mensuris venditum, alibi bibendum dicitur, ne in domibus ordinis aliqua tabernæ species appareat.*
(c) *Debita ex Ordine ea sunt, quæ ad necessitates communes spectant, & latius in antiquis Statutis exprimuntur. Non putent ergo Priores sibi licere ultra id, aliquid dare Monachis, aut Monachi accipere absque licentia Superioris.*

8. Sede Prioris vacante, Cellam ejus custodit Procurator, & res in ea contentas integre.

9. Procurator debet omni tempore Monachos Infirmos visitare, qui Ecclesiam dimiserunt: & erga eos diligens, & benignus esse, alias non visitat illos, nec illorum Cellas ingreditur, sine licentia nec cum eis loqui potest extra Cellam, nisi invenerit eos colloquium habentes de licentia Præsidentis (*d*); ad ostium tamen potest pauca verba loqui.

10. Procurator providere debet, quantum potest, ut portiones pitantiarum sunt æquales: Et propterea quantum negotia Domus permittunt, pitantiis faciendis interesse debet, nunquam autem comedit in Coquina, sed alibi potest.

11. Procurator diebus Capituli exit de Ecclesia congruo tempore, ad providendum ne quid desit Mensis Refectorii: in quo tenet ultimum locum a parte Coquinæ, vel secundum consuetudinem Domus, & scutellas apponit, & removet.

12. Procurator, & cæteri Officiales Domorum in pitantiis ordinariis, & gratiis non different a cæteris.

13. Procurator propter hospites, qui manent, Refectorium dimittit, absente Priore; quod eo præsente, nisi jubente facere non præsumat. Circa quos debet esse solicitus, & primus advenientibus occurrere, ac de cibis, & lectis eorum providentiam habere, eosque visitare. Procurator non passim, & indifferenter comedat cum omnibus, sed dumtaxat cum personis honestis, ac talibus, quibus hoc commode negari non poterit: cum quibus quanto rarius poterit, tanto melius.

14. Post Primam Conversi, qui non habent obedientias, veniunt ad Procuratorem, ut quod voluerit, eis præcipiat. Circa singulas obedientias Conversorum, Procuratorem convenit esse solicitum: Et ne eis aliquid depereat, omnimodam diligentiam adhibere. Conversis potest in virtute obedientiæ quod præcipiendum est præcipere: raro tamen propter periculum præcepti id faciat. Si inobedientes fuerint: disciplina pertinet ad Priorem, aut eo absente ad Vicarium (*e*) non potest illis dare licentiam accipiendi vestem missam ab aliquo, vel aliquid tale: Licentiam vero loquendi cum opus est, dare potest.

15. Quicumque sit obedientiarius, Mercenarios sibi necessarios quærit, non tamen extra terminos, & ad Procuratorem adducit, ut ab eo conducantur: nisi Conversus conducendi licentiam habeat. Conductum vero Mercenarium nullus potest dimittere infra terminum suum, sine Procuratoris licentia: Nec sine illius consilio aliquid vendere, vel emere infra terminos. Mercenariis, qui adsunt, quod sibi visum fuerit, debet præcipere; qui sine illius licentia non debent foras egredi. Cum vero conducuntur Mercenarii, præcipiat eis Procurator, ut sint continentes, ut ad usuras non accommodent, decimas reddant de animalibus suis, si quæ habeant, & nemini injuriam, vel damnum inferant.

16. Nulla Domus Ordinis nostri subtrahat Mercenarios alteri Domui. Quæ vero subtraxerit, vel subtractum retinuerit: in hoc puniatur, & Domui, cui fecit injuriam, vel subtractum reddat: vel alium suis expensis provideat.

17. Procurator singulis annis in Adventu, vel alio tempore, pro consuetudine Domorum in præsentia Prioris, Vicarii, & duorum ad minus ex Senioribus, & discretioribus Domus reddat rationem generalem totius receptæ, & expensæ in Domo factæ: nihilominus infra annum toties

(d) *Soli Procuratori Domus id licet.*
(e) *Vide* num. 20. cap. 20. tertiæ partis.

reddat rationem suæ administrationis, quoties Priori videbitur.

18. Procurator unica sit equitatura contentus, & famulo pedestre, nisi pro urgente, & evidente necessitate aliud visum fuerit Priori: in quo judicamus non esse facile dispensandum. Illos autem Procuratores, qui juxta veterem Ordinis rigorem pedites incedunt, plurimum laudamus, & hortamur in Domino, ut rem tam laudabilem perseveranter conservent, & ad posteros transmittant.

19. Si Procurator in omnibus præmissis negligens, aut prodigus, aut contumax, quod absit, inventus fuerit, sæpiusque correctus emendare noluerit, subrogato in loco ejus meliore ad Cellæ protinus custodiam revocatur, ut qui nequit alienam, suam saltem operetur salutem.

20. Cum Procurator pro culpa sua absolvitur, in ipsa Domo non debet restitui in Procuratoris officium: donec a Capitulo Generali, vel a R. Patre concedatur. Procurator dimittens procurationem, quidquid habuerit in Cella, & quidquid in aliam Cellam asportare voluerit ostendat, & exponat voluntati Prioris.

De Procuratoris officio in Domo inferiori.

21. In Domibus, in quibus est Domus inferior, (*) a Superiori separata, Procurator cum facit superius Hebdomadam Sacerdotii ad ipsum tantum pertinent Missæ propriæ, quæ occurrunt: & in festis, quæ Capitulum habent Matutinæ, & Horæ. Cætera, & quod de prædictis Procurator non potest, facit Sacerdos, qui sequitur in eodem Choro.

22. Procurator semper ascendit in Vigiliis Festorum Capituli, quoad Monachos, & Conversos. Antequam vero in prædictis Vigiliis ascendat, loquitur cum Coquinario: providet de Coquina, seu pitantia, quæ die crastina Fratribus apponatur. Semel ad minus in hebdomada ascendit sursum, si potest.

23. Hebdomada in ramis Palmarum, feria quarta, Altare discooperit, & postea ad Domum Superiorem ascendit; in Sabbato reversurus ad disponendum Domum inferiorem, & operiendum Altare. Quandocumque autem superius est, potest sicut cæteri intrare Ecclesiam in Conventu.

24. Cum sursum ascendit facta oratione ad Ecclesiam, ad Priorem venit, & postmodum cum placet per Cellas Fratres Conversos visitat: post Vesperas autem nunquam, ante Missam festivis diebus, nec in Adventu, & Quadragesima. Non debet Monachos visitare sine licentia: ad ostium tamen potest pauca verba loqui.

25. Priore absente, vel si non potest Procurator in domo inferiori communicat Conversos, & Donatos infirmos, & eorum recipit Confessiones, eosque inungit, si tamen Sacerdos fuerit. Corpus autem Domini potest infirmus accipere a Procuratore, si sit Diaconus, quod tamen non debet fieri, nisi sit in extrema cecessitate: & si nullus Sacerdos adest, qui hoc faciat. Hoc ipsum de Mercenariis dicimus, etiam Priore præsente, & jubente.

26. In die Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, ante Capitulum, descendit Procurator inferius, cum Frater, vel alius est communicandus; atque potest in Domo inferiori Missas debitas reddere, sicut & Prior, exceptis Missis Anniversarii, & Tricenarii, quæ superius reddi debent. Item in Domo inferiori Fratribus Capitulum tenet, eosque corrigit, & reprehendit. Mercenarios etiam corrigere, & reprehendere debet.

27. Ad eumdem pertinent Festivitates, Jejunia Ecclesiæ, & Ordinis preces Fratribus, qui diebus festivis non ascendunt ad Domum Superiorem, post Vesperas intimare, & Fratribus, qui non adsunt, hoc ipsum debet per Coquinarium significare: Procuratoris est in Domo inferiori pulsare ad Primam.

28. Quando aliquid inordinate, vel minus discrete fieri videt ibidem, illico debet reprehendere, & ille, qui reprehenditur prostratus, statim debet veniam postulare.

29. In Festo Dedicationis cum Fratres thurificandi sunt, Thuribulum cum incenso ad Conversos thurificandos, vel hospites, si adsint post thurificationem Altaris tradit Coquinario: vel si deest, Antiquiori. Ad Vesperas utrasque, Matutinas, & Missam, candelas accendit: Si die crastina sit festum Capituli, antequam ascendat dicit omnes horas in Ecclesia.

30. Propter Festum Dedicationis, & Reliquiarum Ecclesiæ inferioris, Prior, & Procurator jejunium non infringunt.

31. Greges annis singulis cum vadunt ad hyemandum, & cum redeunt a Procuratore numerentur.

De Confessione, & Communione.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Singulis diebus Dominicis, vel Sabbato præcedenti, aut semel ad minus in septimana, & præcipuis festis, Monachi non celebrantes tam Novitii, quam Professi confiteantur Priori, vel ab eo deputatis. Propter hoc tamen non prohibemus, quin alias super hebdomadam confiteri possint in Capitulo: vel de licentia Prioris in Cellis.

2. Celebrantes vero multum hortamur, ut Confessionem Sacramentalem frequentent. Propter hoc enim quotidie post Primam pulsamus pro confessionibus faciendis; & tunc Confessarii deputati, accedunt ad locum constitutum, ut qui quotidie confiteri volunt, quotidie confiteri possint (*a*) sicut est laudabilis mos multarum Provinciarum, & Nationum nostri Ordinis, quod Sacerdotes non legitime impediti sæpius confiteantur, & quotidie celebrent.

3. Flexis genibus super formas procumbentes, & nudato capite Confessiones facimus, injunctam autem pœnitentiam a Confessariis prostrato corpore, & detecto capite reddimus: sed non eam, quæ in Capitulo injungitur.

4. Per totum spatium, quo fiunt Confessiones: nullus debet libros in Capitulo revolvere aut aliquem strepitum edere.

5. Priores possunt subditos suos absolvere ab omnibus peccatis, & censuris Sedi Apostolicæ non reservatis. Possunt etiam ex Indulto Domini Alexandri PP. IV. cum consilio Discretorum Fratrum suorum Literatorum, & Deum timentium cum eis dispensare super irregularitate contracta, sive priusquam Ordinem intraverint, sive post, nisi casus esset Sedi Apostolicæ reservatus. (*b*).

6. Ad Priorem proprie spectat Confessiones sibi subditorum audire, sed quia id solus commode non potest, teneatur nominare, & deputare aliquos ex discretioribus Monachis qui cæterorum Confessiones audire possint, unum scilicet in qualibet Domo, in qua morantur sex tantum Monachi, duos vero ubi Monachi sunt ultra sex. Sic autem ab eo deputati absolve-

(*) *Ordinatio anni 1679.* In Domibus inferioribus, quæ nunc in Ordine raræ sunt, vel præscripta a Statutis serventur ad literâ, vel Domus istæ aboleantur, ne vitæ laxioris veluti officinæ existant, convertanturque in simplices grangias.

(a) *Sed cavendum est ne ex frequentissimo usu Confessionis, quædam sicca confitendi consuetudo oriatur, quam non raro sequitur defectui contritionis, & emendationis, unde in hoc consilium prudentiis Confessarii requirendum est, & sequendum.*

(b) *Omnes fere irregularitates ex defectu sunt reservatæ Summo Pontifici; tollitur autem irregularitas ex defecta natalium per professionem religiosam, sed tantum quo ad Ordinis suscipiendos consulenda ergo sunt super hac re privilegia Ordini concessa, de quibus infra.*

re pos-

re possunt ab omnibus etiam mortalibus peccatis, exceptis iis, quæ specialiter, & expresse reservata sunt ipsi Priori, a quo tamen etiam reservatorum hujusmodi absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipsi in primis Confessarii judicaverint. Quod si confessariis præfatis casus alicujus reservati facultatem petentibus Prior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes etiam non obtenta a Priore facultate absolvere, juxta Decretum fel. record. Clementis Papæ VIII. super casuum reservationem ab omnibus Regularium Superioribus observandum de anno 1593. emanatum.

7. Peccata vero mortalia Priori specialiter reservata sunt hæc (a); Homicidium, aut vulneratio, aut gravis percussio cujuscumque personæ, Veneficium, Sacrilegium, Revelatio Confessionis, Furtum, seu Rapina, Usura, Proprietas, omnis incontinentia actualis, sive lapsus carnis voluntarius opere consummatus, Simonia, Blasphemia in Deum, & Sanctos ejus, Perjurium, falsum Testimonium, Sortilegium, Incendium, Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento: quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii fiat egressio. Injectio manuum violenta, falsificatio literarum, & sigillorum: Rebellio, seu inobedientia in suum Superiorem, manifesta infamatio criminis, quod quis alteri objicit, & non potest probare, Magisterium conspirationis iniquæ: odium inveteratum, idest in quo quis per mensem integrum perseveraverit: frequens disseminatio discordiæ, quæ frequens censetur quando sex vices superat, Revelatio status, & defectuum domorum, vel personarum Ordinis, ex quibus mala opinio, vel sinistra suspicio, vel diffamatio apud audientes oriri posset per aliquem scienter, & malitiose facta, alicui novitio, aut extraneo, Introductio Mulierum incontinentiæ causa infra clausuras Domorum, vel Grangias: malitiosum impedimentum, aut malitiosa retardatio, aut apertio literarum a Superioribus, (id est a R. Patre, Capitulo Generali, & Visitatoribus, quibus adjunguntur etiam Scriba Capituli Generalis, & Procurator Generalis in Urbe) ad inferiores: & ab inferioribus ad Superiores: & si quæ alia inveniantur, quorum absolutio per Statuta Ordinis nominatim, & expresse reservatur Priori, aut R. Patri, vel Capitulo Generali. (b)

8. In casibus prædictis si quis offenderit non poterit per deputatos ad Confessiones audiendas absolvi, nisi prout jam diximus.

9. Vicarius habet auctoritate Capituli Generalis potestatem plenam in his, quæ ad forum pœnitentiæ pertinent, quoad Priorem, & potest ipsum absolvere ab excommunicatione Juris, & ab omnibus casibus non reservatis Sedi Apostolicæ, ac cum eo super his dispensare; sed possunt nihilominus Priores sibi ipsis Confessarium eligere (c) unum ex deputatis, qui poterit eos etiam a prædictis reservatis absolvere: nec tenebuntur sic confessi, & absoluti, eadem peccata iterum suo Vicario confiteri. Ex Indulto etiam Domini Alexandri PP. IV. unus ex Monachis, quem ad hoc Prior sibi elegit, potest ipsum Priorem absolvere a Sententiis, & censuris Ecclesiasticis, & dispensare cum eo super irregularitate in foro pœnitentiali dumtaxat: (d) dummodo non sit casus Sedi Apostolicæ reservatus.

10. Mortuo etiam Priore, vel quando absens esse debet ultra tres dies: Vicarius in Domo Monachorum eamdem habet auctoritatem in spiritualibus, quoad personas Ordinis, quam habet Prior, Jure Ordinario, & ex Statutis, & pariter Priore excommunicato, suspenso, vel interdicto, Vicarius habet illam potestatem quoad personas Ordinis, quam habebat Prior Jure Ordinario, & ex Statutis, donec ipse Prior a censuris prædictis absolvatur, aut alius ei in Prioratu subrogetur. Non enim potest ipse Prior medio tempore, hoc est durante excommunicatione, suspensione, vel Interdicto, Vicarium absolvere, aut alium in ejus locum subrogare.

11. Deputati ad Confessiones audiendas ab excommunicatione possunt absolvere, sive minori, sive majori a Jure, quæ non sit reservata; sed a reservata sive a Jure, sive ab homine lata fuerit, non possunt absolvere: sed remittunt ad Priorem, vel si casus sit Papæ reservatus, pœnitens recurrit ad R. Patrem per se, vel per interpositam personam, qui pro sua prudentia, aliquem deputabit, qui eum poterit absolvere.

12. Verumtamen possunt Priores, si volunt alicui, seu aliquibus ex Confessariis in suis Domibus ad Confessiones audiendas deputatis, dare auctoritatem plenam, aut limitatam absolvendi in præsentia, vel absentia sua a peccatis sibi auctoritate ordinaria reservatis. Hortamur autem Priores, ut rarius, & non sine urgente causa rationabili istud faciant, & si quando fecerint, curent ad tantum opus committere tales de quibus merito confidere possint, & qui sciant, & valeant inter lepram, & lepram, sanguineum, & sanguinem discernere, & singulis salubre dare consilium, & necessarium adhibere remedium; nam hoc casu confessi, his quibus est hæc specialis absolvendi a reservatis peccatis facultas concessa: non tenentur iterum Priori confiteri.

13. Vigore insuper facultatis per Apostolicam Sedem concessæ personis nostri Ordinis in die Nativitatis, & Purificationis Beatissimæ semper Virginis Mariæ, & quæ communiter apponi solet in Apostolicis Indulgentiis, possunt deputati ad audiendas Confessiones absolvere ab omnibus sententiis, & peccatis etiam reservatis Sedi Apostolicæ. A cæteris peccatis non reservatis possint ut supradictum est ordinarie deputati ad audiendas confessiones tam Priorem suum, quam cæteros Subditos sibi confitentes absolvere, & eis satisfactionem injungere.

14. Quod si quis Prior, Procurator, Monachus, aut Conversus in itinere constitutus, (e) alteri quam Priori suo, vel deputato, de aliquo mortali reservato confessus fuerit; domum reversus tenebitur iterum confiteri Priori, aut Prior Vicario; nisi alium elegerit Confessarium.

15. Solus R. P. Carthusiæ, & quos ad id subdelegandos duxerit possunt ex Indulto SS. D. N. PP. Innocentii XI. per literas in forma Brevis sub die 18. Octobris 1687. emanato, personas Ordinis ab omnibus excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris a Jure, vel ab homine, quavis causa latis, & inflictis, necnon a casibus etiam per Literas Apostolicas in die Cœnæ Domini legi, & promulgari solitas, aut alias quascumque Romanorum Pontificum Constitutiones quomodocumque Pontifici, & Apostolicæ Sedi reservatis in foro conscientiæ tantum absolvere, & liberare.

16. Prædicti autem ut supra delegati, per R. P. ad absolvendum a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non possunt alteri committere vices

(a) *Extat Decretum D. Clementis PP. VIII. quo Capitulis generalibus datur potestas reservandi peccata gravia, quæ pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate reservanda videbuntur, quod legendum est, & ejus mens in omnibus servanda. Donati autem huic etiam reservationi sunt subjecti, sed in materia proprietatis, & furti requiritur pro eis eadem quantitas, quæ pro sæcularibus censetur sufficiens ad mortale.*

(b) *Vide* num. 59. cap. 22.

(c) *Istud est de Jure communi*, C. ne pro dilatione *extra de pœnit. & remiss.*

(d) *Per irregularitatem super qua in foro conscientiæ dumtaxat dispensatur, illam intelligo, quæ ex delicto occulto oritur, & in foro conscientia tantum cognito.*

(e) *Iter agentes ex Juris dispositione possunt confiteri cuilibet Sacerdoti approbato.*

suas : cum sit in eis electa industria personæ.

17. Nulli extraneo Sacerdoti, sive Sæculari, sive etiam Regulari poterunt aliqui nostrum quamdiu in Domo Ordinis sunt, etiam transeuntes licite confiteri, nisi Priorum licentia impetrata quam quidem licentiam Priores absque causa multum rationabili non concedant, vel nisi quis ostenderit se habere privilegium sibi datæ potestatis a Domino Papa expresso nomine Carthusiensis Ordinis.

18. Vigore etiam facultatis per Apostolicam Sedem concessæ alicui personæ Ordinis nostri, & quæ communiter apponi solet in Papalibus Indulgentiis, quod videlicet quis possit sibi eligere Confessarium idoneum, Sæcularem, aut cujusvis Ordinis Regularem, qui possit eum absolvere ab omnibus peccatis suis, etiam prædictæ Sedi reservatis : nullus de Ordine nostro potest sibi alium eligere Confessarium, quam Subditus Priorem, vel unum ex Ordinariis ad Confessiones audiendas in Conventu deputatis.

19. Præterea personæ Ordinis nostri ex Indulto Domini Martini PP. V. possunt in mortis articulo eligere sibi Confessarium, (a) qui omnium peccatorum, de quibus contriti sunt, & confessi, potest eis dare plenam remissionem. (Ordinatio anni 1679. *Ex Sedis quidem Apostolicæ gratia Ordo gaudet communicatione privilegiorum, aliorum Regularium Ordinum, & patet ex Bulla Domini Gregorii PP. XV., sed ne ullus unquam abusus, ex tam amplis privilegiis irrepat inter nos contra mentem Ordinis, & ipsius Sedis Apostolicæ, quæ juxta exigentiam temporum, privilegia ipsa explicat, aut restringit; statuimus, & ordinamus, ne ulla persona Ordinis possit uti privilegiis, aliis Regularibus concessis, circa casus, censuras, & dispensationes, quæ in nostris Statutis expresse non habentur, absque scitu, & consensu R. P., aut Capituli Generalis, ad quod pertinet privilegiorum istorum dispensatio.*)

20. Confessiones Sæcularium, & aliorum, qui de Ordine nostro non sunt, mercenariis exceptis, qui nobis domestice famulantur, (b) sine superiorum suorum licentia audire non possumus, nec debemus. Quod si de Superiorum licentia ad nos venerint : erit in libera optione Priorum, ut recipiantur eorum Confessiones, aut non. Verumtamen quantum possumus, hortamur, & suademus, ut Priores sese in hoc multum difficiles exhibeant, & nisi necessitas urgens, vel evidens utilitas exigat, nullatenus dictas Confessiones admittant, & ubi hactenus non fuit consuetudo dictas Sæcularium Confessiones admittendi, nullo modo in posterum introducatur; ubi vero jam forte introducta est, si sine scandalo, & perturbatione magna fieri poterit, omnino tollatur : aut certe paulatim abscindatur. Quare nihil gratius Ordini per Priores præstari poterit : cum natura nostræ professionis admissionem hujusmodi Confessionum omnino recusare videatur : mulieres autem, etiam cum Superiorum suorum licentia, nullatenus ad Confessiones faciendas recipiantur.

21. Inhibemus universis Personis Ordinis nostri, ne quisquam audeat, præterquam in casibus a Jure communi expressis, ministrare sæcularibus, & aliis non subditis Sacramenta Ecclesiastica ullo modo, aut levare infantem de Sacro Fonte, aut alia hujusmodi, quæ nostrum statum minime decent.

22. Quicumque Priori suo, vel alteri Sacerdoti improperaverit, quod ipse suam, vel alterius confessionem revelaverit, cum hoc peccatum, revelare scilicet alienam confessionem, sit gravissimum, & detestabile crimen : nec probari possit, nisi ipse Confessarius hoc dixerit, quod videlicet hoc, vel illud a tali, vel tali in confessione habuerit, nisi improperans probaverit, tanquam notabiliter criminosus incarceretur, nec inde educatur, donec famæ illius, quem offendit satisfecerit, & per Capitulum Generale, seu R. P. relaxari meruerit. Quod si Prior hoc improperavit, per tres menses sit extra sedem suam ubique in Conventu, & per Capitulum Generale, seu R. P., aut Visitatores, prout casus exegerit, puniatur.

23. Quod si legitime probatum fuerit, aliquem revelasse confessionem, tanquam sacrilegus, & enormiter criminosus incarceretur, & sit perpetuo inhabilis ad audiendas Confessiones, & ad omnia officia Ordinis, nec educatur de carcere : donec Judicio Capituli Generalis, aut R. P. condigne pœnituerit.

24. Omnes personæ Ordinis nostri, cujuscumque status, conditionis, vel sexus fuerint, tam Novitiæ, quam Professæ, quæ Missas non celebrant, prima Dominica cujuslibet mensis, & ipso die Nativitatis, & Cœnæ Domini, Paschæ, Pentecostes, Eucharistiæ, & S. P. nostri Brunonis, cum præparatione debita, SS. Dominici Corporis Sacramentum in Missa Conventuali, nisi aliter essent legitime præpeditæ, recipiant.

25. Laicos etiam de familia nostra, & cæteras personas Ordinis aliunde venientes, & servitores earum, si de peccatis rite confessi fuerint : communicare possumus post Conventum.

26. Consulimus, & hortamur, ut præter publicam Communionem, quæ fit supradictis temporibus, Monachi non celebrantes, singulis saltem Dominicis diebus, & solemnitatibus, in privata Missa communicent.

27. Cum nihil habeamus in terris Venerabilius Corpore D. N. Jesu Christi, & reliquiis Sanctorum, ac iis, quæ pertinent ad cultum Ecclesiæ, ordinamus ut Priores omnem curam, & diligentiam adhibeant, ut ipsa primum loca divino cultui dicata, mundissima, & nitidissima sint. Deinde, ut vasa ipsa, & Theca, in quibus SS. Corpus Christi, & Reliquiæ continentur, præter omnimodam munditiem argentea sint, aut ex aliqua decenti materia. Calices etiam, & eorum Tersoria, Corporalia, Pallæ & Altarium paramenta, & omnis denique supellex, & ornatus Ecclesiæ, mundissima in primis, & decentissima debent esse; Quoniam in divinis, & Ecclesiasticis rebus crassa quædam negligentia indicat animum a timore Dei alienum.

28. Cum aliquis nostrum fragilitatem patitur dormiendo, sic enim honestatis causa pollutionem nocturnam nominare solemus : celebrare, aut communicare, vel non, nec laudamus, nec vituperamus. Utrumque enim bene, & male fieri potest, dum alii timore, & reverentia abstinent, vel devotione, aut spe majoris boni communicant, alii vero præsumptione, & audacia quadam temere ad Divina Mysteria accedunt. Qua propter nihil super hoc melius statuendum esse judicamus, quam si unum quemque pro facti qualitate, suæ, atque Confessarii sui conscientiæ relinquamus.

29. Si tamen talis fragilitas, esset, quod absit, peccatum mortale, nemo tunc debet communicare, vel celebrare : sed pro timore Dei Omnipotentis abstinere, nisi forte tunc aliquis Infirmus necessario communicandus esset, aut Missa in Conventu celebranda, quæ sine scandalo omitti vel transferri non posset, & nullus alius supereset Sacerdos, qui hoc faceret. In hoc enim & similibus casibus judicamus cum timore, & tremore, præmissa tamen confessione, pœnitentem posse celebrare : imo etiam pro dando Viatico debere. In omnibus vero aliis casibus quibus-

(a) *Circa Indulgentias vide Bullam Domini Pauli PP. V.* in Bullario tom. 3. pag. 229.

(b) *Mercenarios nostros non debemus absolvere a reservatis Episcopo Diœcesano, absque ejus licentia : ad cæterorum autem sæcularium Confessiones audiendas requiritur ejus approbatio.*

cumque

cumque, si fragilitas sit mortalis, omnes a Communione, & celebratione abstineant, & interim pro tanto reatu digne pœniteant, & satisfaciant.

30. Eos vero, qui, cum fragilitas, aut nullum, aut veniale peccatum est, judicant secundum Deum esse melius, & utilius celebrare, aut communicare, quam abstinere, monemus ut quidquid in tali casu minus habent de munditia, & puritate Corporis, hoc totum suppleant, humilitate cordis, & devotione majori.

31. Si tamen aliquis sentiret se interius propter talem fragilitatem esse deordinatum, & minus recollectum, laudamus, nisi necessitas, aut scandalum aliud exigat, ut in tali casu a celebratione, & communione abstineat.

De Capitulo.

Caput Octavum.

1. Intrantes, & exeuntes de Capitulo, ad crucem nudatis capitibus inclinamus.

2. Lector Capituli egreditur diebus Dominicis cum dicitur versus, unus omnino. In festis super hebdomadam dicto, *Confiteor*, ipsius est prius claudere ostia, quæ sunt claudenda pro Domorum consuetudine, postea librum præparare. Quamdiu est ad Lectorium, ibi non inclinat dum dicitur *Gloria Patri*, vel *Pater noster*, licet tunc Conventus inclinet, nec pro defectibus ibidem factis veniam capit, nisi postquam omnia legenda legit, & librum clausit.

3. Omni tempore post lectionem, regresso Lectore ad sedem suam, statim Prior *Benedicite* dicit, & nos respondentes, *Dominus*, aliquantulum inclinamus, & in certis quidem solemnitatibus fit sermo, prout notatur in Kalendario. Cæteris autem festis, quæ dicenda sunt pro consuetudine Domorum, Prior dicit, & antequam incipit Psalmum *De profundis*, qui de statuto possunt petere orari pro se, vel suis, petant misericordiam pro quibus, & pro benefactoribus, & Recommandatis, Psalmus *De profundis* subjungitur.

4. Quo cum suis Orationibus, finito, exeunt Novitii, & Dominicis diebus dumtaxat, Monachi omnes ordine antiquitatis publice recognoscunt culpas suas, (*) de defectibus in Divino Officio, de statutis, & cæremoniis male observatis, de fractione silentii, de absentia a Divinis, & de tarditate veniendi ad Ecclesiam. Hebdomadarius autem Sacerdos, Diaconus, Cantor, & Lector Refectorii, finita hebdomada, Dominica sequenti in Capitulo dicunt culpas suas de defectibus factis in eisdem Officiis. Quando vero pro alio legit aliquis in Refectorio, non tenebitur dicere culpam suam in Capitulo de lectura Refectorii, nec Lector Hebdomadarius, nisi legerit saltem semel: recognoscere etiam tenetur culpam suam in Capitulo, qui Conventum errare fecerit, aut qui correctus ab Emendatore errorem suum defenderit, vel qui confusionem aliquam in choro, vel alibi in Conventu fecerit, vel qui tantam moram fecerit, veniendi ad Ecclesiam, quod ab Infirmario requisitus fuerit.

5. Dicentes autem culpas suas de fractione silentii, debent exprimere locum, vices, & qualitates personarum, & tenentur disciplinas cum virgis a Præsidente recipere, nisi ea die celebrare habeant in Conventu, vel nisi ea die sit communio generalis, vel nisi ex aliqua causa rationabili Præsidens disciplinam in aliam pœnitentiam commutet, & omnes Priores servent, & servari faciant istud statutum de disciplinis pro fractione silentii dandis: alias Visitatores super hoc provideant. Dicentes etiam culpas suas de egressu Cellæ inordinato, debent exprimere tempus, & vices.

6. Dum culpæ recognoscuntur, Capitulum nullus intrare, aut exire debet. Nullus etiam culpam suam, vel alterius, præsumat in Capitulo, vel alibi in Conventu defendere. Qui contrafecerit, ad terram comedat, vel arbitrio Prioris pœnæ subjaceat graviori.

7. In Capitulo non loquimur, nisi quando confitemur, aut Capiculum tenetur, & tunc etiam nullus loquitur, nisi ea tantum, quæ ad necessitatem, vel Religionis observantiam pertinere noscuntur. Secreto autem loqui cum aliquo nulli licet ibidem, vel ubicumque fuerit in Conventu.

8. Quacumque ex causa aliquis sit in disciplina, nullus audeat pro eo rogare in Conventu, nisi volente Priore.

De Lectore Refectorii, ipsoque Refectorio.

Caput Nonum.

1. Lector Refectorii, Correctorem ad quem pertinet lecturam Refectorii ordinare, & assignare, debet interrogare quid legendum sit, & congruo tempore libros, qui ad legendum sufficiant, in Refectorium portare.

2. Cum Conventus ingreditur, Lector stat versa facie ad Orientem, seu ad mensam Prioris, inclinante autem Conventu ad *Gloria Patri*, & *Pater noster*, & ipse inclinat versa facie ad Conventum *Jube Domine* dicit stando ibidem, & eodem modo. Non debet autem sedere, donec sedeat, qui præest Conventui, nec cooperire caput donec Prior mantile suum devolvat, aut signum faciat. Quandocumque etiam Homiliam a principio inchoat (*a*) caput nudat, & Nos omnes similiter: donec ab eo dictum sit, *& reliqua.*

3. Historiam legit celerius, sermones, & Homilias tardius aperte tamen, & distincte legat omnia, ut possit intelligi, & tali voce, quod possit audiri. Provideant autem Procurator, & Coquinarius, ne in Refectorio tumultus aliquis, aut vox, nisi solius legentis audiatur.

4. Quod Lector, dato signo, dicturus est, *Tu autem Domine*, vel ultimum versum lectionis, Caput discooperit, & responso a Conventu *Deo gratias*, de lectorio descendit, & inclinat versa facie ad Conventum. Si aliquis de libris, quos attulit, referri debet: Novitius, vel ultimus, finito prandio eum in Ecclesiam, vel Capitulum defert, & si plures sint libri portandi Juniores in ordine Novitium aut ultimum juvant.

5. Lector Refectorii in Refectorio benedictionem ad prandium, vel cœnam iterare non debet, gratias autem reddit in Ecclesia, vel in Capitulo, nec unquam sine licentia in Cella sequentem refectionem sumit. Quod si in Refectorio cœnam facere voluerit (*b*) nulla ibidem illi pitantia detur, sed sit contentus his, quæ cæteris fuerint Conventualibus ministrata, nec tunc aliud quidquam die illa ministretur ei in Cella, nisi necessitate cogente.

6. Similiter eis, qui faciunt cœnam in Refectorio, nihil aliud die illa, nisi necessitate cogente ministretur in Cella.

7. Quando Lector Refectorii diebus Capituli supplet in Ecclesia vices Hebdomadarii, Missam Conventualem celebrando, supplet etiam ejus vices in Refectorio mensas benedicendo, & gra-

(*) *Ordinatio anni* 1679. Recognitio culparum diebus Dominicis nunquam committatur in absentia Prioris, Vicarius enim, aut antiquior debent respondere, culpas suas recognoscentibus juxta *n.* 6. *cap.* 5. *secundæ Partis Statutorum*, pœnitentiasque a Statutis præscriptas imponere.

(a) *Id intelligendum est de Homiliis, quarum Evangelium non fuit lectum in Ecclesia, non vero de Homiliis Dominicarum intra Octavas, quarum Evangelium jam fuit lectum in solemnitate: tunc enim tantum dicitur Homilia lectionis Evangelicæ, in Dominica intra Octavas talis solemnitatis.*

(b) *Id Intelligendum est quando Lector non vult uti licentia, sibi per Superiorem oblata.*

tias agendo: unde eo casu lectura Refectorii transit ad eum pro illa die, cui post ipsum contigit ex ordine.

8. Si Lector Refectorii non potuit inchoare hebdomadam suam, quam cito poterit, debet eam recuperare, etiam post feriam quintam.

9. In hebdomada Natalis Domini, Lector Refectorii legit duos dies, scilicet in Dominica, & die Natalis Domini, nisi eadem solemnitas in eadem Dominica evenerit. Tunc enim sicut in hebdomada Paschæ, & Pentecostes uno tantum legit die, deinde cæteri per ordinem, & singuli dicunt culpas suas pro defectibus in lectura post expletum Lectoris officium in Dominica sequenti. Qui autem legit in Circumcisione Domini, diebus etiam Capituli in eadem septimana sequentibus legere debet, sicut per annum solet fieri, sed intra Quadragesimam quando in una hebdomada occurrunt tria festa Capituli præter Dominicam, hebdomada illa inter duos Monachos dividitur, & pro duabus hebdomadibus transit: Nec secundus Lector pro hac vice aliam hebdomadam lectionis in Refectorio facit.

10. Intrantes nudamus capita, & veniente contra sedes nostras, inclinamus ad Crucem. *Benedicite*, & sequentem versum incipit, qui præest Conventui, similiter, & versum post prandium, & cœnam.

11. Mensas autem benedicit, & gratias agit Sacerdos Hebdomadarius, si Missam ea die celebravit, qui ejus vices supplevit, mensas benedicit. Excipiuntur festa in quibus totum officium Prioris est, & dies sepulturæ defuncti. In his enim Prior, vel qui ejus vices agit, mensas benedicit. Similiter quando sepelitur defunctus in die, in qua alias non fuisset in Refectorio comedendum, Prior, vel qui ejus vices agit, mensas benedicit. Quicumque autem mensas benedicit, debet primo mensam Prioris, si Prior in ea sit comesturus benedicere. Deinde mensam Chori sinistri, deinde mensam Conversorum, si adsint, & postremo mensam dextri Chori.

12. Data benedictione Lectori, omnes inclinamus ad Crucem, & media pars Conventus intrat a parte Superiori Scamnorum, & alia pars a parte inferiori, tenemusque nudata capita donec Prior post unum, aut alterum versum lectionis, mantile suum devolvat, aut aliud signum faciat. Sed neque sedemus, donec Præsidens sedeat primus.

13. Apponenti aliquid nobis, & removenti inclinamus: & ipse nobis. In apponendo autem, & removendo scutellas, post Priorem, & Hospites, si adsint, & ad mensam Prioris comedunt: semper incipitur a dextra parte Refectorii. Pitantiam in Refectorio appositam, nullus ad se trahit, donec ille, qui apposuit, redierit ad sedem suam, & Præsidens ad se traxerit sibi appositam pitantiam.

14. Oculos ubique, sed in Refectorio maxime tenere debemus: ne aliquam murmurandi, vel ridendi materiam nobis afferant.

15. Panem nostrum, & pitantiam, ita debemus æqualiter scindere tam in Refectorio, quam in Cellis; ut quod residuum fuerit, honeste cuilibet possit apponi. Vinum quoque in scyphos cum tali quantitate apponendum est; ne illud cogamur in vasa refundere. Bibentes autem, duabus manibus Scyphum tenemus.

16. Monachus nolens ea, quæ sibi apponuntur comedere: alteri porrigere fas non habet. Scutellas non exponimus, donec Prior suam exponat, & cum duæ scutellæ apponuntur: quando exponimus eas: unam infra alteram ponimus nisi tantum de cibis illatis remanserit, quod id facere sine immersione nequeamus.

17. Quando Lector Refectorii dato per Præsidentem signo dicturus est, *Tu autem*, vel ultimum versum lectionis: capita nudamus, nec surgimus donec responderimus, *Deo gratias*, quando dicendum est. Postquam vero surrexerimus, antequam incipiatur a Præsidente versus pro gratiarum actione, inclinamus ad Crucem: Et similiter post inceptum Psalmum *Miserere mei Deus*, quando a Refectorio in Ecclesiam pergimus.

18. De Refectorio Novitius primus exit, excepto illo, qui præcedit ad aperiendam Ecclesiam, & excepto die Cœnæ Domini, post collationem mandati, quia tunc Prior primus exit.

19. Qui præcedenti horæ in Ecclesia immediate ante Refectionem cantatæ non interfuerit, non poterit ad Refectorium post illam horam convenire, & qui in Refectorio non fuerit pransus: cœnam in eo sumere non debebit. Qui vero prandet in Refectorio, a cœna sine licentia abesse non debet: dummodo Vesperis interfuerit.

20. In Refectorio Monachorum nulli nostrum licet loqui nec Converso unquam comedere. Nunquam in Refectorio Conversorum, nunquam in Refectorio Monachorum comedimus, nisi quando juxta Statutum in Refectorio comedere debemus. Nunquam exceptis propriis Cellis, in aliqua Domo, vel officina, Monachi manducant, aut bibunt, nisi Prior, & Procurator: Nemo autem unquam nostrum in aliena Cella.

21. Ad Cœnam in Refectorio, non ova, non pisces, aut aliqua talis pitantia, nec etiam Coquina (*a*) unquam detur, nec ab aliquo tunc comedatur: Prior, & Procurator, qui contrafecerint, aut fieri permiserint, necnon omnes qui comederint; prima die sequenti sine Capitulo a vino abstinere teneantur. Verumtamen in Domo Carthusiæ, tribus diebus Capituli Generalis, Prioribus in Refectorio cœnantibus aliqua pitantia ministratur.

22. In cœnis etiam Cellarum diebus binæ refectionis, servetur frugalitas, & Carthusiana simplicitas. Propterea sufficere putantes duo ova, aut aliud æquivalens pro singulis; prohibemus omnes superfluos abusus, tanquam Statutis, & sobrietati Carthusianæ Religionis repugnantes.

23. Diebus Dominicis, aut ultimo continenter sequente festo quo comeditur in Refectorio post cœnam, & peractas in Ecclesia gratias tanquam Christi mendici ad Refectorii ostium panes singuli recipimus, eos tradenti inclinantes, & ipse nobis. Quod si in jam dicto festo jejunium occurrat, postridie ad Cellas deferuntur.

24. Absente Conventu nullos licet in Refectorio admittere ad refectionem sumendam.

25. In die Cœnæ Domini ad collationem, quæ fit post mandatum in Refectorio: nihil omnino præter vinum, & aquam ministretur. Nectar quoque, aut alias quaslibet species vini, & specierum confectiones, nullo unquam tempore in Refectorio ministramus.

26. Alienum prorsus est a Carthusiana sobrietate, & voluntaria paupertate de victualibus murmurare, maxime coram Conventu. Propterea quicumque id facere præsumpserit, privetur ea re pro qua murmuraverit. Non tamen pro hoc prohibere intendimus, quin quilibet suas necessitates Superiori exponere possit cum modestia, & animi resignatione, sed volumus Præsidentes Domorum sibi Subditis necessaria juxta formam Ordinis sufficienter providere, & nihilominus malas consuetudines contra sobrietatem, & attritionem nostri propositi salutaris in animarum dispendium circa cibos superfluos, & lautiores omni cum diligentia efficaciter propulsare. Hortamur autem, & obse-

(a) *Vide sensum hujus verbi* infra num. 20.

cramus

cramus Subditos omnes in Domino pro ſua ſalute, & totius Ordinis honore, ut cum omni humilitate, manſuetudine, & patientia, in hoc ſuis Prælatis obtemperent, nec inde murmurent, aut Prælatos ſuos aliquatenus inquietent: ſi Divinam & Ordinis voluerint ultionem evadere.

De abſtinentia, & jejunio.

Caput Decimum.

1. Secunda, quarta, & ſexta feria ex antiqua conſuetudine pane, & aqua, & ſale, ſi cui placuiſſet, contenti eramus, quod quia dudum in deſuetudinem abiit (*a*) volumus ut unam adminus in ſeptimana qualibet abſtinentiam omnes Monachi faciant: quos infirmitas, aut ſenectus, aut debilitas non excuſat, vel alia cauſa, quæ Priori rationabilis videatur. Nec tamen propter hoc antiquam conſuetudinem de faciendis abſtinentiis feria ſecunda, & quarta irritamus, ſeu prohibemus, his qui illam obſervare voluerit, & judicio Prioris potuerit.

2. Nulli detur gratia generalis de abſtinentiis ſemel qualibet hebdomada non faciendis, ſed qui gratiam ſuper his obtinere volent, miſericordiam petant eo die, quo fieri debet abſtinentia; niſi legitimo detineantur impedimento. Nulla autem occaſione diebus abſtinentiæ deputatis butyro, caſeis, aut ovis utimur, quandiu in Domo aliqua Ordinis ſani ſumus: ſimiliter, nec in Adventu.

3. In itinere tamen conſtituti quando Piſces, aut alii convenientes cibi non reperiuntur, prædictis diebus abſtinentiæ uti poſſumus ovis, butyro, caſeis, & ſimilibus lacticiniis. Hoſpitibus etiam, qui de Ordine noſtro non ſunt: permittimus ova, & lacticinia, quando illis veſci licitum eſt, miniſtrari.

4. In Vigiliis Natalis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, S. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli (*b*) Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Purificationis, Annuntiationis, Compaſſionis, & Aſſumptionis Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, S. P. Noſtri Brunonis, & omnium Sanctorum, fit abſtinentia, niſi veniant in feſtis duodecim lectionum. Propter hoc tamen non præcipitur abſtinentia frequentior, quam ſemel in ſeptimana.

5. Quando Feſtum duodecim lectionum occurrit in Vigilia Pentecoſtes, abſtinentia fit die præcedenti, & in ipſa vigilia abſtinemus & lacticiniis, etiam in Refectorio. Cum autem Feſtum duodecim Lectionum occurrerit in vigilis Aſcenſionis, vel Corporis Chriſti, fiat abſtinentia feria ſexta ſequenti, & in prædictis vigiliis abſtineatur a lacticiniis.

6. Cum vigilia Corporis Chriſti, & B. Joannis Baptiſtæ in una occurrerint hebdomada, in vigilia Euchariſtiæ, fiat abſtinentia Ordinis: in altera vero a lacticiniis. Quando autem Feſtum Corporis Chriſti in vigilia B. Jo. Baptiſtæ occurrerit, fiet abſtinentia feria quarta præcedenti: & ipſo die Euchariſtiæ nec jejunamus, nec a lacticiniis abſtinemus ob reverentiam tantæ ſolemnitatis.

7. Quando vigilia B. Joannis Baptiſtæ, & vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli occurrunt in eadem hebdomada, in prima vigilia fit abſtinentia: in ſecunda vero jejunatur, & dumtaxat a lacticiniis abſtinetur; quod etiam ſervatur in vigilia Viſitationis B. Mariæ.

8. Quando vigilia Annuntiationis accidit feria ſecunda, vel tertia hebdomadæ Sanctæ, abſtinentia non fit in ipſa vigilia, ſed in die Paraſceves. Quando vero dictum feſtum celebratur infra octavas Paſchæ: ipſius vigilia nec jejunamus, nec a lacticiniis abſtinemus.

9. Si Feſtum duodecim Lectionum feria ſexta hebdomadæ minutionum occurrat, abſtinentia fit in Sabbato, & pariter ſi Circumciſio Domini occurrat feria ſexta, abſtinentia fiet Sabbato ſequenti.

10. Quando feria ſexta, occurrit Feſtum duodecim Lectionum, abſtinentia fit feria quarta, deinde devenit ad feriam ſecundam, deinde ad Sabbatum, deinde ad feriam tertiam, deinde ad feriam quintam: Sic quod ſaltem in hebdomada fiat abſtinentia, exceptis Septimanis Paſchæ, & Pentecoſtes, & Natalis Domini, quando accidit in Dominica, aut feria ſecunda, vel Sabbato. Quod ſi feria ſexta feſto impedita fuerit, & occurrat feria tertia, vel quinta jejunium Eccleſiæ: volumus abſtinentiam fieri feria quarta, vel ſecunda.

11. Volumus, ut nihil accipiatur, etiam gratis oblatum pro pitantiis dandis diebus abſtinentiæ deputatis: Sed ſi quid detur, alio die expendatur. Circa pitantias etiam, quæ dantur feria ſecunda, & quarta, & interdum diebus abſtinentiarum; Præſidentes Domorum, & inde Viſitatores diligenter invigilent, ut non indifferenter Statuta relaxentur; Sed penſata locorum & perſonarum qualitate pitantiæ ipſæ moderentur, & reſtringantur.

12. Die, qua debet fieri abſtinentia, Monachi extra proprias Cellas non laborent; nec tunc eis ſpatiamenta, aut recreationes concedantur.

13. In vigiliis Beatorum Jacobi, Bartholomæi, Laurentii, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, & Matthiæ: Jejunium cum commemoratione ſervetur, & fiat.

14. Feria ſecunda, & tertia Rogationum, lacticiniis quidem utimur, ſed jejunium ſervamus: nec etiam ſi tunc feſtum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi contingat; illud infringimus.

15. Jejunia temporalia ſuis temporibus cum tota Eccleſia obſervamus, & quoties occurrit Eccleſiæ jejunium, a nobis ſervatur iiſdem diebus, & quemadmodum ipſa Eccleſia ſervat, adeout in feſtis etiam ſolemnibus, ſi tale occurrat jejunium, ſemel tantum reficiamur.

16. Ab Exaltatione S. Crucis uſque ad Paſcha, non niſi ſemel in die reficimur, exceptis feſtis Capituli extra Adventum, & Quinquageſimam occurrentibus: & minutionum diebus. Et hoc inviolabiliter obſervetur, exceptis Infirmis, valetudinariis, itinerantibus, debilibus, ſenibus, & minutis. Alias vero ſi Prior fregerit, vel fecerit frangi (*c*) ſit extra Sedem ſuam in Eccleſia per quadraginta dies, & ſi Vicarius idem fecerit, ſit Novitius per quadraginta dies.

17. In die tamen ſuſceptionis novi Prioris, & in die Sepulturæ Fratrum noſtrorum, jejunium ſolvitur: niſi tale eſſet quod pro feſto Capituli minime frangeretur.

18. Similiter propter hoſpites noſtri Ordinis, vel etiam extraneos, dummodo graves, & honeſtæ perſonæ fuerint, de ſero ad noſtras Domos venientes, permittimus hoſpitalitatis gratia Prioribus, & Procuratoribus Jejunium, quod non ſit de Eccleſiæ præcepto, frangere.

19. A Paſcha vero uſque ad feſtum Exaltationis, exceptis prædictis jejuniis, & feria ſexta in qua feſtum Capituli non occurrit; iterato reficimus. Verumtamen, ut aliquod ſaltem veſtigium abſtinentiæ priorum Patrum noſtrorum, quam in hoc etiam tempore feria ſecunda, & quarta faciebant, apud nos remaneat, volumus ut feria ſecunda, & quarta hebdomadæ, quæ feſtum Pentecoſtes præcedit, jejunium ſervetur, quatenus per hoc etiam ad tantam ſolemnitatem, &

(*a*) *In antiquis Statutis* Secundæ partis *hæc diſſuetudo jam expreſſa habetur.*

(*b*) *Hæc abſtinentia fit in vigilia Sancti Nicolai, niſi occurrat in Dominica, quo caſu fit Sabbato præcedenti.*

(*c*) *Subaudi abſque rationabili cauſa, juxta id, quod exprimitur* cap. 10. num. 17.

Spiritus

Spiritus Sancti susceptionem melius præparemur.

20. (a) Coquinam, seu pitantiam nobis ministratam, non debemus in crastinum, neque etiam in Vesperam sine licentia reservare.

21. Extra horas refectionis aliquod alimentum sumere, aut vinum bibere nulli nostrum licet, nisi Infirmitas, debilitas, aut alia rationabilis causa excuset. Verumtamen conceditur diebus jejunii sero cum vino fructulum panis sumere, ne potus noceat.

22. Quoties aliquis nostrum ubicumque fuerit, scienter biberit purum vinum, nisi urgente necessitate, toties abstineat a vino, quando bibere poterit ordinate.

23. Vinum, & cervisia tali mensura ministrentur, ut nulla detur occasio notabilis excessus quod si aliqua sit Persona Ordinis, quæ incauta sumptione vini, vel cervisiæ, patiatur aliquid detrimenti, quoad usum rationis, vel valetudinem corporis; Priores taliter restringant mensuram utriusque, ut natura sic habeat necessitatem suam: Ut tamen nullum in corpore, vel conscientiæ patiatur detrimentum.

24. Qui secundum sanctissimam nostri Ordinis consuetudinem a S. Patribus nostris introductam, omnem esum, & sumptionem carnium, & omnium quæcumque ex carnibus quomodolibet constent, sive per modum cibi, sive per modum potionis, seu sorbitionis sumantur, a nostro proposito abjecimus; Statuimus, ut quicumque nostri Ordinis Professus, hujus tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, (b) seu alicui personæ Ordinis ministrando, aut comedentibus, vel ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo cum potuerit prohibere, vel qui infra Domus suæ Clausuram, quibuscumque personis carnes ministraverit, seu ab aliis permiserit ministrari, nec prohibuerit, prohibere cum valebit: Si Prior, vel Vicarius, aut Procurator hoc fecerit, ipso facto tanquam ipsius sui Instituti calumniator, & transgressor, obedientiam perdat, & vocibus, ac locis debitis, & cæteris obedientiis Ordinis careat in æternum. Si vero simplex Monachus, aut alia quævis persona Ordinis extiterit, voce, loco, ac obedientiis carens perpetuo, ad Capituli Generalis voluntatem, carceri mancipetur. Hanc autem laudabilem Constitutionem, & omnes Moniales nostri Ordinis, & eis Præsidentes, de verbo ad verbum extendi volumus, & jubemus. Carnes autem mortuæ nunquam vendantur in Ordine.

25. Disciplinas, vel vigilias, seu quælibet alia Religionis exercitia, quæ nostræ institutionis non sunt, nulli nostrum, nisi Priore sciente, & favente facere licet.

26. Nullus etiam Prior, vel Subditus, faciet abstinentias, præterquam ab Ordine constitutas.

27. Sed si cui nostrum Prior voluerit injungere, ut plus sibi indulgeat in cibo, & somno, vel alia qualibet re, quam Statutum decernat, aut, e converso, si durum, & grave aliquid præter Statutum ei imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne cum ei restiterimus, non ei, sed Domino, cujus erga nos vices gerit, restitisse inveniremur. Licet enim multa sint, & diversa, quæ observamus: uno tamen, & solo obedientiæ bono, cuncta nobis fructuosa futura speramus.

(a) *Per verbum istud intelligitur species pulmenti apud Nos in prandio tantum ministrari solita.*

(b) *Extat excommunicatio a S. D. N. Paulo V. Summo Pontifice lata in eos, qui vellent adhuc uti quomodolibet licentia a Pœnitentiaria Romana, a quibusdam olim obtenta pro ægrotis, in præjudicium hujus laudabilis Constitutionis.*

De Minutionibus, Rasura, Infirmis, & Medicinis.

Caput Undecimum.

1. Humanæ compatientes Infirmitati, permittimus, etiamsi nullus omnino minuatur, easdem recreationes Monachis dari, quæ hactenus diebus minutionum, quando aliqui minuebantur, (c) concessa fuerunt. Igitur post octavas Paschæ, post solemnitatem Apostolorum Petri, & Pauli, secunda hebdomada Septembris, Septimana ante Adventum, & hebdomada ante Quinquagesimam, licebit per tres dies feriales continuos bis reficere, & recreationes juxta Domorum consuetudines Visitatorum Judicio approbatas habere.

2. Et ne ex hujusmodi minutionibus aliqui abusus contra Ordinis intentionem, & formam Statutorum nostrorum, ullo unquam tempore invaleant, aut tolerentur, statuimus, ut minutionum diebus prædictis Divinum officium diurnum, pariter, ac nocturnum eadem gravitate, & devotione persolvatur, qua cæteris diebus ferialibus super annum solet persolvi. Cui etiam omnes omnino interfint, nisi legitimo aliquo impedimento detineantur, & tunc etiam de licentia Præsidentis; alias beneficium minutionis ejusdem diei mittant. Quod ut fieri possit, taliter per Præsidentes disponantur spatiamenta, uno tantum trium dierum prædictorum dari solita intra, vel extra Domum, quod omnes Vesperis interesse possint.

3. Pitantias autem, quæ dantur prædictis diebus, nolumus excedere pitantias illas, quæ quibusvis festivis diebus anni, in qualibet Domo, dari solent. De quibus pitantiis ordinandis prohibemus omnino Monachis, se ullo modo intromittere, & hoc Priores, & Visitatores faciant inviolabiliter observari, excessus reprimendo, & importunos, ac contradicentes sua auctoritate compescendo, & digne puniendo.

4. Porro sic minutionum recreationes concedi volumus, ut tamen jejunium sextæ feriæ propter eas nunquam frangatur. Quod si propter aliquod impedimentum non possint in una hebdomada continuari tres dies minutionum: In tali casu liceat anticipare, vel postponere dictas minutiones, juxta arbitrium, & dispositionem Præsidentis.

5. Rasura Monachorum fiat per totum Ordinem bis in mense, in qua stricte servetur silentium.

6. Infirmis secundum possibilitatem Domus omnia necessaria, & expedientia, charitative præparentur. Quia tamen, secundum B. Benedicti dicta, ne superflua, vel impossibilia petendo vel murmurando servientes, sibi contristent, diligenter moneantur attendere, & ut memores arrepti propositi, sicut sanos Religiosos a sanis Sæcularibus, ita ægrotos Religiosos ab ægrotis Sæcularibus debere cogitent discrepare; nec illa in Eremis, quæ vix in Urbibus inveniuntur, exposcere. Omnino tamen Prior provideat, ne Infirmi a servitoribus, vel aliis negligantur. Verumtamen esus carnium, cui Ordo renunciavit, nulli nostrum conceditur, etiamsi sit leprosus.

7. Prior dispensare potest circa Infirmos in comedendo lacticinia diebus abstinentiæ, & in Adventu, & etiam, si tamen Infirmitatis magnitudo id exigat, in quadragesima, in deponendo cilitium, & caligas, & lecti duritiem minuendo: & Conversum, aut famulum, qui eos in cellis custodiat ministrando. Procurator etiam, & Coquinarius diligentes, & benigni sint circa Infir-

(c) *Qui extra tempus minutionum hic præfixum minuuntur, non possunt prætendere aliquam recreationem sibi esse concedendam, quia istæ recreationes statutis tantum temporibus annexa sunt.*

mos, & etiam circa hospites, & Mercenarios, quando eos contigerit ægrotare.

8. Infirmus, qui non potest Ecclesiam, & Conventum sequi, debet si commode possit, interesse Capitulo. Quando autem, & quomodo Canonicas horas dicere teneatur, habetur in prima Statutorum parte.

9. Medicinis perraro, & nonnisi urgente necessitate, & cum licentia Prioris utimur: Similiter sine licentia Prioris nullus nostrum minuitur.

10. Si quæ Personæ Ordinis nostri artis medicinæ fuerint peritæ, in extraneis medicinam nullatenus exerceant, nec etiam in nostris, nisi in levioribus infirmitatibus, & in quibus nullum verisimile mortis periculum timeri possit: nisi aliud necessitas aliquando exigere videatur.

11. Nullus nostrum propter rupturam, vel alia quacumque causa se inscidi faciat, vel alium inscidat, nisi de licentia Prioris Carthusiæ, & cum consilio probatorum Chirurgorum.

12. Nulla Persona Ordinis nostri suo Priori, aut Visitatori infesta sit pro licentia obtinenda, ut mittatur extra Domum ad Medicos, aut alia loca; alioquin sit in disciplina Generali ad Ordinis voluntatem. Priores tamen eis de necessariis provideat in Domibus suis, prout eorum exiget infirmitas, nec petant pro eis dictas licentias.

13. Natationes, & lotiones Corporum in Mari, Fluminibus, stagnis, vel similibus aquis, tanquam parum honestas, & periculosas, omnino omnibus personis nostri Ordinis prohibemus.

De Vestimentis, utensilibus Cellæ, & ædificiis construendis.

Caput Duodecimum.

1. Ad vestitum accipimus tria cilicia, duo lumbaria, id est funiculos, quibus renes super carnem præcingimus; Tunicas magnas, sive Superiores duas, quæ nec nimis longæ sint, nec nimis breves; Cucullas totidem, quarum Caputia sint quadrata, nec duorum palmorum latitudinem excedant, in longum, vel in latum, Tunicellas parvas ad carnem, supra tamen Cilicia, tres, Cucullas parvas duas, Caligarum paria tria, Pedulium quatuor, Pelliciam unam magnam, quæ sine speciali licentia nunquam fiudatur, Sagum pellibus suffultum unum, & Sagum simplex unum, Cingulum, seu Zonam unam, ex canabe, vel ex albo corio, aut ex utroque contextam, Calceos diurnos, & nocturnos, seu subere, vel ligno compactos, quos a cœno, nive, & pluvia, quantum possumus custodire debemus, Pileos duos.

2. Officiales etiam quando terminos exeunt, & Novitii ubique in Conventu, Cappas nigras deferunt: (*) quarum Caputia trium palmorum in longitudine, & duorum cum dimidio in latitudine mensuram non transcendant. Ex Indulto etiam Apostolico, personæ Ordinis nostri possunt deferre Pileum, vel Capellum de filtro, Monachi scilicet nigrum, Conversi Castaneum cum Cappa ejusdem coloris: in quibus tamen nulla ponatur curiositas, aut foderatura, vel circumferentia ex ferico.

3. Verum quoniam tanta est Regionum diversitas, ut frequenter, quod in una est necessarium in altera sit superfluum, & ita nulla possit certa, & universalis lex pro omnibus statui, concedimus in unaquaque Provincia, sive Natione, omnia illa aut dari, aut negari indumenta, quæ Priorum, & Visitatorum judicio, & pro Domorum consuetudine, ac facultate, videbuntur esse danda, aut deneganda. Hortamur autem, & obsecramus in Visceribus Domini Nostri Jesu-Christi omnes, & singulos Priores, & Visitatores nostri Ordinis, ut in his, & aliis etiam omnibus suorum Subditorum necessitatibus, ac veris indigentiis sublevandis, quantum facultates Domorum patiuntur, cum omni charitate, & promptitudine se faciles exhibeant: nec omnino in hoc patiantur se juste reprehendi posse.

4. Ad lectum non utimur linteaminibus lineis, sed laneis dumtaxat, ex aliquo grosso panno patriæ, nec lectis plumeis, aut matris, seu mattalatiis, sed stramine, seu paleis solummodo, intra crassam, & asperam aliquam telam in modum Sacci inclusis, aut etiam solummodo desuper coopertis, vel pro consuetudine Provinciarum tectis panno crassiore aliquo. Et præter hæc habemus etiam Pulvinar, & linteamen unum laneum ex panno grosso, & coopertorium, vel coopertoria juxta consuetudinem Domorum, & necessitatem Personarum. Reliqua autem utensilia Cellæ tam ad mensam, quam ad alios necessarios usus, dentur unicuique quantum necessitas, & ratio, judicio Prioris postulaverint.

5. Et quoniam ad omnes quidem Monachos, maxime tamen ad nos, humilitatem, attritionemque pannorum, & universorum, quibus utimur utilitatem, paupertatem, & abjectionem certum est pertinere; injungimus Prioribus, ut tam in induendis se ipsis, quam Religiosis, non alios emant, vel emi faciant pannos, quam grossos, & rudes juxta morem patriæ, & intentionem Ordinis, & omnem curiositatem, ac superfluitatem religiosæ simplicitati, & paupertati contrariam, a se & sibi Subditis removeant.

6. Propterea Cellas singulorum aliquoties perscrutentur, & si quid in Vestibus, libris, Imaginibus, & aliis utensilibus invenerint superfluum, curiosum, aut Carthusianæ utilitati, & humilitati incongruum, omnino tollant, atque in utiliorem usum convertant, sine ulla personarum acceptatione. Nec quisquam Subditus præsumat inde murmurare, aut suum Superiorem inquietare: alias, quoties id fecerit, toties ad terram comedat; aut aliter arbitrio Prioris ob suam contumaciam puniatur.

7. Visitatores etiam in actu visitationis solicite inquirant an ista observentur, & quos invenerint culpabiles, acriter reprehendant; atque si opus fuerit qualitatem panni juxta præsens Statutum præscribant; scientes se Supremo Judici districtam rationem reddituros: si in his negligentes fuerint inventi. Et ideo a se ipsis primum incipiant, & quod volunt, & debent in aliis reformare. Id ipsi primum factis exhibeant. Liceat nihilominus Prioribus, & aliis Officialibus extra terminos exeuntibus, vestes habere non meliores, sed aliquantulum pro necessitate leviores.

8. Nullus Prior, Monachus, vel Conversus nostri Ordinis in itinere constitutus, Mantellum Sæcularem, seu Cappam a Caputio separatam portare præsumat: nisi propter imminentia pericula evitanda: alioquin per Capitulum Generale, vel Visitatores, juxta casus, & Personæ exigentiam puniatur.

9. Porro interdicimus universis personis Ordinis, ne emant, aut fieri faciant, vel etiam oblata recipiant in suos usus, cultellos, cochlearia, schyphos, fuscinulas, dentiscalpia, auriscalpia, Rosaria, seu coronas, Cruces, Agnus Dei, & cætera quæcumque ex auro, argento, lapide pretioso, serico, aut ex alia pretiosa, & curiosa materia fuerint, ex toto, vel in parte. Quidquid vero tale quis habuerit, consignet illud in manus sui Prioris, qui pro sua prudentia illud in pios usus convertet. Ipsos tamen cereos Agnus Dei, & cæteras reliquias aureis, aut argenteis ornamentis inclusas, nullo modo intendimus prohibere, & alienare; sed volumus simpliciter, & honeste includi, & juxta cujusque devotionem, de Prioris consensu, aut portari, aut etiam in Ecclesia inter alias reliquias servari.

(*) *Ordinatio anni* 1684. Priores, ex Officiales, & quacumque causa, præter quam in solo transitu accedentes ad Urbes decenter per eas incedant, hoc est cum cappa talari ad formam Ordinis, nisi in urbibus a Domibus suis vel de remotis, cogantur per paucos dies ex negotiorũ occurrentia commorari, & exceptis casibus improvisis.

10. Libros etiam quoscumque, deauratos, & inargentatos fieri, vel emi prohibemus: similiter omnia horologia parva portalitia prohibemus: nisi forte ex aliqua causa rationabili Priores judicaverint, aliquibus officialibus ea esse permittenda: & tunc talia esse debebunt, quæ non sint ullo modo curiosa, & pretiosa, sed, quæ viliori, & minori pretio emi possint. Majora pariter horologia, seu excitatoria his tantum permittantur, quibus arbitrio Prioris videbuntur esse necessaria: & ea talia sint, quæ nullo modo a Carthusiana humilitate, & abjectione discrepent.

11. Tapetia universa, & eorum loco panni virides, sive aliter quomodocumque colorati, nisi in Ecclesia, & Hospitio Nobilium, ubi est consuetudo; & cussini picturati, nisi in Ecclesia tantum in usu apud nos non habeantur.

12. Pelliciolas Vulpinas, & de animalibus silvestribus, & tunicas, ac Cucullas diurnas, de fustano, & sagia, & quascumque lineas interdicimus universis.

13. Nulla Domus, quæ debet ultra centum scuta, quoad ditiores Domos, vel quinquaginta quoad mediocres, vel vigintiquinque quoad minores, licite possit ædificare aliquod ædificium novum, nisi prius persolverit tale debitum, aut talem pecuniam habeat, vel de propinquo habitura sit, quam suo tempore pro tali debito restituat Creditoribus: nisi forte ruinæ, aut majoris damni periculum immineret, si talis fabrica retardaretur, tunc enim, & non aliter poterit fieri.

14. Porro omnia curiosa, & superflua ædificia omnino prohibemus universis, (*) ea vero, quæ licet non sint necessaria, utilia tamen, & commoda esse videbuntur, nullus facere præsumat sine consilio, & consensu sui Conventus, vel saltem officialium, & duorum, ex discretioribus: & nisi uterque Visitator Provinciæ debite, & sufficienter informatus fuerit de commoditate talis ædificii, & de loco, & forma ipsius, & de expensa necessaria pro ejus constructione; & quod Domus, quæ vult tale ædificium fabricare, non sit gravata debitis aut aliis oneribus, sed bene provisa suis omnibus necessariis, & præter hæc habeat, aut habere possit pecuniam ad tale ædificium requisitam. Quibus omnibus bene intellectis: Visitatores poterunt, & non alias, dare licentiam istud ædificandi, quam etiam licentiam, in scriptis, suis parvis sigillis munitam Priori Domus relinquent (a), si tamen tale ædificium novum indigebit expensa mille circiter scutorum quoad ditiores Domos, vel quingentorum quoad mediocres, vel centum, quoad minores, quæ non distant a Carthusia ultra tres dietas: non poterit ædificari, nisi ultra prædicta omnia, accedat etiam licentia R. Patris. Quod si alter Visitatorum ædificare voluerit, prædictis omnibus conditionibus servatis, tenebitur prius convocare suum Convisitatorem cum alio discreto Priore: qui examinatis omnibus prædictis, licentiam ei in scriptis dabunt, vel si non probaverint, denegabunt.

15. Picturas, & Imagines curiosas, aut aliquid inhonesti habentes, in Ecclesiis, & Domibus Ordinis, sive vitreis, sive in tabulis, lapidibus, parietibus, & locis aliis, tanquam derogantes, & contrarias honestati morum, & nostræ Religionis simplicitati, & humilitati, reprehendimus: & ne de cætero fiant inhibemus. Jam factas vero si commode, & sine scandalo fieri possit, tolli, & amoveri: vel ad honestatem, & devotionem reformari volumus. Et quod de picturis, & Imaginibus hujusmodi, illud & de ædificiis, Vestimentis, Equitaturis, & earum ornatu, & cæteris rebus curiosis omnibus, ordinamus: super quo Visitatores diligenter invigilent. (Ordinatio anni 1676. *Ut tollantur abusus, qui sæpe irrepunt ex licentiis indeterminate obtentis circa ædificia construenda unde accidit, ut curiosa, superflua, & a simplicitate Carthusiana aliena ædificia ad ædificantis libitum non raro erigantur: statuimus ut in posterum nemini liceat uti licentia generali ædificandi, nisi prius ipsius structuræ vestigium in plano, & etiam elevationis fabricæ in altum delineatio, fuerint exhibita, & determinata, ac juxta* n. 14. cap. 12. *Secundæ partis Statutorum nostrorum a Visitatoribus prius examinata, tandem a R. P. fuerint approbata, & subsignata, quibus postea nemini licet aliquid notabile in murorum ambitu addere, demere, aut immutare absque expressa licentia sub pœna absolutionis tam inflicta per ordinationem Capituli Generalis anni* 1602. *quam quoad istam pœnam renovamus; ordinantes, ut nullus possit ædificia sub talibus indeterminatis licentiis nunc incepta prosequi, donec præsenti ordinationi satisfecerit.)*

(*) *Ordinatio anni* 1602. Sub pœna absolutionis præcipimus Prioribus Domorum, ut servent §. 4. *cap.* 12. Secundæ partis novæ Collectionis Statutorum de Ædificiis, quem declaramus debere intelligi, non de solis novis Ædificiis, sed etiam de restaurationibus Ædificiorum antiquorum in quibus fit notabilis mutatio structuræ.

(a) *Vide Ordinationem anni* 1676. *in fine hujus Capituli* - *Ut tollantur &c.*

De Solitariæ Vitæ Commendatione.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

1. De commendatione vitæ solitariæ, ad quam specialiter sumus vocati, pauca dicemus: scientes eam a multis Sanctis, & sapientibus, & tantæ auctoritatis, ut eorum vestigia non simus calcare digni, copiose commendatam. Nostris enim ut in veteri, & novo maxime Testamento omnia pene majora, & subtiliora secreta, non in turbis tumultuosis, sed cum soli essent Dei famulis revelata fuisse, ipsosque Dei famulos, cum vel subtilius aliquid meditari, vel liberius orare, vel a terrenis per mentis excessum alienari cuperent: fere semper multitudinis impedimenta vitasse, & solitudinis captasse commoditates.

2. Hinc factum est, ut aliquot exemplis ea, quæ diximus declarentur, quod in agrum ad meditandum Isaac solus egreditur: id enim ei non casuale, sed consuetudinarium fuisse credendum est. Quod Jacob præmissis omnibus solus remanet, facie ad faciem Deum videt, nominis mutatione in melius, & divina simul benedictione ditatur: plus assequutus uno momento solus, quam toto tempore vitæ, comitatus.

3. Moses quoque, Elias, atque Eliseus solitudinem, testis est scriptura, quantum diligant; quantumve per eam in divinorum secretorum revelationibus crescant: quoque modo, & inter homines periclitentur assidue, & a Deo cum soli sunt, visitentur.

4. Sed & Hieremias solus sedet, quia Dei comminatione repletus est, poscens dari aquam capiti suo, & oculis suis fontem lacrymarum, ut lugeat interfectos populi sui, locum quoque ubi se tam sancto possit in opere liberius exercere postulat, dicens: Quis dabit mihi diversorium viatorium in solitudine? tanquam hoc in Civitate facere non vacaret: hoc modo indicans quantum impediant socii gratiam lacrymarum. Quia etiam cum dixisset, Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Quam salutis præstolationem maxime juvat solitudo: addidisseque, Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: ubi nos plurimum consolatur, qui propositum istud pene omnes a Juventute subivimus: adjecit, & ait: Sedebit solitarius, & tacebit: quia levabit se supra se. Omnia pene, quæ in hac nostra Institutione sunt, optime per quietem, solitudinem, silentium, & cælestium rerum amorem significans.

5. Quæ studia, suos alumnos quales efficiant, postea manifestat dicens: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis: quorum in altero patientia summa, in altero perfecta refulget humilitas.

6. Joannes quoque Baptista, quo inter natos mulierum, juxta Salvatoris præconium, major nemo surrexit: quid solitudo securitatis, quidve utilitatis afferat, evidenter ostendit. Qui nec divinis oraculis, quibus præditum fuerat, quod ab utero Spiritu Sancto repletus, in Spiritu, & virtute Eliæ Christum foret dominum præventurus: nec mirabili Nativitate, nec parentum Sanctitate securus: frequentiam hominum fugiens tanquam periculosam, deserta solitudinis tanquam tuta delegit: tamdiu pericula, mortemque nesciens quamdiu Eremum solus incoluit.

Ubi quid virtutis lucratus, quidve sit meriti. Christi Baptismus, & pro Justitia mors suscepta monstravit. Talis enim, est factus in solitudine, ut dignus esset, lavantem omnia Christum solus baptizare, & pro veritate nec carcerem, nec mortem declinare.

7. Jesus ipse Deus, & Dominus, cujus virtus nec secreto juvari nec publico poterat impediri, ut suo tamen nobis consuleret exemplo; priusquam prædicaret, tentationibus, & jejuniis quasi probatus est in solitudine. De quo scriptura refert, quod relictis turbis Discipulorum in montem solus ascenderit orare. Qui, & imminentis jam tempore passionis, Apostolos reliquit, solus exoraturus, isto vel maxime insinuans exemplo, quantum solitudo profit Orationi: quando, comitibus licet Apostolis, non vult mixtus orare. Et ne mysterium, hic nobis omnibus maxime observandum, silentio prætereamus; idem Dominus, & Salvator humani generis, per se dignatus est vivum, atque primum nostri Instituti exemplar præbere: cum in deserto solus degeret orationi, & internis vacans exercitiis, jejunio, vigiliis ac cæteris pœnitentiæ fructibus macerans corpus: per arma spiritualia, tentationes, & adversarium nostrum superans.

8. Jam ipsi per vos considerate, quantum in solitudine Sancti, ac Venerabiles Patres Paulus, & Antonius, Hilarion, Benedictus: & cæteri vobis innumerabiles, mente profecerint: & probatis suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lacrimarum: nulla re magis, quam solitudine posse juvari.

De Cellæ, & Silentii observatione.

Caput Decimumquartum.

1. Cum præcipue studium, & propositum nostrum sit silentio, & solitudini Cellæ vacare, juxta illud Hieremiæ: sedebit solitarius, & tacebit, & levabit se supra se, & alibi: A facie manus tuæ solus sedebam, quia comminatione replesti me: ideo Cellæ incolam diligenter, ac solicite decet invigilare, ne quas occasiones egrediendi foras, exceptis his, quæ generaliter institutæ sunt, vel machinetur, vel recipiat, sed potius sicut aquas piscibus, & caulas ovibus; ita suæ saluti, & vitæ, Cellam deputet necessariam, in qua quanto diutius, tanto lubentius habitabit, dum tamen in ea se se ordinate, & utiliter occupet, legendo, scribendo, psallendo, orando, meditando, contemplando, & laborando, & quam si frequenter, & levibus de causis exire insueverit, cito habebit exosam.

2. Si quis ad Cellam venerit volens nobiscum loqui, vel ad nos intrare, interrogetur prius, si Præsidens licentiam ei dederit, aliter ad colloquium non recipiatur, nec intrare permittatur, nisi talis fuerit, de quo sit credendum, quod sine licentia non venerit. Qui autem cum licentia venit, non debet silenter, & repente intrare: Sed pulsare ad ostium, & expectare, donec habitator Cellæ ad eum exierit, & tunc hujusmodi licentiam habens dicit, *Benedicite.*

3. Qui de Ordine nostro non sunt, nec ad ipsum Ordinem aspirant, nullatenus in Cellis nostris hospitentur.

4. Cum aliquis est nobiscum in Cella, primum ostium sit apertum, & secundum nullo modo ita obseretur, ut non possit a personis nostri Ordinis ingredi volentibus aperiri. Nullus etiam quando in Cella solus est, se ipsum in ea pessulo, aut aliter includat de die, aut de nocte: nisi ex aliqua causa, quam Prior approbaverit. Quod si qui deprehensi fuerint, se cum alio, vel aliis, in propria, vel alterius Cella, aut alio quovis loco, concluisse, unde vehemens suspicio mali haberetur: præsentis statuti vigore incarcerentur. Si vero illa inclusio tali suspicione careret, arbitrio Prioris puniantur.

5. In Cella alterius quando operamur cum eo, aut visitandi eum, licentiam habemus. Horas dicere cum eo licet. Cum autem aliquis est in alterius Cella, vel alibi per licentiam extra Cellam, audito Completorio statim recedere debet: nisi majorem moram faciendi, specialem licentiam habuerit. Non enim licet Nobis post completorium loqui, nec deinde ante Primam, nisi causa notabili exigente.

6. Si quis qualibet, vel sua, vel alterius negligentia pane, vino, aqua, sale igneve, aut alia re necessaria caruerit, vel insolitum clamorem, aut strepitum audierit, vel periculum ignis institerit, licebit Cellam exire, & subsidium præstare, vel petere, etsi tanta necessitas urget uno vel duobus, vel paucissimis verbis, quod res postulat, indicare.

7. Qui vero aliter absque licentia silentium fregerit, culpam suam recognoscat, & disciplinam cum virgis accipiat in Dominica proxime subsequenti: sicut supradictum est. Et si assuetus fuerit in frangendo, vino privetur, aut ad terram comedat: vel alia pœna arbitrio Prioris puniatur.

8. Qui per licentiam de Cella exierit: extraneis, vel etiam domesticis famulis sine speciali licentia non loquatur. Et si licentiam loquendi habeat; nolumus tamen, quod inquirat, aut loquatur de negotiis, & regimine Domus, aut ullo modo immisceat se hujusmodi diebus, nisi a Præsidente ei injunctum fuerit. Non enim expedit habitatori Cellæ nosse hujusmodi, quæ ad Officiales pertinent curanda, cum etiam hoc, totius Domus paci contrarium sit.

9. Silentium ubique, sed maxime in Ecclesia, Capitulo, Refectorio, Claustro, & Rasura strictius servare debemus.

10. Cum Novitiis etiam nemo nostrum loquatur, nisi Prior, Vicarius, & eorum Magister.

11. Nullus per ostium prati, seu horti, vel ad fenestram Cellæ, quæ respicit contra hortum communem, debet ad Colloquium recipi: etiamsi dixerit, se habere licentiam colloquendi.

12. Monachi non permittant Conversos, & Donatos, vel famulos Domus, ingredi Cellas suas absque licentia, nec etiam cum prædictis sine licentia loquantur in Domo; nec de negotiis inquirant: alioquin vino priventur, aut aliter arbitrio Prioris puniantur.

13. Monachi in Mensa silentium frangentes, septem Psalmos cum litania dicere tenentur, & sicut pro prandio, sic pro cœna pœnam incurrunt memoratam. Priores tamen, & Procuratores, & itinerantes ab hac observatione silentii, & pœna eximimus. Verum propter verba superflua, quæ tunc facile excidere solent dicant prædicti, semel tantum in die, in quo silentium in mensa fregerint, Psalmum *De profundis*, *Pater noster*, *Ave Maria*, cum oratione *Fidelium*, & *Omnipotens &c. qui vivorum.* Circa Infirmos etiam possunt Priores super hoc dispensare attenta Infirmitatis qualitate, prout viderint expedire.

14. Cum Patribus Nostri ordinis, qui interdum ad Domos nostras itineris opportunitate,

aut necessitate negotiorum adventant, loqui nobis non licet sine Præsidentis licentia: hunc ipsi nec quæramus, nec cupiamus, nisi legitima ratio aliud postulet. Non enim cultori solitudinis, silentiique tenaci, & avido quietis conducit, aut alios invisere, aut ipsum ab aliis visitari absque causa.

De Colloquio Claustri, & Spatiamentis.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

1. Colloquium in Claustro commune habemus omnibus diebus festis Capituli post Nonam, exceptis solemnitatibus Nativitatis, & Cœnæ Domini, Paschæ, & Pentecostes: omnibusque festis in Quadragesima super hebdomadam occurrentibus.

2. Volumus autem, ut eodem die non detur recreatio (*a*) si datur Colloquium Claustri: aut non detur Colloquium Claustri, si eo die detur recreatio.

3. Concedimus etiam singulis septimanis, excepta hebdomada Sancta, unam aliam dari Recreationem, seu Spatiamentum, ultra Colloquia Claustri diebus festivis concessa: inhibentes propterea omne aliud Colloquium, tam feriæ quintæ, quam hebdomadæ Capituli Generalis, & similiter egressum de Cella propter recordationes. Hortamur nihilominus omnes, qui indigent prævidere suas lectiones: ut eas prævideant, illo modo, tempore, & loco dumtaxat, quæ Visitatores in suis Provinciis cum judicio Prioris ordinaverint, ut omnia fiant sine ullo inordinato egressu, discursu, aut fractione silentii.

4. Quando post Nonam in Ecclesia dictam diebus Capituli in Claustro convenimus, tunc antequam sedeamus, qui præest Conventui dicit *Benedicite*; deinde sequitur lectio de Statutis, & Evangeliis; qua finita commune Colloquium habemus; in quo nullus consulere debet secreto, vel susurrare, vel dicere aliquid, quod nolit ab omnibus intelligi, vel audiri: sed nec tunc alibi loqui licet quam in ea parte Claustri, vel loci, ubi Colloquium habetur; nisi forte pauca verba.

5. Ubicumque autem Colloquium habemus, curandum nobis est, maxime coram extraneis, ut caveamus a multiloquio, clamore, & risu indecoro; & ut sermones nostri sint religiosi, & pii, non vani, sæculares, vel contentiosi.

6. Priores sint soliciti ad rescindendum vana, & indisciplinata Colloquia, & Monachis suis, aliisque subjectis firmiter interdicant ne de Dominis terræ, aliisque Principibus, factisque ipsorum in Colloquiis, vel alibi verba inordinata habeant contendendo, & partes faciendo. Qui contrafacere præsumpserint, a Colloquiis excludantur: & pro modo culpæ alias puniantur. Et si qui tales contentiones, Dominis, sive Principibus, sive Domesticis eorum revelaverint; si Monachi sint careant voce, & sin Novitii ad Ordinis voluntatem: alii vero statim carceri mancipentur.

7. Hortentur vero, & omni instantia inducant suos ipsi Priores, ut colloquia habeant de Deo, de Sanctis, de Divinis mandatis, de observatione Statutorum nostrorum, de Virtutibus acquirendis, de extirpandis vitiis, de tentationibus internoscendis, & superandis, de quatuor novissimis, & omnino de bonis, & utilibus ad animæ salutem, & profectum spiritualem: sæpius illius comemorantes hæc Beatorum Hieronymi, & Bernardi dicta: Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore autem Sacerdotis, blasphemiæ. Et alibi. Nugis aperire os illicitum est, assuescere sacrilegum. Illud etiam Sancti Benedicti Decretum frequenter inculcantes: Scurrilia verba, risumque amoventia, æterna clausura damnamus. Porro murmuratoria, detractoria, turpia, & similia vitiosa verba non solum prohibeant Priores, sed & severe puniant, commonentes non solum eos, qui detrahunt, vel murmurant, sed & eos qui detrahentes, vel murmurantes audiunt, nec reprehendunt, cum utiliter possunt, vel saltem Priori non denuntiant, peccatis alienis involvi, & communicare.

8. Qui non adfuit Nonæ diebus binæ refectionis, non debet interesse Colloquio, & qui non debent interesse Colloquiis, non habent Colloquium aliud in illo die, nisi ex speciali licentia.

9. Ad commune colloquium Claustri non admittuntur ullo modo extranei cujuscumque qualitatis, vel conditionis extiterint, nisi ex causa rationabili aliquando Priori aliter visum fuerit, & si qui sine speciali licentia Prioris, vel Vicarii se ingesserint: recedant Monachi potius quam illos ad Colloquium admittant.

10. Quoties autem ad Colloquium admittuntur extranei, non debemus in respondendo eis prævenire Priorem, vel Seniorem, nec ejus, vel alterius sermonem interrumpere. Et quando aliquis ex nobis, de licentia, vel jussu Prioris aliquid eis ad ædificationem loquitur; cæteri debent patienter audire, & ipse, qui loquitur non debet modum excedere. In partem vero ducere aliquem, vel duci, aut quasi secreto aliquid intimare, aut mandare aliquibus, non licet, nisi licentiam dante Priore, quam licentiam non ad nos, sed ad eos, si tanti habeant, pertinet petere.

11. Cum Monachi propter extraneos, vel propter aliam causam jussu Præsidentis in Claustrum, vel alium locum, ad commune Colloquium vocantur (*) qui eos convocat non dicit eis *Benedicite*, sed quisque cum advenit, sedenti juxta se *Benedicite* dicit. Deinde quamvis Prior præsens non sit, nec etiam extranei loqui licite possunt. Recedentibus autem extraneis, propter quos ad Colloquium convocati sunt, aut finito tractatu propter quem vocati sunt, recedunt & ipsi Monachi cum silentio, nisi esset tunc de Statuto Colloquium, quia tunc nisi vellent, non tenentur recedere. Pro Hospitibus advenientibus, vel recedentibus non dentur personis Ordinis recreationes.

12. Spatiamenta, quæ recreationis causa Monachis extra Domum, infra tamen terminos, certis diebus, ut dictum est, conceduntur, talia sint, & taliter serventur, ut & omnis levitatis, & cujuscumque mali suspicio prorsus tollatur, & integritati Ordinis, ac salutari profectui animarum non adversentur, sed proficiant. Propterea quando ad ea spatiamenta exeunt Monachi simul exeant, simul stent, & simul redeant, omnesque ductum Præsidentis sequantur, qui est Vicarius, vel eo absente, quod rarissime, & non nisi morbo exigente accidere debet, senior Monachorum ibi assistentium, nisi Prior alii specialiter id commiserit, ob justas causas. Nec maneant in porta Domus, vel Curia, vel alio Domus loco, nec quaslibet Officinas Domus intrent, sed recta eant, & redeant. Juniores tamen Monachi paululum separati ab aliis incedant, quamdiu Priori visum fuerit expedire, adjuncto illis aliquo ex discretioribus Monachis. Nec etiam intrent Domus Secularium, etiamsi sint Coloni Grangiarum nostrarum. Quod si dum exeunt necessario transitum facere cogantur per Vicinas Villas, aut Villagia, hoc casu, solo transitu sint contenti, servata omni modestia, & gravitate, ut de se sæcularibus bonum dent odo-

(*) Vide Ordinationem anni 1610. in fin. hujus Capit. *Mandatum SS. D. N. Pauli PP. V. &c.*

(a) *Recreationis nomine ex præsenti usu Ordinis intelligenda est translatio Colloquii ex Claustro in Hortum, sive alium locum a Visitatoribus designatum, cujus recreationis concessio, in libera prudentia Superioris semper remanet, ut hic satis notantur cum de Jure Statuti non habeatur, sed dari indigeat ut possit haberi.*

rem.

rem. Nec in ipsis spatiamentis suis comedant, & bibant, (a) nec secum victualia portent, etiam intuitu pietatis, & eleemosynæ. Qui contrafecerit, pro vice qualibet semel in Refectorio, præsente Conventu, ad terram comedat, pane, & aqua contentus, & assere nudo; et si tertio perseveraverit, Præsidentis arbitrio, prout casus exegerit, gravius puniatur. Et qui eis victualia ministraverit, si inferior Priore fuerit, eidem pœnæ subjaceat. Prior vero si in hoc excesserit, Visitatorum arbitrio pariter puniatur. Nec Visitatores, quanto minus Priores, possint super hoc dispensare, aut licentias dare, vel Constitutionem istam quomodolibet relaxare.

13. Omnino vero prohibemus ne ullo unquam tempore, vel modo in ipsis spatiamentis Monachi pernoctent, omnes licentias super hoc, præsenti Statuto omnino revocantes, & prohibentes, ne ullo modo concedantur, & qui eas postulaverit, habeatur pro persona parum zelante gravitatem, & honestatem nostri Ordinis, & regularem Monachorum nostrorum disciplinam.

14. Monachi in spatiamentis, & alibi coram Sæcularibus, vel in Conventu, non deferant in capite calanticas lineas, aut sericas, sed laneas tantum sub Caputio.

15. Domus Ordinis, quæ non habent terminos spatiamentorum sibi per Ordinis auctoritatem assignatos, vocent Visitatores illius Provinciæ, qui eis assignent terminos, secundum Ordinis honestatem, competentes. Et hæc eadem in Domibus novis recipiendis de cætero diligenter observent Priores: quibus dictarum Domorum novarum receptio committetur. Termini autem in novis Domibus limitati, vel limitandi per Visitatores, aut Priores adhoc deputatos, vel in posterum deputandos, in scriptis præsententur Capitulo Generali proxime subsequenti, & ibi rationabiliter examinati, per Diffinitores approbentur, & confirmentur, vel etiam, si eis visum fuerit, infirmentur. Quod si Domus aliqua terminos sibi de novo limitatos subsequenti Capitulo neglexerit intimare, lapso illo Capitulo, ante confirmationem, Monachi illius Domus terminis prædictis non gaudeant: nec ad eos exire possint pro spatiamentis.

ORDINATIO ANNI 1610.

Mandatum SS. D. N. Pauli PP. V. Nobis insinuatum de habenda lectione Sacræ Scripturæ in Domibus insignioribus Ordinis nostri qua decet animi demissione, & reverentia suscipientes, eique ut debemus, & semper assuevimus humillime obtemperantes, præcipimus omnibus, & singulis Prioribus dictarum Domorum, ut in dictam lectionem fieri curent in suis præfatis Domibus juxta dispositionem, & formam a R. P. præscribendam habita ratione moderationum ejusdem SS. D. N. præcedentium ordinationum.

NOTA.

Mens mandati Apostolici, ejusque finis attendenda sunt. Ea autem sunt, ut sufficienti saltem Monachorum eruditioni provideatur, qui ad Sacerdotium promovendi, & ad confessiones audiendas sæpius deputandi, adhæc munia necessario disponi debent, per studium, & lectionem eorum, quæ ad id conducunt. Unde merito lectio ista debet maxime instituí, de his quæ ad Sacramentorum administrationem, & moralem Theologiam pertinent. Vide Decretum SSmi Domini Nostri Clem. PP. VIII. editum anno 1599., & a SSmo D. Nostro Urbano PP. VIII, renovatum, in Bullario relatum, Tom. 4., & ibi num. 2. reperies, quomodo Decretum Sac. Conc. Trid. super hac re debeat intelligi.

(a) *Potus hic intelligitur de aqua cruda Fontis, qui in via occurrit.*

De Operibus Communibus.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

1. Opera communia ter trinis diebus in anno fiant: in quibus Monachi circa mundationem Pannorum Ecclesiæ, aut aliud honestum opus occupantur judicio Priorum.

2. Prima opera fiunt secunda hebdomada Paschæ, alia, secunda hebdomada post festum Apostolorum Petri & Pauli, tertia, prima hebdomada post festum S. Michaelis. Quod si aliquo die operum, sit festum Capituli vel abstinentia, vel indispositio temporis quoad exteriora, propter hoc non transferuntur opera ad aliam hebdomadam, sed pro die, qua cessatur ab opere, alia die ejusdem hebdomadæ laborabitur. Verumtamen si dictis temporibus propter aliquod impedimentum occurrens non possint commode fieri, ante, vel post, prout commodius erit, supplebuntur.

3. Porro prima die in Cœmeterium convenimus ad preces faciendas, prout in prima parte describuntur, post quas dicto a Priore, vel Vicario *Benedicite*, ad operandum eximus.

4. Cum aliqui ex Monachis alicui operi mancipantur, ipsi quidem loquuntur ad invicem: cum supervenientibus vero nequaquam, nisi Priore præsente, aut de ejus licentia.

5. Quando adjutorium pro aliquo opere perficiendo quærimus, debemus exprimere quos, & quot habere volumus, & quamdiu. Alias si prima die opus nostrum non compleverimus, die sequenti de illa licentia data, nisi expressum fuerit, nos juvare non possumus, sed pro adjutorio licentiam denuo petimus.

6. Qui scribere, aut aliud opus facere scit, & potest, si monente Priore, ut id faciat, acquiescere noluerit, a vino abstineat, aut etiam gravius puniatur arbitrio Prioris.

7. Quicumque in quacumque obedientia, cujuslibet agit vices, nihil omnino in ea sine licentia mutare permittitur. In Cellis quoque ipsis, nihil nisi prius ostensum, & concessum mutari, fierive sinitur, ne Domus laboriose factæ, curiositate deteriorentur, vel destruantur.

De Novitio.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

1. Novitios antequam vigesimum annum attigerint, recipere non solemus, si tamen aliqui minoris ætatis postulent admitti, qui Prioris, & majoris partis Conventus sint doctrina, devotione, maturitate, & corporis viribus sufficientes ad portanda onera Ordinis, concedimus illos posse recipi ad probationem, dummodo octavum decimum annum saltem attigerint.

2. Cum Bigami de jure sint privati Tonsura, & omni privilegio Clericali, inhibemus ne recipiantur ad habitum Monachorum; quia fieret injuria Ordini Clericali. Si secus fuerit attentatum, talis receptio, sed & professio si inde fuerit subsecuta, nullius sit valoris.

3. Nullus etiam conjugatus, altero Conjuge in Sæculo remanente, etiamsi in hoc auctoritas Episcopi Diœcesani, & consensu in Sæculo remanentis intervenerit, recipiatur ad Ordinem nostrum sine speciali licentia Capituli Generalis, vel R. Patris. Eum etiam, qui sola promissione per verba de futuro alicui mulieri ligatus fuerit, facile non recipimus, propter inquietudines, & tumultus inde evenire solitos.

4. Nullus insuper in alia Religione, cujuscumque nominis fuerit jam professus ad Ordinem nostrum recipiatur, etiam habita sui Superioris licentia: nisi per licentiam R. P. Carthusiæ, vel Capituli Generalis.

5. Qui habent aliquod perpetuum corporale

vel spirituale impedimentum, quominus ad Sacros Ordines licite promoveri, aut in eisdem ministrare possint : nullatenus admittantur ad annuam probationem, vel professionem. Nec pariter recipiantur Novitii, qui non sunt in membris suis, vel corpore bene dispositi, nec sufficientes ad portandum onera Ordinis.

6. Monemus omnes Priores, & Conventus, ut in receptione Novitiorum sint magis solito circumspecti, & ea, quæ de ipsorum receptione hic continentur, studeant diligentius observare (a), de sufficientia maxime, & moribus inquirendo, & illorum conversationem, saltem per Mensem in habitu Sæculari, ante receptionem ad habitum comprobando.

7. Priores, quorum Conventus propter paupertatem dividuntur, nullos valeant interim Novitios recipere absque licentia R. P. vel Capituli Generalis. (b)

8. A Novitiis, seu ingredi volentibus Ordinem nostrum, nihil a quoquam nostrum penitus exigatur, aut petatur. Qui enim ab eis quidquam exigit, & recipit, sententiam excommunicationis incurrit ex Constitutione Urb. PP. V. quæ incipit -- *Sane ne in vinea Domini.* Quod si Prior aliquid exegerit, sit extra Sedem suam in Ecclesia quadraginta diebus & totidem sine misericordia, infra sex Menses, faciat abstinentias. Si Procurator, vel alius exegerit, sit Novitius per quadraginta dies, & totidem in Capitulo recipiat disciplinas, Prioratumque Prior, & procurationem Procurator amittant : si eis consentientibus exactio jam venit ad effectum. Si tamen Novitius, aut ingredi volens Ordinem nostrum libere aliquid, & sine omni pacto, nullaque præcedente petitione, dare voluerit, libere poterit recipi, & juxta voluntatem dantis expendi : dum tamen talis voluntas non deviet a rigore Statuti, nec per eam lapsus aliquis in ordine fiat. Qui contra fecerit, pœna, quæ Statutorum transgressoribus imponitur irremissibiliter puniatur.

9. Verumtamen sequentes Sacri Concilii Tridentini Constitutionem declaramus quod nulla donatio alia, quam pro victu, & vestitu, nullaque obligatio, aut renunciatio per Novitium facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valet, nec effectum suum sortiri potest, nisi secuta Novitii ipsius professione, quam si non fecerit Novitius, talis donatio etiam cum hujus favoris expressa renunciatione etiam jurata, sit irrita, ac nullius effectus. Propterea bona Novitiorum, ante professionem emissam, nullus alienet, vel alienari, etiam Novitio volente, permittat : Sed eorum omnia adinstar depositorum fideliter custodiantur, & si contingat eos ante professionem a nobis recedere, omnia ex integro, quæ sua erant, eis restituantur.

10. Quando aliquis venit ad nos volens fieri Monachus, primo interrogatur a Priore in privato : quo motivo, & qua intentione hoc velit. Deinde examinatur, si tantum habet literarum, quantum sufficiat Monacho, & Religioso ad Sacerdotium promovendo; & si cantare potest. Postea inquiritur, si in aliqua Religione professionem fecerit ; si non servilis sed liberæ sit conditionis ; si uxoratus, aut Bigamus ; si unquam pro materia fidei purgatus fuerit per RR. Inquisitores de vehementi suspicione, aut etiam vehementer suspectus de fide fuerit ; si homicidium voluntarium aliquando perpetravit ; si ullum habet impedimentum corporale, vel spirituale, quo minus ad Sacros Ordines possit promoveri, aut in iisdem ministrare ; si habet morbum incurabilem ; si debet alicui, vel aliquibus pecunias, aut aliquid temporale. Monetur etiam, & suadetur ei, omnibus, qui adversum eum aliquid habent juxta Evangelium reconciliari : aut si quid aliquem defraudavit restituere, si habet unde. Postremo proponuntur ei dura, & aspera, totaque vitæ nostræ, quam subire desiderat, ratio, vilitas, & asperitas : prout fieri potest ante oculos ponitur. Quod si Prior eum ad omnia paratum, & ad onera Ordinis sufficientem putaverit ; nihilominus conversationem ejus saltem per mensem, in habitu Sæculari antequam recipiatur ad habitum nostrum comprobabit, & interim mittet ad Cellas Monachorum, quos ipse judicaverit idoneos esse, ut illum examinent, & videant, an receptibilis sit.

11. Porro nullus Prior recipiat aliquam personam ad habitum Ordinis sine totius Conventus, vel majoris partis voluntate, & consensu (c) propterea postquam sufficienter fuerit probata Conversatio postulantis, certo die proponetur Conventui ; ac primum quidem coram toto Conventu interrogabitur, si in aliquo Ordine professionem fecerit, si liber, & non servilis conditionis, si Matrimonii vinculo solutus, si absque incurabili morbo, si possit ad Sac. Ordines ascendere, si de debitis satisfecerit, sciturus quod si super his veraciter non responderit, si aliquid celaverit, poterit etiam post professionem expelli.

12. Postquam ad hæc responderit : Secedit ; & Conventus de ejus deliberat receptione. Quem si recipiendum judicaverit, rursus eum revocat : & tunc ipse toto corpore prostratus misericordiam postulabit. Deinde ad jussum Prioris surgens supplicabit propter amorem Dei, se ad probationem sub habitu Monachali recipi pro præbendario, & humillimo omnium servo. Cui tunc Prior proponet, quot, & quanta sint dura, & aspera in Ordine nostro toleranda, quam sit prolixum Divinum Officium, diurnum pariter, & nocturnum, quanta sit victus, & vestitus austeritas, quanta Cellæ, & silentii observantia, quam sit arcta obedientia, paupertatis, castitatis, stabilitatis, & novæ vitæ semita, quam difficilis sui ipsius in omnibus abnegatio. Denique tota vitæ nostræ ratio, vilitas, & austeritas, prout fieri potest, illi ante oculos ponetur.

13. Ad quæ si imperterritus manens, responderit, se de sola Dei pietate Fratrumque orationibus confisum, ea prout divina concesserit clementia impleturum. Tum demum ad pedes Prioris genuaflectens, junctas manus inferat infra manus Prioris, & Prior ex parte Dei, & Ordinis, & sua, & Fratrum concedat ei societatem Ordinis, & proponat eidem, quod ante professionem libere poterit exire : & quod vicissim erit in nostra libertate, & potestate ipsum emittere si nobis (quod absit) non placeret conversatio ejus. Quo facto recipitur in osculo Pacis a Prioribus prius ; deinde a cæteris omnibus, qui si statim non sit paratus indui, certus, ei usque ad quem venisse debeat, terminus non nimis remotus dabitur : ad quem si non venerit, nos non teneamur eidem. Ad datum autem terminum veniens, statim post supplicem in Conventu postulationem induitur.

14. Sciendum autem, quod absente Priore nullus Novitius potest recipi, nisi de speciali licentia Prioris. Recepti tamen ad statutum terminum venientes, Priore multum remoto, nec brevi reversuro : possint a Vicario, & Conventu indui, & incellari.

15. Die quo induitur Novitius, postquam indutus est, & præparatus, ducitur ad Ecclesiam, & instruitur, ut ad gradum Altaris faciat

(a) *Vid. Ordinationem anni 1679. in fin. hujus Cap.* Sollicite invigilent &c.

(b) *Vid. Ordinationem anni 1597. in fin. hujus Cap.* Cum certo constet &c.

(c) *In æqualitate partium, pars Prioris in posterum non debet prævalere, quia tunc revera non est major pars Conventus, prout hic requiritur.*

orationem

orationem suam. Interim Conventus cantat in Ecclesia versum, *Veni Sancte Spiritus*, quo finito, Prior dicit preces consuetas in prima parte descriptas. Quibus dictis ducitur Novitius ad Cellam, Conventu cantante Psalmos, *Miserere mei Deus; Quam dilecta, Memento.* Si tamen unus, aut duo sufficere possunt, unus tantum aut duo dicantur. Eundo ad Cellam præcedit Prior cum Stola, & Sparsorio, sequitur Novitius: Deinde Conventus præcedentibus senioribus. Veniens autem Prior ad Cellæ ostium aspergit Novitium, & ipsam Cellam dicens, *Pax huic Domui*: tenensque manum Novitii introducit eum, & ducit ad Oratorium, ubi flexis genibus orat, & interim finito a Conventu Psalmo, vel Psalmis: Prior consuetas, ut alibi habentur, preces dicit. Quibus completis, injungit Novitio Cellæ, & aliorum, quæ ad Ordinem nostrum pertinent observantiam, & exercitium, in remissionem peccatorum.

16. Commendatque eum uni ex Monachis, quem magis idoneum ad hoc cognoverit, nulla habita ratione antiquitatis: qui eum horis competentibus visitans, instruet ad horas dicendas, & cæteras observantias Ordinis, quas Novitium ignorare non oportet. Ad quem etiam pertinebit, ipsius Novitii mores informare, in spiritualibus exercitiis eum dirigere, & tentationibus ejus remedia opportuna adhibere; debebit tamen unus, & idem omnium Novitiorum curam habere.

17. Novitii opportuno tempore moneantur, & instruantur a Magistris suis ad faciendam confessionem generalem; quam debent facere Priori antequam ad professionem admittantur. Priores autem ex Indulto Apostolico possunt absolvere eos, qui nostro Ordini volunt aggregari postquam habitum susceperint, a sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, quibus sunt forsitan innodati, & super irregularitate prius contracta dispensare, & a votis in Seculo factis absolvere, si in Ordine perseveraverunt: nisi casus adeo esset gravis, & enormis quod super eo Sedes Apostolica merito esset consulenda, & proviso, quod si essent pro debito excommunicati, suspensi, vel interdicti, satisfaciant quibus tenentur.

18. Novitii pecunias, & alias res suas, quas secum forte attulerint, ex integro Priori reddant, ut non ipsi, sed Prior, vel cui Prior injunxerit, eas fideliter ad instar Depositorum, custodiat.

19. Novitius nec reprehendit, nec publice reprehenditur: sed cum offendit, instruitur a Priore, vel a Vicario, aut a Magistro. Non debet manere in colloquio communi, nec de negotiis Domus se intromittere: nec quærere licentiam ut possit aliquem visitare.

20. Infra tempus probationis, non Missam in Conventu, non Evangelium, non Epistolam dicit: nec ad Ordines mittitur, sed hebdomadam cantus facere, & tam in Ecclesia, quam Refectorio legere potest: quam cito sibi fuerit injunctum a Priore. Et si Sacerdos fuerit, potest ad arbitrium sui Prioris Missas privatas celebrare.

21. Porro Sacerdotes, qui de Sæculo veniunt ad Ordinem, si in Missarum celebratione, & observantiis Regularibus formæ Ordinis se noluerint conformare, vel in sustinenda sua opinione fuerint obstinati, vel in modo vivendi singulares; ad professionem nullatenus admittantur: quoniam per tales personas olim multa in Ordine scandala pervenerunt.

22. Si intra tempus probationis Priori evidenter constiterit, justis, & rationabilibus causis nullo modo Novitium esse ad professionem admittendum; & judicaverit non expedire, aut non decere, ut eas causas Conventui manifestet: poterit illum etiam irrequisito Conventu emittere; adhibito tamen consilio Vicarii, & alterius ex discretioribus Conventus: sed postea aliquam sui facti rationem Conventui assignare debebit. Si tamen nullum adsit periculum, aut scandalum, si dictas causas Conventui assignaverit; debebit antequam illum emittat proponere eas Conventui.

23. Novitii Ordinis nostri, nec a Prioribus, nec ab aliis, modo quolibet subtrahantur: quod si quis fecerit, legitime puniatur.

24. Si Novitius ante professionem lepram incurrerit, non faciat professionem: tamen si in Domo remanere voluerit, charitative ei providebitur de necessariis.

25. Si Novitius exierit, & postea denuo receptus fuerit, post secundam receptionem probabitur per annum integrum antequam profiteatur.

ORDINATIO ANNI 1679.

Solicite invigilent Priores educationi spirituali Novitiorum, & juniorum Monachorum, sciantque nihil majoris esse momenti in Ordine, in quo olim nominabantur in singulis Provinciis, Examinatores Novitiorum sicut nunc nominantur Visitatores, cum ex hac educatione pendeat fere omnis profectus spiritualis, ac proinde observantiæ regularis vigor apud Monachos præsertim solitarios, prout nos sumus, quibus si desit vitæ, & militiæ spiritualis Theoria, quam bene ad praxim postea redigant, & discretio ex prudenti, & devota directione assumpta, sicca fit eis solitudo, & parum proficua. Super quibus solicite etiam inquirant Visitatores, atque etiam interrogent de circumspectione an servetur in admissione postulantium, & receptione Novitiorum, ut ii tantum apud nos recipiantur, quorum vocatio sit bene probata, & corporis animique dispositio ad Ordinis exercitia idonea, nec unquam detur locus indiscretis favoribus, humanis respectibus, ac imprudentibus compressionibus, aut affectibus, quibus via paratur sub prætextu charitatis, ad clades, & ruinas observantiæ Regularis, Ordinibus Regularibus obvenientes, ex indevotione, ineptitudine, aut imbecillitate receptorum; qui postea sæpius sunt cæteris in vitæ laxioris exemplum, aut in scandalum, & si quos Priores in re tanti momenti, ex qua totius vitæ religiosæ ratio, totiusque Ordinis bonus status dependet, remissos, aut culpabiles invenerint, denuncient illos statim R. Patri, aut Capitulo Generali, ut congruum apponatur remedium, nec multiplicari sinatur gens apud nos absque magnificatione lætitiæ. Directorium autem Novitiorum ad calcem præsentium Statutorum imprimi ordinatum, ubique servetur, habita tamen aliqua Religionum ratione, quoad temporis distributionem, juxta ordinationem Visitatorum a R. P. approbandam.

ORDINATIO ANNI 1597.

Cum certo constet ex bona, vel in alia receptione, & institutione Novitorum profectum, vel defectum Ordinis nostri, tum in numero, quam in merito personarum præcipue pendere, & in parvis Domibus, in quibus pauciores, quam octo utiles Monachi residere solent, qui Divinum officium cum nota integre non persolvunt, non possint Novitii sufficienter ad omnia, quæ sunt Ordinis instituti: Ideo confirmantes ordinationem factam annis 1594. & 1595. statuimus, ut in dictis parvis Domibus non recipiantur, nec retineantur Novitii, sed in his dumtaxat, in quibus Divinum Officium etiam nocturnum cum nota cantatur, & Regularis observantia perfectius custodiatur. Quando autem Professi in hujusmodi Domibus Conventualibus ad parvas Domos mittentur, sic omnino in illis suscipiantur, & necessariis foveantur ac si illarum essent professi, habeantque vocem in omnibus tractatibus, non tamen in electione novi Prioris, quam non facient habitatores parvarum

Domorum, sed per Capitulum, aut R. P. Carthusiæ illis providebitur de Superiore.

De Professione Novitiorum.

Caput Decimumoctavum.

1. Nullus, qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad Ordinis observantiam, aut ad alios quoscumque effectus.

2. Professionem tacitam in nostro Ordine non habemus, neque permittimus; sed omnes volumus esse expresse, & publice professos.

3. Cum tempus quo Novitius professionem facere debeat institerit, si receptibilis apparuerit, & in duobus festis Capituli in petendo misericordiam sedulus fuerit: non in primo, sed in secundo festo, dies ei quo in totum suscipi debeat certus assignabitur, si perseveraverit pulsans, & facultas ei libera sua omnia quomodo, vel quibus placuerit distribuendi, tribuetur.

4. Nulla persona Ordinis aliquid omnino petat a Novitio professionem facturo de rebus ipsius, etiam intuitu pietatis, & eleemosynæ dandæ quibuslibet personis: Sed Novitii permittantur libere disponere de rebus suis, prout voluerint. Qui contra fecerit, arbitrio Prioris acriter puniatur.

5. Quod si assignato die perseveraverit pulsans, optatus ei tribuetur assensus; eique dicetur quod ad Missam sit professionem facturus, & communicaturus, sicut in prima parte describitur.

6. Tunc ipse, vel alius pro eo, professionem sub hac forma, & verbis scribet. Ego Frater N. promitto stabilitatem, & obedientiam, & conversionem morum meorum coram Deo, & Sanctis ejus, & Reliquiis istius Eremi, quæ constructa est ad honorem Dei, & Beatæ semper Virginis Mariæ, & Beati Joannis Baptistæ: in præsentia D. N. Prioris. Et in hujus professionis fine, ipsemet Novitius manu propria signum Crucis depinget. Quamvis autem Ecclesia sit constructa ad honorem alterius Sancti, quam Beatæ Mariæ, aut B. Jo. Baptistæ; non tamen mutabuntur prædicta verba professionis.

7. Porro nullus Novitius professionem facere potest, nisi proprio Priore præsente, & celebrante, vel alio Priore Ordinis nostri per voluntatem ejus, si legitime fuerit præpeditus. Rectores tamen Domorum incorporatarum Ordini possunt Novitios ad professionem recipere, ubi Priores ad hoc vocandi distant ultra unam dietam. Et tunc in ipsa professionis forma, & scriptura, mutabitur Prioris nomen, in nomen Rectoris.

8. A parentibus Novitii, nec ex parte Novitii, nec alicujus nostrum, quidpiam ad cibum, potumve pertinens petatur. Verum si ultro offerant, quod Carthusianæ sobrietati, & modestiæ non repugnat, nequaquam respui debet.

9. Cum noster Ordo unus sit in multis diversarum Nationum Domibus: & una professionis forma servetur ab omnibus, quæ iterari non debet: volumus omnes, & singulas ejusdem Ordinis personas contentas esse sua professione prima, prohibentes omnino, ne quis secundam faciat, quam si fecerit, declaramus nullam esse.

10. Ordinem, seu locum ubique in Conventu eum cuncti tenemus, quem singulis suus dedit adventus: nisi forte Prior de consensu Conventus, vel majoris partis, aut R. Pater aliquem suppposuerit, vel præposuerit, ob certam causam. Quando autem duo Novitii ad aliquam domum veniunt; qui posterior venit, si prius professionem fecerit, primus deinceps remaneat.

11. Professione facta, qui susceptus est, ita se ab omnibus quæ mundi sunt intelligat alienum: ut nullius prorsus rei, nec sui quidem ipsius, sine Prioris sui licentia habeat potestatem. Cum enim ab omnibus, qui regulariter vivere decreverunt, obedientia magno studio sit servanda, a nobis tamen tanto devotius, & solicitius, quanto asperius, districtiusque propositum subivimus: ne si, quod absit, illa defuerit, tanti labores non solum careant præmio; sed & supplicium damnationis incurrant. Hinc enim Samuel, Melior est, inquit, obedientia, quam victimæ: & auscultare, magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi ariolandi peccatum est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quod unum testimonium, & obedientiæ laudem, & inobedientiæ sufficientem habet vituperationem.

De vitio proprietatis, & Excommunicatione Proprietariorum.

Caput Decimumnonum.

1. Cum detestandum sit omnibus Religiosis proprietatis vitium, & eorum saluti valde contrarium, statuimus, & ordinamus, quod nulla persona nostri Ordinis professa, separatim, aut appropriatim habeat, aut custodiat aliqua bona, a bonis totius Communitatis distincta, præter ea, quæ sibi Ordo concedit ad usum simplicem: sed omnia bona Domus, eleemosynæ, dona, xenia, & alia universa quæ Conventui, singularibusve personis mittuntur, vel offeruntur, incorporentur Conventui, & dispensationi, ac administrationi Præsidentis subjaceant, qui ea distribuat, & expendat, prout secundum Deum, & conscientiam, communi utilitati domus viderit expedire.

2. Præsidentes igitur Domorum, Visitatores a personis Ordinis vitium proprietatis penitus extirpare conentur, nec permittant quod pecunias aliquas per se, vel per medium cujuscumque interpositæ personæ, in sua voluntate habeant, aut ut deposita aliena quæcumque sint, penes se custodiant. Et si quos in hoc culpabiles invenerint, rigide puniant.

3. Si vero alicui ex personis prædictis aliquid datum, vel oblatum fuerit, in eo nullum jus, aut proprietatem prætendere debet: licet ex permissu Præsidentis ad simplicem usum, ad nutum ejus revocabilem, illud possit apud se custodire, & eo uti, pecuniis exceptis. Quod si quis contentiose, illud tanquam suum retinere voluerit, ab eo auferatur, & ad communem usum deputetur.

4. Nulla etiam Persona, quæ apud nos fuerit professa, in libris, vel aliis quibuscumque rebus sui gratia Ordini acquisitis, usumfructum, vel alium quemlibet titulum sibi præsumat vendicare: sed illum usum cum gratiarum actione, non ut rei propriæ, sed alienæ recipiat, si sibi concedatur.

5. Debent enim professi omnes, imo tenentur ex necessitate voti suæ professionis habere animum paratum resignandi in manibus Præsidentis sponte, & libere, ea omnia, quæ sibi concessa sunt, sive libri fuerint, aut aliquid aliud carum, vel vile: quoties superior voluerit, aut fieri mandaverit. Nec si hoc fecerit, debent murmurare, aut conqueri; alioquin nondum se, & sua reliquerunt: & propterea pauperem Christum sequi, & ejus imitatores, & discipuli fieri non possunt, nec ejus paupertate ditari.

6. Petere, accipere, permutare, & donare, quidquid illud fuerit sine licentia si quis præsumpserit, pro qualitate culpæ puniatur. (a) Donationes etiam sub specie, vel colore mutuationis,

(a) *Ista si non fiunt animo occultandi, aut retinendi, sed animo declarandi, & sub spe ratihabitionis, dicuntur tantum pro modo culpæ punienda, quia non habent qualitates proprietatis completas.*

a nobis

a nobis, vel inter nos nullo modo fiant. Neque etiam cuiquam Monacho, aut Converso a Prioribus nostri Ordinis aliquid recipere liceat, nisi cum licentia proprii Prioris.

7. Cæterum ne Priorum tenacitas aliquando proprietatis occasionem ipsis Monachis donet, (a) districte injungimus universis Prioribus, ut de necessariis more Ordinis, Monachis suis rationabiliter provideant: Superflua vero, quæ statui paupertatis, quam professi sunt, non conveniunt, & omnem speciem vitii proprietatis, & fraudis suspicionem ab eis auferant ad formam nostri propositi. Quod ut leviori labore exequi valeant, habeant ipsi Priores claves omnium Cellarum Monachorum, & Conversorum, vel unam singularem, quæ dictas Cellas aperiat. Alias vero seras dictarum Cellarum damnent, & auferendas diligenter, & fideliter curent. Et si quos invenerint clandestinas seras, vel claves habere: acriter eos puniant pro modo culpæ, & suspicionis.

8. Omnes tam Clerici, quam Laici professi tenentur suo Priori ostendere, & ejus voluntati exponere quidquid habent in Cellis, vel alibi, quoties fuerint ab eo requisiti. Et hoc idem per omnia Conversi teneantur facere Procuratori. Qui vero contumax in præmissis fuerit, vel si aliquid eisdem celaverit, ut Proprietarius puniatur.

9. Singulis autem annis a Circumcisione usque ad Quinquagesimam Conversi Procuratori; Monachi vero a Quinquagesima usque ad Ramos Palmarum, quidquid habent ostendant, & exponant voluntati Præsidentis.

10. Porro ad perfectiorem extirpationem vitii proprietatis, statuto irrefragabili ordinamus, ut quicumque Subditus Monachus, vel Conversus, crimen furti, vel alienationis commiserit, seu Proprietarius fuerit (b) ultra valorem trium parvorum solidorum Turonensium, qui nunc ad valorem vigintiquinque assium Gallicorum ascendunt, (c) & illud suo Priori super annum, aut saltem temporibus constitutis, confiteri sacramentaliter, vel revelare extra Confessionem scienter neglexerit, hoc est præsens usque ad diem Cœnæ inclusive, & absens usque ad octavam diem reversionis in Domum suam, post prædictum terminum similiter inclusive, ipso facto, hoc est, elapsis dictis terminis, excommunicationis sententia, quam in istis scriptis ferimus, sit ligatus: a qua non possit absolvi, nisi per proprium Priorem, vel eo absente per Vicarium, cum onere tamen satisfaciendi Superioris præcepto, nisi Vicarius ipse in absentia Prioris illud tulerit.

11. Hanc præterea Sententiam latam a Capitulo Generali, & præsens Statutum; annis singulis in Dominica Palmarum Priores, vel ipsis absentibus Vicarii omnibus professis, tam Clericis, quam Laicis nostri Ordinis in unum congregatis publice in Capitulo Monachorum, denuntient: ipsamque, ut moris est, ex scriptis proferant, & promulgent præsentibus universis, forma, quæ sequitur ante, vel post, in vulgari sermone, propter laicos exponenda.

ORDINATIO ANNI 1679.

Ut mandato Sedis Apostolicæ obtemperemus ad tollendas difficultates, quæ jam pluries, & nuper motæ sunt contra tres parvos solidos Turonenses, qui materia proprietatis, & excommunicationis esse decernuntur in Statutis, contra quod allegatur valorem pecuniarum nunc diversum esse a valore, quo æstimabantur anno 1368. quando summa illa prætaxata est in nova editione Statutorum tunc temporis facta, ac proinde id supputari debere, sicut jam observatum esse putatur, ut patet ex materia hujusce proprietatis, quæ ad duodecim denarios in antiquis Statutis circa annum 1259. editis definita est, & postea in subsequentibus præfato anno 1368. editis ad tres solidos deducta est. Re illa a Capitulo Generali diligenter examinata, & supputato rerum venalium, & pecuniarum valore, concordando tempora temporibus, declaramus tres illos parvos solidos Turonenses in Statutis circa annum 1368. editis expressos, nunc æquivalere vigintiquinque solidis Turonensibus Gallicis, qui in moneta Hispanica nunc valent tribus realibus argenteis cum dimidio, in moneta Germanica triginta septem crucigeris cum dimidio, & in moneta Italica tribus juliis cum dimidio, ad quam summam, utpote istis tribus solidis Turonensibus æquivalentem, materiam illam proprietatis, & Excommunicationis reducimus.

Sententia in die Palmarum in Capitulo pronuncianda.

12. Cum sit a Generali Capitulo institutum, quod personæ Ordinis universæ, quæ suis Prioribus, Vicariis, aut Rectoribus, quoad illas domos quæ per Vicarios, vel Rectores gubernantur, non ostenderint quidquid habuerint, nec ejus exposuerint voluntati: Laici videlicet a festo Circumcisionis usque ad Quinquagesimam, Monachi vero, & Clerici usque ad Dominicam in Ramis, & quæ aliquid ultra valorem trium parvorum solidorum Turonensium monetæ usualis, qui nunc ad valorem vigintiquinque assium Gallicorum supputantur, simul, vel per partes animo occultandi retinuerint, vel sine dictorum Superiorum licentia ultra summam prætaxatam aliquid donaverint, permutaverint, vel modo quolibet alienaverint, & illud, vel illa eisdem Superioribus non revelaverint, sententiam Excommunicationis incurrant ipso facto: donec confessione præcedente beneficium absolutionis a Superioribus sæpedictis meruerint obtinere. Ideo ego Frater (N) Prior aut Vicarius, sive Rector Domus hujus (N) vigore, & virtute Sententiæ latæ, ut præmittitur a dicto Capitulo Generali excommunicatos denuntio omnes tam Monachos, quam Conversos professos hujus Domus, ac de mandato Ordinis ibidem hospitantes, qui occultandi animo, vel celandi (d) ultra valorem summæ prædictæ retinuerint, donaverint, permutaverint, vel quolibet modo alienaverint, & ea mihi scienter neglexerint confiteri, vel extra Confessionem revelare usque ad Cœnam Domini si præsentes sunt, vel usque ad diem Octavam postquam ad Domum istam revertentur, quantum ad absentes: quibus terminis elapsis, & non ante, huic Excommunicationi subjaceant, donec confessione præcedente a me beneficium absolutionis meruerint obtinere: cui quantum ad præfatas personas præsenti Excommunicatione jam percussas, data est potestas absolvendi a Capitulo memorato.

13. Et sciendum est quod hæc Sententia in Domibus Monialium debet a Vicario promulgari, hora, die, & loco quibus supra: præsentibus, & audientibus Monachis, Conversis, ac Monialibus omnibus. Item sciendum, quod potestas

(a) *Eadem forma discretionis uti debent Priores circa materiam voti paupertatis, quæ commendatur illis circa votum obedientiæ* Cap. 3. n. 2. *Cum in utroque sit par ratio periculi, servatis tamen iis, quæ hic dicta sunt.*

(b) *Proprietas a furto distinguitur, in eo quod Monachus sit per eam iniquus possessor, etiam rerum sibi donatarum, aut concessarum.*

(c) *Vide Ordinationem anni* 1679. *hujus Cap.* ut Mandato &c.

(d) *Verbum illud attendendum est veluti formale transgressionis, cui merito censura excommunicationis infligitur, nisi transgressor intra tempus reveler. Qui autem possidet, aut alienet aliquid invito Priore, etiamsi non habet occultandi animum, semper peccat contra votum paupertatis juxta materiæ gravitatem.*

data

data Procuratoribus a Statutis, virtute hujus proceſſus, nec reſtringitur, nec laxatur.

14. Res, jura, redditus, aut poſſeſſiones Domorum Ordinis infra terminos poſſeſſionum, vel etiam extra, cum debita licentia, jam acquiſitas, ſeu acquirendas, vel quæ ſunt de patrimonio ex antiqua fundatione Domorum ſuarum, nullus alienet, niſi pro Domorum ipſarum urgente neceſſitate, vel magna utilitate, & cum licentia ſpeciali Capituli Generalis, aut R. Patris, præcedente etiam debito tractatu, & interveniente conſenſu ſuorum Conventuum, & amborum Viſitatorum, vel ſaltem alterius, ſi ambo haberi non poſſunt.

15. Terrulæ autem, ſeu poſſeſſiones minus utiles de Conſenſu Conventuum ſuorum, & cum conſilio proborum Virorum, ac unius Viſitatorum, poterunt alienari pro utilitate Domorum, ita tamen, quod pretium in magis utiles poſſeſſiones convertatur. Alienationis autem nomine, intelligimus venditionem, donationem, permutationem, locationem ad longum tempus, & Emphiteuſim perpetuam rei, quæ locari, vel coli non ſolet.

16. In alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, etiam concurrente utilitate, vel neceſſitate adhibenda eſt ſolemnitas beneplaciti Apoſtolici ſub pœnis contentis in Extravaganti *ambitioſæ* de rebus Eccleſiæ non alienandis.

17. Nullus etiam cum licentia emat redditus, aut poſſeſſiones cum gratia redemptiva, ſeu cum pacto de retrovendendo, & minoritate pretii, ita quod minori pretio res illas emat, quam valent. Tales enim contractus ſunt injuſti, & propterea a noſtro propoſito alieni.

18. Si res immobilis vendatur, pretium illius niſi cum licentia Capituli Generalis, aut R. Patris, non expendatur, ſed in acquiſitionem rerum aliarum immobilium convertatur. Prior, qui contrafecerit, abſolvatur, & Monachi, qui in hoc ſibi conſenſerint, ſint in diſciplina generali ad Ordinis voluntatem. Parique pœna plectantur qui ſine licentia, redditus annuos, ſive penſionem, aut ſervitutem aliam, ſuper rebus, & bonis Domus ſuæ vendiderint, vel impoſuerint perpetuo, vel ad vitam. Declaramus præterea, ejuſmodi venditiones, ſeu impoſitiones invalidas eſſe omnino, utpote contra mentem Ordinis factas, & ab eis, qui talem poteſtatem non habuerint.

19. Cum vero aliqua Domus Ordinis, per abſolutionem, aut mortem ſui Prioris, eſt ſui Paſtoris ſolatio deſtituta, nulla in ea penitus fiat alienatio rei immobilis alicujus, aut etiam mobilis, quæ adventum novi Prioris ſine detrimento Domus expectare poteſt. Qui contrafecerit, abſolvatur ab omnibus obedientiis Ordinis, & nihilominus alienatio non valet.

De Pauperibus ſublevandis, & Mulieribus fugiendis.

Caput Vigesimum.

1. Cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio dicat, quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis; & in Eccleſiaſtico ſcriptum ſit, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccata, quantum deſideramus præſervari, & liberari a peccatis, tantumdem amare, & dare debemus pauperibus Chriſti eleemoſynam. Quapropter hortamur, & obſecramus omnes Priores Ordinis noſtri in viſceribus ejuſdem Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui ſe ipſum totum in ligno Crucis pro nobis impendit, ut omnes pro facultate Domorum ſuarum toto corde incumbant eleemoſynis large faciendis. Nihil eſt enim tam ſecundum naturam, quam idem nos aliis præſtare, quod nobis in ſimili neceſſitate ab aliis præſtari vellemus. Mulieribus tamen non niſi longe a Domibus noſtris, ſi fieri poteſt, eleemoſynæ dentur.

2. Mulieres enim terminos noſtros intrare nequaquam ſinimus, quantum in Nobis eſt, ſcientes nec Sapientem, nec Prophetam, nec Judicem, nec Hoſpitem Dei, nec Filios, nec ipſum manibus Dei formatum Protoplaſtum, potuiſſe evadere blanditias, vel fraudes mulierum: Salomon, David, Samſon, Loth, & qui acceperunt ſibi Uxores quas elegerant, & Adam in mentem veniant. Nec poſſe hominem, aut ignem in ſinu ſuo ſic abſcondere, ut veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas plantis illæſis, aut picem tangere, nec inquinari.

3. Auctoritate autem Apoſtolica, & per literas Sanctiſſimorum Dominorum Noſtrorum Domini Julii PP. II. & Pii PP. V., omnes, & quæcumque licentiæ, & permiſſiones hactenus, etiam auctoritate prædicta, mulieribus cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & quacumque dignitate, vel præeminentia prædictis, etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, & Duciſſis conceſſæ, ut poſſent ingredi Eccleſias Ordinis noſtri, ſunt revocatæ, cum prohibitione ne illarum prætextu (*), & vigore ingrediantur noſtra Monaſteria ſub pœna excommunicationis, a qua non poſſint, niſi per Summum Pontificem abſolvi, ipſo facto incurrendæ. Et ſimiliter cum expreſſa prohibitione univerſis Prioribus, Officialibus, & aliis perſonis noſtri Ordinis, ne dictas mulieres in ſuas domos introducere, aut voluntarie admittere præſumant ſub pœnis privationis officiorum quæ in præſentia obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & ad alia omnia, & ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto, ſine alia declaratione incurrendis. Nos vero executores prædictarum literarum, eadem auctoritate, & ſub pœnis, aliiſque cenſuris in eiſdem literis contentis: inhibemus omnibus, & ſingulis perſonis Ordinis noſtri, ne mulieres aliquas infra domorum noſtrarum clauſuras, vel clauſurarum limitationes, foſſatis, vel ſignis quibuſcumque deſignatas, voluntarie introducere, aut admittere præſumant.

4. Familiaritatem inſuper, & colloquia cum mulieribus, maxime cum perſonis, & in locis, ac horis ſuſpectis, inhibemus, & Viſitatoribus, ut illa reſcindere ſtudeant, injungimus.

5. Domus quæ non poſſunt cavere, ne ponant mulieres in operibus ſuis, ſaltem propter ſcandalum vitandum, provideant, ne Converſi eas cuſtodiant, nec propriis manibus eis mercedem reddant.

6. Fœnare cum mulieribus, aut aliquid aliud cum eis operari, Monachis omnibus expreſſe prohibemus. Qui contrarium fecerit, ſit in diſciplina generali ad Ordinis voluntatem. Et ſi Prior hoc fieri permiſerit, vel ſi hoc non prohibuerit, ſit per tres menſes extra ſedem ſuam ubique in Conventu, & nihilominus per Viſitatores, ſeu Generale Capitulum rigide puniatur. Sub eadem pœna mulierum quarumcumque amplexus prohibemus, & oſcula.

7. Quicumque nobis, & noſtro Ordini ſubjecti, mulieres aliquas, incontinentiæ cauſa, infra ſepta Monaſteriorum, aut in aliis Domibus, grangiis, ſeu cellariis noſtri Ordinis introduxerint, aut introduci fecerint, vel qui jam introductas receptaverint, & qui in hoc eis præſtiterint conſilium, auxilium, vel favorem, ſive actus ſecutus fuerit, ſive non, non poſſunt a tanto reatu abſolvi, niſi prout de caſibus reſervatis præſcriptum eſt in Capitulo de confeſſione. Quod ſi Priores, & cæteri Officiales in præmiſſis culpabiles inventi, aut ſuper hoc convicti, vel publice confeſſi fuerint, a ſuis obedientiis abſolventur, & ad eas, aut quaſcumque alias perpe-

(*) *Ordinatio anni 1679.* Ne ulli unquam pateat aditus detorquendi per fictas interpretationes prohibitionem e Summis Pontificibus factam circa ingreſſum mulierum quarumcumque in Clauſuras Monaſticas, prohibemus etiam in virtute S. Obedientiæ tum Prioribus, & Officialibus, tum aliis quibuſcumque perſonis Ordinis, & ſub pœnis contra inobedientes præfixis, ne qualcumque mulieres admittant, ſive licentiarum prætextum habeant, ſive non habeant, nec ingredi ſinant præfatas clauſuras Monaſticas in Statutis expreſſas.

tuo sint inhabiles, sine spe alicujus restitutionis, pœna nihilominus graviori, si casus hoc exegerit, puniendi.

De numero Habitatorum novis Domibus, & Hospitum Viaticis, & expensis.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

1. Nulla domus, etiam magnæ Carthusiæ plures recipiat Monachos, Conversos, & alias personas, quam facultates illius possint cum aliis oneribus tolerare, ne ad majores, quam domus nostræ patiuntur, expensas coacti, quærere, & vagari, quod horremus, incipiamus. Ad eam igitur quantitatem numerus Habitatorum cujuslibet Domus redigatur, quam sine prædictis quærendi, & vagandi odibilibus officiis, & periculis possint portare: non attendentes munera, quæ mittuntur, neque enim propter incerta beneficia, onera certa, quæ nec portari, nec deponi possunt sine grandi periculo, subeunda videntur, sed id quod domus nostræ sive ex agricultura, sive ex pecorum nutrimento, sive ex aliis redditibus annuis reddere possunt.

2. Credimus tamen quod mediocres facultates ex Dei adjutorio nobis sufficient, si humilitatis, pauperpatis, sobrietatis, in victu, & vestitu, ac cæteris ad usum pertinentibus, antiqui propositi studium perseveret, & si postremo mundi contemptus, & Dei amor, propter quem ferri omnia debent, profectum in dies accipiant. (*a*)

3. Quia ex levi, & indiscreta receptione domorum novarum minus sufficienter dotatarum, & ædificiis necessariis carentium, multa scandala, & vituperia (quod dolentes referimus) nostro novimus Ordini provenisse, & deteriora in posterum provenire, nisi salubre remedium apponatur, non immerito formidamus: Statuimus, ut nulla domus recipiatur de cætero, nisi prius pro sustentatione Prioris, ac duodecim Monachorum, ac pro aliis oneribus portandis dotetur sufficientibus redditibus, vel possessionibus assignatis, & nisi in loco habili, & honesto, a cohabitatione hominum debite segregato, ædificetur, & nisi prius constructis sufficientibus ædificiis, vel de construendis competenti, & secura præhabita cautione provideatur.

4. Quando aliquis Monachus per chartam Capituli, aut licentiam specialem mittitur ex una domo Ordinis ad aliam, Præsidens domus recepta charta, vel ejus licentia, quam primum commode poterit illum emittat, nec concedat illi recreationem ultra duos dies, in quibus etiam non permittat illum accedere ad Civitatem vicinam, aut alia loca: præterquam ad spatiamenta domus ordinaria. Insuper Præsidens domus a qua discedit, in literis, quas scribet Priori domus, ad quam mittitur, exprimat diem recessus ejus a sua domo, ut inde colligere possit Prior si moram nimiam in itinere fecerit Religiosus ille, neque enim licet cuique nostrum a recto itinere notabiliter divertere (*b*) nec in domibus Ordinis, per quas forte debet transire, ultra duos dies absque causa rationabili manere. Porro postquam Monachus ille pervenerit ad domum, ad quam mittebatur, non concedatur illi recreatio ultra duos dies cum conditione supradicta. Laudamus tamen consuetudinem domorum, in quibus vix unica dies recreationis datur Monachis ad eas accedentibus ad hospitandum more Ordinis, aut inde recedentibus.

5. Nulla persona Ordinis ex quacumque causa mittatur ad aliam Domum (*c*), possit secum deferre, vel ante se præmittere, vel etiam post suum accessum requirere, vel recipere ullos libros, præter Breviarium, & horarias preces, & unum, vel alterum devotionis libellum, nec alia utensilia, aut vestimenta, præter ea, quæ actualiter portabit in suo corpore. Ita tamen, quod non possit ejusdem speciei duplicia indumenta secum portare, nisi iter sit multorum dierum, tunc enim duas Tunicellas secum deferre poterit. Sed domus ad quam accedit, teneatur suis expensis illi providere de aliis necessariis, libris, & utensilibus, & vestimentis, secundum formam statutorum, quamdiu in ea manebit: nisi, qui mittitur sit persona inutilis. Tunc enim providebitur illi expensis domus suæ professionis.

6. Per personam vero inutilem hic intelligimus eum, qui pro magna parte non potest sequi Conventum, & qui habet perpetuum, vel diuturnum impedimentum ad celebrandum. Porro Priores in victu, & vestitu, & aliis necessariis, æque provideant hospitibus, ut professis. Ipsi quoque hospites tenebuntur Prioribus, & cæteris Officialibus (*d*) ibidem per omnia obedire, ut professi.

7. Quotiescumque aliqua domus petit aliquem ad se mitti, aut ad eam mittitur aliquis pro juvamine ipsius, etiamsi domus illum non petat, talis domus tenetur ad expensas ejus itineris, tam in accedendo ad eam, quam in recedendo ab ea: nisi recedat ad aliam domum pro ipsius juvamine, aut petatur. Alias in omnibus aliis casibus, tenetur domus professionis. Ut autem appareat quando quis mittitur ad domum aliquam pro ipsius juvamine: debet istud exprimi, sive in charta Capituli, sive in ejus licentia speciali per quam talis mittitur.

8. Si quis ad aliquam domum missus ad hospitandum habeat residuum quid ex pecuniis sibi datis pro Viatico, illud consignet in manus Præsidentis; qui illud refundet domui, a qua pecuniam illam accepit. Quando vero simplex Monachus mittitur ad aliam domum, in arbitrio sit Prioris pecuniam pro ejus Viatico illi, vel famulo fidei, & honesto, qui eum deducat, committere.

9. Damnamus tanquam contrarium veræ paupertati, & honestati Religionis, quod personæ Ordinis alibi extra domos suæ professionis hospitantes, aliquam, a domo in qua hospitantur, lucrentur pecuniam, & omnino prohibemus talem quamcumque pecuniam sub pœna proprietatis quo ad accipientes, & absolutionis a suis officiis quo ad dantes. Etsi quæ ex hujusmodi lucris deposita serventur; Visitatoribus injungimus virtute sanctæ obedientiæ, ut pauperibus distribuantur, vel parvis domibus Ordinis indigentibus.

10. Si contingat aliquem Infirmum sub spe recuperandæ sanitatis ad aliam domum mitti, subveniant illi Priores tam de medicinis, quam de aliis necessariis expensis domus suæ professionis (*e*); Si vero morbum, vel infirmitatem incurrerit in domo, ad quam per obedientiam missus fuerat, domus illa subveniat illi expensis suis de supradictis. Verumtamen si ejus infirmitas ultra quatuor menses perseveret, expensæ a Domo suæ professionis poterunt repeti, aut poterit de consilio Medici, & licentia Visitatorum,

(a) *Vide Ordinationem anni 1679. in fine hujus Capituli*, Cupiditatis occasione &c.

(b) *Vide Ordinationem anni 1627. in fine hujus Capituli*, pro exactiori observantia &c.

(c) *Vide Ordinationem anni 1602. in fine hujus Capituli* servetur num. 5. &c.

(d) *Id dicitur pro Conversis, & Donatis, nam Monachi Priori tantum aut Vicario debent obedientiam.*

(e) *Ista sic ordinantur ea tantum mente, ut unaquæque Domus sit prudenter solicita, nam cum una domus aliquo casu in egestatem decidit Monachi illius in alias mittuntur ubi eis providetur de omnibus, sicut professis ipsarum Domorum.*

remitti

remitti ad domum suæ professionis. Si tamen ante infirmitatem plures annos laudabiliter vixisset in dicta hospitii Domo, honestum, & justum credimus, ut expensis ejusdem domus eidem subveniatur, nec a Domo suæ professionis aliquid repetatur.

11. Priores non differant mittere ad loca destinata Monachos, aut Conversos, qui a Capitulo Generali, vel R. Patre, ad tempus alicui Domui commodantur, vel commutantur: nec sic missi revertuntur donec a Capitulo, vel R. Patre revocentur.

12. Volumus, quod personæ Ordinis, quæ ad suam instantiam, & non ad subventionem Domorum, neque propter inevitabilem necessitatem emittuntur a Domibus suarum professionum, vel aliarum, ante quadriennium in Domibus, ad quas mittuntur, expletum, nullatenus a dictis Domibus ad suam instantiam emittantur. Quod ut melius observetur, teneantur petentes rursum transferri ad aliam Domum, significare R. Patri, vel Capitulo Generali, quamdiu manserint in Domibus a quibus petunt emitti, & an missi fuerint ad illas ad propriam instantiam, alias tales literæ pro subreptitiis habeantur.

13. Si quid datum fuerit Monachis, vel Conversis, qui in alienis Domibus quacumque occasione commorantur, acquiritur Domui professionis eorum, nisi expresse in favorem Domus, in qua hospitantur, id eis datum fuerit. Verumtamen exeuntes inde, nullatenus debent illud asportare sine licentia Prioris, qui sicut viderit magis expedire, aut per illos aut per alium fidelem nuntium restituet illud Domui professionis eorum.

14. Personæ Ordinis, quæ negotia expedienda habebunt in Curiis Prælatorum, & Principum, vel in aliis locis insignibus, ad quæ fit frequens concursus, juxta quas, vel quæ Ordo Domos habet, vel habebit in futurum propter Ordinis honestatem divertant ad easdem (*) & ibidem maneant quamdiu opus erit. Et ne Domus hujusmodi a supervenientibus Hospitibus nimium gravaretur sumptibus, & expensis, ordinamus, ut hospites advenientes ad dictas Domos, si ultra duos dies in ipsis domibus remanserint, solvant tam pro homine, & equo, quam pro pedestri taxam, quam Visitatores, considerata locorum, & temporum qualitate, justam, & rationabilem esse judicaverint, secundum Deum, & conscientiam. Et quia sunt nonnullæ Domus non multum remotæ a Domibus prædictis, quarum Officiales pro suis negotiis sæpius in anno accedunt ad dictas Curias, quibus si in quolibet eorum adventu duo dies sine expensis Hospitalitatis gratia concederentur, prædictæ Domus vicinæ gravarentur: idcirco statuimus, quod si ad unam Domum pluries in anno venerint, duo tantum dies Hospitalitatis sine expensis concedantur in eodem anno.

(*) Vide *Ordinationem anni 1620. in fine hujus Capituli.* Insequentes, &c.

15. Pro Hospitibus autem inutilibus, solvant Domus suarum professionum pro singulis mensibus taxam a R. Patre, habita locorum, & personarum ratione, præscribendam. Etsi dicti Hospites indigeant famulo: eædem Domus professionis solvant salarium, & expensas dicti famuli.

16. Hospitibus nostri Ordinis tales lectos, & cibos, qualibus ipsi utimur, præparamus, circa quos modestia servetur in ferculis, & in vino; ita quod etiam ipsismet Visitatoribus tam in actu visitationis, quam extra, post coquinam, ova sorbilia, si tempus fuerit, & pisces salitos, vel aliquid ejusmodi: non plura, quam duo, aut tria ad summam ciborum genera, cum caseo, & fructibus ministrantur.

17. Hospitibus autem sæcularibus, cum ad nos veniunt, aut per nos invitantur ad prandium, præparamus pro illorum dignitate, & honestate, Domus facultate, exceptis carnibus quas nulli unquam intra Domum præparamus. Verumtamen circa illos etiam in omnibus quantum fieri poterit, religiosa modestia servetur, nec tot, & tanta, tamque exquisita cibaria illis ministrentur, ex quibus, & Religiosi, & sæculares, imo etiam, & ipsi Hospites scandalizentur, & Domus graventur.

18. Et ne in corporis refectione jejuna mens remaneat, hortamur, ut semper præsentibus Hospitibus, sive nostri Ordinis, sive etiam extraneis habeatur aliqua lectio pia, & religiosa in principio, & in fine mensæ, tam prandii, quam cœnæ, ex ea poterit sumi occasio loquendi de utilibus, & salutaribus animæ. Quamdiu Hospites comedunt, nullus Monachus, nisi Procurator, & absente Priore Vicarius, audeat præsens esse, nec tunc vocetur a suo Priore.

19. Hospites nostri Ordinis quamdiu apud nos manent, Ordinis Jejunia, nisi rationabili causa excusentur, observent, excepto die illo quo ad nos sub vesperum adveniunt, quando etiam in gratiam Hospitalitatis permittimus Prioribus, & Procuratoribus eos excipientibus Jejunium Ordinis solvere.

20. Permittimus, quod personæ Ordinis in itinere constitutæ, vel extra Domos suas, possint dormire in lectis prout paratos eos invenerint: Sic tamen quod in habitu, & in forma Ordinis dormiant. Quod si quis aliter inter duo linteamina, vel in lecto de pluma jacere præsumpserit: tot diebus a vino, & cervisia abstineat, quoties id fecerit.

21. Cum veniunt ad nos Episcopi, ipsos inclinati, & usque ad terram flexis genibus suscipimus, & eorum manum osculamur, eisque sedem congruam, & decentem in Ecclesia paramus pro Domorum consuetudine, etsi ipsi voluerint, dant etiam benedictiones.

22. Si Episcopus aliquis in Ecclesia nostra celebret, nullus eodem die debet celebrare in eodem Altari, in quo Episcopus celebravit sine licentia ipsius.

23. Cum Episcopis, qui de Ordine nostro non sunt, aliquem nostrum habitare prohibemus omnino. Cum Episcopis autem nostri Ordinis, nullus nostrum habitet sine expressa licentia R. Patris.

ORDINATIO ANNI 1679.

Cupiditatis occasiones nobis, & nostris posteris (ut sa. me. R.P. Guigonis verbis utamur) quantum Deo juvante possumus præscindere volentes, ac juxta mentem Ordinis in antiquis statutis, & tot Capitulorum Generalium ordinationibus expressam bonis externis habita temporum ratione modum ponere cupientes, ne ultra honestam sufficientiam unquam progrediatur novarum acquisitionum, pruritus & libertas, & illud Isaiæ: Veh qui agrum agro copulatis num quid terram soli possidebitis in personas Ordinis Carthusiensis decidat, statuimus, & ordinamus ne de cætero ulli Domui, quæ habeat sufficienter unde honeste, & pacifice vivat cum numero duodecim Monachorum ex bona, & æqua Visitatorum Provinciæ æstimatione novam acquisitionem cujuscumque naturæ sit sub quolibet prætextu facere liceat absque prævio examine Visitatorum de ipsius Domus indigentia scriptis expresso, & sine speciali licentia R. Patris, aut Capituli Generalis, sed si quæ Domus superabundantiam habeat tum in largas eleemosynas ipsa impendatur, tum R. Patri, aut Capitulo Generali offeratur ad distribuendum parvis, aut pauperibus Domibus Ordinis ejusdem Regni, & Provinciæ tantum, itaut redditus superabundantes Monasteriorum nullatenus applicari possint sub quovis titulo, & quæsito colore Domibus alterius Provinciæ, & Regni, juxta Decretum Sacræ Congregationis particularis Eminentissimorum DD. Cardina-

lium

lium ad examinandam præsentem collectionem statutorum deputatæ emanatum die 19. Martii 1685., ut illarum inopia per aliarum abundantiam juxta Apostolicum præceptum suppleatur habita ratione necessitatum quarumcumque Domorum. Turpe enim esse debet Monachis, qui sua reliquerunt, iterum congerendis nummis, & possessionibus contra mentem Carthusiensis propositi inhiare, nihil autem convenientius est monasticæ professionis, quæ Christianæ disciplinæ perfectionem profitetur, quam si specimen in se præbeat eximiæ illius charitatis primorum Christianorum, inter quos ex facultatum Religiosa communicatione nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. De hujus autem laudabilis ordinationis observantia Visitatorum, & Priorum conscientiam oneramus de qua rationem districto Judici reddituri sunt, sed si in hoc culpabiles fuerint, aut remissi veniant per Capitulum Generale corrigendi.

ORDINATIO ANNI 1627.

Pro exactiori observantia num. 4. cap. 21. secundæ partis Statutorum declaramus eos, qui ab una Domo ad aliam missi notabiliter divertunt a recto itinere, teneri pœna fugitivorum, & eos, qui pecunias sibi pro viatico datas in alios, quam itineris usus impenderint sine expressa licentia Superioris, teneri pœna Proprietariorum, super quibus Superiores invigilent, & debitam Justitiam faciant, facta diligenti inquisitione.

Idem repetitur in Ordinatione anni 1647. & in confirmatione ejusdem Ordinationis facta anno 1648. additur, & eos qui in itinere moram nimiam fecerint eadem pœna fugitivorum teneri, etiamsi illa fuerit in grangiis, sive aliis in locis Domorum Ordinis, nec super his possint Priores dispensare.

ORDINATIO ANNI 1602.

Servetur n. 5. cap. 12. secundæ partis ejusdem novæ Collectionis, & si quis ad aliam Domum missus per se, vel per alium detulerit aliquid præter id quod habetur in d. n. sine licentia Prioris Domus e qua discedit in scriptis obtenta, tanquam Proprietarius puniatur. Et in Ordinatione anni 1648. qua præcedens renovatur, additur adempta licentia Prioribus super eo dispensandi.

ORDINATIO ANNI 1620.

Insequens Decretum SSmi D. Pauli Papæ V. præcipi omnibus, & singulis Ordinis nostri personis, ut accedentes ad loca in quibus sunt Monasteria, aut Domus Ordinis, in eisdem vivere, & morari debeant, nec alio divertant, reservata Sedi Apostolicæ super eo dispensandi facultate.

De Generali Capitulo.

Caput Vigesimum secundum.

1. Pro tenore, & stabili firmitate Carthusiensis propositi, communi primorum Patrum nostrorum Ordinis nostri Priorum consilio, voluntate, & consensu decretum est: ut singulis annis Generale Capitulum haberetur in Domo Carthusiæ, quæ nostri propositi mater est, & origo, ad quod aliarum Domorum Ordinis Priores opportuno tempore convenirent: de his quæ ad utilitatem, & stabilitatem Ordinis nostri pertinere videntur, diligentissime tractaturi.

2. Cui etiam communi Capitulo, R. Pater Prior Carthusiæ ipsam Domum Carthusiæ, & cæteri nostri Ordinis primi Priores Domos suas corrigendas, & servandas tradiderunt: eidemque Capitulo obedientiam pro se, & domibus suis promiserunt. Insuper etiam communi consensu voluerunt, & statuerunt, ut si Domus Carthusiæ, vel alia quælibet Domus a Carthusiensi proposito ad aliud propositum (quod Deus avertat) aliquando se transferre tentaverit, vel Prior, vel persona ipsius Domus, vel etiam tota Domus obedire prædicto Capitulo noluerit: Sententiæ Excommunicationis latæ si personæ fuerint singulares subjaceant: & suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ si fuerit Conventus, quam Sententiam tam excommunicationis, quam suspensionis, idem Capitulum præsenti Statuto promulgat. Et super his omnibus, omnes d. primi Priores literas suas, & Domorum suarum declaratorias, & obedientiales scripserunt, & in Domo Carthusiæ servanda reliquerunt.

3. Porro Generale istud Capitulum celebrandum est secundum formam compositionis receptæ ab eodem Generali Capitulo, & a Sanctissimo D. Papa confirmatæ, quæ forma in sequentibus declaratur.

4. Primo igitur Capitulum Generale totius Ordinis Carthusiensis juxta prædictum Decretum, in Domo Carthusiæ singulis annis celebrari debet, nisi forte ad certum tempus ex aliqua causa: & tunc de consensu R. Patris, & omnium Diffinitorum oporteret illud alibi celebrari.

5. Unus ex Visitatoribus singularum Provinciarum Ordinis, Saxonia, & Anglia exceptis, singulis annis ad Capitulum Generale venire tenetur: pro informatione dicti Capituli de statu, & regimine sibi creditarum Domorum. Quod si ambo fuerint legitimo impedimento detenti, poterunt, imo hoc casu tenebuntur unum ex Prioribus aliis suæ Provinciæ cum chartis, & statu illius, & de singulis sufficienter instructum mittere: vel saltem ubi tam Visitatores, quam cæteri Priores (quod raro contingit) essent pariter impediti, poterunt, & debebunt chartas cum statu prædicto per Priorem alterius Provinciæ, aut per fidelem nuntium mittere: ut hoc, vel illo medio Capitulum de singulis occurrentibus possit, & valeat informari.

6. Verumtamen nullus Monachus pro Visitatore, aut Priore suo ad Capitulum veniat, aut mittatur, aut etiam ad Carthusiam super annum pro negotiis quibuscumque. Alias Monachi, qui contrarium fecerint, reputentur fugitivi, & Priores, qui eos miserint ab officio per unum mensem sint suspensi. Nunquam etiam mittantur ad Capitulum pro quibuscumque negotiis, Conversi, aut Donati probationis tempore durante. Ex Provinciis autem Saxoniæ, & Angliæ in anno Bissextili alter Visitatorum pariter venire, & aliis tribus annis nuntium fidelem mittere tenentur. Quod si nec hoc, nec illud fecerint eorum contemptus, & contumacia in tunc sequenti Capitulo pœna debita purgabitur.

7. Porro ne Domus Visitatorum prædictorum ex hoc ascensu ad Capitulum graventur, in unaquaque Provincia Visitatores, & discretiores Priores ejusdem Provinciæ judicio Visitatorum nominandi, videant, & statuant quantum regulariter Visitator possit expendere veniendo ad Capitulum, & redeundo cum necessariis equitaturis: & totam ipsam expensam dividant per omnes Domos dictæ Provinciæ pro rata facultatum uniuscujusque Domus, excepta Domo Visitatoris: quando ipse ascendet ad Capitulum, & non aliter. Et secundum prædictam taxam, & distributionem, unaquæque Domus, cujus Prior non veniet ad Capitulum, solvet d. Visitatori venienti; aut etiam alteri venienti loco ejus, nomine dictæ Provinciæ suam ratam. Quarum vero Domorum Priores ad Capitulum venient: illæ ad contributionem prædictam pro illo anno minime tenebuntur. Nec tamen per hoc aliæ Domus quarum Priores ad Capitulum non ascendent, solvent aliquid amplius dicto Visitatori, aut alteri loco ejus ad Capitulum venienti pro expensis itineris, ultra suam ordinariam taxam, sibi pro rata facultatum suarum assignatam. Quod si nullus Prior Provinciæ alicujus ad Capitulum ascendat, sed solus Nuntius: expensæ dicti Nuntii similiter dividentur per omnes Domus illius

Provinciæ, pro rata facultatum uniuſcujuſque Domus.

8. Si vero ambo Viſitatores venerint ad Capitulum: non tamen tenebuntur cæteræ Domus contribuere, niſi pro rata expenſarum unius. Non præcluditur etiam via cæteris Prioribus, quominus ſi velint, ad Capitulum venire poſſint expenſis propriæ Domus.

9. Illi autem quibus Sermo habendus tempore Capituli, ſeu Collatio injungitur, ad Capitulum omnino venire tenentur. Quod ſi forte legitimo impedimento fuerint detenti, itaut Capitulo intereſſe non poſſint, debent hoc opportuno tempore intimare R. Patri: qui alium in eorum locum ſubrogabit. Quod ſi nec venerint, nec excuſationem mandaverint, ſint per duos menſes extra Sedem ſuam in Conventu: & nihilominus ſi eorum contemptus, & negligentia majorem pœnam exegerit, majori pœna puniantur.

10. Priores ad Capitulum aſcendentes, vel redeuntes in Domibus Ordinis, per quas tranſeunt, non maneant, niſi unum diem, aut alterum ad ſummum ſine cauſa rationabili.

11. Stricte prohibemus, ne fiant ullo anno in Provinciis ante, vel poſt Generale Capitulum, Congregationes Generales Priorum, ſed Priores qui habuerint negotium ad Capitulum Generale referendum, ſcribant: vel ſi opus ſit accedant ad Viſitatorem cum eo de neceſſariis tractaturi.

12. Omnibus perſonis Ordinis firmiter inhibemus, ne inducant ſuos Fundatores, vel Sæculares alios, vel Eccleſiaſticos ad ſcribendum Capitulo Generali, aut R. Patri pro ſe ipſis, vel de factis Domorum ſuarum particularibus, & privatis: nec exceſſus, vel diſciplinas perſonarum Ordinis Sæcularibus denuntient ullo modo. Qui contra fecerit pro modo culpæ graviter puniatur.

13. Priores, & aliæ Perſonæ Ordinis ad Carthuſiam tempore Capituli Generalis venientes, non nimis tempeſtive venient. Quod ſi aliqua rationabili cauſa venerint ante tempus: Domui Carthuſiæ ſolvant expenſas, quas tunc ibidem fecerint.

14. Famuli Priorum Ordinis venientes ad Capitulum Generale, vel ad Domum Carthuſiæ ſuper annum, poſtquam dimiſerint equos in Correria, ſtatim enſes, & cætera arma ſua tradant cuſtodienda Coquinario ejuſdem Correriæ, qui ea clauſa ſervabit, donec finito Capitulo velint ipſi a Carthuſia diſcedere.

15. Priores omnes, qui Capitulo Generali volunt, & debent intereſſe, Veſperis Sabbati Dominicam tertiam poſt Octavas Paſchæ præcedentis, & ejuſdem Dominicæ Matutinis uſque ad Laudes, Miſſæ & Veſperis intereſſe tenentur, & eodem die in Refectorio prandent, & cœnant.

16. Porro ſtatim poſt Veſperas Dominicæ, pulſata Campana, & congregatis omnibus in aula Superiori, R. Pater Carthuſiæ, ſtando, dicit *Benedicite*: quo dicto, ſedet ipſe, & alii ſimiliter, & eum, cui per chartam, Capituli anni præteriti commiſſa fuit collatio, jubet ad locum conſuetum venire, & collationem facere. Cæterum quibus injuncta eſt collatio, vel ſermo in Capitulo Generali, illam & illum ex ſcripto recitent, & pariter in viſitationibus, & aliis actibus Conventualibus, prout ab antiquis in Ordine ſervatum eſt.

17. Finita collatione hoſpites recedunt deducente eos Procuratore ad Cameram Hoſpitii, & Breves Defunctorum a Sacriſta pronunciantur. Quibus pronunciatis, jubet R. Pater, ut ſive plus, ſive minus quam centum venerint: centum tamen more ſolito ſcribantur, & reddantur. Committit Priori ſeſſionis, ut in deſcenſu a Capitulo portet illos ad Cluniacum: & monet, ut ſi quis habeat literas Beneficiorum Ordinis, illas in manus Scribæ Capituli tradat eodem die.

18. Exhortatur quoque omnes, ut orent Deum, a quo bona cuncta procedunt, ut actus totius Capituli dirigere dignetur, ad ſuam laudem, & Ordinis noſtri ſtabilitatem, & communem omnium conſolationem, & pacem, ut omnes bonum exemplum de ſe ipſis, & de ea, quæ in eis eſt religione præbeant, ut nullus viſitet Monachos Carthuſiæ tempore importuno, nec pulſato Completorio ullus remaneat in Clauſtro, at in Cellis Monachorum: nec deambulent per alia loca, ſed repetant Cameras Provinciarum ſuarum, ut non introducant famulos ſuos durante Capitulo in Domum Superiorem: & eos præmoneant, ut ſint in dictis, & factis humiles, & manſueti, tractabiles, pacifici, & quieti, inhibendo eis ne vadant ad vicinas paræcias, nec exeant terminos Carthuſiæ, niſi ex aliqua rationabili, & neceſſaria cauſa, cum licentia Procuratoris Carthuſiæ, qui his omnibus expletis deſcendit ad Domum inferiorem cum duobus Prioribus, quorum alter proponit Fratribus, & Familiæ verbum Dei (*a*).

19. Priores, & cæteri Religioſi qui Capitulo Generali interſunt, ſi non occupentur circa facta Capituli, debent diebus Capituli intereſſe Veſperis uſque ad Salve Regina, & Miſſæ Conventuali niſi dum dicitur, celebrent, vel ex aliqua rationabili cauſa, & cum licentia, eos intereſſe non poſſe contigerit. Laudamus vero eos, qui etiam Nocturnum ſequuntur Officium. Qui autem abſque rationabili cauſa Miſſæ, & Veſperis non interfuerint, denuncientur per Sacriſtam Carthuſiæ, R. Patri, qui eos dure reprehendat.

20. Feria ſecunda, quæ eſt dies prima Capituli, mane poſt auroram, dicitur Miſſa de Spiritu Sancto a R. Patre, vel ſi non poſſit, ab eo cui ipſe injunxerit, cui omnes Priores intereſſe debent, & poſt eam dicuntur Miſſæ privatæ. Quibus dictis ad nutum R. Patris fit ſignum cum Campana pro Capitulo celebrando in aula Superiori, in qua omnibus congregatis R. P. in loco ſuo ſtans nudato capite incipit Pſalmum *Ad te levavi*, cum precibus, & Orationibus conſuetis. Quibus expletis, fit ſermo ab eo, cui anno præterito per chartam injunctus eſt. Quo finito, redeunt Novitii ad Cellas ſuas; & Hoſpites deducente eos Procuratore, ut ſupra.

21. Tunc R. Pater nominet unum diſcretum, & idoneum Electorem Diffinitorum, videlicet quem voluerit, ſeu de Monachis Carthuſiæ, ſeu de Prioribus in eodem Capitulo congregatis, qui nominantur a Sacriſta, deinde quinque Priores primarum Domorum ipſius Ordinis poſt Domum Carthuſiæ, ſingulariter ſinguli, alios ſingulos Diffinitorum nominant Electores, ſive de Monachis Carthuſiæ, ſive de Prioribus in eodem Capitulo congregatis. Hoc penſato de æquali, & debita portione, ut quinque prædicti Priores, qui Diffinitorum nominant Electores, ſingulis annis mutentur ſucceſſive. Domorum Ordinis Carthuſienſis Ordine conſervato, deſcendendo videlicet per ſingulos Priores in Capitulo præſentes uſque ad ultimum incluſive, & poſtmodum a capite inchoando, Priore Domus Carthuſiæ non mutato. Si qui autem Priores ad quos pertineret nominare Electores ſint abſentes, tranſitur ad alios ſequentes, qui præſentes ſunt donec ſint ſex nominati Electores.

22. Nominatis Electoribus R. Pater ducit eos ad Altare S. Petri, ſeu ad locum adhoc ſpecialiter deputatum, & brevi tractatu inter ſe habito, abſque ulla perſonarum, partium, Nationum, vel conditionum exceptione, eligant Diffinitores pro ſuæ arbitrio voluntatis, ſive de ſe ipſis, ſive de Prioribus ibidem præſentibus, ſive de Monachis Domus Carthuſiæ, quos teſte fideli conſcientia magis idoneos judicabunt: Viros ſcilicet Deum timentes, doctos, probatos, & in factis Ordinis practicos, expertos, & ad tan-

(a) *Vide n.* 13. cap. 29. *Statutorum antiquorum.*

tum

tum opus idoneos. Ita tamen, quod excepto R. Patre, nullus sit, vel eligatur Diffinitor in duobus Capitulis successive.

23. Eliguntur tunc etiam ibidem Scriba Capituli Generalis, Referendarii tres pro causis promovendis, Cancellarius, Auditores Cancellarii, auditores Computorum, Emendator in lectura Refectorii, & ille, qui in ejus absentia supplevit vices: & Procurator Capituli. Inhibetur autem ne ullus subornet alium, in electione Electorum, vel Diffinitorum.

24. Interim dum ista fiunt leguntur nomina habentium participationem Ordinis (*) recenter Defunctorum, pro quibus, & omnibus Benefactoribus Capituli Generalis, recommendatis, & amicis, postquam R. Pater Electis Diffinitoribus reversus est in Sedem suam: stans nudato capite incipit Psalm. *De profundis*, cum precibus, & Orationibus consuetis. Posthæc nomina Diffinitorum, & aliorum Officialium Capituli, vice sua, & aliorum Electorum legit, & publicat in communi audientia. Tunc leguntur literæ Capitulo Generali directæ, quæ pertinent ad totum Ordinem, vel in quibus Priores petunt misericordiam quoad ipsam misericordiam tantum. Cæteræ vero literæ, particulares causas continentes in publica audientia Capituli non leguntur, sed recitantur ad Diffinitores.

25. In publica audientia Capituli Generalis, nullus nisi vocatus surgat, aut per se ipsum aliquid proponat; sed si quod in ipsa audientia proponere voluerit, det illud per schedulam in manum Scribæ ejusdem Capituli Generalis: qui de voluntate R. Patris, & Diffinitorum, illud legere, & publicare poterit more solito. Proponens enim est ipse Scriba ad cujus Officium hoc spectat.

26. Si quis autem aliquid forte Secretum, aut aliud tale negotium, quod publicam audientiam non requirat, Capitulo intimare voluerit, poterit, imo debebit in privato Diffinitorio petere audientiam, quæ sibi non negabitur: & ibidem, quæ proponenda erunt paucis, & necessariis verbis proponere, aut illa R. Patri Carthusiæ ad partem significare poterit.

27. Si contingat R. Patrem durante Capitulo infirmitate tanta detineri, quod non possit ad aulam Capituli ascendere, tunc nisi aliter ex causa R. Pater ordinaverit, Prior Domus Sanctorum Stephani, & Brunonis, vel eo absente Prior Portarum, aut utrisque absentibus, Prior antiquioris Domus ex his quarum Priores ibidem aderunt Dominica die post Vesperas in aula Capituli sedens in capite scamni prope Scribam, faciet, & dicet omnia, quæ diximus R. Patrem debere dicere. Et feria secunda similiter sedens in loco supradicto, post sermonem nominabit unum Electorem Diffinitorum sibi a R. Patre pro parte sua nominatum, & postquam alii quinque fuerint nominati Electores, ducet eos omnes ad Cellam R. Patris: in qua eligentur Diffinitores, & R. Pater committet primo Diffinitori omnimodam suam potestatem, & auctoritatem. Quibus peractis, dictus Prior antiquioris Domus reversus ad aulam, in Sede sua prædicta publicabit Diffinitores, & declarabit, quod R. Pater infirmitate præpeditus, omnimodam suam potestatem, & auctoritatem dedit primo Diffinitori: & ex tunc per totum Capitulum, usque ad finem, prædictus Diffinitor præsidebit, & in prædicto loco sedebit.

28. Diffinitores electi, & publicati habent auctoritate Apostolica, & Capituli Generalis plenitudinem potestatis, una cum R. Patre ordinare, statuere, & diffinire, quæ secundum Deum, & propositi Carthusiensis observationem melius, & utilius in ipso Capitulo viderint ordinanda. Ita dumtaxat, ut quidquid ab omnibus eis, vel saltem a majori parte omnium ipsorum, hoc est a quinque definitum fuerit, & Statutum, plenam habeat in toto Ordine firmitatem. Hoc excepto, quod contra aliquid eorum, quæ continentur in his Statutis nostri Ordinis, nihil possit statui de cætero, per quod antiquus rigor Carthusiensis Ordinis minuatur, nisi de assensu omnium Diffinitorum, & consensu Conventus Carthusiæ, vel majoris partis ipsius, ubi Ordo hujusmodi ortum cœpit, nec tunc nisi per duo continua Capitula approbetur.

29. Ad hæc etiam ordinamus quod dispensatio ad relaxationem Ordinis pertinens, cum aliqua, vel aliquibus Domibus Ordinis, specialiter per Capitulum Generale, vel Rev. Patrem facta non valeat, nec ea quisquam utatur: usquequo per duo Capitula generalia fuerit approbata. Quod si quæ tales dispensationes hactenus sint factæ, cum aliqua, vel aliquibus Domibus per Capitulum Generale, vel per R. Patrem, quæ non fuerint per duo Capitula continua approbatæ; exhibeantur proximo Generali Capitulo futuro, ut per illud confirmentur, vel irritentur: Quodsi non fiat, nullus illis uti licite possit.

30. Ordinatione autem, seu Constitutione per Capitulum facta, quæ non pertinent ad relaxationem rigoris, utimur eodem anno, quo facta est: Sed nisi per sequens Capitulum confirmetur, eam amplius non servamus. Porro hortamur eos, qui huic Capitulo Generali futuris præfuerint temporibus, ut quantum fieri poterit, & nisi eos coegerit necessitas, aut talis casus emerserit, qui per jam edita Statuta decidi non possit, & qui necessario ordinationem novam exigat; ab ordinationum multiplicatione onerosa abstineant. Poterunt tamen facere admonitiones, seu exhortationes circa aliqua sic dicendo. Admonemus quod hoc, vel illud corrigatur, vel ut hoc, vel illud fiat, vel non fiat, & hujusmodi Admonitiones non inserantur inter Constitutiones, seu Statuta, sed in uno libro per Vicarios Domorum, singulis annis recepta charta describantur.

31. Cum a modo fiat aliqua Constitutio: Diffinitores, qui incipiant eam, dicent sic in scriptis: Incipimus hanc Constitutionem: fiat hoc, vel illud, vel non fiat. Diffinitores autem sequentis Capituli immediate, si eam voluerint confirmare, sic dicant in scriptis: Constitutionem hanc inceptam, quod hoc, vel illud fiat: nunc approbamus. Et ex tunc habeat vim Constitutionis. Si autem noluerint eam confirmare, nihil dicant, quia ut supra dictum est, nisi in sequenti Capitulo confirmetur, nullam amplius vim habet.

32. Ordinationes Capituli Generalis eo anno, quo sunt factæ quater a Vicario legantur in Conventu. Videlicet die, qua charta Capituli recepta legitur, & a diebus S. Laurentii, S. Martini, & Purificationis Beatiss. Virginis Mariæ.

33. Cæterum ad examinanda, judicanda, seu terminanda ea, quæ in Capitulo scripta, vel proposita sunt, aut quæ occurrunt, R. Pat., & octo Diffinitores singulis diebus Capituli, cum viderint opportunum seorsim conveniunt: & super singulis diligenti habito tractatu, prout viderint expedire, cum plenitudine potestatis determinant, & scriptis commendant. Ac primo omnium priorem partem chartæ, quæ est de Defunctis expediunt, & corrigunt eadem feria secunda post Nonam. Et post Vesperas in Ecclesia dictas, ad nutum R. Patris pulsatur Campana; Congregatisque omnibus in aula Capituli R. Pater postquam stans dixit *Benedicite*: innuit Scribæ ut legat. Qui quidem Scriba primo literas Apostolicas, vel aliorum Principum, quæ communi Capitulo diriguntur, si quæ sint eidem in Diffinitorio traditæ ad publicandum legit, deinde chartam Defunctorum.

34. Qua lecta omnes Priores, insequendo

(*) *Ordinatio anni 1606.* De cætero non concedantur participationes Ordinis nisi ad solam instantiam Priorum Domorum qui manu propria fidem faciunt, quod personæ omnes, pro quibus ipsi petunt sint benemeritæ de ordine nostro, & non excedant numerum quatuor personarum nominatim expressarum.

communem obedientiam Generali Capitulo promissam, & debitam, petunt misericordias: ut super his, idest super eorum absolutione, confirmatione, aut mutatione, possit in Diffinitorio postea deliberari. Ac primus omnium R. Pater prostratus petit misericordiam; cui Prior antiquioris Domus Ordinis ex præsentibus respondet. Deinde singuli Priores ibidem præsentes, sigillatim similiter prostrati petunt misericordiam, & absolutionem a suis Prioratibus. Priores vero absentes, Vicarii, & Priorissæ Monialium per literas misericordiam similiter petere tenentur in singulis Capitulis Generalibus, quod si non fecerint, nihilominus pro petita habeatur. Et Monachi, licet non petierint ad assignatas sibi Domos se transferre teneantur.

35. His completis R. Pater jubet, ut nullus chartam, quæ lecta est de die, vel de nocte portet extra aulam Capituli, nec portent copiam ipsius chartæ extra Domum Carthusiæ, nisi sit prius correcta, nec faciant eam transcribi per quoscumque Sæculares, sed per solos Professos Ordinis nostri. (a) Et ut in transcriptione chartæ nulla fiat confusio, statuimus, ut nullus Prior, aut Visitator intromittat se de chartis scribendis per se, vel per aliam personam durante Capitulo: Sed Vicarius Carthusiæ curet fideliter transcribi singulas chartas pro singulis Provinciis, quæ correctæ, & signatæ dabuntur, aut mittentur Visitatori Provinciæ. Poterunt tamen Domus per quas recta via portatur ipsa charta, sumere copiam illius; & deinde quamprimum, chartam ipsam originalem mittere Visitatori Provinciæ: qui postea curabit, ut cæteræ Domus habeant copiam dictæ chartæ bene correctam quamprimum poterit. Et in hoc non sint negligentes: ne retardent suffragia Defunctorum, & dispositiones domorum.

36. Omnibus autem, & singulis personis Ordinis districte inhibemus, ne ad chartam Capituli per se, aut aliam interpositam personam aliquid addant, diminuant, vel corrigant, per quod voluntas, & intentio ejusdem Capituli in aliquo immutetur. Et ne inconsulto R. Patre de ordinatis in dicta charta aliter disponere, seu ordinare præsumat: sub pœna quoad Officiales absolutionis a suis obedientiis, & quoad alios disciplinæ generalis, a qua non possint liberari, nisi per dictum Capitulum, aut per Reverend. Patrem.

37. Diffinitores, & qui ad Diffinitorium pro consilio vocantur, solum Deum Judicem præ oculis habentes, & omni personarum acceptione semota: debitam singulis justitiam faciant Juris, & Statutorum Ordinis nostri. Nullus etiam Diffinitorum, neque eorum qui pro negotiis expediendis vocantur in Diffinitorium, præsumat aliquid eorum, quæ ibi secreto dicuntur, & proponuntur umquam revelare, nec ea, quæ expediuntur ante expeditam, & publice lectam chartam integram manifestare. Quod si quis Diffinitorum contrafecerit R. Pater pro sua prudentia illum amplius non admittet in numerum Diffinitorum. Alii vero pro modo culpæ in d. Capitulo, vel sequenti puniantur. Sed & post finitum Capitulum nulli omnino erunt referanda: Si quæ talia videbuntur, quæ ad publicas aures non deferri, vel utilitas exigit, vel suadet honestas.

38. Qui exire de Diffinitorio habet necesse, exeat, sed eundo, & redeundo silentium teneat. Qui vero cum aliquo locuturus exire voluerit: licentiam petat. Quoties autem ad Diffinitorium vocabuntur Diffinitores, vel alii Priores, omni occasione posthabita, & in silentio velociter conveniant: & ad quod vocantur festinanter accedant. Singulis etiam diebus Capituli post Primam, & Nonam, convenientibus Diffinitoribus in unum, R. P. *Benedicite* dicat.

39. Quod si contigerit, quod R. Pater, vel alia persona Domus Carthusiæ, vel tota Domus, aliquid postulaverit, vel commiserit culpam, cujus correctio pertineat ad Capitulum generale. Si R. Pater est in causa, cum ventum fuerit ad tractandum de eo: ipse exibit de Diffinitorio & alii determinabunt. Si tota Domus Carthusiæ, exibit R. Pater, & si qui sint de Monachis dictæ Domus. De aliis Diffinitoribus in causa consimili, similiter fiat.

40. Porro si quæ de propositis non potuerint de facili diffiniri, eo forte quod altiorem habeant quæstionem, exitumque alia ex causa difficilem, vel prolixiorem ventilanda examine, aut deliberatione sint pensanda majori: aliquibus personis de Ordine, quas magis ad id esse idoneas cognitum fuerit, eorum examinatio, & diffinitio committitur, vel examinatio plerumque sola, diffinitione videlicet Generali Capitulo reservata. Et quoniam in judicio absentium de facili erratur: tale judicium caveatur quantum fieri potest.

41. Quicumque præsumpserit proponere in Diffinitorio aliquid ad statuendum, per quod antiquus rigor Ordinis minuatur, si monitus a R. Patre, vel Diffinitoribus cessare noluerit, tanquam rebellis a Capitulo puniatur.

42. Ad dubia, seu quæstiones, quæ tempore Capituli, vel super annum mittuntur, aut portantur ad Carthusiam, nullus respondeat nisi R. Pater, vel cui ipse commiserit: habita conferentia cum peritis, & expertis in talibus, & de eorum consilio si opus fuerit.

43. Nullus Monachus Carthusiæ tam Hospitum, quam Professorum se active, aut passive de factis Ordinis, vel singularum personarum, aut Domorum ejusdem, etiamsi ab ipsis Domibus, aut personis literas acceperit, quomodolibet intromittat, aut impediat, nisi vocatus vel ad hoc per Capitulum Generale, vel Rever. Patrem deputatus.

44. Nullas volumus concedi licentias Prioribus Domorum de vocandis personis aliarum Domorum cum consensu Priorum, ne inquietudines inde generentur: Sed si quis Prior aliqua persona, vel personis indiguerit, procuret habere specialem licentiam pro ea, vel aliis a Reverend. Patre: aut in casu necessitatis a Visitatore Provinciæ.

45. Quando a Capitulo Generali, vel R. P. cuiquam aliquid reddere, vel facere sine præfinitione temporis injungetur, illud quamcitius potest implere tenetur, & si sine causa detulerit, est per Capitulum puniendus.

46. Ultimo die Capituli, scilicet feria quinta, postquam in Diffinitorio omnia expedita fuerint, & charta correcta: post Vesperas in Ecclesia dictas dato signo, convocantur omnes in Aulam, & congregatis omnibus, primo leguntur nomina Defunctorum, quæ communiter veniunt post lecturam aliorum, pro quibus dicitur *De profundis*, cum aliis precibus, ut supra. Quibus completis Scriba Capituli legit residuum chartæ, & Priores, qui ibidem præsentes sunt, si nondum viva voce promiserunt Capitulo obedientiam pro se, & Domo, cujus sunt Priores: quando in dispositione Provinciarum, Scriba eos nominat dicat, Prori tali non fit misericordia, tunc ipse, qui nominatur statim ante R. P. accedens, prostratus petit misericordiam: & surgens promittit obedientiam Capitulo Generali pro se, & Domo tali sibi commissa. Quando autem Scriba nominat aliquem Priorem, ut fit misericordia, tunc ille, qui nominatus est, si præsens est accedens

(a) *Ad vitandas distractiones, & gravamina, quæ ex tot chartarum inscriptione junioribus Monachis Carthusiæ obveniant, soli Vicario Carthusiæ ista cura sic committitur, ut veritum sit ne quis Prior aliquam tradat scribendam alicui Monacho Carthusiæ absque speciali licentia R. Patris.*

dens ante Rev. Patrem proſtratus dicit culpam ſuam, & ſurgens veniam petit de negligentiis, & defectibus commiſſis in adminiſtratione Domus antea ſibi commiſſæ, traditque R.P. ſigillum Domus ſuæ. Similiter fit cum mutantur Priores de Domo in aliam Domum.

47. His omnibus completis, R. Pater ſolitas facit exhortationes de Religione munda, de profeſſione, de pace ad omnes, maxime ad eos, qui noſtræ ſunt profeſſionis, necnon de pervigili ſolicitudine circa curam Subditorum: cæterorumque generaliter, quæ honeſtati congruunt, & ſaluti expediunt animarum.

48. Monentur etiam univerſi, quatenus ad Domos ſuas Deo protegente reverſi, faciant exolvi officium, quod ex communi Ordinis decreto eſt exolvendum, pro Parentibus noſtris, pro Benefactoribus, charis, & familiaribus, vivis, & defunctis. Cujus officii, necnon omnium Spiritualium bonorum Ordinis, illi quoque participes annunciantur, qui ad Capitulum acceſſerunt, quique Prioribus in itinere hoſpitalitate, ſeu humanitate quavis alia officium exhibuere charitatis: omneſque alii vivi, & defuncti, per literas, per nuntios, vel per ſeipſos orationibus ſe commendaverunt Ordinis, aut Priorum.

49. Poſtremo R. Pater, & cæteri omnes proſtrati, ſimul dicunt culpas ſuas, & poſtea R. P. ſurgens abſolvit (a) auctoritate Apoſtolica omnes ibidem præſentes ab omnibus cenſuris, & diſpenſat cum eis ſuper omni irregularitate, injungitque ſingulis litanias, & pro fractione ſilentii omnes Priores ab eo recipiunt diſciplinam.

50. Quod ſi quis Prior unquam per ſe, vel per Subditum inſtituta Capituli contumaciter violare præſumpſerit: poſtquam id conſtiterit in conſpectu totius Capituli culpam confeſſus, extra egrediens, nudatis pedibus, veſtimentiſque pro conſuetudine detractis: virgas portans ante totius Capituli Generalis Conventum pro ſuſcipienda humiliter diſciplina revertatur. Idem quoque, ſimilem in Domo ſua, pro ſimili culpa publice probata, vel confeſſa, ſubjectis ſuis imponat diſciplinam.

51. Diffinitores pro aliquibus nondum expeditis, & quæ occurrere poſſunt, retinent poteſtatem Capituli Generalis uſque ad Dominicam ſequentem, & ulterius quamdiu eis videbitur. Et pariter Viſitatores ſi nondum potuerunt expedire chartas, & facta ſua, poterunt in Carthuſia remanere uſque ad Sabbatum.

52. Cum perſonæ Ordinis, vel Nuntii Domorum a Capitulo Generali, vel a Carthuſia ſuper annum redeunt. Priores, ſeu in eorum abſentia Vicarii Domorum per quas tranſeunt receptis literis, aut chartis, ſi quas ipſe Nuntius portat, quæ ad eos pertineant: diligenter, & fideliter, in ſuo ſacculo, ſeu bougetta reponant literas, & ſcripturas alias ad eos non pertinentes, taliter quod per eorum negligentiam non perdantur in præjudicium cæterorum.

53. Regreſſi Priores a Capitulo, vel recepta charta faciant eam in Conventu legi, & diem ſtatuant in qua officium Capituli Generalis perſolvatur.

54. (b) Præter iſta, quæ hic determitata ſunt circa Generale Capitulum, non intelligimus, quod Domus Carthuſiæ privetur in aliquo, qua uſque nunc uſa eſt auctoritate, & libertate: quinimo declaramus ſingulares libertates, prærogativas, ſive immunitates Domus Carthuſiæ, quas hactenus habere ſingulariter conſuevit, per aliquam diffinitionem unius, ſive plurium Capitulorum eidem auferri non poſſe.

55. (c) Inſuper etiam poteſtas Rev. Patri Carthuſiæ, & auctoritas quam habet in Capitulis Generalibus, in quibus, & ubique in tractatibus, duplicem habet vocem ad rigorem Ordinis conſervandum, & quam hactenus habuit ſuper annum auctoritate Capituli Generalis, eidem ſemper remaneat, & eadem ſuper annum auctoritate Capituli Generalis utatur, nec alteri poſſit committi, niſi ex aliqua cauſa in certo articulo, & ad tempus determinatum, de conſenſu ejuſdem Rev. Patris, & omnium Diffinitorum, aliter contingeret ordinari. Verum tamen cum R. Pater, & Conventus Carthuſiæ (d) cauſas emergentes ſuper annum, quæ Capitulum expectare non poſſunt, determinant auctoritate Capituli Generalis, cum magna diligentia cavere debent, ne in poteſtate ſibi commiſſa excedant.

56. Quilibet de Ordine noſtro poteſt, ea quæ ſibi, vel ſuæ Domui neceſſaria, utilia, aut damnoſa videbitur, Capitulo Generali, vel R. Patri per literas, vel per perſonas Ordinis intimare. Priores autem, & aliæ perſonæ Ordinis, quæ tempore Capituli, vel alias ſuper annum vadunt ad Carthuſiam ordinate, ſi cujuſcumque favore, vel odio literas, vel denuntiationes Conventuum, ac ſingularum perſonarum Domorum per quas tranſeunt, recipere, & afferre contempſerint Priori, & Capitulo memoratis, coram R. Patre, vel Capitulo Generali, viva voce, vel per literas, clament culpam ſuam de præmiſſis.

57. Illi qui directe, vel indirecte ſubditos ſuos, vel Conventus impediunt, ne tales literas, ſeu denunciationes faciant, vel tranſmittant aut tranſeuntes ne illas recipiant a ſuis ſubditis quibuſcumque, idem facere teneantur.

58. Si quis autem literas Capitulo Generali, vel R. Patri directas aperuerit, & ne ad eos quibus mittuntur deveniant ſcienter impedierit, a tanto reatu ſine licentia ſpeciali dicti Capituli Generalis, vel Reverend. Patris abſolvi non poterit. (e)

59. Perſonæ vero Ordinis cum aliqua ſcribunt Capitulo, aut R. Patri, ſcribant, quæ vera ſunt, & probari poſſunt, nullo interpoſito mendacio. Et ut via falſum ſcribendi, vel denunciandi omnibus præcludatur, ſtatuimus, ut quicumque de Priore ſuo, vel perſonis Ordinis R. Patri, vel Capitulo Generali ſcripſerit malitioſe, & mendoſe, tanquam falſarius ſit in diſciplina criminoſorum ad Ordinis voluntatem.

60. Perſonæ etiam Ordinis, quæ ſcribunt literas Capitulo Generali, aut ſuper annum Reverendo Patri, non faciant in literis proœmium, aut harengas, ſed paucis, & neceſſariis verbis intiment, & petant, quæ volunt, & quæ petunt per articulos invicem congruenti ſpatio ſeparatos diſtinguant, & ſic faciliter reſponſum, quod optant, inter tantas occupationes obtinere valeant (f) alias reſponſum non expectent. Et

(a) *Quis ſit hujus abſolutionis, & diſpenſationis effectus? Tollitur cenſura ſi quis tunc præſens aliquam habeat, ita ut poſſit a quolibet legitimo Confeſſario caſus abſolvi pro hac vice dummodo pœnitens cætera requiſita afferat, & ſatisfaciat, ſimiliter quo ad irregularitatem ex delicto prevenientem juxta tenorem privilegiorum Ordinis de quibus agitur*, cap. 7.

(b) *Vide* num. 29. cap. 29. *Secundæ partis Status. antiquorum.*

(c) *Vide Bullam SS. D. N. Alexandri PP. IV. quæ notatur* 38. *inter privilegia Ordinis.*

(d) *Quando ad Conſilium a R. Patre vocatur. Vide* n. 42. *&* 43. *præſentis Capituli, & concordat cum his, quæ de auctoritate Capituli generalis dicuntur in præſenti numero.*

(e) *Non putent hi, qui poteſtatem habent abſolvendi a reſervatis Summo Pontifici, ſibi etiam abſolvere ab aliis reſervatis in ordine, niſi etiam aliunde habeant legitimam auctoritatem, quia facultas conceſſa a Summo Pontifice non derogat reſervationibus ſingularibus, niſi caſus ipſe occurrat etiam Sedi Apoſtolicæ expreſſe reſervatus, tunc enim poteſtas Superioris majoris abſorbet auctoritatem Minoris in eodem caſu.*

(f) *His ſatis innuitur quantum inutiles ſcriptiones a ſpiritu ordinis diverſæ ſint, quantumque Statuta velint, ut tempus pretioſe ad utilia reſecatus ſuperfluis, ſervetur, & impendatur.*

quando scribunt tempore Capituli Generalis, simul scribant R. Patri, & Diffinitoribus, nisi forte casus secretus, aut alias talis occurreret, qui soli R. Patri intimandus esset. Tunc enim ei poterunt ad partem scribere, & quod volunt intimare.

61. Quando autem Conventuales scribunt dicto Capitulo aut R. Patri nomine Conventus, debent singuli manu propria subscribere, alias nulla fides suis exhibebitur literis, nec responsum obtinebunt. Illud item servetur a singulis quando per se, & singulariter scribunt, ut scilicet in suis literis se pariter subscribant. Qui vero præsumpserint per literas, suppressis nominibus, infamare Ordinem nostrum, aut Prælatos ejus, vel aliquem ex ipsis, aut tentaverint Instituti nostri naturam evertere, & immutare, ipso facto omni officio, & voce priventur, & excommunicationis sententiam incurrant, a qua non possint absolvi nisi per R. Patrem, aut aliquem ex Visitatoribus, vel deputatum ab eis. Simili pœnæ subjaceant, qui auctores talis infamiæ, aut Ordinis nostri ruinæ cognoverint, nisi eos Capitulo Generali, vel R. Patri, aut alicui ex suæ Provinciæ Visitatoribus quamprimum commode poterint; manifestaverint.

62. In literis Ordinis sive patentes sint, sive missoriæ semper apponatur dies, & annus.

63. Et sicut in aliis omnibus, sic etiam in titulis, qui personis Ordinis nostri dari solent per scripta (*), vel familiare colloquium, volumus simplicitatem, & humilitatem Carthusianæ Religionis servari cum omni modestia.

64. Nulli Prælati, aut subditi Ordinis, Domini appellentur, sed Domini, & Monachi, Fratres in Provinciis illis, in quibus inter sæculares esset scandalum, si vocarentur Domini.

65. Priores, Vicarii Monialium, & cæteri Officiales Ordinis, qui procurant, & obtinent literas commendatitias a suis Conventibus, vel a quibuscumque Principibus, & Dominis temporalibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, requisitorias, vel comminatorias, ut in suis manuteneantur officiis, & eas ad Capitulum, vel super annum ad R. Patrem mittunt, seu portant, eo ipso reddunt se suspectos de mala administratione, & propterea tanquam suspecti veniunt a suis obedientiis absolvendi (a). Et Conventuales, qui hujusmodi literas inordinato favore potius quam veritate ducti scribunt, sunt legitime puniendi. Aliæ vero personæ Ordinis, quæ similes literas sibi procurant, ut quas nondum habent obedientias, hoc modo obtinere valeant, ad illas, & quascumque alias eo ipso efficiuntur indignæ.

66. Nulla persona Ordinis nostri, aliquos libros, seu tractatus a se, seu ab aliis compositos, sive etiam sermones, Epistolas, Orationes, vel alia quæcumque, dare impressioni, seu ut imprimantur procurare per se, seu per alios quoscumque præsumat, nisi prius per Capitulum Generale, seu per ipsum, aut per Patrem R. deputatos visa, & examinata fuerint, atque approbata. Si vero tales libri de rebus sacris tractant ultra examinationem, & probationem hujusmodi nullatenus imprimi possint, nisi prius examinati, probatique ab Ordinario fuerint. Qui enim tales libros absque Ordinarii examinatione, ac probatione imprimunt, aut imprimi faciunt, pœnam anathematis incurrunt ex Decreto Lateranensis Concilii, & Tridentini.

67. Cum Ordo noster sit sub speciali protectione Sedis Apostolicæ inhibetur omnibus, & singulis personis Ordinis, ne excepto Procuratore Generali Ordinis sine scitu, & speciali commissione Capituli Generalis, aliquem, seu aliquos ex Dominis Cardinalibus in Protectores speciales impetrare, vel sibi procurare præsumant. Omnium enim auxilio, & protectione indigemus. Unde cum speciales aliquos impetrare volumus, cæteris quodammodo derogamus.

(*) *Ordinatio anni* 1534. Servetur simplicitas Ordinis in inscriptione literarum privatarum juxta Statutum, nec apponantur amplius tot tituli inanes, itaut deinceps Rev. Patri sub nomine R. Visitatoribus, venerandi, & cæteris omnibus æqualiter, venerabilis dumtaxat scribatur, addendo ubique in Christo.

(a) *Vide Ordinationes Capituli generalis annorum* 1644. *&* 1647. *in fine hujus Capituli* -- Declaramus &c. Innovamus declarationem &c.

ORDINATIO ANNI 1644.

Declaramus inhabiles ad omnia Ordinis officia, privatosque utraque voce quoscumque, qui emendicatis favoribus extraordinariis, dignitates, & officia procuraverint, atque in eis se manutenere, vel qui licentiam mutandi Monasterium, aut exeundi ad negotia propinquorum tractanda, obtinere tentaverint.

ORDINATIO ANNI 1647.

Innovamus declarationem anni 1644. *adversus eos, qui emendicatis extra Ordinem favoribus, officia, vel quascumque licentias procuraverint, addimus vero, & qui eis a quocumque sic quæsitis usi fuerint, & præter pœnas in prædicta declaratione contentas volumus insuper eosdem tanquam contumaces, & ab Ordinis obedientia recedentes, omnibus Ordinis suffragiis post mortem privari, & Visitatores Provinciarum super hoc diligenter invigilent.*

De Visitatoribus.

Caput Vigesimumtertium.

1. In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis ob statum Carthusiensis Ordinis in Sancta Religione conservandum: Visitationis per omnes Domos ejusdem faciendæ tale a Generali Capitulo emanavit Decretum.

2. Singulis annis in Capitulo Generali, seorsim, sicut pro aliis fieri solet negotiis, habito cum magna deliberatione tractatu certi Priores eligantur, & in charta Capituli describantur ad visitandas Provincias totius Ordinis, qui zelo Dei, & Ordinis nostri, integritate vitæ, doctrina, Judicio, experientia, & discretione cæteris præstare videantur.

3. In Visitatoribus autem eligendis, quantum poterit caveatur, ne aliquis Visitator suum visitet Convisitatorem, nec Domum, cujus ipse sit professus, cæteras autem Domos suæ Provinciæ indifferenter ordinario jure visitare poterunt, & debebunt. Poterit tamen R. Pater mutare Visitatores per Capitulum designatos, ex causa, quæ sibi rationabilis videatur.

4. Porro singulæ Domus Ordinis, etiam illæ quæ a Carthusia remotissimæ sunt, visitentur singulis bienniis per Visitatores ordinarios, & pariter Domus Visitatorum per eos, quos Capitulum Generale, vel Reverend. Pater deputaverint. (*) (b)

5. Quod si contingat Visitatores ordinarios ex aliqua causa non posse visitare Domos sibi commissas, ad R. Patrem spectabit nominare alios Visitatores, nec unquam licentia detur alicui Domui Ordinis, ut Prior, & Conventus communiter, vel divisim possint sibi eligere Visitatores, sed vel R. Pater eos deputet, vel si periculum sit manifestum in mora, Visitatores Ordinarii provideant.

6. Nulla Domus, aut persona Ordinis Visitatores a Capitulo Generali, vel R. Patre ordinatos audeat refutare, nisi ex tali causa, quæ prius judicio dicti Capituli, vel R. Patris rationabilis fuerit judicata. Nulla pariter Commissariis, aut Visitatoribus a R. Patre super annum missis audeat resistere, aut eos refutare, vel ab eis appellare, sub pœna carceris quoad subditos, & absolutionis quoad Præsidentes.

7. Sequendo Constitutionem editam per bo. mem. Clementem III., & Cœlestinum III. Romanos

(*) *Ordinatio anni* 1679. Visitatio Domorum quarum Priores Visitatores sunt ultra quadriennium, Visitatio autem Domus Carthusiæ ultra sexennium numquam differatur, nisi necessitate cogente.

(b) *Vide num.* 59. *præsentis Capituli.*

manos Pontifices, ſtatuimus, ut nulli perſonæ Ordinis quacumque temeraria præſumptione ſine conſenſu, & voluntate Capituli Domus ſuæ, vel majoris partis ejuſdem, licentia pateat appellandi a correctione, vel ab alio quocumque prætenſo gravamine, aut ſententia ſui Præſidentis, aut Viſitatorum, vel Commiſſariorum. Quod ſi quis abſque tali conſenſu majoris partis Conventus appellare præſumpſerit, Cellam pro Carcere, & ordinem in Victualibus teneat, & ſi de fuga, aut periculo veriſimiliter timeatur, firmis carceribus detineatur; donec per Capitulum, vel R. Patrem, viſis, & cognitis dictæ prætenſæ appellationis cauſis aliter fuerit ordinatum.

8. Caveant tamen Præſidentes, Viſitatores, aut Commiſſarii, ne in corrigendo modum excedant, & nihilominus hoc caſu appellationis contingente, quamcitius poterunt expreſſum nuntium, & fidelem mittant ad R. Patrem cum plena inſtructione de veritate negotii, & cum literis ipſius appellantis ſuæ appellationis cauſas continentibus, ut cunctis viſis rectum valeant Judicium reportare, niſi forte exceſſus gravis eſſet, & enormis, ac manifeſtus, cui de ſtatuto impoſita ſibi pœna merito deberetur, quo caſu ſufficiat, quod in tunc ſequenti Capitulo inſtructionem prædictam, & literas mittant, ſeu portent.

9. Porro nullus appellet, niſi ad R. P., vel Capitulum Generale. Et ſi fuerit pronunciatum ipſam appellationem frivolam, calumnioſam, vel injuſtam, aut temere appellatum fuiſſe; is qui ſic appellavit graviter puniatur.

10. Appellationem vero ſuam non proſequantur ſubditi in propria perſona, ſed per nuntium, & literas, & in hoc caſu Priores teneantur miniſtrare ſubditis nuntium, & expenſas. Idem ſit judicium de Prioribus, ſi contingat eos appellare a Viſitatoribus, vel Commiſſariis.

11. Porro quia ex eo, quod viſitationes, nec ſtudioſe fierent, nec bene obſervarentur, magna ſequeretur diſſolutio Ordinis, Viſitatoribus diſtricte injungimus, ut in viſitationibus ſint ſoliciti, & ſtudioſi, & ſequentem formam ſibi a Capitulo de facienda viſitatione traditam nulla tranſgrediantur ex parte, quam ſi tranſgreſſi fuerint, prout culpa exegerit, per Capitulum legitime puniantur.

12. Congregatis Monachis Domus, quæ viſitator, & ejuſdem Priore præſente, Viſitatores ingrediuntur Capitulum, dictoque a Priore Domus *Benedicite*: primo legitur a Viſitatore, vel Conviſitatore juxta morem Provinciæ Capitulum præſens. Et poſtea præmittitur, quæ in Capitulo Generali fieri conſuevit Oratio, ſcilicet Pſalmus *Ad te levavi oculos*; quem Pſalmum Viſitator inchoat, & ſubjungit preces, & Orationes conſuetas. Quibus finitis dicit *Benedicite*, & alter ex Viſitatoribus aliquam de obſervantia Ordinis, de obedientia, de proprii Paſtoris reverentia facit ſecundum quod ſibi videtur exhortationem. Qua finita legitur ex integro Capitulum de reprehenſione, ut Monachi audientes valeant reminiſci, ſi quis in his deliquerit, quæ in dicto Capitulo prohibentur, & id Viſitatoribus ſincero animo denunciare poſſint.

13. Lectio prædicto Capitulo, Viſitatores, Dei, & Summi Pontificis noſtræ Inſtitutionis confirmatoris, totiuſque Generalis Capituli auctoritate, præcipiunt omnibus ibidem congregatis, ut de Priore, de ſe ipſis ad invicem, de Converſis etiam, atque totius Domus ſtatu, quidquid ſuper his, de quibus interrogati fuerint, accuſatione, vel emendatione dignum vere, & pro certo cognoverint, ſinguli edoceant evidenter, & ſincere, nullatenus amore, vel odio, ſeu timore cujuſcumque, aliave qualicumque occaſione, veritate ſuppreſſa, ne cum gravi etiam periculo Animarum, gravem & Ordinis incurrant diſciplinam.

14. Qui enim ſcienter negligunt revelare Viſitatoribus, ea quæ revelare tenentur ſub mortali peccato, non poſſunt abſolvi, niſi per proprium Priorem, aut ſi quod celatum eſt pertineat ad Priorem per Vicarium, cum injunctione ſalutaris pœnitentiæ. Et ſi de hoc convicti, vel publice confeſſi fuerint, cum adjunctione ſeptem abſtinentiarum.

15. Verumtamen in Conventu, ſeu palam, nulli crimen imponant, quod probari non poſſit: ne eadem pœna qua teneretur is, qui dictus eſſet Reus, ſi convinceretur de crimine, in probatione deficientes involvat. Eadem Prior eorum ſua eis auctoritate præcipiat.

16. Caveant etiam omnes, ne ex malitia, odio, vel invidia, aliquid deponant contra aliquem ad hoc, ut confundatur, & infametur: ſed ex charitate, & recta intentione, ut emendetur is, qui denunciatur.

17. Cæterum cum fiunt Viſitationes, in inquiſitione, ſeu probatione culparum habetur præceptum obedientiæ pro juramento. Poſſunt tamen Viſitatores, ſi eis videbitur, in gravibus caſibus pro revelanda plenius veritate præcipere ſub pœna excommunicationis, & etiam exigere juramentum, niſi ubi veriſimiliter timeretur de perjurio. Tunc enim non eſt exigendum juramentum.

18. De Monachis vero, & Converſis inquiſitio fiat a Monachis, Converſis, & Donatis, ſæculares etiamſi idonei ſint ad teſtificandum, maxime vero familiares, aut Officiales ſæculares Domus, poſſunt ſi videbuntur, in teſtimonium recipi tam contra Priorem, quam contra Monachum, & Converſum ſi quod probatione indiget per noſtros non poſſit probari, ſic tamen hoc fiat, ut quantum poſſibile erit, per hoc non ſcandalizentur ſæculares, ne defectus Perſonarum Ordinis noſtri ſibi incognitos inde agnoſcant. Viſitatores etiam non credant omni ſpiritui, nec aliquem ex ſola ſuſpicione condemnent.

19. Facto præcepto, & allata præcedentis viſitationis charta, & in conſpectu omnium lecta; Prior, & Monachi ad Cellas redeunt, ubi a ſingulis, quæ fuerint inquirenda Viſitatores diligenter inquirant. Verumtamen poterunt Viſitatores pro ſcrutinio faciendo convocare Monachos ſigillatim, ad locum ſibi pro habitatione aſſignatum, qui nunquam eis in clauſtro aſſignetur, ubi alius locus extra Clauſtrum eis aſſignari commode poterit.

20. Viſitatores viſitent cuſtodiam, in qua Sacrum Chriſti Corpus ſervatur, Sacrum Chriſma, & Reliquiarum Sanctarum Capſas, & omnia Eccleſiaſtica indumenta, ornamenta, & utenſilia, & conſiderent an omnia decenter, religioſe, & honeſte ſint diſpoſita.

21. Deinde ſingulos diligenter ſcrutentur ſuper pactionibus, quas Priores viſitationem timentes, forte extorquerent a Monachis, & Converſis, & ſi quas inveniant ſolvant, & Prior ſit extra Sedem ſuam ubique, in Conventu, & Miſſa careat, uſque ad Capitulum, niſi Novitius ſit profeſſionem facturus, vel mortuus ſepeliendus nihilominus Capitulo ſi ſibi videbitur pœnitentiam acturo.

22. Attente quoque inquirant ſi præcedens viſitatio bene fuerit obſervata, & quem in non obſervando invenerint culpabilem, ſive ſit prælatus, ſive ſit ſubditus: tanquam inobedientem Deo, & Capitulo Generali graviter puniant.

23. Attente etiam, & ſolicite, non obſtante aliqua benevolentia, quæ in ſubverſionem Ordinis aliquando exhibetur, inquirant diligenter de negligentia Priorum ſi corrigent exceſſus, ſi ſint ſoliciti, ne ſubditi libros prohibitos habeant, ſi de neceſſariis provideant ſufficienter eiſdem

tam sanis, quam ægrotis, si sint carnales, vel sæculares nimis, si dent bonum exemplum suis subditis in frequentando Ecclesiam, in abstinentiis, & aliis observantiis Ordinis, si ordinata Capituli faciant observari. Per ipsos enim viget, vel deficit Ordo in Domibus. Si ferventer reprehendunt ea, quæ fiunt inordidate, vel si nimis equitant, & sine personarum acceptione negligentias, & excessus, quos invenerint puniant, & in charta sua inserant, quæ judicio suo inserenda videbuntur.

24. Postea interrogetur de pace Domus, & Prioris, & Monachorum, & Conversorum, nec non eorum ad invicem. Si dixerint non esse pacem, causa cum omni studio inquiratur, eaque cognita, qui puniendi fuerint legitime puniantur.

25. Exinde interrogetur qualiter tam Monachi, quam Conversi se habeant in observantiis Ordinis, scilicet in non habendo proprium, in tenendo silentium, & Cellas, in continentia, in proprii Pastoris obedientia, in ejusdem, suaque ad invicem reverentia, in veniendo ad Ecclesiam, in celebrando Divinum Officium, in abstinentiis, si quæ debentur ex Ordine sine murmuratione accipiant, eis contenti, si in Colloquiis Claustri, & Hospitum non petant inordinatam licentiam: si cum sæcularibus, cum sociis, cum Coquinario, seu dispensatore, cum Conversis, seu aliis quibuscumque debitam Religioni servent honestatem. Demum si curiositatem vitent, si laudabiliter in Capitulo culpas suas recognoscant, si in reprehensione sint humiles, & in emendatione tractabiles, est solicite inquirendum.

26. Pro temporalium quoque statu cognoscendo, diligenter inquirant an Domus gravata sit debitis, (a) & quantum, non tamen cui, vel quibus specialiter debeat: nec si quid, quantumve in depositis habeat, aut a quibus depositа suscepit, est inquirendum. Quod si Domus inveniatur debitis gravata, & Prior nullam reddat causam rationabilem, quæ ipsum excuset: in ipsum culpa redundat.

27. Inquirant etiam, & considerent Visitatores, si ædificia Domus bene conservantur, si nulla curiosa, vel superflua de novo ædificantur, si computa singulis annis per Procuratorem fuerint reddita, quæ etiam computa possunt per se examinare, si expedire ex aliqua causa judicaverint, immo exigere a Priore, & Officialibus, ut quantum pecuniæ tam in arca communi, quam apud se habeant sibi declarent, quam declarationem absque ulla ambiguitate, aut restrictione, sed integre, & Prior, & Officiales tunc facere teneantur, & quos in præmissis negligentes invenerint, districte puniant, & sub bona pœna injungant, ut in his se emendare non differant.

28. Super omnibus præmissis sigillatim ab omnibus Monachis, & Conversis, & Donatis, inquisitio tam de Priore, quam de se ipsis ad invicem cum omni studio est facienda.

29. Sed & si quis Monachorum, seu laicorum in Priore, vel in alio aliquo de Congregatione, crimen vel aliquid aliud, quod accusatione, vel emendatione dignum sit cognoverit, etiam non interrogatus illud Visitatoribus insinuare tenetur in secreto. Porro Visitatores, ea quæ sibi insinuantur, nec probari possunt diligenter requirant a remotis, non nominata persona, sed de vitio inquirendo. Si forte queat, quod occultum est in publicum comprobari.

30. Inquisitione autem facta, si quid grave de Priore, de aliquo alio denunciatum est, quod graviori pœna dignum sit, Visitatores ante recitationem scrutinii debent interrogare, & audire eum, qui denunciatus, & accusatus est. Qui si attulerit sui facti justificationem, justificatio ipsius in recitatione scrutinii declaretur, si factum illud ad multorum notitiam jam devenit. Nam si occultum, & paucis cognitum fuerit, non erit in recitatione publicandum; sed justificatio illius declaranda his dumtaxat, qui illud denunciarunt. Si vero qui denunciatus est, nullam facti sui justificationem legitimam attulerit, sed crimen coram testibus confessus, vel de crimine per idoneos testes legitime convictus fuerit: erit pro qualitate criminis puniendus arbitrio Visitatorum.

31. Cum igitur Visitatores scrutinium perfecerint, omnibus rursum in Capitulum convocatis, districte præcipiant universis, ne illa quæ magis occultanda sunt, quam dicenda, quivis eorum manifesta facere præsumat: sed cum quisque suo loco manens patienter audiat, quæ sibi a Visitatore dicentur, & si de aliquo interrogetur, puram nullo incerto mendacio stans, nihilque celans, pronunciet veritatem.

32. Districte etiam injungant Priori, ne cuiquam qui aliquid contra eum denunciaverit, solitam humanitatem, quam cæteris exhibet in communi, vel pro infirmitatis, debilitatisve ratione debitam substrahendo, vindictam ullo in tempore inferat. Sed & Monachis nihilominus injungatur, ne odium, aut rancorem contra se invicem accipiant, aut teneant, nec alicui quem putaverint, contra se aliquid denunciasse, verbis unquam, vel factis molesti existant. Nec inquirant quis, vel qui de se talia depositerint; sed omnia ex charitate fuisse dicta sibi persuadentes, omnia in charitate, & humilitate suscipiant, & suos defectus agnoscentes emendent se, & de cætero prudentiores existant.

33. Quæ omnia sicut diximus, postquam in Monachorum Conventu fuerint Visitatores prosecuti, mox eamdem omnino in Conversorum, & Donatorum personis formam servantes, ad universa sigillatim a singulis inquirenda, studio attentiori procedant, & singula prudenter examinantes sine personarum exceptione debitam justitiam faciant.

34. Neminem tamen judicent, aut condemnent, vel inchartent, nisi de sibi impositis, duobus saltem legitimis testibus, convictus fuerit, aut confessus, nec recitent in lectura chartæ frivola quædam, & levia, quæ sibi interdum in scrutinio referuntur, quæ pacem potius turbant quam nutriunt, nec fervent scrutinia ultra tempus tunc futuri Capituli, sed ea comburant.

35. Quos culpabiles, criminosos, aut alias inchartandos invenerint, non statim inchartent & juxta casus exigentiam puniant, ut pœna suos Auctores teneat, & ne culpa unius, aut aliquorum, nota sit, aut infamia multorum.

36. Monachos, aut alias Domorum personas, quæ se de administratione Domorum intromittunt, ultra id quod statuta concedunt dure reprehendant, & corripiant. Circa inordinatos, & irrequietos, & contra Ordinem excedentes pœnas statutorum strictius observari faciant, & quos ordinationes Capituli Generalis, vel præcedentis visitationis invenerint non servasse, aut eas impugnasse, a vino, aut cervisia suspendant donec eas impleverint cum effectu, aut alias prout casus exegerit puniant.

37. Licentias, seu gratias generales, vel semel alicui denegatas per Capitulum Generale, vel per R. Patrem dare non possunt, nisi de hoc habuerint speciale mandatum, & nisi petens talem licentiam, seu gratiam, de sibi facta negatione expressam faciat mentionem.

38. Visitatores fortiter reprehendant Priores, qui de facili Monachis dant materiam evagandi frequentando spatiamenta extra Domos quando ad aliam Domum mittuntur: imponantque eisdem Prioribus pro hujusmodi culpis disciplinas, & prohibeant Monachis, ne prætextu

(a) *Hic agitur de debitis pro quibus nulla pensio solvitur: de his autem pro quibus solvitur agitur* cap. 19. num. 18.

cujusvis

cujusvis consuetudinis in talibus spatiamentis extra clausuras Domorum suarum comedere præsumant: sub pœna, supra Capitulo XV. expressa.

39. Ut periculosis personarum Ordinis nostri vagationibus obviemus, quibus (quod dolentes referimus) animarum maxima dispendia, notabiles infamias, & scándala plurima novimus evenisse, & ut illi, qui personas incompositas, & perversas, ad professionem recipere non verentur, in eo, quo delinquunt puniantur, & ex eorum culpis alii non graventur; statuto perpetuo, & irrefragabili ordinamus, quod occasione cujuscumque criminis, vel delicti, nulla persona de Domo propria emittatur. sed ibidem si fieri potest, pro modo culpæ legitime puniatur. Si quis vero fuerit tám perversus, quod confisus de parentibus, vel amicis, in Domo propria corrigi non valeat débite, vel puniri, aut si in eadem Domo sua capitales habeat inimicos, & Visitatoribus evidenter constiterit de præmissis: tunc, & non áliter, Visitatores Deum præ oculis habentes, talem personam de Domo sua valeant emittere, & in alia Domo suæ visitationis subjecta sub debitis disciplinis collocare. Ita dumtaxat, quod Prior suus propriis expensis, ac cum Visitatorum literis, fidem de præmissis facientibus, ipsum ad Domum per Visitatores ordinatam tuto faciat deduci, soluturus nihilominus illi Domui expensas de Ordine prætaxatas, quamdiu ibidem fuerit hospitatus. Emissus vero talis præter disciplinas a Visitatoribus impositas, colloquiis carebit, quamdiu ibidem fuerit hospitatus: ne forte perversis verbis, aut moribus cæteros inficiat, vel perturbet. Districte vero prædictis Visitatoribus, & Prioribus injungimus, ut præmissa omnia statuta observent. Si qui etiam reperti fuerint tam contentiosi, ut verisimile sit, quod ipsis ibidem existentibus Domus illa pacem non habebit: per Domos ejusdem Provinciæ Visitatorum arbitrio dividantur.

40. Non possunt autem Visitatores absque licentia Capituli Generalis, vel Rev. Patris mittere aliquos extra Provinciam suæ Visitationi subjectam: nec Priores alii, si quandoque mittantur ad Conventus dividendos, nisi eos mittèrent in Provinciam, in qua sunt professi: nec mittant aliquem ubi sciunt Hospites tres tunc esse.

41. Non dent pariter licentiam Monachis se transferendi ad alias Domos suæ Provinciæ, nisi in casibus jam expressis, aut in casu urgentis, quæ commode Capitulum expectare non possit, necessitatis: nec gravamen alleganti credant, nisi de eo debito fuerint certificati.

42. Nullus tamen Prior refutare audeat personas sibi per Visitatores missas: sed eas saltem usque ad Capitulum tunc sequens retineat, alias sit per tres menses extra Sedem suam in Conventu, licentias super hoc aliquibus forte concessas revocando.

43. Volumus, ut secundum laudabilem Patrum nostrorum præcedentium usum, & consuetudinem, in qualibet Visitatione, Prior, & cæteri officiales Domus, quæ visitatur, coram ipsis Visitatoribus præsente Conventu Misericordiam, & ab officiis suis absolutionem postulent, & requirant.

44. Neminem tamen Visitatores absolvant ab officio Prioratus, etiam ad instantiam, & importunitatem Monachorum, sine speciali commissione, & licentia Capituli Generalis, vel R. Patris: nisi talem casum intervenirent, quod manifeste imminèret magnum damnum Domus, vel scandalum Ordinis, si absolutio hujusmodi differetur usque ad Capitulum Generale. Monemus tamen Visitatores, ne facile scandalum, aut periculum magnum judicent imminere.

45. Si enim judicantes imminere periculum, Priorem aliquem absolverint: & postea probatum fuerit, quod nullum grave periculum imminèret, sciant se tanquam temerarios Judices absolvendos: & omnia per eos facta irritanda, & in pristinum statum reducenda. Ex levi siquidem, & frequenti Priorum absolutione Domus Ordinis notabiliter deficiunt, & Monachi contra suos Priores insolescunt. Quando autem tali aliquo casu contingente Priorem absolverint: scribant fideliter Diffinitoribus Capituli Generalis, vel Rev. Patri causas absolutionis, seu depositionis inventas.

46. Neminem etiam absolvant, nisi servata forma juris debita scilicet inquisitione præcedente, & audita parte, & nonnisi in actu Visitationis.

47. Alios autem officiales (a) qui principaliter Domibus non præsunt, sed aliis simpliciter sunt obedientiis deputati, poterunt Visitatores indifferenter absolvere.

48. Porro Priores, vel cæteri officiales, quos Visitatores absolvunt, nullo modo reponantur in suis obedientiis, sine licentia Capituli Generalis, vel Rev. Patris.

49. Nullus pariter Monachorum Carthusiæ per Capitulum, aut Rev. Patrem Visitator, vel Commissarius deputatus, aliquem a Prioratu absolvat, sine speciali commissione, aut sine consultatione dicti Rev. Patris.

50. Universis, & singulis quæ hinc inde audierint Visitatores debita cum deliberatione pensatis, ipsi finem legitimum sua sententia imponentes; sicut ea decreverunt scribant, & considerata diligenter charta Visitationis præcedentis, quidquid in ea invenerint observandum in sua apponant: & præcedens charta deleatur.

51. Porro in charta sua Visitatores, non inserant nimias laudes, nec asperiores reprehensiones, sed puram veritatem simplicibus verbis. Nec quæ ordinaverint Priorum arbitrio committant: nec etiam dispensent in casibus in quibus potest expectari Capitulum, aut consuli R.P.

52. Post hæc in Capitulo Monachorum quæ ad Monachos, quæ vero ad laicos pertinent coram ipsis in loco solito recitent, suisque sigillis parvis muniant: chartamque ipsam omnia continentem tradant custodiendam Priori, vel Vicario, Observantes, ne pœnas quas pro quibusdam excessibus Capitulum censuit infligendas, nisi ratio urgens, & evidens utilitas flagitaverit, attentent ullatenus immutare; ipsius vero chartæ, quæ ad Monachos pertinent, in Capitulo Monachorum, quæ ad laicos in Capitulo ipsorum singulis annis in Festo S. Joannis Evangelistæ, & feria secunda Paschæ legantur.

53. Denique lecta charta, Visitatores, quoniam in multiloquio non deest peccatum, *Confiteor* cum toto Conventu prostrati dicunt; & Visitator absolvit omnes ab omnibus censuris sicut in fine Capituli Generalis dictum est fieri.

54. Chartarum Domorum quas visitant, copias fideliter clausas, & sigillatas quamcitius poterunt super annum, expensis Domorum visitatarum mittant ad Carthusiam per omnia similes illis, quas relinquunt in Domibus visitatis, nec differant usque ad Capitulum si fieri possit, ut congruo tempore possit eas R. Pater videre. Et caveant ne aliqui extranei chartas ipsas videant, vel illarum copias.

55. Visitatores, & eorum Socii, alteri quam Rev. Patri, vel Diffinitoribus Capituli Generalis excessus si quos invenerint in Domibus, quas visitarunt, maxime infamiam tangentes personarum, non revelent, alias sciant se ad restitutionem famæ teneri, & nihilominus in Capitulo Generali graviter puniantur. Caveant etiam ne Conversi, aut Donati, vel famuli eorum, cul-

(a) *Vide* num. 6. cap. 3. *circa Institutionem, & illum cum præsenti concorda.*

pas, &

pas, & modum Visitationis Domorum visitatarum sciant, vel inquirant, aliisve revelent. Nec in itinere, aut alibi coram Famulis, aut aliis de defectibus Domus visitatæ, vel personarum ejus unquam loquantur.

56. Priores, Rectores, & Vicarii Monialium, & Procuratores non obstante quacumque contraria consuetudine durante Visitatione cum Visitatoribus nullo modo comedant, donec recitata charta fuerit, nec eorum colloquiis se immisceant ad vitandam omnem suspicionis notam: nisi tales tunc supervenerint Hospites, quibus Judicio Visitatorum, officialium præsentia commode negari non possit.

57. Visitatores munera, sive munuscula cujuscumque quantitatis, vel pretii nec accipiant, gratis oblata, nec exigant non oblata per se, vel per interpositam quacumque dissimulatione personam: spiritualia quoque Beneficia non exigant. Moderatas tamen expensas, quas veniendo fecerint, vel redeundo facturi sunt, ne sumptibus suis militent, exigere poterunt, & licite recipere a Domibus quas visitant etiamsi non distant a Domibus visitatis ultra duas dietas.

58. Porro quando plures Domus continue visitabuntur expensæ totius itineris Visitationis dividentur, per Domos visitatas, earum scilicet onere sic per dictas Domos per Visitatores partito: ut unaquæque Domus quo ditior, & remotior fuerit, eo amplius conferat in ratione expensarum. Quod si unica Domus visitetur: solvat omnes expensas totius itineris in eundo, & redeundo. Qui vero veniendo ad Capitulum, aliquas Domos visitant, accipiant a Domibus visitatis expensas illas dumtaxat, quas occasione Visitationis dixerint se feciſſe. Visitatores etiam Domum Carthusiæ & vicinas ei Domos, veniendo ad Capitulum, vel redeundo semper visitent, ut discursus, & expensæ minuantur, nisi aliqua emergens, & evidens utilitas, aut necessitas aliter requireret faciendum.

ORDINATIO ANNI 1679.

Visitatio Domus Carthusiæ fiet per deputandos singulis vicibus a Capitulo Generali juxta usum antiquum, & in ista Visitatione talis forma servabitur. Visitatoribus Capitulum ingressis Vicarius Carthusiæ dicet Benedicite, *& cum ventum fuerit ad præcipiendum præcipiet, addendo ex commissione Rev. P. Scrutinio autem juxta morem solitum perfecto, Visitatores ad Cellam R. Patris pergent, ut illi contenta in Scrutinio referant, illumque ut moris est in illis Domibus audiant, & postea procedunt ad recitationem Scrutinii, cui aderunt omnes, excepto R. Patre, ea vero quæ R. Patrem expectabunt referent ad Diffinitorem præsentis Capituli, cujus erit monere R. Patrem his, quæ sibi convenientia videbuntur. In Ordinationibus autem, si quæ apponenda sint in charta Visitationis Carthusiæ, consensus R. Patris erit expetendus, & exprimendus.*

59. Cæterum vestimenta, equitaturas, Sellas, fœna, calcaria, non debent Visitatores de sumptibus Visitationis habere (*a*) nisi contigerit, casu, aliquid ex his amissum esse, vel factum inutile. Tunc enim emendo rem aliam tanti pretii quanti res erat amissa, eodem pretio a dictis domibus exacto damnum passus se poterit servare indemnem.

60. Visitatores in omnibus ostendant se, non quæ sua, sed quæ Christi sunt quærere, ut illa sola mercede contenti, quam fidelibus Servis Dominus repromisit regularem observantiam factis potius ostendant, quam verbis doceant. In hospitiis tam ipsi Visitatores, & comitiva eorum, quam Priores, & cæteræ personæ Ordinis sint sobrii, compositi, & in suis dictis, & factis disciplinati, nec suos famulos permittant insolescere: ut de ea, quæ in eis est religione, etiam his, qui foris sunt, bonum exemplum præbeant.

61. In Domibus, quas visitant summopere provideant, ut in eis pacem salva correctione, & regulari disciplina relinquant, & ut quæstiones nullatenus Capitulo, quas suo poterunt judicio terminare, reservent, sed audiant eas, & decidant, quibus singuli Priores, & Subditi obedire teneantur.

62. Ad hæc sciendum, Visitatores in itinere donec ad Domos suas reversi fuerint, exercendam per se, quam aliis delegare non valent habere plenariam in corrigendis excessibus potestatem, qua tamen occasione nullum a Prioratu absolvant, nisi in casibus sicut prædictum est.

63. Insuper quod semel a Visitatoribus est prohibitum, vel injunctum, & ordinatum, intelligitur semper prohibitum, injunctum, & ordinatum, nisi per Capitulum Generale, aut R. Patrem, vel aliam visitationem fuerit revocatum. Quæcumque autem de præcedenti charta Visitationis per sequentis Visitationis chartam non confirmantur, revocata censentur.

64. Porro hortamur Visitatores, ut quantum fieri poterit, & nisi coegerit necessitas, aut talis casus emerserit, qui per præsentia Statuta decidi non possit, & qui necessario novam ordinationem exigat ab ordinationum multiplicatione onerosa abstineant. Quod si animadverterint aliquid ex his, quæ in Statutis habentur non observari, de hoc non faciant ordinationem, sed præcipiant illud observari: sic dicendo: talis Paragraphus talis Capituli exacte, & diligenter observetur. Quæ autem per duas continuas Visitationes fuerint ordinata, & confirmata, ea per Vicarium Domus visitatæ in libro ad hoc præparato describantur, & legantur in Conventu, quoties charta per quam confirmata fuerunt legetur.

65. Universaliter Visitatores habeant eamdem auctoritatem extra actum Visitationis, quam habent in actu Visitationis, excepto, quod non possunt procedere ad aliquam pœnam, vel pœnitentiam in Priorem, & quod personaliter non possunt accedere ad Domos suæ Visitationis subjectas pro provisionibus faciendis ultra ordinariam Visitationem, nisi vocentur per Priorem, & Conventuales, aut partem eorumdem Conventualium pro necessitate aliqua super annum emergente, quæ Visitationem expectare absque incommodo non potest, aut pro dividendo Conventu quando occasione bellorum, vel ignis, vel tempestatis, vel alia hujusmodi est dividendus, aut ipsi Visitatores judicent justis, & urgentibus causis debere accedere; nec nisi personaliter accedant posse recte, & plene providere. Tunc enim poterunt accedere, & absque alia speciali commissione providere occurrenti negotio, & si expedire judicaverint, ipsam etiam Domum in forma Ordinis visitare: & de factis per eos plene R. P. quam primum commode potuerint informare.

66. Officiales, etiam inferiores Priore, non possunt instituere, vel destituere extra actum Visitationis (*b*) nisi aut ad hoc judicantur per Priorem, vel eis legitime constet de crimine alicujus Officialis: aut nisi querelæ Conventualium, quas ipsi justas esse judicaverint, venerint ad eos contra aliquem Officialium, & Prior pluries monitus per dictos Visitatores neglexerit providere; aut non reddiderit justam de eo rationem.

67. Visitatores etiam ordinarii non poterunt

(a) *Intolerabilis ergo abusus esset, si sub quolibet prætextu, pestes acceptarent, Visitatores, vel Commissarii, sive etiam pretium elocationis equorum suorum, aut servorum acciperent, ac si conductitii essent, venirentque per Capitulum generale puniendi, tam dantes, quam accipientes.*

(b) *Vide* num. 6. cap. 3.

extra

extra actum Visitationis revocare, moderari, suspendere, vel impedire Ordinationes factas per extraordinarios Visitatores, sed si judicant eas, aut aliquam earum esse ex certis causis incommodam: ipsi, vel conquerentes de hujusmodi ordinationibus, allegent causas suas Rev. Patri, qui scribet ad extraordinarios causas allegatas contra eorum ordinationes, & postquam responsum eorum acceperit, faciet quidquid expedire judicaverit.

68. Visitatores etiam poterunt, & debebunt, extra actum Visitationis dare operam, ut ordinationes per se, sive per Capitulum factæ executioni mandentur: eas autem quas ipsi fecerint, emergente nova causa necessaria, dumtaxat, & non aliter, poterunt extra actum Visitationis moderari, aut suspendere, vel etiam immutare, ita tamen quod teneantur omnino fideliter significare quamprimum commode poterunt R. Patri, quæcumque de dictis ordinationibus aliquo modo immutaverint.

69. Visitatores singularum Provinciarum habent auctoritatem Capituli Generalis in omnibus casibus in quibus dictum Capitulum expectare non possunt, aut interim R. Patrem consulere (*a*) excepto, quod nullus eorum in facto propriæ personæ, aut Domus suæ, possit auctorizare, nec dare licentias exeundi, personis in Domo sua habitantibus, ad alias Domos Ordinis; sed suus Convisitator hoc facere potest. Potest tamen Visitator principalis urgente causa rationabili, professis Domus sui Prioratus alibi hospitantibus, dare licentiam redeundi ad Domum suam, aut eundi ad aliam Domum.

70. Mortuo Visitatore Provinciæ alicujus, vel amoto, auctoritas a Capitulo Generali Visitatoribus tradita, transit, & remanet apud Convisitatorem: & non transit ad defuncti, vel amoti successorem. Qui quidem Convisitator hoc casu, sicut & Visitator quilibet, potest sibi assumere Priorem, vel Monachum, quem voluerit, de sua tamen Provincia, pro actu Visitationis exercendo: donec aliter super hoc per sequens Capitulum, aut Rev. Patrem provisum fuerit.

71. Similiter Visitatore principali existente extra Provinciam, aut taliter infirmante, quod non possit, vel personaliter accedere, vel aliter bene providere, Convisitator in omnibus, quæ commode, & citra periculum, vel detrimentum differri non poterunt, habet Visitatoris auctoritatem: Si tamen possit habere aliquo modo consilium ipsius, nihil agat sine ipsius consilio.

72. Cum aliquæ Domus Ordinis nostri inter se habent discordiam, quæ injuriam patitur, significabit Visitatoribus Provinciæ illius, qui audita utraque parte, plana, & sine magna juris solemnitate, discordiam terminabunt. Si vero Domus alterius Visitatorum, cum aliqua Domo Ordinis, habeat discordiam; Domus, quæ injuriam patitur, significabit R. Patri Carthusiæ, qui destinabit eis duos Priores, qui similiter discordiam suo judicio terminabunt. Quod si aliquis Prior discordantium fuerit contumax in observando, quod fuerit definitum, careat Missa, nisi forte pro sepeliendo mortuo, vel pro Novitio professionem facturo, & hoc usque ad futurum Capitulum. Monachi vero, & Conversi contradictores, teneant Cellam pro Carcere, & ordinem in Victualibus.

De Reprehensione.

Caput Vigesimumquartum.

Exhortatio.

1. Cum Dominus præceperit non transferendos terminos, quos statuerunt Patres nostri, timendum nobis est ne terminos regulariter vivendi a Patribus nostris nobis traditos notabiliter transferendo, hujus præcepti transgressores a Domino judicemur.

2. Si quis autem terminos nostræ Religionis translatos licet ex prudenti moderatione, dubitet, Domui Guigonis Prioris Carthusiæ consuetudines, seu Statuta legat: & tunc scire poterit, quod nostra quæ nunc est conversatio a Patrum nostrorum conversatione in abstinentiis, & quibusdam aliis dissentiat. Unde timendum est, & solicite præcavendum: ne ad statum laxiorem, quam nunc est in processu temporis inclinetur.

3. Sed sicut in Esdra legitur, quod in transgressione prima, fuit manus Principum: sic hodie nostræ transgressionis causa esse posset, remissio, vel negligentia quorumdam Priorum. (*) Negligentia quia videntes delinquere Subditos non corriperent: vel eis debitam disciplinam non imponerent. Remissio, quia sibi a Subditis in subventionibus corporis nimis propitiis: dum misericordes videri vellent, & remissi fierent. Audiant si qui hujusmodi sunt: quoniam propter peccata populi in Numeris justi sunt a Domino Principes suspendi. Et in Ezechiele: Sanguinem Subditorum de manu Pastorum Dominus se requirere comminatur.

4. Quid autem censendum esset de his, quibus labor videretur esse cum fratribus, delectabile vagari exterius, terram circumirent, aliena negotia tractarent, & tractanda susciperent: & sic Gregem sibi creditum non custodirent? Custodiat eum, qui custodit Israel. Istis clamat Zacharias Propheta. O Pastor, & Idolum derelinquens Gregem! Qui enim Gregem derelinquit Pastor est solo nomine, Idolum in utilitate. Si qui ejusmodi sint, ipsi viderint, quam rationem de Grege sibi credito, Domino reddere poterunt.

5. Quanta autem deberet intervenire necessitas antequam exeundum esset foras, & per sæculum evagandum, obtenta etiam dispensatione super licentia exeundi, volentibus attendere satis apparet ex hoc solum, quod Prior Carthusiæ nunquam terminos Eremi suæ egreditur. (*b*) Unde cum unus, & idem ordo uniformiter, & indissimiliter videatur observari debere a professoribus suis, nos alii qui Carthusiense propositum suscepimus, a quo, & Carthusienses nuncupamur: quare tam de facili exeamus, nisi justa instet necessitas, & super hoc dispensationes procuremus?

6. Utinam attenderemus omnes, & adhuc maxime odibile veris Eremitis vagandi per Mundum officium, proprium ipsorum evagantium periculum, suorum subjectorum jacturam, & præjudicium: quibus Priores inter cætera, quæ eis debent quietis, & stabilitatis, & aliorum nostræ Religionis exercitiorum, præbere debent se ipsos in exemplum. Ultimo intuentium scandalum a quibus Sanctuarii lapides non quilibet, sed etiam angulares, aliorum scilicet capita, ideſt Priores in capite platearum dispersi opprobrio habentur, & contemptui: qui si in intimis, in abscondito faciei Domini starent, digni multa reverentia haberentur. Unde quantum propter hoc maxime vilesceret Ordo noster etiam apud Sæculares, in promptu est videre. Utinam ergo id attendant, qui tanquam pro nihilo habere, & quasi ludum existimare volentes Ordinem nostrum, in hoc, & in aliis parvi penderent propositum quod susceperunt.

7. De vestibus etiam, & de equitaturis accuratis, & pretiosis commune Capitulum, cui sicut promisimus obedire tenemur, frequenter admonitiones fecit, & multa instituit: Unde

(*) *Ordinatio anni* 1621. Cum magno animi dolore intelleximus in quibusdam Ordinis Domibus per negligentiam Superiorum disciplinam regularem tepescere, nec non Statuta, Ordinationes, & quasdam Apostol. Constitutiones negligi, ideo huic malo ne longius serpat, mederi cupientes hortamur in Visceribus Christi omnes Superiores, ut majorem posthac zelum ostendant ad tuendam in suis Domibus Statutorum, divinique cultus observantiam, mandatis Patribus Visitatoribus, ut quos deinceps, post duas Monitiones specialiter eis in scriptis factas, circa præmissa notabiliter deliquisse legitime deprehenderint omnimodo eos ab officiis absolvant.

(*a*) *Ibi habes quid mortuo Rev. Patre fieri debeat, donec alter ei succedat.*

(*b*) *Extat antiqua declaratio, ubi usus observati, & observandi circa terminos istos exprimitur, quæ est de anno* 1358. *ibi etiam videtur qualis semper fuerit usus Rev. Patrum circa nova possessiones limitibus Carthusiæ contiguas, quæ per tractum temporum ipsi obvenerunt, quibus inspectio R. Patris semper utilis fuit, & erit: extat etiam Ordinatio* 1678. *qua usus iste explicatur.*

nulla

nulla posset admitti excusatio, si reperirentur quidem apud nos, qui nitentes in vetitum spreto Capitulo, & per consequens spreto Deo, cujus erga nos ipsum Capitulum agit vices: Spretaque propositi nostri censura, quæ quanto propositum asperius subivimus: tanto ad attritionem, & humilitatem vestium, & universorum, quæ ad usum nostrum pertinent utilitatem, abjectionem, & paupertatem super omnes alios Monachos nos adstringit, aut qui obliti sanctæ rusticitatis, & arrepti propositi: in his, & aliis multis lacticiniis, contra sobrietatem, & parcitatem Ordinis nostri complacerent sibi in confusionem sui ipsorum, & Ordinis Carthusiensis ignominiam, & opprobrium: imo hi pro maxima parte judicarentur non tantum enervasse Eremiticum rigorem, sed etiam propter superfluitatem, & multas adinventiones talium nostrarum Eremorum loca sibi non sufficerent ad expensas: unde forsitan quidem ad ea, quæ non expediunt, nec conveniunt, imo quæ nec nobis licent, mitterent manum, hoc est ad evagationes crebras per mundum (a) propter quæstus, & occasiones multas calvas, ad dilationes terminorum, & plerumque ad redditus extra quibuslibet dispensationibus capessendos.

8. Et quoniam talia multa aliquoties attentata sunt contra vota nostra, & adhuc attentari possent; generale Capitulum, quod ob tenorem & stabilitatem, & correctionem antiqui Carthusiensis propositi, & eorum, quæ primi Patres nostri scripto, vel consuetudine religiose servabant, institutum est: & quod habet curam animarum nostrarum, firmiter injungit universis, & singulis tam Prælatis, quam Subditis, ut cum noverint inordinatos excessus, vicissim se se charitative fortiterque, discrete tamen, & in spiritu lenitatis reprehendant: & hoc maxime faciant antiquiores, licet omnes teneantur ad correctionem fraternam: nisi forte verisimiliter crederent non proficere, vel pejus aliquid evenire. Quod si emendatio non sequatur, denuntietur primo Visitatoribus, & si ipsi non providerint, tunc demum R. P. Carthusiæ, vel Capitulo Generali, alioquin communicarent peccatis alienis.

De modo reprehendendi, & de quibusdam apud nos vitandis, & fugiendis.

9. In Conventu non reprehendatur Prior a Subditis suis, nisi coram Visitatoribus: nec Procurator a Laicis, nisi coram Priore suo. Si Clericus, aut Laicus aliter Priorem reprehenderit in Conventu, Clericus careat Colloquio Claustri, & Laicus sit extra Conventum donec Prior eorum emendationem cognoscat.

10. Si Laicus nisi, coram Priore, Procuratorem reprehenderit in Conventu, sit extra Conventum: sed post duos dies reddatur ei Conventus si promiserit emendationem, ad Prioris arbitrium.

11. Procuratorem vero quilibet ex Monachis reprehendere potest.

12. Quod si quacumque occasione prædictæ reprehensiones, vel denunciationes omissæ fuerint; tam omittentes, quam excedentes sciant, se de suo contemptu, & negligentia rationem districto Judici reddituros.

13. Verumtamen super præmissis, & multis aliis, quæ numerare non sufficimus, quæ contra propositum, & Institutum nostrum possent attentari: unusquisque studeat, & laboret consilium, & remedium apponere, prout poterit, & Dominus dabit.

14. Nullus Prior, Monachus, vel Conversus nostri Ordinis in itinere constitutus Mantellum Sæcularem, seu Cappam a Caputio separatam portare præsumat, nisi propter imminentia pericula vitanda: alioquin per Capitulum Generale, vel Visitatores juxta casus, & Personæ exigentiam puniatur.

15. Ad conservandam Ordinis honestatem inhibemus omnibus, & singulis Subditis nostris, ne scienter, & malitiose secreta Ordinis, sive status, & defectus personarum, & Domorum ejusdem, ex quibus mala opinio, vel sinistra suspicio, seu diffamatio apud audientes oriri posset, alicui personæ Ecclesiasticæ, vel Sæculari, quæ de nostro Ordine non sit, aut alicui etiam Novitio; verbo, scripto, nuntiis, nutu, vel signis, aut alio quovis modo revelare præsumat. Qui contrafecerint a tanto reatu absolvi non possunt, Subditi videlicet, nisi per proprium Priorem, nec Prior nisi per Vicarium cum injunctione salutaris pœnitentiæ. Quam quidem prohibitionem & pœnam ad Priorissas, & Moniales nostri Ordinis, & Vicarios earum extendi volumus. Et nihilominus si tales de revelatione hujusmodi convicti fuerint, præter duas abstinentias in pane, & aqua juxta casus exigentiam puniantur, & quantum fieri poterit ad restitutionem famæ cogantur. Et eadem causa, cum Prior contra Subditos, vel e contra Subditi contra Priorem de statu Domorum, & personarum Ordinis aliqua scribere volunt, & scribunt, ex quibus aliqua suspicio, & sinistra opinio contra Ordinem, Domos, & personas prædictas oriri posset, nulli super hoc scribant, nisi Capitulo Generali, vel R. P., aut alteri, ex Visitatoribus Provinciæ, qui possunt super hoc providere.

16. Nulla persona Ordinis nostri, præter Priores, & Procuratores, Monialium Vicarios, & Priorissas, sigillum, vel signum habeat ad sigillandum, aut literas, seu quælibet munuscula dirigat, vel recipiat, nisi prius licentiam habuerit a Præsidente. Prior autem omnes literas aperiat, & legat, tam eas, quam sui Monachi, vel Conversi mittunt, quam eas, quas recipiunt; exceptis literis quas scribunt Capitulo Generali, vel R. P., vel Visitatoribus Provinciæ, & quas ab eisdem recipiunt.

17. Nulla Domus Ordinis pro Missis, Anniversariis, Tricenariis, aut aliis Divinis Officiis, & Ordinis beneficiis ad tempus, vel in perpetuum celebrandis, pecunias, aut aliquid aliud temporale, intervenïente pacto recipere præsumat, aut pro eis se, & Domum suam aliqualiter obligare absque licentia R. Patris.

18. Nulla etiam persona Ordinis per se, aut quamvis aliam interpositam personam pro Missis, & aliis prædictis Officiis, & beneficiis, pecunias, etiam gratis oblatas, vel aliquid aliud ad suos usus convertendum, sub pœna disciplinæ generalis, recipiat; Sed si quid pia fidelium devotione offeratur; illud cum gratiarum actione, cessante omni pacto, recipiatur, & ad usum, & commodum non illius, cui offertur: sed totius Communitatis convertatur ad Prioris arbitrium. Quod si Prior in hoc excesserit, Visitatorum arbitrio puniatur.

19. Ludos manuales, & Instrumenta musica, librosque universos discantus, seu cantus figurati interdicimus universis: & si quæ hujusmodi umquam inveniantur in aliquibus Domibus, Priores omnino ea auferant.

20. Omnes personæ Ordinis vitent, & fugiant Parentum visitationes, conversationes, & carnales affectiones: alioquin pro modo culpæ puniantur.

21. Et quoniam sunt interdum quidam, qui nulla re magis videntur delectari, quam colloquiis, & conversatione Sæcularium, & aliorum qui de Ordine nostro non sunt, aut etiam Conversorum, & Famulorum, seu Mercenariorum

(a) *Vide Ordinationem anni 1678. in fine hujus Capituli* Insequentes speciale mandatum &c.

Domus; ordinamus, ut si tales bis, vel ter in privato, & semel, ut bis publice a Priore in Capitulo moniti, ut se emendent, se plene non emendaverint; si officiales sunt, absolvantur ab officiis, alii vero colloquio Conventuali, minutionibus, & spatiamentis priventur: & si nec sic quidem se emendaverint, quoties in hoc deliquerint, toties priventur vino, aut pitantia, aut etiam gravius arbitrio Prioris puniantur. Nec in hoc Priores sint remissi, vel pusillanimes, quoniam tales sibi, & aliis graviter nocent, & totam Domum perturbant, & scandalizant.

22. Monachi causa devotionis, pietatis, recreationis, visitationis Parentum, aut quavis alia causa, terminos suos nullatenus exeant.

23. Qui inter se pacem, & concordiam per contentiones, & rixas violare præsumpserint, & sæpius admoniti cessare noluerint: per Domos Ordinis Visitatorum judicio dividantur. Quod si unus solus nimis fuerit seditiosus, Judicio Prioris, aut Visitatorum ibidem puniatur. Qui enim inter se concordiam non habent, Deum pacatum habere non poterunt. Et juxta dictum Beati Cypriani, tales etiamsi occisi in confessione nominis Christi fuerint, macula eorum nec sanguine abluitur.

24. Qui Fratrem suum, vel etiam Conversum, aut Sæcularem mentiri dixerit, aut ei malum aliquod imprecatus fuerit, vel etiam contumeliam irrogaverit, juxta modum culpæ modum sustineat disciplinæ.

ORDINATIO ANNI 1678.

Insequentes speciale mandatum SSmi D. N. Innocentii PP. X. Rev. P. Carthusiæ sub data Romæ 20. Decembris anni 1652. directum prohibemus, omnino ne Officiales Domorum Ordinis fixum in quibuscumque grangiis, aut obedientiis extra Monasterium, habeant domicilium, sed tantum illuc accedant, ibique remaneant quantum negotia ibidem ab ipsis personaliter gerenda, aut dirigenda requirunt, & non amplius. Commendantes Visitatoribus Provinciarum, ut super hac re solicite invigilent, nec ullæ unquam admittantur excusationes, nisi urgens aliqua necessitas ad tempus id exigat, de qua etiam necessitate informationem capiant, & redigant in scriptis, quasi rationem in sequenti Capitulo Generali de hoc reddituri. Hac vero necessitate transacta, aut negotiis expeditis, Officiales ad observantias Regulares in Monasterium redeant, sciantque tam Priores Domorum, quam Visitatores Provinciarum, quod nisi in his omnimodam adhibeant diligentiam, damna inde Ordini, & animabus sibi creditis a Deo obvenientia in caput illorum, tum in Dei Judicio, tum in Capituli nostri Generalis censura, retorquebuntur, hancque Ordinationem in omnibus locis servari mandamus. Similiter ne abusus ex Officialium ad externa multiplicatione oriantur, prohibemus, ne ulla fiat nova Officialium creatio absque speciali licentia Capituli Generalis, aut Rev. Patris. Si vero nunc reperiantur superflui; mandamus Visitatoribus, ut curent ad pristinum, & necessarium numerum, quam citius commode poterit, restitui, illorum etiam quoad hoc onerantes conscientiam, quasi de hac re rationem districte Judici reddituri atque etiam Capitulo Generali.

De Criminosis, & Fugitivis.

Caput Vigesimumquintum.

1. Criminosi confessi coram testibus, vel convicti de inconvenientia, de manu violenta, de furto, proprietate, rebellione, inobedientia, infamatione criminis quod quis objicit, nec probare potest, de Magisterio conspirationis, necnon de frequenti seminatione discordiæ, & qui minantur ignem, vel mortem, & qui Domum, vel personam Ordinis coram quocumque Judice Ecclesiastico, non tamen Sancta Sede, vel Sæculari in jus traxerint, vel trahi fecerint: pro modo criminis carceri perpetuo, vel ad tempus, intrudantur. Et propterea singulæ Domus Ordinis carcerem habeant competentem, non tamen inhumanum, & periculosum vitæ, in quo ad augendam pœnitentiam prædicti recludantur, & ad hoc agendum obedire Superioribus Subditi teneantur; ipsi autem Carceri, quantum fieri poterit, Sacellum contiguum habeatur, ubi Missa celebrata festivis diebus possit ab incarcerato audiri.

2. Propter levem tamen percussionem in Laicum nullus incarceretur, sed juxta modum culpæ a Priore puniatur. Quæ autem sit levis percussio a Priore diffiniatur. Cæterum si Prior dubitaverit quæ sit gravis, vel levis percussio, examinatum modum ejus in Conventu Monachorum mittat Visitatori; qui discernens utrum gravis, seu levis sit percussio, quidquid mandaverit teneatur. Et admonemus Priores ne percussionem judicent esse levem, nisi evidenter apparuerit esse levis.

3. Si qui in re aliqua ultra duodecim solidos non valente, furtum commiserint simul, vel per partes, non incarcerentur, sed arbitrio Prioris puniantur. Si qui vero in re aliqua 25. solidos valente, nec tamen excedente, furtum commiserint, incarcerentur ad tempus pro arbitrio Prioris, hoc ipsum de Proprietariis fiat. Si qui vero fures, & proprietarii, ultra valorem 25. solidorum furtum, aut proprietatem commiserint, postquam id constiterit, perpetuo carceri intrudantur; donec per Capitulum Generale inde educi mereantur.

4. Similis pœna falsariis, & convictis de incontinentia, incendiariis, & homicidis statuitur. Si quos autem de incontinentia convictos, contingat de carcere educi, nullo modo in Domibus, in quibus fuerint convicti remaneant, si commode alibi locari possint. Porro quicumque de quacumque indicibili incontinentia convicti fuerint, vel publice confessi perpetuo carceri mancipentur, sine ulla spe liberationis.

5. Quæcumque persona Ordinis falsificaverit sigillum, aut literas Capituli Generalis, aut R. patris, pœna falsarii, & criminosorum puniatur, & sit perpetuo inhabilis ad quascumque obedientias sine spe alicujus restitutionis.

6. Nullus scienter, vel opinanter per se, vel per alium præsumat literas recipere, portare, vel mittere, aut nuntiationis verbo tenus facere, quæ directe, vel indirecte esse possent contra bonum pacis, & Principes, vel quoscumque alios Magnates, aut Prælatos ad indignationem provocare. Si Prior, vel Vicarius Monialium contrafecerit, ab officiis absolvantur: Si Subditus, pœnam criminosorum sustineat donec per Capitulum Generale relaxetur.

7. Nulla persona Ordinis infantem de Sacro Fonte levare præsumat, aut eum nisi in casu inevitabilis necessitatis, baptizare. Quod si Prior, aut quivis alius Officialis contrarium fecerit, absolutionis a suis obedientiis, cæteri disciplinæ generalis; Donati vero expulsionis pœnam sustineant.

8. Artem Alchimiæ, seu quintæ essentiæ nulla persona Ordinis per se, vel per alium in Domibus Ordinis, aut alibi exercere præsumat, aut exercentibus consilium, vel auxilium præstare, aut ubi illam exercent interesse, seu instrumenta artis penes se habere, & custodire: sub pœna quoad Priores, & cæteros Officiales absolutionis a suis obedientiis, & perpetuæ inhabilitatis ad eas, quoad Monachos disciplinæ generalis, quoad Donatos expulsionis Ordinis.

9. Unicuique liceat quandocumque reclamare, appellare, & scribere ad Sanctam Sedem, juxta Decretum Sacræ Congregationis particu-

laris Eminorum DD. Cardinalium ad examinandam præsentem collectionem Statutorum deputatæ, emanatum sub die 19. Martii 1685. prædictaque facultas pro repetita habeatur in quacumque parte præsentium Statutorum, in qua fit mentio de recursu ad Sanctam Sedem. Nemo tamen possit sine licentia R. P., aut Capituli Generalis, aut Sedis Apostolicæ, Curiam adire; quod si quis contrafacere præsumpserit incarceretur, & pro modo culpæ puniatur (*).

10. Quicumque Statutis Capituli Rebellis, vel cum munere reprehensor extiterit; & qui Priori aliquid jubenti fuerit inobediens, aut perverse obediens, & si hoc ipsum conversus fecerit Procuratori, & commonitus emendare noluerit, ordinem in victualibus teneat, (a) & Cellam habeat pro carcere. Et si post admonitionem tertiam per intervalla dierum factam obstinatus permanserit, pro modo delicti carceri mancipetur, & puniatur.

11. Si quis Prior sufficienter monstrare potuerit, quod ex Subditis suis duo, pluresve inter se, vel cum Sæcularibus conspiraverint, id est ex invidia, odio, vel malitia ad invicem concordaverint ad fabricandum aliquod malum contra aliquem, seu ad persequendum eum malitiose, tales in eadem Domo puniantur a Visitatoribus: vel si Prior viderit expedire, causam scribat R. Patri, qui cum sui Conventus consilio rescribet ei disciplinam.

12. Si quis unquam reperietur inter nos qui impie jurando in verba de Deo, seu Sacramentis, vel Sanctis ejus turpia, sive contumeliosa prorumperet, impietate verborum diligenter pensata tanquam execrabilis, & blasphemus, prout casus exegerit pœnæ subjaceat graviori. Si quis vero quæ dicit jurando simpliciter per Deum, per fidem suam, per Christum, sic Deus me adjuvet aut simili modo audiente uno, vel pluribus affirmaverit, graviter puniatur, & si hoc pro consuetudine fecerit, adhuc gravius puniatur. Idem censemus de eo, qui verba, & Sententias Sanctæ Scripturæ converterit, vel torserit ad vana, & scurrilia verba.

13. Prior per contumaciam, & rebellionem recedens ab obedientia, & professione Ordinis, ipso facto est depositus, & criminosorum pœna dignus.

14. Si crimen, pro quo carceris irroganda est pœna, probatione indigeat, nec per nostros probari queat, sæculares idonei recipi possunt in testimonium. Quod si probari omnino nequeat, nemini dicatur, nisi Visitatoribus, Priori, & illi qui suspectus habetur; sub forma tamen fraternæ correctionis, & non accusationis, si Prior hoc approbaverit. Cæterum Prior, & Visitatores districte prohibeant, ne illud cuiquam alteri manifestetur. Si quis contrafecerit, ac si in probatione defecisset, judicetur.

15. Criminosi per solum Capitulum Generale, aut R. P., possunt e carcere educi.

16. Criminosi confessi coram testibus, vel victi etiam postquam e Carcere sunt educti, & omni disciplina absoluti, loco, & activa, ac passiva voce careant: nisi eis expresse fuerit restituta per Capitulum Generale, aut R. Patrem.

17. Criminosi postquam educti sunt de Carcere, quadraginta diebus comedant ad terram super asserem nudum mane, & vesperi, computatis diebus quibus communicaverunt in Conventu, vel Episcopus, aut aliqua insignis persona comederit in Refectorio, in quibus ad terram non comedant, & per annum integrum generalem teneant Ordinis disciplinam. Verumtamen Priores poterunt pro qualitate criminis, & personæ duas has pœnas moderari, non tamen omnino relaxare, & in hoc non sint nimis faciles.

18. Disciplina autem generalis Ordinis (de qua in Statutis sæpius fit mentio) talis est. Quicumque hanc incurrunt, quamdiu in ea sunt constituti, semper sunt Novitii, & carent Colloquio in Conventu: Singulis diebus Capituli disciplinas recipiunt, exceptis diebus quibus communicaverunt, vel communicare debent. Tales etiam non habent vocem in Capitulo, vel alibi in Conventu, nec contra aliquem, nec obedientiam, scilicet Prioratum, Vicariatum, Procurationem, Sacristiam, donec per Capitulum generale, aut Rev. Patrem a tali disciplina liberentur.

19. Ordinem vero tenere, est feria secunda, & quarta pane, & Coquina esse contentum: Feria tertia, & Sabbato pane, vino, & coquina: Feria autem quinta, & diebus Capituli, & festis duodecim lectionum more Conventus, abstinentia Ordinis, nisi manifesta necessitas interdicat, etiam observata.

20. Criminosi a primo die incarcerationis eorum, & deinceps per sex menses habeant dimidiam portionem panis Conventualis, & utantur vino familiæ, aut cervisia: De pane vero familiæ quantum necesse fuerit detur eis. Porro in festis Capituli, eis victualia sicut, & Conventui ministrentur. Ferialibus autem diebus, aliquid Judicio Prioris eis, ex gratia ministrari poterit. Verumtamen si quis in carcere positus nolit crimen suum fateri, & emendare, pane, & aqua dumtaxat substentetur, donec resipiscat (b).

21. Si quis in aliqua Provincia Ordinis crimen commiserit, & de eo convictus fuerit, Visitatores mittant, aut portent ad Capitulum nomen ejus.

22. Insani, & Dementes non statim conjiciantur in carcerem, vel vincula, nisi verisimiliter timeatur de inferendo gravi scandalo, vel damno sibi, aut aliis, sed mitius tractentur juxta qualitatem insaniæ.

De Fugitivis.

23. Monachus, qui sine licentia Rev. Patris, vel Capituli Generalis Domus suæ terminos exierit, nisi ad suscipiendos Ordines, ad quod tantum extra limites a Priore suo mitti potest, (c) ipso facto pro fugitivo habeatur.

24. Monachi, qui per Priores suos simulate instituuntur Procuratores, ut hoc medio ad Medicos, vel ad visitandum Parentes, vel amicos, aut alias pro eorum recreatione, & voluntate a Domibus exeant, & inde postquam sunt reversi absolvuntur, a Visitatoribus tamquam fugitivi judicentur, & prout casus exigent puniantur.

25. Priores, & Vicarii Monialium suos fugitivos, & Apostatas ad se redeuntes recipiant; redire vero nolentes cum omni diligentia requirant. Omnibus etiam, & singulis Prioribus, Rectoribus, & Procuratoribus nostri Ordinis in sanctæ Obedientiæ merito injungimus, quatenus si quos ex Ordine nostro Monachos, aut Conversos fugitivos, & Apostatas sciverint, & invenire potuerint, illos, si sponte ad obedientiam redire noluerint, etiam invitos capiant, & firmis intrudant carceribus, nec relaxent, donec a tunc sequenti Capitulo, vel interim a Rev. Patre in mandatis habuerint, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio utriusque brachii, Ecclesiastici, & sæcularis. Et in hoc fiat diligentia possibilis pro Dei, & Ordinis reverentia, & Animarum salute, nec parcatur laboribus, & expensis de quibus fiet, & fieri mandabitur in tunc sequenti Capitulo plena, & integralis refusio, sic

(*) *Ordinatio anni* 1613. Ordinamus, ut quicumque ad Carthusiam Romanam, sine licentia inordinate accesserint non recipiantur, nisi ad carceres ad formam Statutorum, nec inde educantur inconsulto R.P., & ut ejusdem Carthusiæ Romanæ indemnitati prospiciatur, præcipimus ut expensæ, & alimenta, & viatica a domo Professionis fugitivorum refundatur eidem Carthusiæ Romanæ, & præsentis decreti executionem Visitatoribus Provinciarum committimus.

(a) *Vide infra sensum hujus loci* num. 19.

(b) *Circa criminosos, & incorrigibiles etiamsi non sint fugitivi aut Apostatæ consulendum est Decretum S. Congr. Concilii, SS. D. N. Urb. PP. VIII. jussu editum die* 21. *Sept. ann.* 1624., *& ibi reperietur quid fieri possit ne ovis pestifera alias inficiat.*

(c) *Vide* cap. 10. *tertiæ Compilationis antiquæ* fol. 2. *Recto.*

quod

quod Domus nullum ex hoc detrimentum patiatur.

26. Et nihilominus ne forte Priores, & Procuratores prædicti, timentes ex eorum detentione, & custodia gravari, exequi postponant mandatum hujusmodi, conceditur eis auctoritas, & licentia, ut postquam eos ceperint, si professi sui non fuerint, & eos apud se retinere noluerint vinctos, & sub fida custodia, deducere, vel mittere possint ad Domus suarum professionum, vel ad Domos unde exierint; dum tamen neutra istarum distet ultra tres dietas. Quod si forte ipsi, vel alter ex eis mandatum hujusmodi quod possent adimplere, neglexerint, contempserint, dissimulaverint, aut distulerint, & pariter Officiales Domus illius, quæ missos ad eam recipere noluerit, in sequenti Capitulo suæ contumaciæ pœnas luent.

27. Si vero aliqui ex eis fugitivos, seu Apostatas hujusmodi receptaverint, seu occultaverint, vel eis ad continuationem suæ fugæ, vel Apostasiæ per se, vel per quamcumque aliam personam interpositam quovis modo dederint auxilium, vel qui eis pecunias mutuo, dono, vel alias concesserint, a suis obedientiis absolvantur: Monachi, Conversi, & Donati, si hoc fecerint, incarcerentur, nec Domus suæ professionis ad restitutionem mutuatarum pecuniarum teneatur.

28. Apostatæ autem criminosi juxta regulam Sancti Benedicti, post tertiam Apostasiam non sunt amplius requirendi, sed nec in Ordine recipiendi (a).

29. Fugitivi ad aliquam Domum Ordinis sponte venientes, si criminosi non fuerint, id est si nec commisso crimine fugerint, nec fugiendo commiserint, si infra quinque dies redierint, primo reconcilientur; deinde clament culpam suam præsente Conventu misericordiam postulantes, & emendationem promittentes; & postea quindecim in Capitulo recipiant disciplinas, & diebus totidem comedant ad terram in Refectorio super asserem nudum, nisi ex aliqua causa rationabili Prior hanc pœnam moderandam censuerit.

30. Qui vero ultra quinque dies redire distulerint, de cætero quandocumque redierint, non recipiantur, nisi ad carceres, a quibus tamen si criminosi non fuerint, nec secundo jam fugerint, Priores eorum de consilio Conventus poterunt illos educere, quando videbitur expedire, educti vero viginti in Capitulo recipiant disciplinas, & per viginti dies comedant ad terram, & per annum, generalem Ordinis disciplinam sustineant, nisi ex aliqua causa rationabili Prior has pœnas moderandas judicaverit.

31. Qui cum semel reconciliati fuerint, amittant quantum ad locum, annos quos extra Ordinem nostrum expenderunt, illique tantum anni, quos in Ordine fecerant, reddentur eis. Si autem bis reconciliati fuerint, omnium quos invenerint, semper ultimi erunt.

32. Fugitivi autem criminosi, qui vel crimine commisso fugerint, vel in fuga crimen commiserint, quandocumque redierint, nunquam nisi in carceres recipiantur, a quibus non possunt, nisi per Capitulum Generale, aut R. Patrem educi. Educti vero, criminosorum pœnam, de qua dictum est sustineant.

33. Fugitivi dum e carcere educuntur, etiamsi criminosi non sint, nullo modo possint in eisdem Domibus obedientias habere sine expressa licentia Capituli, vel R. Patris. Possunt tamen Priores, aut eis absentibus eorum Vicarii, si volunt eos retinere, aut remittere ad Domos suarum professionum, earumdem Domorum sumptibus, & expensis.

(a) *Extat Decretum Sanctissimi Domini Nostri Urbani PP. editum, de quo supra* num. 20.

34. Fugitivi ad Domum Carthusiæ sponte venientes, pariter, nec ibidem recipiantur, nisi ad carceres, & nihilominus remittantur ad Domum, de qua fugerint, vel ad aliam, juxta modum delicti puniendi.

35. Apostatæ ante omnia ad reassumendum habitum Ordinis compellantur, & deinde pariter reconcilientur, & ab Apostasia, necnon ab excommunicationis sententia, quam ex dimissione habitus incurrunt, adhibitis, testibus absolvantur juxta formam in prima parte præscriptam, & ut supra incarcerentur. Et si crimen aliquod de reservatis Sedi Apostolicæ commiserint, aut notam irregularitatis ex hoc contraxerint, ab aliquo ex Prioribus, ad absolvendum, & dispensandum in casibus reservatis, deputatis, absolutionem, & dispensationem obtinebunt, vel Prior proprius ad R. Patrem recurret. Ab aliis vero non reservatis Sedi prædictæ, & etiam ab Apostasia, poterunt Præsidentes Domorum, in quibus detinetur, audita eorum confessione eos absolvere, & eis pœnitentiam injungere salutarem.

36. Quando necesse fuerit, ut de Domibus propriis, vel de Domo in Domum criminosi aliqui transmittantur, eundo, & redeundo Priores sui ministrent eorum conductoribus pecunias necessarias, tam pro Viatico, quam pro cæteris sibi tradendis per Domorum, ad quas mittuntur, & scribatur dictis Prioribus quanta pecunia fuerit eis ministrata. Missis vero pro disciplina, non ministrentur equitaturæ, nisi nimia infirmitate cogente, nec ubi sustentabuntur, eis beneficia spiritualia hospitibus dari solita conferantur.

37. Omnibus personis Ordinis nostri omnino inhibemus, eos per obedientiæ votum obtestantes, ne ad Reges, Principes, vel alias potestates utriusque status, excepta Sancta Sede, ulla unquam occasione recurrere, aut confugere audeant exceptis integerrimis Dominis Inquisitoribus in negotiis ad Officium S. Inquisitionis spectantibus, cum Deo gratias, Ordo noster sibi sufficiat, suisque gaudeat legitimis, jurisdictione competenti, & Summorum Pontificum Indultis abunde provisus. Quod si qui contumaces fuerint, & ad alias confugerint Jurisdictiones, aut potestates, tanquam Ordinis desertores pœna criminosorum puniantur.

38. Nulla persona Ordinis supplicet Domino Papæ, vel Apostolico Legato, pro his qui ad Ordinem ex Apostasia revertuntur pro dispensatione executionis suorum Ordinum, sine licentia speciali Capituli Generalis, aut R. Patris: & quando talem volent obtinere licentiam, debent crimina in Apostasia commissa significare.

39. Si quæ nostri Ordinis personæ Professæ, absque dispensatione Apostolica sub Bulla Plumbea concessa, se transtulerint ad alias Religiones, a suis Prioribus, seu Superioribus repeti possunt, & debent, per privilegia Apostolica olim Ordini nostro indulta, alioquin negligentes, a Capitulo Generali graviter puniantur.

40. Pœnas tam fugitivorum, quam criminosorum prædictas, augebit Capitulum Generale, vel minuet, per Priores, vel Visitatores certificatum, citra plus, vel minus culpabiles, vel emendatos, vel in sua malitia perseverantes. Rev. autem Pater potest reconciliare Ordini criminosos, servata Ordinis disciplina quam poterit quandoque, si ei videbitur moderari. Alias vero, Prior etiam, proprius eorumdem sine ipsius R. Patris licentia, præterquam in mortis articulo facere hoc non potest, nisi prout dictum est.

41. Priores, qui scienter faciunt, vel permittunt fugere de carcere incarceratos, cum possent impedire, ab obedientiis absolvantur.

Alii vero qui id fecerint, locum subeant evadentis ad Ordinis voluntatem.

42. Quando Apostata aliquis reconciliandus est, primo redditur illi habitus, si non dum illum habeat, & Prior adhibito secum uno, vel duobus Religiosis, illum prostratum cum virga verberat super nudum: dicendo Psalmum *Miserere mei Deus*, & respondente aliquo assistente, sed ipso criminoso tacente: quem Psalmum sequuntur preces conformes absolutionis sicut in prima parte continentur.

Conclusio Statutorum.

Caput Vigesimumsextum.

1. Ne ulla consuetudo quantumvis longa, ullo unquam tempore contra præsentia nostri Ordinis statuta, aut aliquam eorum partem prævaleat, declaramus quascumque consuetudines hujusmodi, scilicet contrarias his statutis, aut eorum alicui minimæ parti, nihil omnino habere roboris, vel auctoritatis: sed meras esse corruptelas: ad magis gravandum eorum conscientias, qui talibus utuntur. Quod si quis contra statuta prædicta consuetudinem aliquam pertinaciter allegare, aut ea se tueri, & illam potius, quam statutum sequi, & observare voluerit, tamdiu vino, & cervisia careat, donec statuto se conformaverit; etsi ejus contumacia majorem pœnam exigat, majori pœna puniatur.

2. Et quia parum est Statuta condere, nisi sint qui ea tueantur, propterea omnibus, & singulis Visitatoribus, Prioribus, Rectoribus, Vicariis Monialium, & Priorissis injungimus: ut rejectis consuetudinibus contrariis, circa Statutorum præsentium observantiam in se, & cæteris diligentius solito invigilent: cum in eis nihil jam sit præsentium temporum, & personarum conditioni non accommodum, & contemperatum, præsertim Animæ Deum timenti, & Carthusianæ vitæ Institutum diligenti.

3. Propterea nullus unquam Prælatus transgressiones Statutorum nostrorum in personis sibi Subditis, pro favore earum captando, aut timore, vel pusillanimitate aliqua, negligat, aut dissimulet. Nullus etiam licentias, & dispensationes his Statutis contrarias, vel petat, vel suis Subditis dare præsumat, nisi in casibus necessitatis, vel evidentis utilitatis, cum teste Divo Bernardo, dispensatio absque necessitate, vel evidenti utilitate facta, non dispensatio, sed dissipatio, & prævaricatio judicanda sit: & Priores non super Patrum traditiones, sed super Fratrum suorum transgressiones sint constituti.

4. Omnes igitur injunctam sibi ab Ordine curam fideliter impleant, quæ apud eos reformatione, correctione, & emendatione digna sunt, reforment, corrigant, & emendent: zelum tenentes Eliæ, & constantiam Mathiæ. Quod si quis Visitator, Prior, aut Monialium Vicarius in corrigendis excessibus negligens, & remissus, aut in licentiis dandis nimis præsumptuosus, & temerarius inventus fuerit, & monitus respicere noluerit, absolvatur ab officio, & alius in locum ejus observantior instituatur.

5. Subditos vero omnes, & singulos hortamur, & monemus in D. Jesu, ut postremam hanc Statutorum editionem summa fide, & diligentia, & multo cum labore Patrum Ordinis recognitam, suscipiant cum debita gratitudine & reverentia, & pro ipsius Dei amore, atque obedientia Carthusianæ professionis, pro sua etiam pace, & consolatione, pro suarum denique animarum salute, ac profectu, quæcumque in ea scripta sunt observare studeant. Præcepta quoque, & monita salubria majorum suorum, maxime Prælatorum, qui vice Dei funguntur cum omni mansuetudine audiant, & impleant. Et si interdum erraverint ut homines, non sint in emendando pertinaces, ut Dæmones, sed virgam disciplinæ, & correctionis patienter sustineant, suæ professionis memores, ut salvi fiant.

6. Præstet nobis Omnipotens, & misericors Dominus, ut nostræ professionis vota fideliter impleamus, suave nostræ servitutis jugum cum humilitate, charitate, patientia, & perseverantia sustineamus, de virtute in virtutem sic proficientes, ut Religionis optatum finem, & inde repromissam in fine mercedem percipere valeamus: eodem Domino concedente, qui sine fine vivit, & regnat in sæcula sæculorum Amen.

Explicit secunda pars

Novæ Collectionis

Statutorum Ordinis Carthusiensis.

Incipiunt Capitula Tertiæ Partis.

1. De Divino Officio Fratrum Laicorum.
2. De diebus festis qualiter, & quando a Conversis observentur.
3. De Disciplina Fratrum, & quibusdam ad Divinum Officium eorum pertinentibus.
4. Quid eis dicendum sit pro Defunctis.
5. Quis respondere debeat, & præsidere, & quomodo Silentium debent Fratres observare.
6. De Coquinario, & Dispensatore.
7. De Coquinario inferioris Domus.
8. De Pistore.
9. De Sutore.
10. De Fabro.
11. De Hortulano.
12. De Carpentario.
13. De Agricultura, & Pecorum nutrimento.
14. De abstinentia, & jejuniis Fratrum.
15. De Rasura, & minutionibus Fratrum.
16. De Vestitu Fratrum, & utensilibus Cellæ.
17. De Novitiis, & eorum professione.
18. De Fratribus, qui foras mittuntur.
19. De Consuetudinibus Generalibus Fr.
20. De Criminosis.
21. De Fugitivis.
22. De Donatis.
23. De Monialibus nostri Ordinis, eorumque Vicariis, & Priorissis.

Incipit tertia pars

Novæ Collectionis

Statutorum Ordinis Carthusiensis.

De Divino Officio Fratrum Laicorum.

Caput Primum.

1. Quæ ad Monachos pertinent explicatis, restat ut ea quæ statum Conversorum, Donatorum, atque Monialium concernunt Domino juvante dicamus.

2. Laicos in nostram Societatem admisimus (*a*) qui Agriculturæ, & pecorum nutrimento, ubi utile, & commodum esse judicabitur, habita ratione temporum, & locorum, & aliis corporalibus exercitiis, prout injunctum eis fuerit, diligenter intendere debent.

3. Volumus autem ipsos Laicos sic externis exercitiis occupari, ut etiam debitis temporibus non omittant Spiritualia: ideo singulis diebus ad Matutinas surgere debent. Hora autem, qua surgendum est in Domo inferiori, bis signum

(a) *Vide Ordinationes annorum 1679. & 1636.* Quia in quibusdam &c. De cætero non recipiantur *in fine hujus Capituli.*

pulsetur,

pulsetur, parvo interposito spatio, primo præparentur, secundo ad Ecclesiam servata gravitate conveniant. Orationes Dominicas pro Psalmis habent, & de eis omnes Horas, & totum ubicumque sunt complent Officium.

4. Intrantes Ecclesiam, facta debita inclinatione, detecto capite, in suis se sedibus collocent, & unusquisque satagat, quanta potest devotione suas Orationes Dominicas pro Matutinis ordinatas, cum suis debitis cæremoniis persolvere, quamvis ibidem sit Procurator præsens, quem non tenentur in suis cæremoniis imitari.

5. Qui vero habitant cum Monachis in Domo Superiori, surgant ad Matutinas Monachorum, maneantque in Choro Conversorum, in quo suas Matutinas persolvant, & usque ad finem Matutinarum ibidem permaneant, nisi eis super hoc Prior misericordiam faciat.

6. Quotiescumque autem Conversi audiunt Divinum Officium in Domo Superiori, Monachos imitentur quoad regulares cæremonias: suas tamen Orationes Dominicas interim persolvant. Nec ipsi, nec Donati in Ecclesia ullo tempore libros teneant, nec in eis legant: sed Rosarium in manibus habeant, & ibi sua debita persolvant. Ad Ecclesiam sine caputio, & veste oblonga, vel pellicea non eant.

7. Officium Beatissimæ Virginis Mariæ juxta formam, quæ sequitur dicere tenentur: primo ad singulas diei horas singulas horas ejusdem Virginis excepto Completorio diei præmittent, quod semper ante Completorium de B. Maria est dicendum. Ad Matutinas de Domina, primo dicant flexis genibus, & cum venia semel, *Pater noster, & Ave Maria*: deinde surgant, & faciant signum Crucis, & inclinent: postea erecti dicant 22. *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*, & *Gloria Patri* cum venia, vel supplicatione, secundum tempus. Deinde subjungant semel *Pater noster, & Ave Maria*, pro Collecta genibus flexis, vel super misericordia secundum tempus.

8. In Matutinis vero diei inclinati tantum quando venia non sumitur, alias si sumitur super formas, semel *Pater noster, & Ave Maria* cum magna devotione, & attentione dicant: deinde erecti eamdem Orationem sexies repetant flexis genibus, per singulas supplicantes, & *Gloria Patri* dicentes. Deinde sedentes eamdem Orationem viginti duabus vicibus repetant: & postea surgentes eamdem cum supplicatione, & *Gloria Patri* sexies iterent, ac deinceps in stando perseverantes ipsam eamdem sine *Gloria Patri*, & supplicatione 22. vicibus dicant, quam etiam semel pro collecta subjungant.

9. Post Matutinas, Conversi singulis diebus faciant Orationem in materna lingua, sub hac forma quæ sequitur. Prostrati in terram secundum suum vulgare idioma pro omni statu intercedant: videlicet pro statu nostræ religionis, pro statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & D. N. Papæ, pro Diœcesano proprio, & cæteris Episcopis, personisque Ecclesiasticis universis; pro Imperatore Romano, vel Rege proprio, Regibusque, ac omnibus Principibus Christianis: pro omnibus Benefactoribus, recommendatis, familiaribus, & amicis: pro omnibus tentatis, & in quacumque Corporis, & Animæ tribulatione constitutis: pro existentibus in peccato mortali, pro reductione hæreticorum, & Schismaticorum: pro conversione Judæorum, & Paganorum: pro navigantibus, Peregrinis, & Infirmis: pro terræ fructibus, & cultoribus eorumdem: pro temperie aeris: pro sui ipsius perseverantia in Ordine, & observantia Mandatorum Dei, & nostræ Religionis, & si quæ sint alia, pro quibus orantis Spiritum Divina inspiratio inflammet, & accendat. Sciendum præterea, quod ad quemlibet statum, qui volunt *Pater noster*, humiliter, & devote subjungunt, dictam Orationem pro qualitate temporis, discretionis, & fervoris ipsius orantis ampliando, vel etiam breviando.

10. A Pascha usque ad festum S. Michaelis orto sole pulsatur ad Primam. In messe tamen prout necessitas postulat, citius. A festo S. Michaelis usque ad Pascha summo mane pulsatur.

11. Ad primam de Dominica dicant semel *Pater noster, & Ave Maria* flexis genibus cum venia omni tempore. Deinde *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum, & terram.* Postea erecti ter *Pater noster, Ave Maria*, cum *Gloria Patri*, & venia, vel supplicatione secundum tempus.

12. Primam vero diei ita incipiant. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum, & terram.* Deinde *Pater noster* cum *Gloria Patri*, & venia, vel supplicatione secundum tempus ter dicant, & addant quartum pro Collecta.

13. In cæteris horis tam de Dominica, quam de die, idem quod in Prima dicatur: excepto quod ad utriusque Veseras unum *Pater noster* addant, dicentes scilicet post *Adjutorium nostrum* quater *Pater noster* cum *Gloria Patri.* Dicant etiam post Primam diei, & post Completorium *Credo, & Confiteor.*

14. Post Completorium lectos adeant, & dormire satagant, ne forte cum vigilare debuerint dormire compellantur. Sive autem dormiant, sive vigilent quieti, ac sine ullo strepitu, quantum fieri potest manere debent.

15. In omnibus Domibus Conversorum, quæ a Domibus Monachorum sunt separatæ, & aliter inferiores vocantur, in quibus est Sacellum bis, vel ter ad minus in hebdomada Missa celebretur a Procuratore, vel Priore, seu alio Sacerdote; quod Prior studiose faciat observari: ibidem etiam Sacrum Corpus Christi reverenter servetur ad succurrendum Infirmis, & in quolibet mense renovetur.

16. Nulla dispensatione, vel licentia permittatur, quod Conversi, aut Donati portent Tonsuram Clericalem, vel quod Grammaticam discant, aut cantum, nec quod ascendant ad stacum Monachorum, sed unusquisque perseveret in ea vocatione qua vocatus est, nec super hoc sint infesti Prioribus, aut Visitatoribus, cum nullo modo super hoc possint dispensare.

ORDINATIO ANNI 1679.

Quia in quibusdam Ordinis Domibus Conversorum Conversatio omnino tepescit, & a Statutorum observantia notabiliter deflectit, statuimus, & ordinamus ne ulterior fiat Conversorum receptio in Domibus, ubi Tertia Pars Statutorum ad Conversos pertinens circa observantiam regularem non plene observatur donec stricte, & laudabiliter Visitatorum Judicio servetur, sed tantum Donati ibi recipiantur, prohibentes Prioribus, & cæteris Officialibus sub pœna absolutionis, ne aliquid contra hanc necessariam Ordinationem attentent. Conversi autem, & Donati tum in Ecclesia, tum in Capitulo, & Refectorio simul conveniant, & simul refectionem sumant, servato tantum hoc ordine, ut antiquiores Donatorum locum habeant post ultimos Conversos ex utraque parte Ecclesiæ, Capituli, aut Refectorii. Si quis autem inter eos post hæc voluerit primus esse, fiat omnium ultimus, & Servus juxta Jesu-Christi Salvatoris nostri Sententiam, cujus executionem Priori committimus, & commendamus.

ORDINATIO ANNI 1636.

De cætero non recipiantur Conversi ad habitum, nisi prius probati fuerint per quinquennium post fa-

Etam donationem sub habitu Donatorum sine speciali licentia Capituli Generalis, aut R. Patris, quam tamen rarius, & non sine gravi causa concedendam esse censemus.

De diebus festis qualiter, & quando a Conversis observantur.

Caput Secundum.

1. Conversi, qui in Domo Superiori morantur in vigilia festorum Capituli ad Ecclesiam pro Vesperis audiendis conveniant. Qui vero in Domo inferiori habitant in dictis vigiliis, cum a suis disjunguntur laboribus ad Domum Superiorem ascendant, sic ut medietas ipsorum ascendat Vespere prout eorum obedientiæ patiuntur, Matutinas, & reliquum diei festi Officium audituri cum his qui in Domo Superiori habitant, qui omnes imitentur Monachos in regularibus cæremoniis in Choro existentes. Pars autem Conversorum, quæ in Domo inferiori remansit, ibi in Ecclesia suas Matutinas persolvat, & summo mane ascendat ad Domum Superiorem, ubi Dominus suum Officium audiat.

2. Post Capitulum Monachorum dicta Missa de Domina in privato, teneatur eis Capitulum, ubi verbum Dei a Priore vel ab eo, cui injunxerit attente audiant, & culpas suas recognoscant, præsentibus Donatis, etiam in singulari culparum recognitione. In Solemnitatibus tamen Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes non teneantur eis Capitulum, sed in vigiliis prædictarum Solemnitatum post dictas Vesperas.

3. Die Natalis Domini, & duobus diebus sequentibus, & in primis, & secundis diebus Paschæ, & Pentecostes, post Nonam in Capitulo audiant Verbum Dei ab eo, cui Prior injunxerit. In quibus diebus post Capitulum Monachorum legantur eis eorum Statuta, & in festo Sancti Joannis Evangelistæ, atque feria secunda Paschæ legatur eis de charta Visitatorum, quod eos concernit.

4. In vigiliis autem Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, Dominicæ in Palmis, Eucharistiæ, S. Joannis Baptistæ, Assumptionis ejusdem Virginis, omnium Sanctorum, & aliarum præcipuarum Solemnitatum, omnes ad Domum Superiorem conveniant, Divinum ibidem Officium audituri, & in Refectorio comedant prædictis diebus.

5. Ascensuri autem Fratres ad Domum Superiorem prius ad Procuratorem veniant, & cum ejus licentia servato pergant silentio, quod præceperit portaturi. In Domo autem Superiori, sicut & ubique a Vesperis usque ad Primam, & a Capitulo usque ad Nonam in silentio permanere debeant (a): Coquinarius tamen, & ejus adjutores, de necessariis loqui possunt. Post Vesperas cum silentio recedunt, quod jussi sunt reportantes, & tenet eis Capitulum ante cœnam Procurator quando ei visum fuerit, vel commode poterit.

6. In solemnitatibus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes descendant tertia die post Vesperas, nisi sit Dominica, vel festum Capituli, & tunc descendent sequenti die post Vesperas. In festis nullus descendat sine licentia, donec Vesperæ fuerint cantantæ. Qui vero non ascendunt diebus Capituli, Cellas teneant, nisi eorum obedientiæ impediant eos. Spatium, quod est inter Tertiam, & Sextam Orationi impendant.

7. Conversi servare tenentur omnia Festa, quæ Ecclesia præcipit ab omnibus servari: in quibus cessant ab operibus. In festis etiam quæ Episcopi Diœcesani jussu servanda jubentur, etiam cessare debent, & Ecclesiam frequentare, quod si talia festa Capitulum habeant Monachorum, etiam ipsis Conversis Capitulum teneatur.

8. In sequentibus verò Solemnitatibus quando transferuntur, non cessent ab operibus, sed non debent laborare circa domum Superiorem quantum commode fieri poterit. Sunt autem Solemnitates hæ: Conceptio Matris Domini, Dedicatio Ecclesiæ, Festa Sanctorum Joseph, Benedicti, & Hugonis Lincolnienſis.

9. Ne cessent ab operibus in Compassione Beatissimæ Virginis, & Præsentatione, nec in Conversione Sancti Pauli, nec in festis Sanctorum Doctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi: nec in festis Sanctorum Bernardi, Thomæ de Aquino, Agathæ, Catharinæ Martyris, & undecim millium Virginum, qui si habitant in aliqua Parochia se illis conformare debent cum quibus manent, in Festis colendis, vel non colendis.

10. Constituti autem in itinere diebus Festivis Ordinis Missas audire debent, si possunt.

De Disciplina Fratrum, & quibusdam aliis ad Divinum Officium eorum pertinentibus.

Caput Tertium.

1. In Adventu, & Quinquagesima Conversi per singulas hebdomadas singuli singulas accipiunt disciplinas in domo inferiori in Ecclesia, de manu Procuratoris dictis Matutinis per eum. Si vero non interfuit Procurator, dicant pro disciplina ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria* cum veniis. Idem facit, qui non interfuit, cum a Procuratore datur disciplina. In Domo vero Superiori a Priore, vel eo absente a Vicario, ante Laudes disciplinas recipiunt. Id autem fit feria secunda, nisi tunc Festum Capituli occurrat, in quo casu ad feriam tertiam differtur.

2. Cinerem, qui adsunt in Sacello domus inferioris de manu Procuratoris accipiant, qui vero in domo Superiori, de manu Sacerdotis hebdomadarii: qui non interfunt, ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria* cum veniis dicant.

3. A capite jejunii usque ad Pascha post Nonam, prostrati ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria*, pro Missa persolvant.

4. Dominica in Ramis Palmarum, omnes Conversi in Capitulo Monachorum conveniant, ibique excommunicentur omnes proprietarii, qui occultandi animo, vel celandi aliquid ultra valorem trium solidorum Turonensium, quibus nunc correspondent vigintiquinque Asses Gallici, retinuerint, donaverint, permutaverint, vel alio quolibet modo alienaverint, & illud suo Priori revelare, vel confiteri, saltem temporibus statutis scienter neglexerint: hoc est præsentes usque ad diem Cœnæ inclusive, absentes vero usque ad diem octavum reversionis eorum in domum post dictum terminum.

5. Tribus diebus ante Pascha non tenentur dicere in suo officio *Gloria Patri* post orationem Dominicam.

6. In die Cœnæ omnes in Ecclesia Superiori de manu Prioris, vel eo absente Vicarii Sacratissimum Corpus Christi recipiant. Ipse enim tunc instituit venerabile Sacramentum Altaris, & omnes ibidem præsentes suis sacratissimis manibus tanti beneficii participes esse fecit.

7. Hora autem constituta omnes, quantum possunt, simul cum Monachis ad Mandatum in Capitulum conveniant, & ibi exerceant suum Ministerium, & eorum pedes laventur: ipsi tamen debent ante suos lavare pedes, & se præparare propter lotionem pedum faciendam per Priorem. Quod si contingat aliquando aliquos Fratres Laicos in domo inferiori hoc die manere: illi veniant post prandium ad coquinam, & ab eo, qui prior est ordine eis laventur pedes.

(a) *Non inde inferri debet, quod extra tempus hic præfixum possint silentium frangere sine licentia, sed sensus est, quod intra tempus hic notatum licentia non est petenda, nec danda sine rescissione.* Vide n. 2. & 3. cap. 5.

8. In

8. In craſtino (hoc eſt) Paraſceve poſt Nonam, quæ plus ea die, quam cæteris differtur, ad Eccleſiam conveniant, ibique dicent *Pater noſter* ſemel pro Eccleſia, ſemel pro Papa, ſemel pro Epiſcopis, & cunctis Sacris Ordinibus, ſemel pro Imperatore, ſeu Rege, ſemel pro Catechumenis, ſemel pro cunctis afflictis, & in periculis conſtitutis, ſemel pro Hæreticis, ſemel pro Judæis, ſemel pro Paganis, hoc eſt novem vicibus, & ad ſingulas vices excepta octava, quæ eſt pro Judæis veniam ſumant. Poſt Monachos nudatis pedibus incedentes Crucem adorent, dicentes ſinguli intra ſe : *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum &c.* Hoc etiam die Converſi juvent Sacriſtam ad mundandam Eccleſiam.

9. Sabbato Sancto Fratres qui ſuperius remanſerant, ſummo mane deſcendant ad Domum inferiorem reverſuri ad veſperas.

10. Durante hebdomada Capituli Generalis Converſi dicant ſingulis diebus ſemel *Pater noſter*, & *Ave Maria* pro directione ejuſdem Capituli Generalis.

11. Omnes Converſi, & Donati prima Dominica cujuſlibet menſis cum debita præparatione, & Confeſſione (quantum facere debent hora congrua ante Miſſam, in qua communicaturi ſunt) Euchariſtiæ Sacramentum devote recipiant, niſi aliter legitime eſſent impediti arbitrio ſuorum Confeſſariorum : & tunc alio die ad arbitrium Prioris communicent. In Solemnitatibus Cœnæ Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Domini, & Sancti Patris noſtri Brunonis communicare etiam debent.

12. Conſulimus ut omnes tam Converſi, quam Donati ſingulis hebdomadibus confiteantur diebus abſtinentiæ deputatis, vel alio die ad arbitrium Præſidentis : confiteantur autem genibus flexis, & capite detecto, ſed pœnitentiam eis injunctam proſtrati perſolvant.

13. Hortamur autem eos in Domino, ut ſic digne ſua vocatione vivant : quatenus etiam ſæpius Euchariſtiæ Sacramentum recipere poſſint. Quod ſi Prior judicaverit aliquos ex eis ſic diſpoſitos, poterit frequentiorem eis communionem concedere.

14. Nulli Sacerdoti Sæculari, vel Regulari, qui de Ordine noſtro non ſit, confiteri poſſunt Converſi abſque licentia Prioris, quamdiu ſunt in domo Ordinis, etiam tranſeuntes.

Quid eis dicendum ſit pro Defunctis.

Caput Quartum.

1. Pro recenter Defuncto Monacho, vel Converſo Domus ſuæ profeſſionis, & pro quolibet Monachatu cum Pſalteriis per chartam Capituli injuncto, trecentas triginta Dominicas orationes reddant Converſi, quarum medietatem cum veniis dicant.

2. Qualibet hebdomada ſeptem Anniverſaria perſolvant : pro ſingulis autem 9. *Pater noſter* cum veniis dicant.

3. Qualibet etiam hebdomada duos Breves, & pro quolibet 30. *Pater noſter* cum veniis dicant.

4. Pro Officio Capituli Generalis, & pro Officio Cluniacenſi trecentas triginta Orationes Dominicas reddant. Pro Benefactoribus, qui pronuntiantur in die S. Stephani trecentas.

5. Pro quolibet tricenario carthæ Capituli dicant quinquaginta *Pater noſter* : Tricenariis autem extraneorum, qui non ſunt de charta, dicant centum quinquaginta.

6. Pro ſingulis Miſſis de Dominica ſingulis Sacerdotibus injunctis dicant quinquaginta *Pater noſter*, pro Prece generaliter *Pater noſter*.

Quis reſpondere debet, & præſidere, & quomodo Silentium, & Cellam debeant Fratres obſervare.

Caput Quintum.

1. Cum abſente Procuratore ad Eccleſiam Fratres conveniunt, eis præeſt in officio, qui primus eſt in Ordine. Similiter & in cæteris locis, vel operibus, niſi forte obedientia, in qua fuerint, alicui fuerit ſpecialiter injuncta, tunc enim cui proprie injuncta eſt, cæteris præſideat, qui & reſpondeat aliis adventantibus, vel obviantibus.

2. Dominicis, & aliis diebus feſtis Converſi ſilentium, & Cellas teneant. Omnibus etiam diebus in quibus laborant, poſt completorium uſque ad Primam ſilentium ſervent, niſi obedientia eis commiſſa aliud exigat, nec loquendi licentiam tali hora quærant, niſi magna, & juſta occaſione. Qui vero in nulla obedientia occupatur frequenter Eccleſiam etiam diebus ferialibus, & ſilentium, & Cellam teneat.

3. Si Prior, aut Procurator viderint, ſeu invenerint Converſos ſimul colloquentes, niſi pro neceſſitate, & ſub paucis verbis, acriter reprehendant eos : maxime ſi id fiat diebus feſtivis, in quibus ipſi debent ſervare ſilentium, vel ſi hora fuerit prohibita.

4. Cellas, vel officinas alterius obedientiæ abſque licentia nullo unquam tempore intrare poſſunt. Inhibemus etiam Converſis, & Donatis diſtricte, ne Cellas Monachorum ſine licentia Præſidentis ingrediantur, alioqui ad terram comedant pro qualibet vice, nec etiam loquantur cum Monachis abſque licentia in Domo; nec eis aliquas ſalutationes, ſeu rumores, vel munuſcula, aut literas deferant, alioquin pro modo culpæ arbitrio Prioris graviter puniantur.

5. Non licet etiam Converſis ſine licentia cum ſupervenientibus ſæcularibus loqui, vel fabulari, ſed obviantes, vel ſupervenientes inclinato tantum capite licet reſalutare, viam oſtendere, ad interrogata *Eſt*, vel non reſpondere, & quod amplius loquendi cum eis licentiam non habeant ſe excuſare.

6. In quolibet opere, vel obedientia conſtituti Converſi, poſſunt inter ſe, & cum adjutoribus loqui de neceſſariis, & utilibus : ſed non cum ſupervenientibus, aut Fratribus alterius obedientiæ, niſi pro neceſſitate, & ſub paucis.

7. Quandocumque ſilentium aliter fregerint, in proximo feſto Capitulo ſuam culpam recognoſcant, & diſciplinam de manu Præſidentis recipiant, & ſi fuerint aſſueti, gravius puniantur. In vigiliis tamen Paſchæ, Pentecoſtes, & Natalis Domini, & in præcipuis ſolemnitatibus, & quoties communicare debent in Conventu, aut quoties ex cauſa rationabili Priori viſum fuerit aliquid eis injungimus loco diſciplinæ.

8. Edentes in Refectorio, aut in ſuis Cellis ſilentium teneant, quod ſi tunc fregerint, dicat pro qualibet vice 25. *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & nihilominus in ſequenti Capitulo dicant ſuam culpam, & recipiant diſciplinam.

9. Et quoniam in obſervatione ſilentii multum erratur, Procurator, & Coquinarius cum viderint illud infringi, fortiter reprehendant : & ſi ſe non emendaverint, referant Priori, qui præter diſciplinam in Capitulo recipiendam, ſi fuerint conſuetudinarii in frangendo, pœnam apponat majorem, faciendo eos a vino abſtinere, aut ad terram comedere; ſuper his autem, quæ dicta ſunt Præſidentes invigilent, ut obſerventur, & ſint Converſi circa ſilentii obſervantiam plus ſolito ſoliciti.

De Coquinario, & Diſpenſatore.

Caput Sextum.

1. Coquinæ unus e Fratribus præſideat, qui ſolitos cibos ita præparare debet, ut non detur

Monachis, vel Conversis occasio murmurandi, præparatas autem dispensat, panemque, & vinum ministret horis statutis. Nulli pitantiam donet, nisi quando debetur ei, sine licentia speciali.

2. Fratrem aliquem, in coquinam, vel dispensam, nisi causa justæ necessitatis introducere non potest, introductumque transacta necessitate emittat inviolato quantum res sinit silentio.

3. Coquinario non licet in Cellas intrare, residere, aut fabulari, nisi aliquem forte ægrotare contigerit.

4. Refectorium, Dormitorium Fratrum, & Hospitium mundet, vel faciat mundari.

5. Dare, vel accipere sine Prioris licentia nihil audeat, eis tamen qui transmissa afferunt potest dare ad manducandum: aliis nequaquam sine licentia. In festis ita ante Missam, & post, de his quæ præparanda sunt providere debet quantum potest, ut ipse, & ejus adjutor Missæ majoris officium audire possint.

6. Coquinarius, vel Dispensator Refectorium præparet, & hoc quantum fieri potest adjutori suo non debet injungere. Nunquam Operarios conducat sine licentia.

7. Quando per negligentiam ejus aliquid alicui deest, quod de consuetudine habere debet, quam citius loco, & tempore congruo Priorem inveniet, vel eo absente Vicarium, culpam suam recognoscere, & ab eo qui passus est negligentiam petere veniam debet.

8. Singulis diebus festis, si potest, Capitulo interesse debet, & culpam suam recognoscere.

9. Hospitibus provideat Pellicias, & sotulares nocturnos, & Monachis det scutellas, cochlear, scyphum, vasa aquaria, & vinaria, & cætera hujusmodi: nisi Procurator ipse ea ministret, aut per alium ministrari faciat juxta consuetudinem Domorum.

10. Coquinarius etiam, sive Dispensator absente Procuratore providet ut Hospites Religiosi, vel alii venire volentes ad Matutinas, eundo, & redeundo lumen habeant. Cum pitantia datur Monachis, post prandium, quod superest debet recolligere.

11. Coquinarius, aut Dispensator provideat, ut panis, qui in Refectorio apponitur mundus sit, id est neque exustus, neque corrosus, neque alia fœditate maculatus, nec aliquid habens, quod abstergendum sit, aut radendum. Ipsius est etiam providere ut vasa quibus cibus, & potus inferuntur, diligenter lota, & bene de subtus extersa sint: ne mantilia quibus superponuntur maculentur. Scyphos, & vasa vinaria, & Cochlearia singulis festivis diebus diligenter debet mundare, & providere, ut salina, & sal quod apponitur mundum sit, & ut exiccetur, ne humefactum liquefiat.

12. Ad ipsius quoque curam pertinet, ut cultelli non eruginentur, & ut hebetati exacuantur, & ut in Refectorio, quando ibi comedit Conventus, nullus tumultus, aut vox, nisi solius legentis audiatur.

13. Cum autem in quibusdam Domibus præter Coquinarium sit etiam Dispensator, ad panem, & Vinum, & aliqua alia dispensanda deputatus, quæ hic dicta sunt ad Coquinarium pertinere, juxta Domorum consuetudinem ad Coquinarium, vel ad Dispensatorem referenda sunt.

De Coquinario inferioris Domus.

Caput Septimum.

1. Coquinæ inferiori similiter unus e Fratribus præsideat, qui solitos cibos Fratribus præparet, & dispenset, horis competentibus signum pulset, a quo etiam panem, vinum, sal, cochlear, scutellas, lumbaria, acum, filum, & ceram ad cerandum accipiat. Aliud autem quidpiam præter Procuratoris licentiam eis dare non potest, nec etiam in Coquina frustum seracii ponere. Qualia autem aliis ministrat, talia sumat & sibi.

2. Dare, vel accipere ab his qui Domus suæ non sunt sine Procuratoris præcepto nihil audeat: qui si forte abfuerit, & aliqua interim necessitas acciderit, ita faciet quemadmodum ipsum si adesset, facturum existimarit, redeuntique quid, & quomodo egerit indicabit.

3. Fratrum aliquem in Coquinam nisi causa justæ necessitatis introducere non potest, introductum vero transacta necessitate statim emittat, inviolato, quantum res sinit, silentio.

4. Ecclesiam custodiat, Portæ præsit, advenientibus respondeat, ferramenta communia servet, nisi Faber, qui ea servet affuerit: Domus, & universæ Supellectilis curam gerat. Ex quibus omnibus si aliquid deperierit: prostratus humi reum se, culpabilemque clamabit. Hæc eadem servet quicumque vices ejus exequitur.

5. In diebus solemnibus, vel ipse, vel qui supplet vices ejus, advenientibus de proxima Villa nihil habet dare, vel commodare, nisi forte petentium necessitas aliud postularet, sed tantum ut recedant jubetur respondere, ne per tales dies assuescant inquietudinem, & molestiam facere.

6. Coquinarius inferior primum signum ad Matutinas pulset, lampadem accendat in Ecclesia, juxta lampadam sedat, Infirmos requirat, Hospitibus Religiosis antequam pulset portet lumen. Ad *Benedictus*, accensa candela egrediatur, & ponat eam in loco congruo, ut fratres egredientes lumen habeant, & Novitius eam extinguat.

7. Coquinarius cum extraneis loquatur, cum fratribus non, nisi accepta licentia: Procuratore tamen absente, cum quibus voluerit potest loqui: nemini potest dare licentiam loquendi cum aliquo, præsente Procuratore. Nec etiam propter ejus præsentiam, aliquis cum aliquo loqui debet.

8. Præsentibus Fratribus, vel absentibus Cellas eorum non debet intrare sine licentia, nisi quando absenti aliquid dare voluerit, vel utensilia ejus, sive aliquid aliud in Cellam mittere, vel accipere.

9. Mortuos non debet abluere, sed filum præparet, & acus.

10. Panem triticeum, vel caseum, vel vinum mercenariis non det sine licentia, nisi quando eis debetur: vinum Hospitibus recedentibus, vel Fratribus exeuntibus nullatenus debet dare ad secum asportandum.

11. In Hospitio exteriori nulli det panem conventualem sine licentia, ad Hospitium vero superius, nullos recipiat Hospites, nisi venerabiles, & honestos.

12. Caveat ne portam, qua itur in Claustrum, mercenarii intrent.

13. Nulli pitantiam donet nisi quando debetur ei, sal, & legumina, & cætera, quæ ad cibum pertinent donet Pastoribus.

14. Ad primam pulset, cum Procurator infirmatur, vel minuitur, vel cum mane ascendit ad Domum Superiorem Missam celebraturus. Ad Missam nunquam pulset nisi ei præcipiatur.

15. Cicer non coquat, nec duas coquinas faciat sine licentia. Ollas, & scutellas suas designet, lavet, vel lavari faciat.

16. Converso de Ordine nostro, cum ordinate venit, Cellam providere debet.

17. Sine licentia non accipiat de formageria seracium, vel caseum, tenetur tamen providere cum Procurator ascendit superius, vel aliquo

vadit,

vadit, ut propter Hospites, vel propter Fratres habeat sibi necessaria.

18. Providere etiam debet, ne Mercenarii otiosi sint, & curam habere horti, & Gallinarum, & si necesse sit saginariorum, & ut segetes mundentur, & reducere in memoriam Procuratori, quæ facienda sunt, & prævidere quantum potest ne per ipsius, aut alterius negligentiam aliquid alicubi depereat. Panem recentem non det sine licentia, nisi quando de consuetudine Monachis datur.

19. Coquinarius in Adventu, & Quinquagesima pulset ad Primam, & candelam accendat quando a Procuratore Fratres accipiunt disciplinas.

20. Ad consilium Procuratoris vinum temperet. Nullum Hospitem sine licentia in Coquinam introducat. Quidquid ab eo Coquinarius Superior per se, vel per nuntium postulat, sine dilatione, si habet, mittere debet.

De Pistore.

Caput Octavum.

1. Pistor annonam, seu grana ad annuam provisionem necessaria recipiat, in granario ad mensuram reponat, siccet, custodiat, ventilet, molat, vel ut molantur Procuratorem admoneat, & ut farina tempestive afferatur curet, panes conficiat, & coquat.

2. Pistori quando panem coquere debet, detur adjutorium necessarium juxta dispositionem Prioris, vel Procuratoris. Ipsa die qua coquit excusetur a Matutinis, & tantum semper coquat, quantum Procurator præceperit. Sine licentia non quærat operarios.

3. Pistor Aquam benedictam per Cellas aspergat, & eam a Domo superiori asportet, vel Coquinarius si Pistor desit: cum vero uterque deest, Coquinarius provideat, ut ab aliquo offeratur.

De Sutore.

Caput Nonum.

1. Sutor coria teneat, incidat, sotulares faciat, ac reficiat, cum ei injungitur emat coria & sagimen, & cum redierit ostendat Procuratori, & de omnibus rationem reddat.

2. Semel in anno dato adjutorio coria præparet, & tunc tot faciat Sotulares, ut in magna anni parte sufficiant.

3. Sotulares Monachorum ungit, ac reficit, Conversorum autem nunquam: Sed ipsimet ungere debent. Eos qui Sotulares nocturnos, sive diurnos negligenter custodiunt, reprehendat.

4. Nulli extraneo det Corium, & Sagimen, sine licentia; nec etiam Fratribus, vel Familiæ, nisi in his quæ de institutione debentur. Corticem, quæsito adjutorio, in æstate faciat, siccet, & molat.

De Fabro.

Caput Decimum.

1. Faber communia ferramenta Domus faciat, & reficiat, nulli alieno sine licentia utensilia accommodet, semel in anno ostendat omnia Procuratori, & Procurator describat, ne aliquid deperire possit.

2. In Hyeme, & cum aliud operari non potest, faciat, & reficiat ferramenta. Cum ferrum suum extendit, præcipiente Procuratore, adjuvent eum aliqui de Mercenariis.

3. Non debet fabricare Fratribus sine licentia, nisi quod habent de institutione.

4. Temporibus congruis faciat, vel fieri faciat carbonem suum.

De Hortulano.

Caput Undecimum.

1. Custos Horti ipsum, & apes custodiat, Domum propriam habeat, ubi utensilia sua, & semina custodiat, ipsum Hortum fodiat, herbas seminet, & mundet cum dato sibi adjutorio.

2. Non conducat Operarios sine Procuratoris licentia.

3. Cum Hortulanus ibi non est, Coquinarius, aut alius, cui Procurator injunxerit, Horti habeat curam, & Hortulano, cum adest, opem quoad potest exhibeat.

De Carpentario.

Caput Duodecimum.

Carpentarius Consilio Procuratoris Domos cooperiat, faciat, & reficiat, Operarios sibi necessarios quærat, & de omnibus rationem Procuratori reddat.

De Agricultura, & Pecorum nutrimento.

Caput Decimumtertium.

Quidquid ad Agriculturam, & Pecorum nutrimentum pertinet, Priorum discretioni disponendum relinquitur, qui habita ratione locorum, temporum, necessitatum, & majoris utilitatis Domorum, & personarum Ordinis, de ipsis ordinabit, prout secundum Deum, & conscientiam melius expedire sibi videbitur. (a)

De Abstinentia, & Jejuniis Fratrum.

Caput Decimumquartum.

1. Unam qualibet Hebdomada abstinentiam faciant Fratres Conversi, in qua pane, & aqua, & sale sint contenti, nisi aliud de misericordia apponatur, exceptis his quos infirmitas, senectus, debilitas aut alia quævis causa judicio Prioris rationabilis excusat.

2. Nulli autem detur gratia generalis de abstinentiis, sed qui volent super his gratiam obtinere, Misericordiam a Præsidente petant, eo die quo fieri debet abstinentia. Qui sicut expedire judicaverit, misericordiam illis faciet, vel denegabit.

3. Ovis, & lacticiniis diebus abstinentiæ, & in Adventu, & per totam Quinquagesimam vesci non licet, nisi propter infirmitatem, aut in itinere, ubi alius conveniens cibus non poterit inveniri.

4. Abstinentiam faciant in Vigiliis Nativitatis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, omnium solemnitatum Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, S. Brunonis Patris nostri, & omnium Sanctorum.

5. Cæteris Septimanis, in quibus nulla prædictarum Vigiliarum evenit, abstinentiam faciant feria sexta, nisi in ea occurrat Festum duodecim lectionum, sive Capitulum habeat, sive non. Tunc enim abstinentiam faciant feria quarta, vel secunda, vel Sabbato, vel tertia, sive quinta, prout a Præsidente ordinatum fuerit: Sic quod ad minus abstinentiam unam faciant semper in hebdomada.

6. In Adventu quoque, & Quinquagesima, & jejuniis quatuor Temporum, etiam feria quarta abstinentiam faciant.

7. In Vigiliis vero Apostolorum Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, Mathiæ, & S. Laurentii Martyris, & in jejuniis quatuor Temporum, & feria secunda, & tertia Rogationum, jejunantes semel refectionem sumant.

(a) *Hic nota consulenda est Bulla SS. D. N. Innocentii PP. IV. quæ est Sexagesima inter privilegia Ordinis, & videbitur quanta cautela tunc adhibeatur, ne superfluum quid in pecorum nutrimenta admitteret.*

8. In Adventu, & Quinquagesimæ, exceptis diebus Dominicis, semper jejunent, & a lacticiniis abstineant, & similiter omni feria sexta, nisi in ea Festum Capituli extra Adventum, & Quinquagesimam occurrerit, tunc enim bis comedant sed a lacticiniis abstineant.

9. Cæteris totius anni diebus, ne nimio labore frangantur, bis comedere possunt, sed semel tantum pitantiam accipiant, nisi Priori aliter visum fuerit. Quidquid autem de oblata eis pitantia superfuerit, illud absque licentia non reservent, sed reddant Coquinario.

10. Extra horas nihil alimentorum, nisi exigente necessitate, aut infirmitate, licet eis sumere, nec vinum bibere.

11. Fratribus, qui in grangiis, vel alibi operantur, vinum non mittitur, nisi sit eis ibi pernoctandum.

12. Purum vinum nec in ipsa refectione, nec extra eam unquam bibere debent, quoties autem scienter vinum purum biberint, toties quando bibere vinum poterunt licite, a vino abstineant.

13. In partibus ubi non assuescit vinum, Conversi sint contenti vino diebus festivis quibus in Refectorio comeditur, aliis vero diebus cervisia utantur.

14. Nullus interrogare debet quid pro refectione coquatur a Coquinario, nec aliquis recusare potest licite Coquinam, seu pitantiam, quæ generaliter omnibus est præparata, nisi infirmitate cogente. Quod si quis de Victualibus murmurare præsumpserit, ea re privetur omnino pro qua murmuraverit.

15. Antiqua consuetudo est ut duo genera panum, alterum quod pulchrius, & purius sit, Monachis faciamus, & alterum Conversis. Quod cum Priori placuerit ut fiat, ei contradicere nullus audeat.

16. In Refectorio nolens aliquis ea, quæ sibi apponuntur ex aliqua causa comedere, alteri porrigere fas non habet.

17. Oculos ubique, sed maxime in Ecclesia & Refectorio cohibeant, ne murmurandi, aut ridendi occasionem hauriant.

18. Ante refectionem, pro benedictione semel *Pater noster*, & *Ave Maria* dicant, & signum Crucis faciant; post refectionem vero pro gratiarum actione dicant ter *Pater noster*, & *Ave*, præmisso *Agimus tibi gratias &c.*

De Rasura, & minutionibus Fratrum.

Caput Decimumquintum.

1. Antiqua consuetudo est, ut toties radantur Conversi, & eorum grenones (sic appellamus barbam superiorem) auferantur, quoties Monachi raduntur. Inferior autem barba, quæ in pœnitentiam semper fuit eis relicta, ne in aliquem abusum convertatur unquam, volumus ut omnino negligatur. Quod si quis contrarium fecerit, tota barba privetur.

2. Generales minutiones, aut minutionum beneficia Conversis non concedantur, sed si quis eorum minutione, aut alio quovis medicamine indigeat, licentiam petat a Priore: qui paterno affectu ei providebit juxta possibilitatem Domus, & exigentiam infirmitatis.

3. Monentur tamen Infirmi, ne superflua aut impossibilia petendo, aut forte murmurando servientes sibi contristent, diligenter attendere, & ut memores arrepti propositi, & ut sanos Religiosos a sanis, ita ægrotos ab ægrotis Sæcularibus debere cogitent discrepare: nec illa in Eremis, quæ vix in Urbibus inveniuntur, exposcere. Omnino tamen caveatur, ne Infirmi a servientibus negligantur.

4. Verumtamen esus Carnium cui Ordo renunciavit, nulli Conversorum concedantur, etiamsi sit leprosus.

5. Procurator vero, & Coquinarius, seu dispensator, erga Infirmos diligentes sint, & benigni, & etiam circa hospites, & Mercenarios, quando eos contigerit ægrotare.

6. Si unus, vel plures Conversi infirmentur: si necesse fuerit, in una Camera poterunt collocari.

7. Cum autem Fratres extra terminos infirmantur, nec sunt nimis remoti, potest eos Procurator, vel Prior si necesse fuerit, visitare. Fratres vero Carthusiæ, Priores Ordinis, qui viciniores fuerint, de mandato R. P. Carthusiæ visitabunt.

De Vestitu Fratrum, & utensilibus Cellæ.

Caput Decimumsextum.

1. Ad vestitum habeant duas longas vestes, Tunicas parvas tres, Caputia tria, Caligarum paria tria, Pedulium quatuor, Pelliciam unam, Pelliciolum, aut Sagum duplicatum unum, Lumbaria duo, Cingula duo, Sotulares, seu Calceos diurnos, & nocturnos, seu subere compactos, quos a cœno, nive, & pluvia, quantum possunt, custodire debent. Fiant autem eorum Sotulares de pelle bovina.

2. In Domo Carthusiæ Kalendis Novembris unam Tunicam veterem, & par caligarum reddant: unamque novam, & par caligarum accipiant. In aliis autem Domibus, pro consuetudine Domorum.

3. Pellicias accipiant veteres, eas videlicet, quas reddunt Monachi, cum novas accipiunt: Similiter, & Pelliciolum, seu sagum ex pellibus suffultum. Novas autem Pellicias non quærant: sed vestimentis, & pannis, quæ debentur ex Ordine, sint contenti.

4. Quando extra terminos exeunt, Cappam castanei coloris aut grisseam ferant, & pileum consimilem. Volumus hanc uniformitatem servari in colore Cappæ, & Pilei per totum Ordinem, nec unquam in hoc dispensari, nisi ex multum rationabili causa, a Capitulo Generali, vel R. P. prius approbanda.

5. Ad Ecclesiam sine Caputiis, & oblonga veste, vel Pellicia ire eis non liceat. Mantellum tamen, seu aliud quodlibet indumentum supra vestem oblongam, aut Pelliceam fere non debent ibidem existentes.

6. Ad Lectum habeant paleam seu stramen: Filtrum si possit haberi, aut pro eo grossum pannum non duplicatum, pulvinar, & coopertorium, nec lineis linteaminibus, nec matallatiis utantur. In itinere tamen jacere possunt in lectis, sicut illos invenerint paratos, dummodo non nudi inter duo linteamina: Sed vestiti tunicella, & cincti, atque cum Caputio jaceant, sicut semper, & ubique jacere debent. Qui vero aliter in lecto de pluma jacere præsumpserit, privetur vino tot diebus quoties hoc fecerit.

7. A Pascha usque ad Festum S. Michaelis a Prima usque ad Completorium, nocturnis calceis non utantur: venientes autem ab inferiori Domo ad superiorem, in eam habeant lectos in Dormitorio communi, vel Cellulis destinatis, Pellicias, & Calceos nocturnos.

8. In omnibus denique, quæ ad vestium eorum pertinent, aliud nihil curetur, nisi ut frigus arceatur, & nuditas tegatur. Nam, & renum cingula de cruda gerant cannabe, aut corio albo, vel ex utroque, & lumbaria ipsa cannabina sint: adeo non quod vanitas, aut voluptas, sed quod sola necessitas, aut utilitas, postulat, cogitetur.

9. Reliqua autem utensilia sive ad mensam, sive ad alios usus ipsis necessaria, dentur unicuique, quantum necessitas, & ratio Judicio Prioris postu-

ris postulaverit: nihil autem omnino, nisi cum licentia apud se retineat.

De Novitiis, & eorum Professione.

Caput Decimumseptimum.

1. Cum quis ad nos venerit petens fieri noster Conversus, eadem pene ab eo interrogentur: quæ solent ab his requiri, qui volunt fieri Monachi.

2. Et si judicatum fuerit eum, qui vult fieri Conversus ad talem statum aptum, & Domui utilem futurum, nihilominus per annum, (*) aut per aliud longius tempus Prior pro suo arbitrio, & prudentia, illum in habitu Seculari retinebit in Domo, & interim exercebit eum in vilioribus, & durioribus laboribus quibusve, & obedientiis, & faciet eum interesse Divino officio: atque illud persolvere sicut Conversi, ut assuescat.

(*) *Ordinatio anni* 1634. Stricte servetur Statutum tertiæ partis cap. 17. de Novitiis Conversorum, itaut in habitu sæculari ad minus per annum integrũ sine ulla temporis dispensatione probetur.

3. Qui si repertus fuerit humilis, obediens, castus, fidelis, devotus, & in operibus strenuus: tum demum proponi poterit, & debebit Conventui Monachorum. Et si totus Conventus, vel major pars Monachorum eum recipiendum judicaverit, die per Priorem statuendo recipietur in osculo pacis in Capitulo, præsentibus Priore, Procuratore, & Fratribus omnibus: receptusque rasus, & indutus, Caputium de manu Prioris accipiet.

4. Novitii Conversi pecunias, & alias res suas, quas secum forte attulerint, Priori ex integro reddant; ut non ipsi, sed Prior, vel ipse, cui Prior hoc injunxerit eas custodiat: nec eas ante Professionis tempus ullus alienet, aut alienari, volente etiam Novitio, permittat; sed eorum omnia ad instar Depositorum fideliter custodiantur: & si contingat eos exigere ante professionem, omnia illis ex integro restituantur.

5. Nullus vero professus Monachus, vel Conversus de rebus Novitii, seu ejus, qui optat recipi in Conversum aliquid postulet, aut exigat, tales enim exactiones sub pœna excommunicationis prohibentur.

6. Novitii Conversi a Priore moneantur ad faciendam Confessionem Generalem, quam ante professionem debent facere ipsi Priori, qui auctoritate Apostolica potest eos absolvere ab omnibus sententiis excommunicationis, & a votis factis in sæculo, si tamen perseveraverint in Ordine.

7. Si Novitius Conversus intra examinationis tempus laudabiliter agens mortuus fuerit, pro eo nihilominus fiat, quam si esset professus.

8. Novitii ante finitum annum post Habitum receptum, profiteri omnino non possunt.

9. Cum dies institerit, in qua ad professionem recipiendus aliquis Novitius fuerit, in Capitulo Monachorum toto corpore prostratus misericordiam postulabit, & supplicabit propter amorem Dei se recipi ad professionem sub habitu Conversorum, pro humillimo omnium Servo. Qui si consilio, & consensu Monachorum, vel majoris partis recipiendus judicabitur; tunc de stabilitate, obedientia, conversione morum, cæterisque ad statum conversorum necessariis, a Priore coram Conventu serio monebitur.

10. Quod si ad hæc immobilis, & imperterritus manserit, & ad omnia paratum se exhibuerit, de rebus suis disponere jubeatur. Quod ut libere faciat, nullus debet ab eo aliquid de rebus suis postulare, etiam intuitu eleemosynæ, propinquis, aut aliis dandæ.

11. Non debet etiam Novitius in die suæ professionis aliquid dare pro pitantia, aut confectionibus Conventui dandis, nec ad professionem suam Parentes suos, aut amicos convocare: nequo die debet mundanis rebus abrenuntiare, & Deo soli cui se totum devovet vacare, ad carnem, & mundum distrahatur.

12. Postremo si perseveraverit pulsans, commoneatur, quod ad Missam sit professionem facturus, & communicaturus. Tunc si scribere nesciat, roget aliquem ore proprio, ut suam professionem vulgari lingua sibi scribat, in cujus fine ipsemet manu propria signum Crucis depingat, quam etiam manu gestans post Evangelium & Offertorium ad Cornu Epistolæ appropinquet, eamque sicut est in ejus dextera manu Diaconus cunctis audientibus legat, si ipse, qui professionem est facturus legere non novit: sub hac forma.

13. Ego Frater N. promitto obedientiam, & conversionem morum meorum, & perseverantiam, omnibus diebus vitæ meæ in hac Eremo, coram Deo, & Sanctis ejus, & reliquiis istius Eremi, quæ constructa est ad honorem Dei, & Beatissimæ semper Virginis Mariæ, & S. Joannis Baptistæ, pro timore Domini Nostri Jesu-Christi, & remedio Animæ meæ: in præsentia Domini N. Prioris. Quod si aliquo tempore unquam hinc aufugere, vel abire tentavero, liceat Servis Dei, qui hic fuerint me plena sui juris auctoritate requirere; & coacte, ac violenter in suum servitium revocare.

14. Post hæc hanc ipsam Chartulam offerat super Altare, & osculato Altari prosternatur ad pedes Sacerdotis, tali observatione benedicendus: *Salvum fac, Mitte ei, Dominus vobiscum, Oremus, Domine Jesu Christe, qui es via &c.*

15. Ab hoc tempore noverit se nihil omnino, ne baculum quidem quo per viam gradiens innitur, sine Prioris habere licentia; quippe cum nec ipsemet suus sit.

De Fratribus qui foras mittuntur.

Caput Decimumoctavum.

1. Conversi non mittantur extra terminos sine Cappa, & Pileo, nunquam tamen permittatur deferre Cappam, aut Pallium, vel Pileum nigri coloris: sed grisei, vel castanei juxta morem Domorum. Qui vero præsumpserit ferre Cappam nigram, aut Pileum, arbitrio Prioris vino privetur.

2. De famulo autem, vel comitiva honesta eis danda, quando exeunt, committitur prudentiæ, & judicio Prioris.

3. Qui exeunt terminos, debent providere ne panis, vinum, fructus, vel aliquid aliud, quod deteriorari possit, in Cella sua remaneat; clavem quoque suæ Cellæ tradere debent Procuratori, vel ei cui Procurator jusserit, quod si non fecerint, careant vino, & pitantia uno die, vel pluribus ad arbitrium Præsidentis.

4. Cum exeunt foras, vel redeunt, ad Ecclesiam divertant, si ea die non fuerint ad ipsam.

5. Sæculares rumores ubi audiunt, ibi dimittant, nec ullius nostrum verba, vel salutes ad aliquem extraneum, nulliusque extranei ad aliquem nostrum, nisi Priore, vel Procuratore jubente, aut licentiam dante, ferant, vel referant.

6. Quando ad vicina loca mittuntur, nec escam a quoquam, nec hospitium recipiant, nisi aut specialiter jussi, aut aliqua inevitabili, & inopinata necessitate coacti.

7. Quicumque autem, & quandocumque ire jubentur, sive pedestres, sive equestres, nullatenus contradicant. Infra terminos autem Domorum, nisi sint cum Priore, non equitent, nisi adeo debiles extiterint, quod non valeant peditare: sed nec extra terminos equitare debent, nisi de licentia Prioris. Quando tamen foras ducunt equos pro aliquibus oneribus deferendis possunt equitare in eis quamdiu sunt absque onere.

8. Conversos in itinere ad mensam suam possunt Priores admittere, si eis videbitur; sed

in Domibus noſtri Ordinis nunquam debent Converſi cum Prioribus comedere.

9. Converſi extra terminos exeuntes jejunia Eccleſiæ non ſolvant, & ſi commode poſſint, quotidie Miſſas audiant; omnibus autem Eccleſiæ feſtis omnino Miſſam audire, ſi poſſint, tenentur.

10. Quando extra miſſi redeunt, aut cum ſuper hebdomadam ad Superiorem Domum aſcendunt pro operibus, facta primum Oratione in Eccleſia venient ſtatim ad Priorem: vel quam citius habuerint opportunum.

11. Quilibet cum foras mittitur, quam citius commode poteſt reverti tenetur, & reverſus quæ data ſunt ei, non debet ea retinere ſine licentia Prioris, aut Procuratoris abſente Priore.

12. Cuſtos Pontis Carthuſiæ, cum nullo prorſus, niſi ſpecialiter juſſus, aut cum licentia, fabulari licite poteſt, quos autem admittendos, vel repellendos duxerit, id faciat quam pauciſſimis fieri poteſt verbis; id ipſum ſervare jubetur, quicumque vices ejus exequitur.

De conſuetudinibus Generalibus Fratrum.

Caput Decimumnonum.

1. Converſi, & Donati memores ſuæ conditionis, qua recepti ſunt in ſervitium Monachorum Monachis omnibus tam geſtu, quam verbo debitam reverentiam exhibeant. Propterea obviantes eis aliquantulum inclinent, & caput diſcoperiant, & quando loquuntur cum eis, caput non tegant, nec aſſideant, niſi juſſi: multo magis autem erga Priores, & cæteros Officiales ſe ſe reverenter, & fideliter gerere debent.

2. Nullus Converſus, vel Donatus excepto Coquinario, & adjutore ejus, in Coquina comedat, niſi forte de licentia Prioris, & raro. Nullus etiam præter prædictos ibi bibat, niſi Priore, aut Procuratore præſente, nec intret Coquinam niſi vocatus ab eis.

3. Quando Prior, aut Procurator comedit ſolus, vel cum hoſpitibus, nullus ſe ingerat intraturus ad eos, niſi qui fuerit ad ſerviendum deputatus, vel nominatim vocatus.

4. Ad Prioris Cellam, vel Procuratoris non veniunt poſt Completorium, niſi ex neceſſitate, vel vocati ex nomine. Poſtquam pulſatum eſt Completorium nullus remanere debet cum hoſpitibus, niſi præſente Priore: exceptis iis, quibus, ut ipſis hoſpitibus ſerviant, eſt injunctum. Cum etiam eſt aliquis in alterius Cella, vel alibi, audito Completorio ſtatim recedere debet, niſi majorem moram faciendi ſpeciale habeat mandatum.

5. Quocumque die, vel tempore Conventus ſit in clauſtro, & diebus feſtis poſt Nonam uſque ad Veſperas, Converſi non debent intrare Clauſtrum, vel per illud tranſire, vel ad oſtium clamando, vel pulſando, nimium ſtrepitum facere. Quando etiam Conventus vadit, vel redit ab Eccleſia, cavere debent, ne in Clauſtro appareant.

6. Sine calceis nunquam vadant ad Eccleſiam, vel Conventum intrent: nec unquam in Conventu Pileos, vel Biretos portent, niſi deſuper caputia habeant.

7. Cellæ, & Officinæ Converſorum a Priore, vel Procuratore ſemel in menſe, vel quoties eis placuerit, viſitentur, quibus ipſi Converſi quidquid habent exponere teneantur: & ſi quis ex eis cibaria, aut alia illicita tenere ſit aſſuetus, & monitus noluerit ſe emendare, incarceretur.

8. Rationem de omnibus, quæ recipiunt, & expendunt, reddant Fratres obedientiales Procuratori, quoties ei placuerit: nec alteram pecuniam accipiant, donec de accepta plenarie rationem reddiderint. In qua reddenda, ſi de mendacio convicti fuerint, tamquam de proprio poſſint judicari.

9. Non accipiant ab aliquo, nec dent alicui pecuniam mutuo, alioqui teneant Cellam pro carcere arbitrio Prioris, donec pecuniam ei a quo receperint, reddant, vel ab eo recipiant, cui tradiderant: niſi pro manifeſta neceſſitate, vel utilitate Priori, vel Procuratori ſe id egiſſe monſtraverint. Eidem pœnæ ſubjaceat quicumque claves clandeſtinas habuerit.

10. Depoſita aliena nunquam, etiam Procuratore præcipiente, cuſtodiant, quæ ſi foras receperint, reverſi mox illa Procuratori reddant. Quod ſi quis depoſitum aliquod penes ſe habere ſine licentia Prioris deprehenſus fuerit, tanquam de proprio judicetur.

11. Si quis aliquid de rebus ſibi injunctæ obedientiæ interrogatus occultaverit, convictus, ut de furto judicetur, cui pœnæ ſubjaceat & ille, qui de rebus ad obedientiam quam dimiſit pertinentibus aliquid fuerit retinuiſſe compertus.

12. Converſi ſine licentia nihil accipiant, donent, accommodent, permutent, vel quomodocumque alienent, & pro alienis nunquam ſpondeant. Donationes etiam ſimulatæ ſub ſpecie mutuationis, ab his, vel inter eos nullatenus fiant.

13. Literas nec mittant, nec recipiant, niſi prius a Priore, vel Procuratore viſas, ſi præſentes ſunt, exceptis literis, quas ad R. Patrem, vel Viſitatores ſcribunt, aut ab eiſdem recipiunt.

14. Si veſtis, vel aliud ejuſmodi mittatur alicui Fratrum, ex antiqua conſuetudine non ei, ſed alteri potius dari debet, ne quaſi proprium habere videatur. In arbitrio tamen Prioris relinquitur, utrum ei, cui miſſum eſt, an alteri detur: ſed de Procuratoris licentia nemo illud accipere poteſt.

15. Si infra terminos noſtros aliquid inventum fuerit, ei protinus, cujus eſt, ſi adeſt; ſin autem, Procuratori reddatur. Si autem extra terminos aliquid inventum ſit a noſtris Fratribus, aut ſuo Domino ſi fieri poteſt ſtatim reddatur, aut ei per quem melius, & fidelius reddi poſſe putatur, commendetur: alias intactum dimittatur.

16. Nullus Converſus equum, Cellam, Cappam, vel proprium famulum habeat, nec quodlibet aliud, quod Priori, vel Procuratori illud mittere, vel accommodare volenti, audeat negare.

17. Nullus etiam pecunias aliquas per ſe, vel per medium cujuſcumque interpoſitæ perſonæ in ſua habeat poteſtate, vel voluntate, alioqui rigide puniatur. Si vero alicui aliquid datum vel oblatum fuerit, in eo nullum jus aut proprietatem prætendere debet, aut poteſt, licet ex permiſſu Præſidentis ad ſimplicem uſum ad nutum ejus revocabilem, illud poſſit apud ſe cuſtodire, & eo uti, exceptis pecuniis. Quod ſi contentioſe illud tanquam ſuum retinere voluerit, ab eo auferatur, & ad communem uſum deputetur.

18. Debent etiam Profeſſi omnes tam Monachi, quam Converſi, imo tenentur ex neceſſitate voti ſuæ profeſſionis, habere animum paratum reſignandi in manus Præſidentis ſponte, & libere ea omnia, quæ ſibi ad uſum conceſſa ſunt, quoties ſuperior hoc voluerit, aut fieri mandaverit. Nec ſi hoc fecerit debent murmurare, vel conqueri, alioquin nondum ſe, & ſuos reliquerunt: & propterea pauperem Chriſtum ſequi, & ejus diſcipuli fieri non poſſunt, nec ejus paupertate ditari.

19. De obedientiis, & omnibus, quæ habent, facere debent ſecundum Prioris, & Procuratoris diſpoſitionem. Quod ſi quis alicui obedientiæ, vel operi deputatus, Priori, vel Procuratori de his diſponenti; vel mercenariis, qui in eis fue-

rint,

rint, injungenti aliquid, non acquieverit: eadem die, vel craſtina a vino abſtineat.

20. Si Procurator Converſum aliquem, vel Donatum reprehendat ſtatim proſtratus veniam accipiat, & ſi culpa exigit vino, vel pitantia eum privare poteſt: Inobedientes vero, aut perverſe obedientes graviori pœna dignos, Priori, aut in ejus abſentia Vicario denunciet, (a) qui eos puniat juxta gravitatem culpæ: publicam enim pœnitentiam in Conventu, non poteſt Procurator Converſis imponere.

21. Curas, & carnales affectiones, ac viſitationes propinquorum, & amicorum ſuorum ſæcularium Fratribus noſtris omnino interdicimus, & ne ipſos in mercenarios conducant ſine licentia Prioris, aut Procuratoris.

22. Qui obedientias certas non habent, poſt Primam veniant ad Procuratorem, ut quod voluerit eis injungat: quibus ſi nihil injungitur ipſi Cellas teneant, & Eccleſiam ſequantur: aut alicui honeſto, & utili labori pro viribus incumbant.

23. Quicumque in quacumque obedientia alicujus vices agit, nihil omnino in ea ſine licentia mutare permittitur. In cellis quoque ipſis, nihil niſi prius juſſum, & oſtenſum mutari, fierique ſinitur: ne domus laborioſe factæ curioſitate deteriorentur, vel deſtruantur.

24. In alterius Cellam, ſeu in domum Fabri, Sutoris, Textoris, aut Furnum, vel aliam quamvis Officinam, nullus ingrediatur, vel loquatur ſine licentia.

25. Quandocumque duo, plureſve, ſimul fuerint, oſtium nullatenus claudatur omnino, aut ſic obſeretur, ut ab ingredi volentibus non poſſit aperiri.

26. Quandocumque pulſatur ſignum, quo ad Eccleſiam convenire debent Fratres, ad eam ubicumque ſint, debent prætermiſſis omnibus properare. Quamdiu autem ſit oratio ante horam, non debent intrare, nec ante Oſtium Eccleſiæ loqui: nec extraneos, ut ibi loquantur ſuſtinere. Intrantes vero caput nudent, & profunde inclinent.

27. In Clauſtro, & ante Oſtium Culinæ, ſeu Diſpenſæ, ſine neceſſitate non loquantur, nec infra Clauſtrum mercenarios ſine licentia introducant.

28. Converſi ipſi ad Cellas ſuas ſuam pitantiam, & ligna ſibi neceſſaria portent, & eadem ſibi ipſis findant: ſi autem ſint aliqui ſenes, & debiles, juniores, & fortiores debent eis, licentia impetrata, ligna neceſſaria providere, & findere.

29. Omnes etiam obedientiarii, alias obedientias, cum opus eſt, & eis injungitur debent juvare. Sed & omnia obſequia quantumlibet privata, quæ ſibi ipſis non poſſunt ſinguli facere, ab aliis humiliter, & devote compleantur, ita ut felicem putet ſe, & cui tale aliquid injunctum fuerit.

30. Obviantes etiam ſibi invicem amica alacritate, & humili inclinatione capitis, mutuo locum dantes, ſervato pertranſeant ſilentio, in quo juniores, qui poſterius in Ordinem venerunt, ſatagant prævenire majores.

31. Diſciplinas, Vigilias, abſtinentias, præter eas, quæ in Ordine ſunt inſtitutæ, ſeu quælibet alia Religionis exercitia, quæ noſtræ inſtitutionis non ſunt, nulli Converſorum, niſi ſciente, & faciente Priore facere licet. Sed & ſi cui noſtrum Prior injungere voluerit, ut ſibi plus indulgeat in cibo, vel ſomno, vel qualibet alia re, quam Statutum decernat, aut e contra, ſi durum, & grave aliquid præter Statutum ei imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne cum ei reſtiterimus, non ei, ſed Domino, cujus erga nos vices gerit reſtitiſſe inveniamur. Licet enim multa ſint, & diverſa, quæ obſervamus: uno tamen, & ſolo obedientiæ bono cuncta nobis fructuoſa futura ſperamus.

32. Pro his, qui de Ordine noſtro non ſunt, nullus quaſlibet res cambiat, aut vendat; emere vero ſi neceſſitas exegerit, poſſunt: non tamen hoc faciant paſſim, nec pro quolibet, nec ſine Prioris ſui licentia.

33. Qui ſine licentia Capituli Generalis, vel R. Patris Curiam Romanam adierit, incarceretur, & pro modo culpæ puniatur.

34. Quicumque vero Statutis Capituli, vel ordinationibus Viſitatorum Rebellis, aut cum murmuratione reprehenſor extiterit, & qui Priori, vel Procuratori aliquid jubenti inobediens fuerit, aut perverſe obediens, & commonitus emendare ſe noluerit, Ordinem teneat intra Cellam, & ſi poſt admonitionem tertiam, per intervalla dierum factam obſtinatus permanſerit, incarceratus pro modo culpæ puniatur.

35. Qui fratrem ſuum, vel Donatum mentiri dixerit, teneat Cellam pro carcere, ſi id Prior juſſerit, donec ad arbitrium Prioris ſatisfecerit. Si male imprecatus ei fuerit, aut aliam contumeliam fecerit, juxta modum culpæ, modum teneat diſciplinæ.

36. Si quis ſecreta Ordinis, ſeu ſtatus, & defectus perſonarum ejuſdem, ex quibus mala opinio, vel ſiniſtra ſuſpicio, ſeu diffamatio apud audientes oriri poſſet, alicui perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Sæculari, aut etiam alicui Novitio ſcienter, & malitioſe, verbo, ſcripto, nuntiis, ſignis, aut alio quovis modo revelare præſumat, a tanto reatu abſolvi non poſſit, niſi per proprium Priorem cum injunctione ſalutaris pœnitentiæ: & nihilominus ſi de ejuſmodi revelatione convictus fuerit, incarceretur ad tempus juxta arbitrium Prioris. Eidem pœnæ ſubjaceat, qui Domum ſuam diffamaſſe, aut correctiones Monachorum ſcienter, & malitioſe extraneis revelaſſe fuerit deprehenſus.

37. Nullus in ſe aſſumat executionem Teſtamentorum etiam ad pias cauſas, nec ſolicitudinem, ac proſecutionem aliquarum cauſarum, aut negotiorum.

38. Si legitime conſtiterit, quod Converſi, aut Donati duo, vel plures conſpiraverint, hoc eſt ex invidia, odio, vel malitia ad invicem concordaverint ad fabricandum aliquod malum contra Priorem, vel Procuratorem, vel alium quemlibet, ſeu ad perſequendum eum malitioſe in eadem Domo incarcerentur, nec educantur ſine licentia R. P. Carthuſiæ.

39. Qui autem inter ſe pacem, & concordiam violare præſumpſerint per contentiones, & rixas, ac ſæpius admoniti ceſſare noluerint, incarcerentur, & ſi opus eſt per Domos Ordinis judicio Viſitatorum ſub debita diſciplina dividantur. Quod ſi unus ſolus nimis ſeditioſus fuerit, judicio Prioris, aut Viſitatorum in eadem Domo puniatur.

40. Si quis Fratrum impie unquam jurando ad dicenda de Deo, ſeu de Sacramentis, aut Sanctis ejus contumelioſa verba proruperit, impietate verborum diligenter penſata, tamquam execrabilis, & blaſphemus, prout res exegerit pœnæ ſubjaceat graviori: Super quo Prior, & Procurator ſtudioſe invigilent. Qui vero, quæ dicit, jurando ſimpliciter per Deum, per fidem ſuam, per Chriſtum, ſic Deus me adjuvet, aut alio ſimili modo audiente uno, vel pluribus affirmaverit, graviter puniatur, & ſi aſſuetus fuerit, pœnæ ſubjaceat graviori. Idem cenſemus de eo, qui verba, vel ſententias Sacræ Scripturæ convertent ad vana, & ſcurrilia verba.

41. Licentiam a Priore denegatam non poterit poſtea dare Vicarius, aut Procurator, & ideo Petitor etiam non interrogatus dicat, quod

(a) *Vide notata* cap. 5. 2. partis *num.* 3.

sibi a Priore fuerit denegata, ne ut fraudis Reus si eam ab ignorante impetraverit, argui debeat, & puniri. Similiter si quis licentiam a Vicario, vel Procuratore denegatam, a Priore postea petere voluerit, a prædictis fuisse denegatam manifestet eisdem.

42. Ad tempus urgente magna necessitate, & non aliter, recipere Oves, & Pecora intra terminos, aut in nostris grangiis est permissum.

43. Qui ex Conversis, vel Donatis potuerint, & noluerint laborare, vino, & pitantia careant ad Prioris, vel Procuratoris voluntatem, & si obstinati fuerint, jussu Prioris incarcerentur.

44. Qui creditores Domus ad recuperanda debita solicitaverint, seu aliter damnum Domus procuraverint, Cellam pro Carcere teneant ad Prioris voluntatem.

45. Si aliqui Conversi palam, vel occulte aliquo modo impedire tentaverit locationes, emphyteuses, vel alias licitas alienationes contra Prioris, & Conventus consilium, & voluntatem, incarcerentur.

46. Conversi inutiles reputantur, qui impedimentis perpetuis præpediti, non possunt secundum Ordinis consuetudinem laborare.

47. Familiaritatem, & colloquia cum Mulieribus, maxime cum personis, & in locis, ac horis suspectis, districte prohibemus Conversis; nec volumus eos cum Mulieribus loqui, sive infra, sive extra terminos, nisi justa, & inevitabili, ac manifesta causa exigente. Mulieribus etiam si commode fieri potest non dentur eleemosynæ, nisi longe a Domibus nostris.

48. Mulieres terminos nostros nequaquam intrare sinimus, in quantum possumus. Qui vero Mulieres quascumque introduxerit, aut cum posset prohibere, permiserit eas intrare infra Domorum nostrarum Clausuras, vel Clausurarum limitationes fossatis, vel signis quibuscumque designatas, per Bullas Julii II., Pii V., & Gregorii XIII. Summorum Pontificum: ipso facto sententiam excommunicationis Sedis Apostolicæ reservatæ incurrit.

49. Cum Mulieres ponuntur in operibus, Conversi eas non custodiant quantum vitari potest: nec eis propriis manibus mercedem reddant, sed aliquis de Mercenariis.

50. In Domibus Monialium Conversi numquam hospitentur.

51. Si quis Conversus, aut Donatus mulieres aliquas incontinentiæ causa infra septa Monasteriorum, aut in aliis Domibus, grangiis, seu Cellariis nostri Ordinis introduxerit, aut introduci fecerit, vel jam introductas receptaverit, aut in hoc eis præstiterit auxilium, consilium, vel favorem, sive actus secutus fuerit, sive non, non possit a tanto reatu absolvi, nisi per proprium Priorem cum injunctione salutaris pœnitentiæ. Quod si de hoc convictus fuerit, vel coram testibus confessus, Conversus incarceretur ad Ordinis voluntatem: Donatus vero ab Ordine perpetuo sit alienus, & expulsus.

52. Mulierum quarumcumque amplexus, & oscula Conversis omnino prohibemus: sub pœna disciplinæ generalis ad Ordinis voluntatem: Donati vero si hæc feciisse fuerint deprehensi teneant Ordinem in Victualibus per unam hebdomadam.

53. Si quid donatum fuerit Conversis in aliena Domo commorantibus, exeuntes inde nullatenus debent asportare illud sine licentia Priorum Domorum earundem.

54. Nullus Conversus in itinere constitutus Mantellum Sæcularem, seu Cappam a caputio separatam portare præsumat, nec habitum Ordinis dimittere, aut occulte ferre, nisi periculum imminens aliud postulaverit.

55 Fœneratorum, Usurariorum, Excommunicatorum, & Raptorum, qui tales esse noscuntur, familiaritatem, & munera interdicimus Conversis.

56. Libros Hæreticorum nullus Conversus, vel Donatus, aut alius quilibet nostri Ordinis apud se retineat, vel ullo modo legat sub pœna carceris. Qui enim tales libros retinet, vel legit ipso facto, sententiam excommunicationis incurrit ex Sac. Concilio Tridentino.

57. Nulla persona Ordinis infantem de Sacro Fonte levare præsumat, aut eum nisi in casu inevitabilis necessitatis baptizare. Conversus, qui contrafecerit, disciplinam generalem substineat, Donatus ab Ordine expellatur.

58. Nullus scienter per se, vel per alium præsumat literas accipere, portare, vel mittere, vel nuntiationes verbo tenus facere, quæ directe, vel indirecte esse possent contra bonum pacis, & Principes, vel quoscumque alios Magnates, aut Prælatos ad indignationem provocare. Conversus, qui hoc fecerit, pœnam criminosorum sustineat, Donatus expellatur.

59. Artem Alchimiæ, vel quintæ essentiæ nulla persona Ordinis per se, vel per alium in Domibus, aut alibi exercere præsumat, aut exercentibus, consilium, aut auxilium præstare, aut ubi illam exercent, interesse, seu instrumenta artis penes se habere, & Conversus, qui hoc fecerit, disciplinæ generali subjaceat, Donatus expellatur.

60. Si quis Conversus ad Reges, Principes, & alias potestates, & Jurisdictiones utriusque status quacumque occasione recurrerit, tanquam Ordinis desertor pœna Criminosorum puniatur.

61. Generale Capitulum, cui omnes obedire tenemur, firmiter injungit universis, & singulis, ut cum noverint inordinatos excessus, vicissim se se fortiter, & charitative, discrete tamen, & in lenitate Spiritus, reprehendant: & hoc maxime antiquiores faciant, licet omnes teneantur ad correctionem fraternam, quod si emendatio non sequatur, denuncient primum Priori, deinde Visitatoribus, & si ipsi non proviserint, tum demum R. Patri Carthusiæ, vel Capitulo Generali. Quod si quacumque de causa prædictæ reprehensiones, vel denunciationes omissæ fuerint: tam omittentes, quam excedentes sciant de suo contemptu, & negligentia rationem districto Judici se reddituros.

62. Verumtamen nullus Conversus, aut Donatus præsumat in præsentia Monachorum, vel Laicorum, aut Sæcularium quorumcumque, Priorem suum, vel Procuratorem reprehendere, aut eisdem proterve respondere, & resistere, sub pœna privationis vini, & pitantiæ ad arbitrium Prioris. Sed si quid in Priore, vel Procuratore emendatione dignum Conversus aliquis cognoverit, solus ad partem cum filiali reverentia eum monebit, & rogabit: aut per aliquem sibi familiarem moneri faciet. Quod si quis Conversus suo Priori, aut Procuratori apud quoscumque detraxerit: taliter puniatur, ut cæteri talia facere pertimescant.

De Criminosis.

Caput Vigesimum.

1. Confessi coram Testibus, vel convicti de incontinentia, de manu violenta, de furto, de rebellione, inobedientia, infamatione criminis quod quis objicit alteri, nec potest probare, de Magisterio conspirationis, necnon de seminatione discordiæ, & qui minantur ignem, vel mortem, & qui de inferendo gravi scandalo sunt suspecti, & qui Domum, aut personam Ordinis coram quocumque Judice Ecclesiastico, non tamen Sancta Sede, vel Sæculari in jus traxerint,

vel

vel trahi fecerint, incarcerentur, & pro modo delicti puniantur.

2. Propter levem tamen percussionem in Laicum, nullus incarceretur, sed juxta modum culpæ a Priore disciplinetur.

3. Fures etiam, qui in re aliqua ultra duodecim solidos non valente furtum commiserint simul, vel per partes, non incarcerentur, sed Prioris arbitrio puniantur. Qui vero in re aliqua ultra viginti asses valente simul, vel per partes, furtum commiserint, incarcerentur ad tempus ad arbitrium Prioris, hoc ipsum per omnia de proprietariis fiat. Cæteri vero fures, & proprietarii, qui ultra valorem viginti quinque solidorum, furtum, aut proprietatem commiserint, perpetuo Carceri mancipentur, donec per Capitulum Generale, aut R. P. educantur.

4. Similiter, & falsarii, convicti de incontinentia qualicumque, Incendiarii, & Homicidæ.

5. Defuncti in furto, vel proprietate, postquam crimen eorum detectum fuerit, in Cœmeterio non sepeliantur, & etiam sepulti, si sine scandalo, & periculo fœtoris fieri possit extrahantur: ut a cæteris crimen furti, & proprietatis cautius evitetur.

6. Si Conversos de incontinentia convictos, aut confessos, de Carcere educi aliquando contigerit, nullo modo in Domibus, ubi fuerunt victi, remaneant: Sed si commode fieri possit, alibi collocentur. Quicumque autem de quacumque indicibili incontinentia victi fuerint, vel coram testibus confessi, perpetuo Carceri mancipentur, sine ulla spe liberationis.

7. Quicumque falsificaverit Sigillum, vel literas Capituli, aut R. Patris, pœna falsarii, & Criminosorum puniatur, & sit perpetuo inhabilis ad quascumque obedientias Ordinis sine ulla spe alicujus restitutionis.

8. Si crimen pro quo Carceris pœna irroganda est probatione indiget, nec per nostros probari queat: Sæculares idonei recipi poterunt in testimonium.

9. Quicumque criminosi Conversi per solum Capitulum Generale, vel per R. Patr. de carcere possunt educi. Postquam vero fuerint educti, erunt eorum omnium quos invenerint semper ultimi: sine spe restitutionis in pristinum gradum, & nulla dispensatione poterunt eis obedientiæ commendari. Præterea educti de carcere, per quadraginta dies Ferialibus diebus post (*Exultabunt*), Festivis autem in Capitulo Conversorum, nisi quando communicaverint, recipiant disciplinam, & quadraginta diebus Capituli, ad terram comedant super asserem nudum in Refectorio mane, & vesperi, computatis diebus quibus communicaverint in Conventu in quibus ad terram non comedant, & per annum integrum, teneant generalem Ordinis disciplinam: quæ talis est. Singulis Capitulis recipiant disciplinas, exceptis diebus, quibus communicaverint, vel debent communicare: nec habebunt vocem contra aliquem, nec obedientiam, hoc est non poterunt esse Coquinarii, Portarii, Mulatarii, Magistri Bovum, vel Grangiæ, nisi propter urgentem necessitatem R. Pater cum eis dispenset.

10. Ordinem vero tenere in victualibus est, feriis secunda, & quarta, pane, & coquina esse contentum; Feria tertia, & Sabbato, pane, vino, & coquina; Feria autem quinta, & diebus Capituli, & festis duodecim lectionum more Conventus: abstinentia Ordinis nisi manifesta necessitas interdicat, etiam observata.

11. Criminosi omnes a primo die incarcerationis eorum, & deinceps per sex menses, habeant dimidiam portionem panis conventualis, & utantur vino familiæ, aut Cervisia. De pane vero familiæ detur eis quantum necesse fuerit. Porro in festis Capituli, & quoties Conventus in Refectorio comedit, victualia eis ministrentur, sicut & Conventui. Ferialibus autem diebus aliquid judicio Prioris eis ex gratia ministrari poterit. Verumtamen, si quis in carcere positus nolit crimen suum confiteri, & emendare, pane, & aqua dumtaxat sustentetur donec resipiscat.

De Fugitivis.

Caput Vigesimumprimum.

1. Fugitivi ad aliquam Domum Ordinis venientes sponte, si non fuerint criminosi, id est si nec commisso crimine fugerint, nec in fuga crimen commiserint, etiamsi infra quinque dies redierint, primum reconciliandi erunt Ordini propter fugam, & postea clamabunt suam culpam præsente Conventu: misericordiam postulantes, & emendationem promittentes. Deinde quindecim diebus recipiant disciplinas in Capitulo Conversorum, & quindecim diebus comedent ad terram in Refectorio super asserem nudum.

2. Si vero ultra quinque dies redire distulerint, de cætero quandocumque redierint, non recipientur, nisi ad carcerem, ubi per quadraginta dies sustineant in victualibus disciplinam criminosorum: de quo tamen carcere si criminosi non fuerint, Priores illorum cum consilio sui Conventus poterunt illos educere, quando videbitur expedire, educti vero de carcere recipiant viginti disciplinas in Capitulo, & viginti diebus comedant ad terram in Refectorio, & per annum sustineant prædictam generalem Ordinis disciplinam.

3. Fugitivi vero criminosi quandocumque redierint, numquam nisi ad carceres recipiantur: a quibus non possunt educi, nisi per Capitulum Generale, aut R. Patrem. Educti vero pœnam criminosorum (sicuti dictum est) sustineant.

4. Fugitivi dum e carcere educuntur, etiamsi criminosi non sint, nullo modo possunt in eisdem Domibus obedientias habere sine expressa licentia R. Patris, vel Capituli Generalis.

5. Apostatæ ante omnia ad reassumendum habitum Ordinis compellantur, & deinde pariter reconcilientur, & ab Apostasia, necnon ab excommunicationis sententia, quam ex habitus dimissione incurrerunt, adhibitis testibus absolvantur, & ut supra incarcerentur. Verumtamen Apostatæ criminosi post tertiam apostasiam per regulam Sancti Benedicti declarantur non amplius recipiendi. (*a*)

6. Conversis pro disciplina ad aliam Domum missis non ministrentur equitaturæ, nisi nimia infirmitate cogente, nec ubi sustentabuntur, beneficia spiritualia Hospitibus dari solita eis conferantur.

7. Prædictas tam fugitivorum, quam criminosorum pœnas, R. Pat. potest quandoque, si ei videbitur, moderari: alius vero Prior, etiam proprius eorumdem, sine ipsius Patris R. licentia, præterquam in mortis articulo, vel maxima necessitate, facere hoc non potest; disciplinas tamen, & comestiones ad terram, & rigorem in victualibus, ex aliqua causa rationabili poterit Prior moderari.

De Donatis.

Caput Vigesimumsecundum.

1. Statuimus de cætero, ut nullus omnino recipiatur in statum redditorum Clericorum, vel laicorum, aut Præbendariorum. Sed omnes personæ Ordinis sint Monachi, Conversi, Donati, aut Moniales.

2. Cum ex incauta, & indiscreta receptione Donatorum, magna, multaque mala, damna, & scandala imminere noscantur, statuimus quod nullus ullo modo, ullove tempore recipiatur in

(a) *Vide notata in secunda parte* Cap. de Fugitivis.

Donatum, absque Visitatorum licentia, atque Conventus, vel majoris partis Conventus, & nisi prius bene probetur, ac cum conditionibus, quæ hic subjungentur.

3. Mulieres autem, nec in Domibus nostris, nec extra eas ullo modo recipiantur Donatæ: nec pariter uxorati admittantur in Donatos.

4. Qui autem recipientur, primo de manu Prioris in Capitulo Conversorum Caputium accipiant, & antequam ulla promissione ligentur, probentur in Domo per unum annum ad minus, aut per longius tempus, sicuti Priori visum fuerit.

5. Porro cum conditionibus sequentibus recipiantur, videlicet, quod sine proprio vivent in communi. Domus autem eis providebit sufficienter de necessariis. Quod Domui illi, & Ordini erunt veri obedientes, & fideles, quod damnum, aut vituperium Prioris, & aliorum dictæ Domus eis non celabunt, sed revelabunt, honorem, & commodum eorum diligent, & procurabunt. Item quod correctioni Ordinis totaliter subjacebunt, de his, quæ administraverint Priori, & Procuratori rationem reddent quoties super hoc fuerint requisiti, quod continenter vivent, etsi (quod absit) continentiam non servarent, aut in aliis præmissis, seu in aliquo eorumdem deficerent, quod donationem ejusmodi valeat Ordo infringere, & se de tam infelicibus personis expedire. Nullam remunerationem eisdem, de tempore quo servierint Domui, faciendo.

6. Vestis Donatorum superior nunquam virgata, & partita, nec viridis, rubei, aut crocei coloris, sed unicolor sit, & grisei, vel castanei coloris, & tam longa, quod genua operiat, & transcendat. Caputium ejusdem coloris cum veste semper ferre debent. Verumtamen diebus festivis, quando pro Divino Officio audiendo ad Domum superiorem ascendunt: vestem oblongam non cinctam, & Caputium, sicuti Conversi deferunt.

7. Donati comam, seu capillos numquam relaxent, aut nutriant, sed sic eos in rotundum tondeant, ut patentibus auribus incedant. Quod si ter moniti facere noluerint, incarcerentur ad Prioris voluntatem, donec emendationem fecerint competentem.

8. Donati teneantur dicere pro Matutinis decies *Pater noster, & Ave Maria*, pro qualibet hora alia, ter *Pater noster, & Ave Maria*, pro recenter Defuncto in Domo sua triginta *Pater noster, & Ave Maria*, pro Anniversariis, omni septimana decem *Pater noster, & Ave Maria*, pro officio generalis Capituli Cluniacensium, & Benefactorum post Natalem Domini 30. *Pater noster, & Ave Maria.*

9. Confiteantur, & communicent in solemnitatibus Nativitatis, & Cœnæ Domini, Paschæ, Pentecostes, Eucharistiæ, & S. Patris nostri Brunonis, atque prima Dominica cujuslibet mensis.

10. Jejunia Ordinis servare non tenentur; licet feriis sextis ex devotione soleant jejunare. Jejunia vero Ecclesiæ fideliter servent. Pauciori bus etiam quam Conversi, debent esse contenti in pitantia, & vino, cum tot onera Ordinis non sustineant, & tempore, ac loco congruo carnes manducare permittentur juxta consuetudines Domorum. Nunquam tamen intra Conventum possint licite carnes, vel manducare, vel cuiquam ministrare, nec personis Ordinis, ubicumque fuerint, nec debent permittere, quod carnes a quoquam in Conventu comedantur. In Adventu autem Domini, & feriis quartis a carnibus abstineant.

11. In cæteris, quæ ad eorum statum pertinent, se religiose habere debent. Sunt enim de gremio Ordinis, & gaudent privilegiis, Indulgentiis, & libertatibus dicti Ordinis, & habent Beneficium Brevis per totum Ordinem, si laudabiliter in Ordine perseveraverint.

12. Propter transgressionis voti periculum, Donati nullum votum facient, sed postquam in habitu Donatorum per annum aut amplius juxta discretionem Priorum suorum probati fuerunt, si volunt remanere: publico Instrumento in scriptis manu Notarii alicujus subsignato, promittant se supradictas conditiones servaturos.

13. Donati non debent e Domo sua exire nisi a Priore, vel Procuratore foras mittuntur. Quod si ad aliam Domum inordinate venerint, nullus eos recipiat, nisi ad carceres, & deinde eos ad Domos suas remittat, aut eorum fugam & detentionem Prioribus suis significet. Qui contrafecerit, Ordinem in victualibus teneat: donec eos remiserit, aut eorum detentionem intimaverit.

14. Nulla Domus recipiat sæculares gratis eis servire volentes extra statum Monachorum, nisi promissione mediante, quod si propter excessus suos, seu culpam a Domo ipsa expellerentur nihil petent, exigent, aut recipient pro suo salario, & mercede.

15. Ordinamus, ut omnes Nationes habeant hæc statuta Conversorum, & Donatorum in sua vulgari lingua, & ut illis semel ad minus prælegantur per singulos annos.

De Monialibus nostri Ordinis, & earum Vicariis, & Priorissis.

Caput Vigesimumtertium.

1. In electione Priorissæ Monialium Vicarius primam vocem habeat, & postmodum cum Confirmatoribus vota singularum Monialium recipiat, pro quibus suscipiendis, nec ipse Vicarius, nec Confirmatores vocati ingrediantur claustra Monasterii, sed ante Cancellorum Fenestellam vota singularum scripta recipiant, & tamen nunquam publicanda erunt nomina eligentium. (a)

2. Porro nulla Monialis ad eligendum cum aliis admittatur, nisi octavum decimum suæ ætatis annum compleverit, & professionem fecerit expressam. Quod si aliquæ Moniales in suis electionibus nobiles, & amicos requisierint, priventur velo nigro.

3. Cæterum nulla Monialis in Priorissam eligatur minor 40. annis, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter non vixerit. Quod si talis non inveniatur, nulla possit eligi, quæ trigesimum ætatis suæ annum non excesserit, & quæ quinque saltem annis post professionem recte non vixerit.

4. Vicarius de novo institutus, & Priorissa de novo electa, in præsentia prædecessorum suorum, si vixerint, & præsentes fuerint, ac quatuor magis discretorum de Conventu, si tot, aut plures affuerint, vel si prædecessores non vixerint, aut nimium remoti fuerint, in præsentia quatuor prædictorum perfecte redigant in scriptis statum Domus, & sub sigillo dictæ Domus, & subscriptionibus illorum, proxime sequenti Capitulo Generali afferant, vel transmittant dictum statum: retenta tamen copia ejusdem in Domo sua ante dicta.

5. Omnes Priorissæ Monialium obedientiam promittant Capitulo Generali pro se, & Domibus suis, cujus promissionis chartam singulis annis ad Capitulum mittere nulla occasione omittant, & nihilominus quælibet Priorissa teneatur per se promittere obedientiam Vicario: Moniales vero, & Conversæ, Priorissæ tantum obedientiam promittant, licet in præsentia Vicarii cum nominatione ipsius, & Priorissæ professio-

(a) *Consulenda est forma electionis Priorum, & in cæteris omnibus sequenda.*

nem

nem faciant, & eidem in omnibus licitis obedire teneantur.

6. Nulla Prioriſſa præſente Vicario, *Benedicite* dicere præſumat, nec præſente Monacho Lectionem duodecimam legere. De Divino quoque officio ordinando, aut correctione hominum quorumcumque, ſe nullatenus intromittat.

7. Prioriſſa nullam Monialem, vel aliam perſonam ſine licentia R. Patris, & Vicarii, atque Conventus ſui, vel majoris partis conſenſu ad habitum Ordinis recipiat: nec ante 15. ætatis annum completum. Quod ſi contrarium facere præſumpſerit, talis receptio efficaciæ ſit nullius, & Moniales in præmiſſis, vel aliquo eorum conſentientes Generalem Ordinis diſciplinam ſuſtineant, quouſque per Capitulum Generale, vel R. Patrem relaxentur.

8. Prioriſſa, & Vicarius cuſtodiant ſub duabus clavibus, & adminiſtrent pecunias Domus, & ſingulis annis Vicarius, & Procurator reddant computum de receptis, & expenſis in præſentia Prioriſſæ, & duarum, aut trium antiquarum Monialium, nec tamen propterea Vicarius, aut Procurator intret eorum Clauſuram, nec illæ egrediantur. Celleraria autem obſervet erga Vicarium, & Prioriſſam tam in rebus emendis quam vendendis, & cæteris omnibus, eademque ipſe Procurator per Statutorum præſcriptum ſervare debet erga Superiorem.

9. Nulla Prioriſſa, etiam de ſui Conventus voluntate, ſe, vel Domum ſuam valeat obligare: aut literas obligatorias ſigillare Vicario inconſulto. Alioquin Prioriſſa contrarium faciens, & Moniales ad hoc conſentientes, graviter puniantur per Capitulum Generale, vel Rev. Patrem.

10. Prioriſſæ non habeant in Refectorio duplicem portionem, ſed ſimplicem, ſicut Moniales: nec habeant Cameras ſibi appropriatas ad jacendum, comedendum, vel bibendum.

11. Poſſunt Prioriſſæ cum volunt, & quoties expedit debent in ſuis Capitulis pias facere exhortationes Sororibus ad ſanctæ, & religioſæ vitæ regularem obſervantiam, cum conſilio, & directione Patris Vicarii.

12. Prioriſſæ Monialium a perſonis Ordinis Matres, vel Domnæ, non Dominæ vocentur (*) Moniales vero Sorores.

(*) *Ordinatio anni* 1648. Prioriſſæ, & Subprioriſſæ in Domibus Monialium noſtrarum a perſonis Ordinis juxta Statutum, non vocentur Dominæ, ſed Matres, cæteræ vero omnes Sorores, idque ſtrictiſſime in poſterum ſervetur.

13. In Domibus Monialium noſtri Ordinis nulla in Monialem recipiatur ultra quam ſuppetant facultates illius Domus in qua recipitur, pro illius, & cæterarum ſuſtentatione ſine penuria. Porro Viſitatores earum ex parte Capituli habent auctoritatem, & jubentur, conſiderata Domorum facultate, talem eis in recipiendis perſonis numerum præfigere, quem abſque gravamine ſuſtentare valeant: in quo numero, etiam Novitiæ, & Converſæ computantur; diſtricte autem inhibemus, & ſubſequentibus pœnis, Vicariis, Prioriſſis Monialium, & Monialibus univerſis, ne aliquam ullo tempore ultra conſtitutum per Viſitatores numerum, vel ultra quam vires earum, ſeu facultates ſuppetant, quovis modo recipiant, aut ut recipiatur, conſentiant.

14. Et ne per ſe, aut interpoſitam quamcumque perſonam Eccleſiaſticam, aut ſæcularem, quovis quæſito medio, vel colore, a Capitulo noſtro Generali, ſeu R. Patre pro ejus, vel earum receptione contra formam Edicti hujus, & inhibitionis, licentiam, vel auctoritatem petant.

15. Quod ſi ſecus (quod abſit) factum, præſumptum, aut attentatum fuerit, talis receptio nulla erit, & penitus invalida, tanquam facta contra voluntatem dicti Capituli, & contra formam juris communis, & Conſtitutionem bo. me. D. Bonifacii PP. VIII., & Sac. Concilii Tridentini: & quam nos quatenus opus eſt ex nunc caſſamus, & irritamus, ſeu caſſam, nullam, & irritam declaramus.

16. Et nihilominus qui, vel quæ contra hujuſmodi noſtram Ordinationem, voluntatem, & inhibitionem, aliquam, vel aliquas in aliqua Domorum prædictarum receperint, aut in ejus, aut earum receptione conſenſum, auxilium, vel favorem præbuerint, Vicarii, Prioriſſæ, & cæteri Officiales a ſuis obedientiis abſolvantur. Moniales vero, ſi hoc fecerint, ſint in diſciplina generali ad Ordinis voluntatem.

17. Si vero pro illius, vel illarum receptione ultra conſtitutum numerum, & ſupra vires, & facultates ſuas, per nuntium, aut literas petierint licentiam per ſe, vel quamvis aliam interpoſitam perſonam, vel ſi literas a quibuſcumque Principibus, Dominis Eccleſiaſticis, vel Sæcularibus, aut aliis, comminatorias, vel deprecatorias ad Capitulum Generale, vel Priorem Carthuſiæ propterea obtinuerint, quoties id fecerint, per tres menſes ordinem in victualibus ſine miſericordia teneant.

18. Et ut materia, ſeu occaſio præſcindatur tales receptiones ulterius faciendi, vel procurandi inhibemus ſub dicta pœna tenendi videlicet ordinem in victualibus per tres menſes, ne in Domibus prædictis ullo modo recipiantur aliquæ Juvenes Puellæ, ſeu filiæ in habitu Sæculari pro literis addiſcendis; nec pariter recipiantur aliquæ ſub ſpe, ſeu confidentia eas ad habitum Ordinis deinde recipiendi, ſed admittantur tantum poſtulantes cum ad minus quintumdecimum annum attigerint, nec tamen habitus Ordinis eis concedatur ante ſextumdecimum annum inceptum.

19. Nulla Monialis ante ſextumdecimum annum completum, nec quæ minore tempore quam per annum continuum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. (*a*) Profeſſio autem ante facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Religionis, vel Ordinis obſervantiam, aut ad alios quoſcumque effectus. Nulla etiam Monialis ante 25. annum conſecretur. Et ut nulla ipſarum ſe per ignorantiam excuſare valeat, ordinamus, quod præſens hæc noſtra Conſtitutio, & prohibitio eis in Capitulo earum legatur, quoties eis legitur charta Viſitatorum: ſcilicet feria ſecunda Paſchæ, & die feſto S. Jo. Evangeliſtæ.

20. In receptione, profeſſione, & conſecratione Monialium, ſervetur in miniſtrandis cibis modeſtia Ordinis, & in equitaturis Parentum, & aliorum, qui in talibus frequenter conveniunt, ponatur modus certus, ſic quod Domus ex hoc notabiliter non graventur: excepta tamen familia conſecrantis, cui non poteſt regula certa dari.

21. Prohibemus, ne propter munera, vel promiſſa Moniales aliquam ad habitum præſumant recipere, nec aliquid ex bonis Novitiæ ante profeſſionem a Parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus quocumque prætextu recipiant: excepto victu, & veſtitu illius temporis, quo in probatione fuerit; aliter enim dantes, & recipientes, anathematis pœna feriuntur per Sacri Concilii Tridentini Conſtitutionem.

22. Inhærentes Bonifacii VIII. Conſtitutioni, Sacri Concilii Tridentini Decreto, & Pii V., Gregorii XIII. Summorum Pontificum literis: declaramus nulli omnino cujuſcumque generis, conditionis, ſexus, & ætatis fuerit licere ingredi ſepta Monaſterii Monialium ſine licentia Superioris earum in ſcriptis obtenta, & niſi in urgentibus neceſſitatibus dumtaxat. Quæcumque autem perſonæ aliter intrare dicta Monaſteria præſumpſerint, & Moniales, quæ illas introduxerint, vel admiſerint, ipſo facto Sententiam excommunicationis incurrunt, & Officiis Ordi-

(a) *Profeſſio ipſa debet emitti lingua vernacula.*

nis, si quæ habeant privantur, atque ad ea inhabiles reddantur.

23. Quoties Vicarius Monialium causa Confessionis, vel alterius Sacramenti ministrandi ingredi Claustrum earum necesse habuerit, intret cum honesta comitiva unius, aut duorum Monachorum: vel ita intret, & stet quod plures videre possint tam Confessarium, quam confitentem.

24. Sequendo etiam ejusdem Sacri Concilii Decretum, & ejusdem Pii V. literas, declaramus omnes Moniales nostri Ordinis præsentes, & futuras, sicut, & alias cujuscumque Religionis, & Ordinis, etiamsi ex Institutis, & fundationibus suis ad clausuram non teneantur, nec unquam eam servaverint, de cætero debere sub perpetua in suis Domibus Clausura manere, nec ulli earum licere post professionem exire a Monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua causa legitima, etiam ab Episcopo approbanda (a); resistentes vero huic Clausuræ perpetuæ obstinato animo, declaramus esse tamquam rebelles, & incorrigibiles, ab Ordinario, & Superioribus earum omnibus Juris, & facti remediis compellendas: ad præcise subeundam, & perpetuo observandam Clausuram.

25. Priorissæ, & Moniales non visitent Monachos, aut Conversos, nec Viros alios apud eas degentes, nec pariter Monachi, Conversi, vel Donati visitent Priorissas, aut Moniales aliquas, etiam sub prætextu alicujus infirmitatis, vel ex quavis alia necessitate, vel causa, nec Priorissæ, aut Vicarii super hoc dent licentiam, sed visitentur Viri infirmi per Viros, & Fœminæ infirmæ per Fœminas, nisi dumtaxat pro Sacramentis ministrandis, vel nisi ex causa aliqua necessaria, Vicarius cum honesta comitiva unius, vel duorum Monachorum, opportuno tempore ad eas ingredi debeat.

26. Volumus pariter, & ordinamus, ut nulla Monialis nostri Ordinis cum aliquo Sæculari quantumcumque propinquo loquatur, aut loqui permittatur ad partem: nisi vel & a facie, & præsente, & audiente Priorissa, vel Subpriorissa, aut una, vel duabus ex aliis Monialibus, quæ contrafecerit, pro qualibet vice per unam hebdomadam comedat ad terram in Refectorio.

27. Sub eadem pœna inhibemus ne Moniales dent personis Ordinis, aut ab eis recipiant aliqua munuscula, vel jocalia, & ne ullatenus Viros aliquos qualescumque osculentur, aut amplexentur.

28. Et ut præmissa omnia inviolabiliter observentur, ad conservandam etiam Sanctimonialium Christi Sponsarum pudicitiam, honestatem, & integritatem, volumus pariter, & ordinamus, quod in singulis Domibus Monialium nostri Ordinis porta illa, per quam intratur ad Claustrum earum jugiter die, ac nocte cum clave clausa teneatur; & ad ejus custodiam, aliqua fidelis Monialis Conversa, vel Donata deputetur, quæ ad jussum Vicarii, vel Priorissæ eam claudat, & aperiat, & neminem sine illorum, aut alterius ipsorum scitu, & mandato introducat, vel educat. Quæ etiam diebus singulis, pulsato Completorio, claves prædictæ portæ ad manus Priorissæ, per eam usque in crastinum custodiendas, tradere teneatur.

29. Moniales, extraneis Sacerdotibus, qui de Ordine nostro non sunt, sive regulares sint, sive Sæculares, confiteri non possunt, sine speciali licentia Vicarii. (*)

30. Moniales quæ fuerunt in officiis, ipsis officiis cessantibus vultu velato incedant, & omnes professæ benedictæ habeant vittas in Scapularibus suis, & velum nigrum portent: & in conspectu hominum non se præsentent nisi velatis faciebus, sola Priorissa, & Celleraria exceptis. Conversæ vero præmissis non utantur, sed nec Moniales, quæ non sunt benedictæ utuntur velo nigro; vittas tamen habeant, & velata facie incedant, ut Professæ.

31. Quod si aliqua Monialis de incontinentia convicta fuerit, vel coram testibus confessa, perpetuo sine spe rehabendi, careat velo nigro.

32. Nec Priorissæ, nec cæteræ Sorores ullo unquam tempore caputia portare permittantur, nec portent caudas in vestibus suis, nec tunicas in quibus sint scissuræ, vel manicæ inhonestæ, nec portent pelles in Conventu, nisi sub mantello simplici.

33. Moniales jaceant cum Cuculla, & Conversæ cum Scapulario, & quælibet sola. Non vocent se Dominas ad invicem, sed Sorores, nec unquam serviant ad Missas, nec quidquam ab aliquo recipere, vel donare alicui audeant, sine licentia Priorissæ.

34. Inhibemus omnibus Priorissis, ne post Completorium loquendi cum aliquo Monialibus tribuant facultatem.

35. Nec etiam Monialis possit in Monasterio bibere, vel comedere extra Refectorium, & Infirmariam: Præter Priorissam, & Cellerariam, idque tantum in casibus necessitatis, quæ in contrarium facere præsumpserint, a vino abstineant in crastinum tota die. Nulla etiam Monialis comedat in Mensa Priorissæ in Refectorio.

36. In domibus Monialium, prædicationes eorum qui de Ordine nostro non sunt, sive Regulares fuerint, sive sæculares, nullatenus audiantur, nisi de Vicarii, Priorissæ licentia speciali.

37. Moniales Sæcularibus infamiam, Ordinis tangentia revelantes, priventur velo nigro, & nihilominus per visitationes districte puniantur, si inde scandalum fuerit subsecutum.

38. Moniales reddant Breves Ordinis, & Missas reddere faciant, quæ debentur pro Brevibus memoratis. Pro qualibet missa, quæ propter defectum Sacerdotum non poterit reddi, dicantur quinquaginta Psalmi: ita quod secundum ordinationem Vicarii, vel Priorissæ & numerum missarum, quæ reddi non poterunt dividuntur Psalteria inter ipsas. Tricenaria quoque in Missis, & Psalmis faciant sicut Monachi: & Monachi pro eis, sicut pro aliis personis Ordinis faciant, & pro singulis Tricenariis, quæ sicut de charta Capituli, 20. tantum Psalmos dicere teneantur.

39. Moniales non suant vestes extraneorum Sæcularium, vel Religiosorum, nec loquantur cum eis nisi ad cratem cancellatam: nec literas mittant, vel recipiant sine licentia. Nec debent tangere aut abluere Purificatoria Calicis, nisi prius bis, vel ter abluta fuerint per aliquem Sacerdotem, aut Diaconum.

40. Nulla persona Ordinis nostri domos Monialium frequentet, nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate, & peracto, pro quo iverit negotio, recedat absque mora, & ne loquatur cum eis.

41. Vicarii Monialium fortiter reprehendant personas Ordinis cujuscumque conditionis fuerint, quæ sine rationabili causa domos Monialium frequentarent: nec differant Rev. Patri Carthusiæ intimare, ubi viderint expedire, vel Capitulo Generali.

42. Monachi, Conversi, & Donati universi in domibus Monialium habitantes, obedientiam tantum promittant Vicario, & non Priorissæ: & tales habeant locum apertum ad cognoscendum culpas suas diebus Capituli, nec manducent cum Sæcularibus, nec ipsos admittant ad mensam suam in Cellis suis. Qui contrafecerit graviter

a Vicario

(*) *Ordinatio anni 1678.* Juxta Decretum S. Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 10. bis aut ter in anno offeratur Monialibus nostri Ordinis Confessarius extraordinarius qui omnium Confessiones audire debeat juxta d. Decreti placitum; liberum tamen erit cuique Moniali (juxta declarationem S. Congregationis Cardinalium Concilii Triden. Interpretum, ipsi Confessario extraordinario Confessionem peccatorum facere, vel non.

(a) *Declaratum fuit a Sac. Congregatione Cardinalium Sac. Con. Interpretum, quod ultra licentiam Superiorum requiratur etiam approbatio Episcopi: id autem maxime expedit ad tollendam omnis scandali occasionem.* Vide cap. 5. Sess. 25. ejusdem Concilii de Regularibus.

a Vicario puniatur. Et eleemosynas, sive dona, quæ illis offeruntur, tradant Priorissæ: Priorissa vero, & Vicarius provideant eis de necessariis, prout in domibus Monachorum est fieri consuetum. Quod si non fecerint, possunt ipsi Monachi Priori Carthusiæ, vel Visitatori Provinciæ scribere, qui eis providebunt.

43. Monachi de incontinentia diffamati, vel suspecti, non permittantur habitare cum Monialibus, nec domos earum intrare.

44. Vicarii Monialium in foro pœnitentiæ, quoad Moniales, & personas cum eis habitantes, eam habent potestatem, quam habent Priores in suos Monachos, aliosque subjectos: & cum pro se indiguerint, unus de Monachis cum ipsis habitantibus, quem sibi elegerint in Confessarium, eamdemque habebit potestatem in foro conscientiæ erga eosdem Vicarios, quam habent Vicarii Conventuales, seu alii quos sibi Priores elegerint in Confessarios erga suos Priores.

45. Caveant sibi Vicarii, & Priorissæ, ne Monachos suos sine licentia Capituli generalis, vel Rev. Patris Carthusiæ extra terminos mittant, alias ipsi Monachi essent fugitivi, & mittentes gravius puniendi.

46. Nulla persona Domorum Monialium per Capituli generalis mandatum de domo ad domum translata, poterit regredi, sine licentia Capituli generalis.

47. Vicarius Monialium de licentiis dandis Monialibus, & disciplinis imponendis, se nullatenus intromittat, nisi cum per Priorissam fuerit requisitus, reprehendere tamen potest, ac accusare cum viderit expedire: etiam in Priorissam, quam in Moniales, cæterasque personas Ordinis cum eis commorantes excommunicationis, & suspensionis, & interdicti sententias, cum necesse fuerit promulgare, & alias Prioris Officium gerere, nisi contrarium in Statutis expresse notetur.

48. Moniales nostri Ordinis semper recurrant ad Visitatores suos, & ipsi habeant plenam potestatem a Capitulo generali ordinandi in omnibus de eis, juxta formam Statutorum nostrorum, & Ordinationum, quæ ad eas spectant, ipsis enim committitur cura animarum earum, & Conversarum ipsarum, sed in gravibus causis debebunt Visitatores earum consulere Capitulum generale, aut Priorem Carthusiæ super annum.

49. Si eleemosynæ venerint ad manus Priorum dividendæ, volumus, ut Moniales nostri Ordinis habeant partem suam: si vero per eos qui eas faciunt distribuantur, ut eisdem partem suam distribuant, admoneantur.

50. In Visitationibus Domorum Monialium legatur præsens Capitulum. Visitatoribus autem Monialium injungimus, ipsi ambo, vel alter eorum ter in anno, aut saltem semel ad Monasteria Monialium accedant: ibique de vita, & moribus, & observantiis Ordinis, Monialium, Monachorum, & aliarum personarum ibidem degentium diligenter inquirant, & prohibeant ne illic ulli habeant devotas, provideant etiam, ut omnes Apostolico more communiter vivant, nihil sibi proprium esse dicant, & quidquid eis datur, aut mittitur in manibus Priorissæ realiter resignent, & offerant, nec eo utantur sine ejus scitu, licentia, & voluntate, ut omnibus æqualiter de necessariis provideatur, nihilque habeant, nisi quod eis de communi ab Officialibus ministratur: ita & taliter quod omne genus proprietatis ab eis penitus præscindatur. Quod si forte Moniales aliquæ in hoc Priorissæ suæ obedire noluerint, & quæ habent in manibus suis resignare, vino careant donec sibi paruerint.

51. Provideant pariter Visitatores ipsi circa clausuram earum, circa Sæcularium ad eas ingressum, & circa alia generaliter, quæ ad earum statum pertinent, & salutem, tale consilium apponant: ne ex aliqua circa hoc negligentia graviter remaneant obligati in die Judicii coram sponso earum Domino Jesu Christo.

52. Statuto perpetuo, & irrefragabili ordinamus, ne amodo in Ordine nostro domus novæ Monialium recipiantur, aut incorporentur: sed tantum cura Nobis sufficiat susceptarum.

Preces Ministri Generalis, & Diffinitorum.

§. 4. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi ipsis in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur qui Ordinem prædictum, & illius personas non cessantes in rerum divinarum contemplatione sublimium Domino famulari, in visceribus gerimus charitatis, Innocentii Prioris, & Ministri Generalis prædicti zelum in Domino plurimum commendantes, ipsum, & Diffinitores præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui re mature discussa omnes, & quascumque Notas marginales impressas ad supradicta Statuta nullam vim legis, aut statuti habere consueverunt, & declaraverunt, consilio, præinsertam novam Collectionem Statutorum Ordinis Carthusiensis, ut supra correctam, & emendatam auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui in illis quomodolibet intervenerunt, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

Declaratio d. Congregationis particularis, circa Notas ad Collectionem.

Confirmatio relatæ novæ collectionis.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & Statuta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia pleniissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXXI. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum declarans Constitutiones Clem. VIII., & Clem. IX. circa Missas de Festo, loco illarum de *Requiem* in Altaribus privilegiatis diebus impeditis celebrandas.

Prima ex laudatis Constitutionibus edita fuit 1603. Jan. 22. P. 12. altera vero 1669. Septemb. 13. P. 3. In Const. autem Inn. XII. ed. 1697. Decem. 23. P. 6. confirmantur Decreta Congreg. Concilii super celebratione Missarum.

Dat. 4. Maji 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. Alex. VII. quo declaratum fuit d. Missas diebus duplicibus in Altaribus perpetuo privilegiatis æquivalere illis Defunctorum.

Alias postquam fel. rec. Alexander PP. VII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 22. Januarii 1663. expeditas literas dubia in diversis mundi Partibus occasione Decreti Congregationis tunc existentium S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ipso Alexandro prædecessore approbati, de non celebrandis Missis Defunctorum in festis Ritus Duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cætera, quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in festis Ritus duplicis celebrandæ fuissent Missæ Defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per hujusmodi privilegia Apostolica concessas Animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum Privilegiorum, re. me. Clemens PP. IX. pariter prædecessor noster aliam subinde ortam dubitationem, utrum scilicet dictarum Alexandri prædecessoris literarum dispositio quo ad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrarentur locum haberet, similiter tollere desiderans, declarationem a memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, tunc & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica extendit; & proinde ut Missæ, quæ ibidem de festo currenti in quo Missæ Defunctorum celebrari non possent, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragarentur, ita ut Animæ Christifidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequerentur in omnibus, & per omnia, perinde ac si Missæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem auctoritate concessit, & indulsit, & alias, prout in ipsius Clementis prædecessoris literis, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. desuper expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri Prædecessorum literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quæritur, an idem intelligendum sit de diebus impeditis

§. 1. Cum autem postmodum, sicut accepimus novum circa præmissum excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri, & Clementis prædecessorum declarationes sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet a Festo Duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum, juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iis diebus celebrare licet, servata cæteroqui dictorum privilegiorum forma, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur: Nosque Dubium hujusmodi Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio re mature discussa, nuper per suum Decretum die 3. Aprilis proxime præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non poterunt, responderit. Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis cælitus dispensationis munere fidelium Defunctorum Animarum in Purgatorio existentium suffragiis peramplius consulere cupientes, Decretum hujusmodi a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit Nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisc. die IV. Maji MDCLXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Decretum Congregationis affirmativum.

CLXXXII. Statuitur, ut executioni mandetur alternativa in electione Commissarii Generalis Cismontani inter Fratres Ord. S. Francisci de Observantia, & Reformatos.

Constitut. ed. 1684. Apr. 20. P. 8. agitur de Alternativa pro Provincia S. Jacobi in Hispania. Et Inn. XII. Const. ed. 1692. Maji 17. P. 1. De Alternativa inter Fratres Provinciæ S. Nicolai.

Dat 3. Junii 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ servitutis curas in eam peculiari solicitudine incumbimus, ut Christifideles sub suavi Religionis jugo Divini Numinis obsequiis mancipati per providam Superiorum electionem, illorumque circumspectum regimen, & gubernium feliciori-

bus in dies, in sanctitate, & justitia proficiant incrementis.

Hæc alternativa confirmata fuerat ab Alex. VII.

§. 1. Cum itaque alias fel. re. Alexander PP. VII. prædecessor noster per suas in simili forma Brevis die 30. Augusti 1664. expeditas literas quoddam Decretum in Capitulo Generali dudum celebrato Ordinis Fratrum Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum emanatum inter cætera super quadam alternativa inter Fratres de Observantia, & Reformatorum nuncupatos Familiæ Cismontanæ ejusdem Ordinis observanda in electione Commissarii Generalis dictæ Familiæ Cismontanæ; itaut Commissarius Generalis hujusmodi ex Fratribus Reformatis pro una, ac ex Fratribus de Observantia pro alia respective vicibus alternatim eligi deberet, approbaverit, confirmaverit, & observari mandaverit, & alias, prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et (sicut accepimus) alternativa electio hujusmodi hactenus eo modo, quo debuisset, observata non fuerit, Capitulum vero generale Ordinis præfati in illius Domo Regulari Beatæ Mariæ de Ara-Cœli nuncupatæ de Urbe jam celebrari inceperit, Nos volentes, ut eadem alternativa electio inter Fratres prædictos de cætero quam exactissime observetur, ac felici ipsius Ordinis statui, atque prospera directione, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quod alternativa electio præfata perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observetur, eaque in præsenti Capitulo Generali a Fratribus Reformatis incipere, & Commissarius Generalis Familiæ Cismontanæ hujusmodi in eodem Capitulo ex ipsis Fratribus Reformatis, servatis, alias servandis, ac deinde alternis vicibus ordine supra expresso eligi omnino debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium volumus, statuimus, & ordinamus. Inhibentes propterea sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorumque per eos pro tempore obtentorum, ipso facto absque ulla declaratione incurrendis pœnis dicti Ordinis Fratribus suffragium, sive vocem in hujusmodi electionibus habentibus, ne tam in præsenti, quam in futuris Capitulis Generalibus Ordinis præfati ad electiones Commissarii Generalis Familiæ Cismontanæ hujusmodi contra præsentium formam, & tenorem devenire audeant, seu præsumant.

Sed executioni non mandata.

Statutum pro executione d. alternativæ sub certis pœnis.

Clausulæ.

§. 2. Ac decernentes quascumque electiones, si quas contra earumdem præsentium formam, & tenorem fieri contigerit, nullas, irritas, inanes, nulliusque roboris, & momenti: ipsas vero præsentes literas, semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari debere, illasque de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, nullatenus unquam posse. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Junii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri anno Duodecimo.

Confirmantur Resolutiones Congr. Rituum circa novam impressionem Missalis ad usum Fratrum Prædicatorum. CLXXXIII.

Clem. X. Constit. ed. 1671., Feb. 16., P. 1. agit de Missa SS. Rosarii. Et Inn. XII. Const. edita 1692., Junii 8., P. 1. de Missis celebrandis Sabbato Sancto.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Junii 1688. An. 12.

Ad futuram rei memoriam.

De Missali juxta resolutiones Congr. Cardinalium edendo.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod ipse Missale ad usum Fratrum dicti Ordinis a nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Sacris Ritibus præpositæ diligenter revisum, ac ad antiquum ejusdem Ordinis ritum quam maxime redactum, juxta ea, quæ circa novam impressionem Missalis hujusmodi a præfatis Cardinalibus die 22. Februarii præteriti resoluta, ac subinde a memorata Congregatione die 13. Martii etiam proxime elapsi approbata fuerunt, Typis imprimi facere quam primum intendit.

Preces Magistri Gener.

1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Antoninus Magister Generalis præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, nec quidquam in iisdem præmissis, eadem Congregatione inconsulta imposterum immutari valeat Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, disposita, atque decreta, ut præfertur a præfata Congregatione circa novam impressionem Missalis hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio dd. resolutionum.

Clausulæ.

2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempo-

re quan-

re quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia inviolabiter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, Congregationum, Conventuum, & Monaſteriorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſ. die XXVI. Jun. MDCLXXXVIII. Pontificatus noſtri anno Duodecimo.

CLXXXIV. Communicantur omnia privilegia, & indulgentiæ Congreg Helveticæ Congregationi Bavaricæ Ordinis S. Benedicti.

De Conſtitutionibus hujus Congreg. agitur Conſtitut. edit. 1687., *Mar.* 21., *Pontif.* 11. *Et ab Inn. XII. Conſtitut. ed.* 1691., *Aug.* 11., *Pontif.* 2. *eidem conceduntur privilegia Congreg. Caſinenſ.*

Dat. 20. Julii 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN ſuprema Sedis Apoſtolicæ ſpecula meritis licet imparibus ab æterno Paſtore collocati ad uberes bonorum operum fructus, quos monaſticæ Congregationes adſpirante ſuperni favoris auxilio in Eccleſia Dei proferre aſſidue ſatagunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, rationi conſentaneum reputamus, ut religioſa eorum ſtudia, feliceſque progreſſus, amplioribus in dies gratiarum, ac privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Refertur erectio d. Congregationis. §. 1. Cum itaque Nos alias nonnulla Monaſteria Monachorum Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Ratisbonen., ac in dominio dilecti filii Nobilis viri Maximiliani Emmanuelis utriuſque Bavariæ Ducis S. R. I. Principis Electoris reſpective conſiſtentia in unum corpus univerimus, & conjunxerimus, ſicque unita, & conjuncta, ac alia Monaſteria ejuſdem Ordinis illis certo tunc expreſſo modo aggreganda in novam Congregationem ſub titulo Sanctorum Angelorum Cuſtodum Bavaricam nuncupandam, ad inſtar Congregationis Helveticæ dicti Ordinis perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 16. Auguſti 1684. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Et ſicut pro parte dilectorum filiorum Cæleſtini Præſidis, nec non Viſitatorum, & aliorum Abbatum dictæ Congregationis Bavaricæ Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſi omnia, & ſingula Indulta, Immunitates, gratias, aliaque privilegia quæcumque hactenus a Sede Apoſtolica Congregationi Helveticæ præfatæ, illiuſque Monaſteriis, Eccleſiis, Abbatibus, Monachis, & perſonis per nos, & Sedem eamdem pariformiter concedi, & communicari, ac propterea opportune ſibi in præmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ac quarumcumque literarum Apoſtolicarum ad favorem memoratæ Congregationis Helveticæ quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ſupplicationibus eorumdem Exponentium nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper negotiis dictæ Congregationis Bavaricæ deputatorum conſilio, eidem Congregationi Bavaricæ, illiuſque Monaſteriis, Eccleſiis, Abbatibus, Monachis, & perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, gratiis, & Indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quæ Congregationi Helveticæ præfatæ, ejuſque Monaſteriis, Eccleſiis, Abbatibus, Monachis, & perſonis hactenus per Sedem Apoſtolicam, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, ac etiam cum clauſula prohibitiva communicationis, aut alias quomodolibet, & qualitercumque conceſſa, & attributa fuerunt, ac quibus ipſa Congregatio Helvetica, illiuſque Monaſteria, Eccleſiæ, Abbates, Monachi, & perſonæ hujuſmodi de Jure, uſu, conſuetudine, privilegio, vel conceſſione Apoſtolica, in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, dummodo tamen ſint in uſu, nec revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi dictæ Congregationi Bavaricæ, ejuſque Monaſteriis, Eccleſiis, Abbatibus, Monachis, & perſonis hujuſmodi nominatim, & expreſſe conceſſa fuiſſent auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Conceſſio memoratæ Communicationis.

Preces Præſidis, & Abbatum pro Communicatione.

Clauſulæ. §. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicæ prædictæ nuncios, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis,

& literis Apostolicis secundodictæ Congregationi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XX. Julii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXXV. Revocatur Breve segregationis quorumdam Cœnobiorum Ordinis S. Francisci de Observ. a Provinciis Veneta, & Bononiensi, necnon aggregationis eorumdem ad Provinciam Mediolanensem.

De segregatione Cœnobiorum in Hispania extat Constitut. ed. 1686., Jun. 28. Pont. 10. Et de divisione Provinciæ S. Jacobi Innoc. XII. Constitut. ed. 1694., Maii 19. P. 3.

Dat. 30. Julii 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. EX commissæ nobis divinitus dispensationis officio, ea interdum, quæ certis rationabilibus ex causis etiam a nobis concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur revocamus, & immutamus, in hisque solicitudinis nostræ studium interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refertur hujusmodi Breve. §. 1. Alias siquidem Nos dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Caroli Mantuæ, & Montis Ferrati Ducis supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, nonnullos Conventus Fratrum Minorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in ejus statibus consistentes, nempe Conventus Sancti Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi loci *della Volta* nuncupati, & S. Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ ad Provinciam Venetam, ac Conventus Terrarum Viadanæ, & Guastallæ ad Provinciam Bononien. dicti Ordinis respective, tunc spectantes, necnon Monasteria Monialium, curæ, & gubernio Fratrum eorumdem Conventuum respective subjecta, a memoratis Veneta, & Bononien. respective Provinciis auctoritate Apostolica perpetuo separavimus, & dismembravimus, ipsosque Conventus sic separatos, & dismembratos, ac Monasteria Monialium sic separata, & dismembrata Provinciæ Mediolanen. Ordinis prædicti itidem perpetuo univimus, conjunximus, annexuimus, & incorporavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis die 18. Novembris 1683. desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut idem Ferdinandus Carolus Dux Nobis nuper exponi fecit, ex dismembratione, & incorporatione Conventuum, & Monasteriorum hujusmodi plura in religiosæ tranquillitatis præjudicium exorta fuerint inconvenientia, adeo ut in Diffinitorio Generali Familiæ Cismontanæ Fratrum dicti Ordinis pro majori Dei servitio, & regularis disciplinæ progressu, necnon pro pacifico, legitimo, & regulato gubernio Conventuum, & Monasteriorum prædictorum, omnibusque emergentibus matura discussione perpensis, nuper consultum fuerit Conventus, & Monasteria præfata propriis Venetæ, & Bononien. respective antiquis Provinciis a quibus separata fuerint inveniri, ac sub dictarum Provinciarum Ministris Provincialibus, ut antea fuerant, regi, eorumdemque Ministrorum Provincialium Jurisdictioni, & gubernio respective subesse debere, quatenus noster desuper, & hujus Sanctæ Sedis, prævia præfatarum nostrarum literarum revocatione, assensus accederet. Nobis propterea memoratus Ferdinandus Carolus Dux humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa ejus revocationis

Preces Ferdinandi Caroli Ducis Mantuæ.

§. 2. Nos igitur piis ipsius Ferdinandi Caroli Ducis votis ad salubriorem Conventuum, & Monasteriorum prædictorum directionem tendentibus, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, separationem, & dismembrationem supradictorum Conventuum S. Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi *della Volta*, & Sanctæ Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ, Terrarumque Viadanæ, & Guastallæ, ac prædictorum Monasteriorum Monialium curæ, & gubernio Fratrum eorumdem Conventuum respective subjectorum a memoratis Veneta, & Bononien. respective Provinciis, nec non unionem, annexionem, & incorporationem eorumdem Conventuum, & Monasteriorum memoratæ Provinciæ Mediolanen. a nobis factas, ut præfertur, ac emanatas desuper literas nostras prædictas auctoritate prædicta tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu penitus, & omnino vacuamus; ac revocatas, cassatas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuas esse, & fore decernimus, & declaramus; ipsosque Conventus, & Monasteria prædicta Venetæ, & Bononien. respective Provinciis supradictis eadem auctoritate restituimus, ac ad formam regiminis, quo ante emanatas nostras literas respective gubernabantur, reducimus.

Revocatio Brevis, & Cœnobia, ac Monialium Monasteria ad pristinum statum reduc-untur.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis nostris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum, & Monaste-

riorum

riorum prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Major. sub Annulo Pisc. die XXX. Julii MDCLXXXVIII., Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXXVI. Eliguntur Doctores Collegii Comen. in Comites Palatinos, & Equites auratæ Militiæ, eisque conceditur facultas declarandi Notarios, Legitimos, Doctores, ac Statuta condendi.

Suppressum fuit Collegium Secretariorum Apostolicorum Constit. ed. 1678. Apr. 1. P. 2. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690., Nov. 7. P. 2. confirmata fuerunt privilegia Collegii B. Ferdinandi in Indiis Occidentalibus.

Dat. 10. Nov. 1688. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ huius Constitut.

Suprema Apostolicæ dignitatis specula in qua humilitatem nostram, meritis licet imparibus inscrutabili æternæ suæ Sapientiæ, atque bonitatis consilio collocavit Altissimus, ad præclara, quæ Catholicæ Ecclesiæ, reique publicæ ex Doctorum Virorum Collegiis provenire noscuntur, commoda, & utilitates mentis nostræ aciem intendentes, ac memoria recolentes nos de numero Collegii Doctorum Civitatis Comen., unde ortum accepimus, aliquando fuisse, indeque ad dignitatum, & honorum gradus prodire cœpisse, ac propterea ipsum Collegium propensa paternæ charitatis nostræ benignitate prosequentes, illudque, ac ejusdem Doctores præfatos condignis beneficentiæ nostræ favoribus, & gratiis, ad majus dictæ Civitatis Comen. Patriæ nostræ decus, communeque omnium bonorum, condecorare volentes, dictorumque Doctorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, non ad ipsorum Doctorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memorati Collegii Doctores tam præsentes, quam futuros & eorum singulos in perpetuum ipso jure, & facto, in ipso, eorum in dictum Collegium ingressu seu receptione, & admissione Sacri Palatii Apostolici, & aulæ Lateranensis Comites, ac auratæ Militiæ equites facimus, creamus, & deputamus, ipsosque aliorum Palatii, & Aulæ Comitum, auratæque Militiæ equitum hujusmodi numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac eosdem, etiam torque aureo, cæterisque Comitum, & Equitum hujusmodi insignibus decoramus, eisque ac eorum singulis etiam in perpetuum, quod omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis quibus alii Palatii, & Aulæ Comites, ac Militiæ auratæ hujusmodi Equites de Jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen facultates a Concilio Trid. sublatas) uti, frui, potiri, & gaudere: Necnon illos, quos prævio examine ad id idoneos, & fideles esse repererint, in Notarios, & Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios extra Romanam Curiam, recepto prius ab eis nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento, creare, & instituere, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officiis hujusmodi, ut moris est, investire: Præterea quoscumque utriusque sexus nothos, spurios, naturales, & manseres, copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito, & damnato coitu procreatos, tam præsentes, quam absentes, viventibus, seu mortuis eorum Parentibus, itaut ad eorumdem parentum, necnon quorumcumque consanguineorum, affinium, & attinentium, agnatorum, & cognatorum, ac transversalium, cæterorumque proximiorum suorum, & quorumvis aliorum successiones in quibuscumque rebus, & bonis mobilibus, & immobilibus, ac semoven., necnon juribus, & actionibus, etiam allodialibus, & precariis, & alias quomodolibet qualificatis, & nuncupatis (non tamen Ecclesiasticis) tam ex Testamento, quam ab intestato succedere, & ad illa hæreditatis, Fideicommissi, substitutionis, legati, donationis inter vivos, & causa mortis, ac quovis alio titulo, sine præjudicio venientium ab intestato, devenire, admitti, & recipi, illaque consequi, & habere, ac de eisdem bonis, juribus, & actionibus disponere, ac in illis hæredes, & successores instituere, & habere, necnon ad honores, dignitates, status, gradus, & officia Sæcularia publica, & privata quæcumque recipi pariter, & admitti, illaque gerere, & exercere libere, & licite possint, & valeant, ac si de vero, & legitimo Matrimonio procreati essent, servata tamen forma literarum fel. rec. Pii PP. IV. Præd. nostri desuper editarum, legitimare, ac omnem ab eis genituræ maculam abolere, eosque ad primæva, & legitima naturæ jura restituere, & reducere: Ac insuper quoscumque emensis studiorum curriculis in Jure Canonico, & Civili, seu altero eorum per diligentem examinationem scientia, & moribus habiles, & idoneos esse invenerint, in utroque, seu altero Jurium hujusmodi, ac in Philosophia, seu Medicina per diligentem similiter examinationem duorum, vel trium per eos eligendorum Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiatorum ejus facultatis, in quam promovendi erunt, coram eis habendam, ac fidelem Magistrorum, seu Doctorum, vel licentiatorum eorumdem attestationem medio juramento eis faciendam peritos, ac scientia pariter, & moribus ad hoc habiles, idoneosque esse repererint, de eorumdem Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiatorum consilio, & assensu, ac eorum votis juratis, in Philosophia, aut Medicina hujusmodi, ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturæ, Doctoratus, ac Magisterii gradus, cum solita insignium in talibus tradi solitorum exhibitione, servata tamen in omnibus forma, & dispositione Viennensis, & Trid. Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promovere, & sic promotis, quod omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus alii Baccalaurei, licentiati, Doctores, & Magistri, in utroque, seu altero Jurium, seu Philosophia, aut Medicina hujusmodi in Universitatibus studiorum generalium promoti de Jure, vel consuetudine, etiam utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt in futurum, etiam pariformiter, & æque principaliter uti, frui,

Electio Doctorum in Comites Palatinos, & Equites Auratæ Militiæ.

Facultas eligendi Notarios, Tabelliones, ac Judices.

Facultas declarandi legitimos ex coitu etiam damnato ortos.

Facultas conferendi gradus in utroq; jure, Philosophia, & Medicina.

potiri,

Facultas condendi Statuta.

potiri, & gaudere possint, concedere: Quodque demum pro salubri illius Collegii regimine, & administratione, illius Doctores præfati quæcumque Statuta, Ordinationes, & Decreta, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & ejusdem Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non repugnantia facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, mutare, alterare, corrigere, revocare, & annullare, aliaque de novo condere, & edere, quæ postquam mutata, correcta, condita, ac de novo edita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate approbata censeantur, libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem dicta auctoritate earundem tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis acceptas, & quoties illa emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit eligenda de novo concessas intelligi, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, alioque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus re. me. Pii V., & Sixti etiam V. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum contra illegitimos editis, & aliis quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit dictæ Civitatis Comen., aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, legibus quoque imperialibus, privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus studiorum Generalium, necnon dilectorum filiorum Scriptorum Archivii Romanæ Curiæ, aliisque Collegiis, & quibuscumque aliis locis, & personis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam de Consilio ejusdem S. R. E. Cardinalium sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, ac insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. de primatu Collegialium S. Bonaventuræ de Urbe inter reliquos Collegiales Conventuales Ord. S. Francisci. CLXXXVII.

De Collegio S. Bonaventuræ vide Urb. VIII. Constit. ed. 1629. Septemb. 26., P. 7., & de Regimine Cœnobii Alex. VIII. Const. ed. 1690., Decem. 6. Pon. 2. In Const. vero Inn. XII. ed. 1699., Maii 15. P. 8. agitur de primatu inter Diffinitores, & Provinciales Titulares.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 29. Nov. 1688. An. 13.

Ad futuram rei memoriam.

Lis inter memoratos Collegiales.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa præcedentiæ inter dilectos filios Collegiales Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ex una, & Collegiales Collegii S. Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur videl. in Causa Romana præcedentiæ vertente inter Collegiales Religionis Minorum Conventualium S. Francisci ex una, & Collegiales Divi Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis partibus ex altera S. Congr. Emorum Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus informantibus, referente Emo de Angelis, censuit, ac declaravit, Collegiales S. Bonaventuræ præferendos esse omnibus aliis Collegialibus, etiam S. Francisci, Bononiæ, & Pragæ admissis ad Magisterium post admissionem ipsorum Collegialium S. Bonaventuræ ad Collegium. Romæ 14. Maii 1688. J. G. Card. Carpineus B. Panciaticus Secretarius.

Decretum prædictæ Congregationis.

Preces Collegialium S. Bonaventuræ.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Collegialium Collegii S. Bonaventuræ præfatorum nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent, nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ

Confirmatio relati Decreti.

firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Collegiorum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIX. Nov. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CLXXXVIII. Statuitur, ut in Diœcesi Portugallen. lis censeatur legitime contestata per negativam, si Reus contumaciter respondere recusaverit.

Const. ed. 1687, Maii 12., P. 11. tolluntur Franchitiæ pro reis in Urbe Roma, & ab Innoc. XII. eisdem denegatur remissio Constit. ed. 1692. Maii 12., P. 1.

Dat. 4 Martii 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex Ecclesiasticarum legum conditor, & moderator Judiciarium Ordinem ne per Delinquentium exquisitas malitias eludatur, ipsique Delinquentes ex sua calliditate impunitatem delictorum consequantur, solet nonnunquam immutare, aliaque facere, & ordinare, prout rerum ac temporum requirit status, & iniquorum protervia exposcit.

Stylus contestandæ litis in d. Diœcesi. §. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit Ven. Frater Joannes Episcopus Portugallen. quod in ejus Curia, & Diœcesi Portugallen. antiquus litis contestandæ, tam in Civilibus, quam in criminalibus, & mixtis Causis observari solet stylus, quod rei super aliqua re conventi, vel de aliquo crimine accusati negative, vel affirmative debeant libello contra ipsos proposito respondere, alias Judices nequeant ad ulteriora valide procedere. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ex stylo hujusmodi sæpe eveniat, ut plures ex ipsis reis conventis metu pœnæ, seu Judicii differendi, aut alia forsan de Causa respondere nolint, nec ad id Ecclesiastica Censura, aut carceratione, quas malunt indurati potius sustinere, cogi possint. Nobis propterea idem Joannes Episcopus humiliter supplicari fecit, ut quemadmodum fel. rec. Clemens Papa VII. prædecessor noster per suas in simili forma Brevis die 30. Maji 1592. pro Civitate, & Diœcesi Eboren. in quibus similis contestandæ litis stylus observari solebat statuisse noscebatur, Nos similiter pro ejus Curia, & Diœcesi in remedium præmissorum statuere, & ordinare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Joannem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, & suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac vestigiis Clementis prædecessoris prædicti in hoc omnino inhærentes per præsentes volumus, statuimus, & ordinamus quod de cætero perpetuis futuris temporibus, si rei in Civitate, & Diœcesi Portugallen. tam civiliter, quam criminaliter conventi litem contumaciter in competenti termino eis præfigendo contestari recusaverint, seu noluerint, termino elapso lis ipsa per negativam pro legitime contestata habeatur, ac exinde Judices, coram quibus Causas pro tempore pendere contigerit ad ulteriora, etiam ad Causæ conclusionem & Sententiæ diffinitivæ prolationem, alias tamen legitime procedere valeant; nec eorum processus ex eo, quod lis ipsa in forma juris contestata non fuerit, impugnari, annullari seu invalidari debeat, seu possit. Et sic in præmissis, & singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, decidi, & terminari debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Statutum prædictum.

Clausulæ. §. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Ecclesiæ Portugallen. juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annul. Pisc. die IV. Martii MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CLXXXIX. Conceditur Fratribus Capuccinis facultas applicandi Indulgentiam die 2. Augusti animabus Defunctorum per modum suffragii.

Eadem facultas concessa fuit Fratribus de Observantia, & Reformatis Ord. S. Francisci Const. ed. 1687., Jan. 22., P. 11.

Dat. 10. Maji 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prædicta Indulgentia concessa fuit a Greg. XV. visitantibus illorum Ecclesias. ALias fel. rec. Gregorius PP. XV. prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existen., die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam om-

Preces Episcopi Portugallen. pro stylo servari solito in Diœcesi Eboren.

nium

nium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Gregorii Prædecessoris Literis desuper simili forma Brevis die 22. Octob. 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remissionem per dictum Gregorium prædecessorem, ut præfertur concessam, etiam animabus Christifidelium Defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; nos piis ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus auctoritate confisi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christifidelibus præfatis supradictas Ecclesias Fratrum Ordinis S. Francisci Capuccinorum dicta die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus, & præmissa peragentibus concessam, etiam Christifidelium Animabus, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus quibuscumque.

Concessio d. facultatis.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die X. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXC.

Erigitur in Archiconfraternitatem Confraternitas Nominis B. M. V. in Ecclesia S. Stephani de Cacco de Urbe sita.

Constit. ed. 1677. Julii 16. Pont. 1. Confraternitas Almæ Domus Lauretanæ de Urbe erecta fuit in Archiconfraternitatem.

Dat. 11. Maji 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Huic Confraternitati concessæ fuerunt Indulgentiæ.

CUM Nos alias Confraternitati sub invocatione SSmi Nominis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia Sancti Stephani de Cacco nuncupat. de Urbe Congregationis Monachorum Silvestrinorum canonice (ut asseritur) erectæ ejusque Confratribus, & Consororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes sub certis modo, & forma tunc expressis, auctoritate Apostolica perpetuo concesserimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur: Et sicut dilecti filii Officiales, & Confratres dictæ Confraternitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Confraternitatem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderent, Nos dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem prædictam in Archiconfraternitatem cum omnibus, & singulis prærogativis, juribus, honoribus, & præeminentiis solitis, & consuetis auctoritate præfata tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio perpetuo pariter erigimus, & instituimus; ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectæ officialibus, & Confratribus præsentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti extra Urbem prædictam ubicumque locorum existentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædecessoris nostri desuper editæ aggregare, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati, sic in Archiconfraternitatem erectæ a Nobis, ut præfertur, concessas, communicare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

Erectio d. Confraternitatis in Archiconfraternitatem cum facultate aggregandi alias Confraternitates, & communicandi Indulgentias.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit supradictæ Confraternitatis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus nostri anno Decimotertio.

CXCI.

Confirmantur Thesaurarii Provisiones, & Ordinationes, & Taxæ pro Bono Montium Romanæ Curiæ Regimine.

Dat. 6. Junii 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Motu proprio, &c.

Provisiones Clem. VIII., & Pauli V. pro bono Montium regimine.

CUM recol. mem. Clemens VIII. prædecessor noster ad tollendas fraudes, quæ in resignationibus Locorum Montium Romanæ Curiæ ad Cameram Apostolicam, ac etiam Religiones, Communitates, Domicellos, & alios spectan. a Secretariis dictorum Montium in præjudicium ejusdem Cameræ aliorumque prædictorum, committebantur, sua Motus proprii Cedula die 15. Maji 1600. publicata certam formam desuper præscripserit, ac plures Ordinationes, Decreta, & mandata etiam pœnalia, in contrafacientes, promulgari jusserit, prout in ipsa Motus proprii Cedula latius continetur, ad quam &c. Cumque anno 1608. similis memoriæ Paulus V. pro tollendis præjudiciis, abusibus, difficultatibus, & impedimentis, quæ circa præfatos

Reductio Secretariorum omnium in unum Secretarium a Clemen. X. facta.

fatos Montes irrepserant, Congregationem super eisdem Montibus cum diversis facultatibus, Privilegiis, & auctoritatibus deputaverit, ac subinde varias provisiones, Ordinationes, & Taxas, quas eadem Congregatio pro recta eorumdem Montium an negotiorum, scripturarumque ab eis dependentium administratione, & gubernio anno 1615. edidit, alia Motus proprii Cedula confirmaverit, ac expresse servari jusserit modo, & forma in eisdem Cedulis contentis, ad quas relationem haberi volumus. Cumque anno 1671. omnes dictorum Montium Secretarias in unam a fel. record. Clemente X., etiam sub aliis certis Regulis, & Ordinationibus redactas idem Pontifex Didaco Ursayæ Clerico Policastrensi, sua vita naturali durante, concesserit in alia Motus proprii Cedula, & Chirographo ab eodem Pontifice Clemente diebus 7., & 17. Septembris anni 1671. subsignatis, ad quæ pariter relationem haberi volumus. Nuper vero die 21. Junii 1688. proximi præteriti idem Didacus Ursaya Officium dictarum Secretariarum in manibus nostris sponte renunciaverit: Nosque Populi nobis commissi utilitati, ac publicæ commoditati omni studio invigilantes, & considerantes unius personæ industriam tanto oneri fere imparem esse, quodque si in tali ministerio plures assumerentur, major exinde utilitas publico commercio, & longe major in expediendis negotiis facilitas resultaret, quodque ita quoque indemnitati nostræ Cameræ aptius consuleretur, dum eveniente obitu unius Secretarii, possent alii æque idonei, & informati usque ad novam Successoris deputationem, illius vices supplere, absque ullo publici servitii detrimento. Propterea dictam renunciationem admittentes Officium dictarum Secretariarum in quatuor æquales portiones distincte, & seperatim per quatuor personas diversas exercendas, & administrandas diviserimus, & seperaverimus modo, & forma, ac ex causis, & rationibus in Motus proprii Cedula manu nostra desuper subsignata plenius contentis, & expressis. Successive autem ad dirimendos abusus multosque casus noviter exortos declarandos injunxerimus Josepho Renato Imperiali Thesaurario nostro, ut provide occurreret, quod Montes præfati, ac Scripturæ, & negotia ab eis dependentia omni debita fidelitate administrarentur, ac respective custodirentur, pœnasque suo arbitrio in contra facientes irrogaret, eidem ulterius committendo, ut ad removenda gravamina, quæ circa solutionem emolumentorum, ac mercedum tam Secretariis, quam aliis Officialibus eorumdem Montium debitorum congruas provisiones, Taxas, & Ordinationes desuper statueret. Cumque idem Thesaurarius noster, auditis pluribus, de præmissis informatis, maturequeperpensis Reformatione dicti Pauli V., atque etiam Chirographis Gregorii XV., Urbani VIII., & Clementis X. super eisdem Montibus diebus 3. Decembris 1622., 13. Januarii 1624., ac 12. Septembris 1671. respective signatis, necnon etiam Decretis a Congregatione super eisdem Montibus, deputata, occasione plurium casuum particularium emanatis, Bannimentis quoque, aliisque Ordinationibus desuper factis, & editis infrascriptas Provisiones, Ordinationes, & Taxas a Secretariis, & Prosecretariis, Depositariis, Computistis, aliisque Officialibus, & Ministris, necnon etiam eorumdem Montium Proxenetis pariter servandas sub certis pœnis proinde statuerit, atque decreverit, prædictaque omnia subinde fuerint ab eadem Congregatione Montium sedulo approbata, & confirmata.

Divisio Secretariarum in quatuor Secretarios.

Committitur Thesaurario Montium directio.

Thesaurarii Provisiones, Ordinationes, & Taxæ a Congreg. approbantur.

§. 1. Nos itaque volentes, ut Ordinationes, & Taxæ, & Provisiones prædictæ manu d. Josephi Renati Thesaurarii nostri sub die 30. April. 1689. firmatæ, ac omnia, & singula in eis contenta, expressa, & demandata quæcumque tamquam de mandato, & voluntate nostris gesta, suum plenarium fortiri debeant effectum, ac ut ea, cæteraque in eis, ut supra contenta validiora, & firmiora subsistant, omnibusque innotescant, & a cunctis Secretariis, & Prosecretariis, & aliis antedictis nunc, & pro tempore existentibus perpetuo, & inviolabiliter serventur: Motu proprio, & ex certa scientia, deliberataque voluntate nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de contentis in prædictis Provisionibus, Ordinationibus, & Taxis, ac plenum informati illarumque tenorem de verbo ad verbum præsentibus pro expressis, insertis, & registratis habentes, Provisiones, Ordinationes, & Taxas ipsas, omniaque, & singula in eis contenta, expressa, & demandata quæcumque tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac illis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnibus, & singulis tam juris, quam facti, & solemnitatum, quantumvis necessariarum substantialium, & formalium ex dispositione quarumcumque Constitutionum Apostolicarum, forsan requisitarum defectibus, si qui in præmissis intervenerint, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus omnino supplemus, easdemque Provisiones, Ordinationes, declarationes, & Taxas respective publicari, & a quibuscumque dictorum Montium tam vacabilium, quam non vacabilium, sive ad Cameram nostram, sive ad Principes, Barones, Communitates, Universitates, Religiones, aut alias quasvis personas quomodolibet spectantium Depositariis, Secretariis, Prosecretariis, Computistis, Procomputistis, Proxenitis, & aliis, ad quos spectat, & in futurum spectare poterit sub pœnis in eisdem Ordinationibus, & Taxis irrogatis, ac arbitrio dicti, & pro tempore nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarii irrogandis, inconcusse, ac inviolabiliter observari, ac in singulis dictorum Depositariorum Banchis, Secretariorumque, & Computistarum, cæterorumque prædictorum Domibus impressas in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi, & intelligi possint affixas, retineri mandamus, & ita, & non aliter per eosdem Montium Protectores, & alios quosvis Judices Ordinarios, & extraordinarios, Commissarios, Delegatos, Subdelegatos, ac Curiæ Causarum Cameræ prædictæ, Sacrique Palatii Apostolici Auditores, necnon Cameram ipsam, illiusque Camerarium, Thesaurarium, Decanum, Clericos, Præsidentes, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quavis auctoritate fungentes in quacumque instantia, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere mandamus; irritumque, & inane quidquid super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari, licet ad id non vocatis, neque auditis quibusvis personis desuper interesse habentibus, sive habere prætendentibus, ac non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in eisdem Ordinationibus, & Provisionibus dictum fuit non obstare, necnon quibusvis prædictorum Montium erectionibus, & institutionibus, ac illorum Collegiorum Statutis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, minusque regula Cancellariæ nostræ de Jure quæsito non tollendo, neque stylis, consuetudinibus, privilegiis, Indultis, facultatibus, Literisque Apostolicis eisdem Protectoribus, etiam Cardinalibus, ac dictis Montibus, eorumque, & cuilibet ipsorum Collegiis, & Montistis, Depositariis, cæterisque aliis superius nominatis quibuscumque, etiam Motu proprio, & forsan consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam in vim contractus, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie per quosvis prædecessores nostros, & seu etiam

Item confirmantur a Pontifice.

Clausulæ.

per

per nos conceſſis, approbatis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque: quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis expreſſa mentio facienda foret, eorum tenores hic pro expreſſis, & de verbo ad verbum regiſtratis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Decernentes inſuper hujus noſtri Motus proprii Cedulæ ſolam Signaturam noſtram ſufficere, abſque alia data, illique, & tranſumptis, ſeu exemplis ejus, etiam impreſſis manu alicujus Cameræ Apoſtolicæ Secretarii, & Cancellarii ſubſcriptis, ac ſigillo dicti Camerarii, ſeu Theſaurarii, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, plenam fidem in Judicio, & extra, ac ubique Locorum adhiberi, regula quacumque, aliiſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Placet Motu proprio B.

Exhibitio, & admiſſio hujus Motus proprii.

Die Lunæ 6. Menſis Junii 1689. ſupraſcripta Cedula Motus proprii per Sanctiſſimum ſignata, in plena Camera Apoſtolica exhibita, & præſentata fuit, illaque commiſſa Illmo, & Rmo D. Laurentio Corſino ejuſdem Cameræ Clerico, modo SSmo D. N. Clementi Papæ XII. feliciter regnanti.

Deinde die 8. ejuſdem menſis, citato deſuper Illmo D. Petro Mathia Totto SSmi D. N. Papæ, & ipſius Cameræ Procuratore Fiſcali Generali, ad relationem ſupradicti Illmi, & Rmi D. Corſini admiſſa, & regiſtrata in libro quarto Signaturarum ejuſdem SSmi ſub folio 165.

Franciſcus Antomorus R. C. Secret.

PROEMIO.

La Santità di Noſtro Signore Papa Innocenzo XI., che con Paterno affetto, e indefeſſa attenzione invigila all'indennità de' ſuoi Sudditi, e al Buon Governo Generale di tutte le coſe, avendo inteſo, che doppo la Riforma della ſan. mem. di Paolo V. fatta ſopra la materia de' Monti, e pubblicata li 4. Aprile 1615. dal Card. Serra, all'ora Pro Teſoriere Generale, e doppo altre Coſtituzioni, ed Ordini in diverſi tempi emanati, ſiano nati degl'Abuſi in grave danno, e pregiudizio de' Montiſti, e di altre Perſone intereſſate in detti, ha però ordinato provvederſi, che nel pagamento dell'emolumenti, e mercedi dovute alli Segretarj, ed altri Offiziali di eſſi neſſuno ſia gravato, e che in oltre ſi rimedj a molte coſe, alle quali non vien provviſto dalla d. Riforma, e Coſtituzioni, e avendo dato il carico di tutto queſto negozio a Monſig. Illmo, e Rmo Giuſeppe Renato Imperiale Teſoriere Generale, con l'approvazione della Congregazione deputata ſopra li Monti, doppo eſſere ſtati dal medemo Monſignor Teſoriere chiamati, e ſentiti alcuni Segretarj, ed altre perſone informate, conſiderata la detta Riforma di Paolo V., ed il Chirografo di Gregorio XV. in data delli 3. Decembre 1622., il Chirografo di Urbano VIII. delli 13. Gennaro 1624., il Chirografo di Clemente X. in data delli 12. Settembre 1671. inſerito nell'Iſtromento della Segretaria Generale de' Monti, rogato, per gl'atti dell'Antomoro Segretario, e Cancelliere della Rev. Camera a dì 15. di detto meſe, li Decreti della medeſima Congregazione fatti in contigenza de' caſi particolari, e altri ordini, e Bandi pubblicati ſopra tal materia, e doppo di eſſere ſtate trattate, e diſcuſſe tutte le coſe maturamente in alcune Congregazioni particolari tenute ſpecialmente per detto effetto ſi ſono fatti, ſtabiliti, e concluſi gl'Ordini, Provviſioni, e Taſſe, che ſeguono, quali eſſendo ſtati approvati dalla Congregazione de' Monti, ſi doveranno oſſervare in avvenire inviolabilmente dalli Segretarj, Pro-Segretarj, Computiſti, ed altri Offiziali, Miniſtri, e Senſali di tutti li Monti di Roma ſotto l'infraſcritte pene.

CAP. I.

Che ſi rinovino le Patenti in caſo di morte, e ciò devono oſſervare li Segretarj a tal effetto.

E prima per rimediare, e ſchivare tutti gl'errori, che potrebbero ſeguire, e commetterſi, ſe in caſo di morte delli Montiſti, in perſona de' quali cantano di luoghi de' Monti, e ſono ſpedite le Patenti, non ſi rinovaſſero dette Patenti, ſi ſtabiliſce, decreta, ed ordina, che ſuccedendo detti caſi di morte, gl'Eredi, e Succeſſori del Defonto ſiano tenuti, ed obbligati omninamente rinovare le dette Patenti, e che a tale obbligo ſiano ſottopoſti tutti, e ſingoli Eredi, di modo, che venendo a notizia de' Segretarj la morte di qualche Montiſta, e non eſſendoſi dall'Erede fatta la traſlazione de' Monti Ereditarj, ſia lecito a medemi con la giuſtificazione della morte impedirgli l'eſazione de' frutti; ſi dichiara però, che per la remozione di tal impedimento, non poſſono pretendere coſa alcuna; nè meno il giulio dell'ordine, e in caſo, che li Depoſitarj pagaſſero, non oſtante tal'impedimento, ſiano tenuti ſodisfare del proprio a Segretarj tutti quelli emolumenti, che doverebbero conſeguire dall'Erede, per la traſlazione in conformità della preſente Taſſa; e li Segretarj, e Pro-ſegretarj debbano all'incontro ſpedirgli le Patenti, e dargliele rinovate, con farſi però prima conſegnare copia autentica delli Teſtamenti, e Depoſizioni fatte dalli Defonti, e avuta diligente, ed eſquiſita conſiderazione alli detti Teſtamenti, e Diſpoſizioni, e a tutte le condizioni, e vincoli appoſti in eſſi, e non eſſendovi teſtamento, ne Diſpoſizione alcuna alle fedi, e ſcritture, che da' detti Eredi per verificare, e giuſtificare le loro ſucceſſioni, ſe gli preſenteranno. Con avvertire anco, che ſiano ſofficienti, ciò s'intenda mentre non preceda Decreto di Giudice competente di Roma, ma eſſendovi Decreto di Giudice, ſi eſeguiſcano li detti Decreti, e li mandati, ed Ordini, che per vigore di eſſi forſe ſi ſpediranno, con avvertire però, che non eſſendo detti mandati, ed Ordini di Monſignor Teſoriere Generale pro tempore, abbiano l'*Exequatur* del medemo Monſignor Teſoriere, nè in materia de i luoghi de' Monti, potranno li Segretarj, o Pro-Segretarj dare eſecuzione a' mandati di qualſivoglia altro Giudice, ſenza l'*Exequatur* ſudetto di Monſignor Teſoriere, e in dette Patenti rinovate debbano li Segretarj, e Pro-Segretarj ſudetti mettere, ed inſerire, prima per extenſum tutti li vincoli e condizioni, che ſi trovaranno eſſere nelle Patenti ſpedite in teſta del morto, e poi fare anco menzione degl'altri, che ſaranno nelli Teſtamenti, Diſpoſizioni, Decreti, e mandati ſudetti, ſecondo il loro tenore, e ricevute, che averanno le giuſtificazioni neceſſarie, dovranno ſpedirgli le Patenti in termine di giorni quindici, ſotto l'infraſcritte pene.

CAP. II.

Taſſa degl'Emolumenti di d. Rinovazioni nelli Figliuoli, ed altri deſcendenti per retta linea.

Per la quale rinovazione, facendoſi a favore de' figliuoli, Nipoti, ed altri deſcendenti per retta linea del Defonto; ſi ſtatuiſce, decreta, ed ordina, che non debba far pagare, nè riſcuotere coſa alcuna, nè per il giulio de' ſenſali, nè per il giulio del Collegio, nè per il giulio del Regentato, nè per li Computiſti, o Procomputiſti, nè meno per il giulio applicato all'Archiconfraternità della Pietà de' Carcerati, nè li due giulj dell'abbondanza, nè li quattro giulj della menſa di Policaſtro riſpetto al Monte Fede. E quanto alli Segretarj, e Pro-Segretarj poſſino pigliare per qualſivoglia Patente un giulio per la carta, laccio, cera, e caſſetta con proibirſegli eſpreſſamente, che ſenza la ſudetta caſſetta non poſſino

consegnate le Patenti, e consegnandosi non siano obbligati li Montisti pagare il detto giulio, e siano ancor sottoposti ad altre pene ad arbitrio di Monsignor Teoriere, ed oltre il sudetto giulio non possono avere, riscuotere, nè pigliare per le loro mercedi più dell' infrascritte somme.

Sino a tre luoghi inclusive tre giulj.

Sino a sei luoghi inclusive quattro giulj.

Sino a dieci luoghi inclusive sei giulj.

Per dieci luoghi, sino a venti inclusive otto giulj.

Per dieci luoghi sino a venti inclusive otto giulj.

Da venti sino a qualsivoglia somma, e quantità de' Luoghi un scudo, e non più.

Nè questa Tassa possa in alcun modo alterarsi, o accrescersi sotto pretesto, che li luoghi de' Monti siano parte vincolati e parte liberi, overo soggetti a diversi vincoli; ma li Segretarj e Prosegretarj debbano fare un conto solo per ogni specie di Monte.

Dichiarandosi, che la sudetta Tassa devasi inviolabilmente osservare nelle traslazioni, che si fanno negli Figliuoli o altri Descendenti per retta linea per causa legittima di legato, o per qualsivoglia altro titolo, ancorchè particolare, e ancora nelle rinovazioni in virtù di donazione, o altro titolo singolare per contratto anco *inter vivos*, purchè l'effetto di esso sia conferito doppo la morte del Padre, o di altro ascendente.

E rispetto alle Doti, quando l'assegna si facci dal Padre alle Figliuole, dovrà parimente esigersi solamente la sudetta Tassa, purchè la traslazione non si faccia in persona del Marito, nel qual caso potranno esigere la Tassa, come se seguisse a favore di Estraneo, e come si dispone nel *Capitolo V.*

Similmente si dichiara, che dovendosi fare rinovazione a favore de' Figliuoli, ed altri descendenti per retta linea, come sopra, se li detti Figliuoli, o altri descendenti saranno più persone, li Segretarj, o Pro-Segretarj senza loro richiesta non possano spedire, che una sol Patente a favore di tutti.

Inoltre si dichiara, che rimanendo li Monti per disposizione del Testatore sotto nome dell' istesso Testatore, o facendosi la traslazione, o rinovazione a favore, o sotto nome di Primogenitura, e non di Figliuolo Primogenito specialmente) overo sotto nome di Eredità, fideicommisso, o altro nome perpetuo, benchè li Successori fossero figli, o altri Descendenti, in questi casi li Segretarj potranno esiggere intieramente alla ragione delle traslazioni, e rinovazioni delli Estranei, come si dispone al *Capitolo V.*

CAP. III.

Tassa per le rinovazioni negli Antecedenti, e ne' Trasversali in primo grado.

E non essendo li Eredi descendenti per retta linea, ma Madre, e Padre, o altri ascendenti di qualsivoglia grado, ovvero trasversali di primo grado, cioè Fratelli, o Sorelle, ancorchè uterini, ovvero *Ex latere Patris*, concede, che li detti Segretarj, o Pro-Segretarj possino nelli sudetti casi pigliare e riscuotere per la loro portione il doppio della sopradetta Tassa, come sopra stabilita nelle rinovazioni ne' Descendenti, e inoltre il giulio per l'Archiconfraternità della Pietà de' Carcerati, e li due giulj dell' abbondanza per ciaschedun luogo.

E perchè puol succedere, che essendo stati trasferiti li Luoghi de' Monti in un Descendente erede gravato, per la morte del quale devesi fare la rinovazione in un Figliuolo del Defonto, chiamato al fideicommisso paterno, si dichiara, che in questi, ed altri casi simili per riguardare la Tassa dovuta per la traslazione, si attenda il grado dell' ultimo Defonto, dalla persona del quale li luoghi di Monti devono trasferirsi.

CAP. IV.

Tassa per le Patenti Vincolate.

E tutto ciò s'intenda, quando nelle Patenti, o vecchie, o da rinovarsi non vi siano vincoli nè condizioni di sorte alcuna, ma essendovi, e dovendosi far menzione di essi, si concede, che li detti Segretarii, e Pro-Segretarj possino pigliare, e riscuotere un giulio di più solamente per ciascheduna Patente, per ragione del vincolo, nè possono prendere di vantaggio, ancorchè fossero più vincoli, e la Patente contenesse qualsivoglia quantità di Monti, osservando sempre nel resto le sudette Tasse, nel modo, che si è detto di sopra, e senza, che si possino moltiplicare in conto, nè modo, nè maniera alcuna.

CAP. V.

Tassa di rinovazione ne' trasversali oltre il primo grado, ed in tutti gl' estranei.

E se gl' Eredi saranno oltre il primo grado de' trasversali, ovvero estranei potranno li Segretarj, e Pro-Segretarj de' Monti, tanto Camerali, quanto Communità, e di Religione esigere secondo la Tassa a ragione delle rassegne, delle quali si parla nel *Cap. V.*, eccetto però il giulio detto de' Sensali.

E trattandosi de' Monti Baronali, dovrà osservarsi la Tassa di sopra stabilita nel *Cap. III.* dell' Ascendenti, e Trasversali di primo grado.

CAP. VI.

Tassa di rinovazione per causa di legato.

E le sudette Tasse, e Regole fatte nelli casi delle successioni, dovranno inviolabilmente ancora osservarsi nelle traslazioni da farsi per causa di legati, di modo tale, che ne' legati similmente si osservi la persona del Testatore, cioè se sia Ascendente, o Descendente, o Trasversale, o Estraneo, e in tutto, e per tutto, come si è detto di sopra.

Dichiarandosi, che nelli legati che si faranno sopra specie certa de' Monti, o vero de' luoghi de' Monti in genere, ma da Testatore, che abbia una sola specie de' Monti, li Segretarii, o Prosegretarii non potranno esigere, che una sola traslazione direttamente dalla persona del Testatore, in quella del Legatario, ma se si tratterà di legato fatto de' Luoghi de' Monti in genere, ed il Testatore averà diverse specie de' Monti, cioè di diversa erezione, benchè siano dell' istesso valore, in tal caso doveranno farsi, ed esigersi l'emolumenti per due traslazioni, cioè la prima da farsi in persona dell' Erede, e la seconda dall' Erede nella persona del Legatario.

CAP VII.

Dichiarazione intorno alle dette rinovazioni.

Si dichiara, che morendo alcuno, che avesse Luoghi de' Monti in persona d'altri a sua disposizione, e che quelli in persona, de' quali fossero detti Luoghi, o per testamento, o in qualsivoglia altro modo, gli succedessero, o restassero Eredi, in tal caso li detti Eredi, e successori per esser la detta riserva svanita, non siano obbligati, nè tenuti, nè possino essere astretti a rinovare dette Patenti, ma gli bastino, e suffraghino in detto modo, e li Luoghi restino, e corrino in persona loro liberamente, e senza riserva alcuna, mentre però li Defonti Reservatarii di detta disposizione, non abbiano fatto testamento, o in quella abbino sottoposti li detti Luoghi a vincoli, o fideicommissi, o altre disposizioni, nel qual caso, acciochè li detti Segretarj, o Pro-Segretarj, ed altri possino sempre avere notizia di detti vincoli, o fideicommissi, e disposizioni basterà, che faccino menzione di quelli a tergo delle dette Patenti, ed in margine del Libro, dove saranno registrate, e per detta nota, ed attergazione non possino pigliare, nè riscuotere nelli casi sudetti più delle infrascritte somme respettivamente, cioè ne' casi de' Descendenti possino

li detti Segretarii riscuotere la medema tassa detta di sopra nelle rinovazioni de' Descendenti, e ne' casi di Ascendenti trasversali di qualsivoglia grado, o vero estranei il doppio della sudetta Tassa.

CAP. VIII.

Tassa per le fedi, che si danno a' Montisti.

Inoltre occorrendo, che alcun Montista *pro tempore*, tanto dei Monti spettanti alla Camera Apostolica, alle Comunità, Duchi, Baroni, o altre persone particolari per qualche suo interesse domandasse, e facesse istanza di aver fede delli Luoghi de' Monti, che averà alla giornata, si ordina, e comanda, che li Segretarj, o Pro-Segretarj ciascheduno delli sudetti Monti siano tenuti, ed obbligati dargli la detta fede sottoscritta da essi per *extensum* nel modo, e forma, e con le condizioni, che si troveranno espresse nelle Patenti, e loro Registro in tutto, e per tutto, e per detta fede essendo li Monti liberi, e d'una istessa specie, e qualità, non possino li Segretarj, o Pro-Segretarj sudetti sotto le pene, che si esprimeranno più a basso domandare, pigliare, e riscuotere più di due giulj, ed essendo partite diverse, o dell' istesso, o d'altri Monti differenti, e per questo bisognando far fedi distinte, non possino pigliare più d'un giulio simile per qualsivoglia altra contenessero, ed abbracciassero più, e più Luoghi per ciascheduna di esse, ed essendo li Luoghi, de' quali si darà fede vincolati, non possino li medemi Segretarj, o Pro-Segretarj pigliare, nè riscuotere più di tre giulj per qualunque fede, che daranno sottoscritta da loro, come sopra, *etiam*, che la Scrittura fosse eccessiva, e lunghissima, e contenesse più vincoli, e Luoghi espressi nella sudetta fede, o fedi ascendessero a qualsivoglia somma, quantità come s'è detto di sopra, ed essendo partite diverse vincolate, e per questo bisognando far fedi distinte, non possino esigere più d'un giulio per partita e fede, come s' è disposto dalli Luoghi de' Monti liberi, non dovendosi (essendo diverse fedi) considerar differenza tra Luoghi de' Monti liberi, e vincolati.

CAP. IX.

Che dd. Fedi si diano a chi le vorrà, e loro emolumento.

E perchè anco puole facilmente accadere, che li Creditori, o vero Parenti d'alcun Montista, o altre Persone particolari per qualche loro fine, e rispetto abbiano di bisogno d'aver fede delli Luoghi de' Monti, che tiene, e possiede il Montista, con il quale hanno interesse, e che però faccino istanza d'aver detta fede, s'ordina, e comanda, che anche in questo caso siano li detti Segretarj, o Pro-Segretarj tenuti, ed obbligati dar la detta fede a chi la domandarà per *extensum*, e con le condizioni, e nel modo, e forma, che si è ordinato di sopra, e per la detta fede, non possino li Segretarj pigliare, ricevere, e riscuotere più di tre giulj indistintamente per ogni Monte, ogni volta, che sia una partita sola, ed essendo più partite, possino esigere un giulio di più per ogni partita, e ciò s'intenda, ancorchè li Luoghi fossero vincolati, e le fedi contenessero più, e diversi Luoghi, e la Scrittura fosse eccessiva fuor di modo, come s'è detto di sopra.

CAP. X.

Tassa per gl' obblighi, e cassazione de' medemi di *nihil transeat*; Inibizione, ed altro.

E per togliere via, e provvedere tutti gl' ostacoli, ed impedimenti, che potrebbero nascere in evento, che alcun Montista, o Creditore di detti Monti volesse per qualche rispetto, e per qualsivoglia causa obbligare, ed ipotecare li suoi Luoghi a favore de' Creditori, o altre Persone in qualsivoglia modo, o vero sottoporli a vincoli e condizioni, s'ordina, comanda, che li Segretarj, o Pro-Segretarj, havuto prima diligente, ed esquisita considerazione in veder se li Luoghi, che si vogliono obbligare siano liberi, e capaci d'obblighi, e vincoli, o altre condizioni, e ritrovatili tali, si debbano alla presenza de' Testimonj conforme al solito, rogare di detti obblighi, ipoteche, o suppositioni, con fare anco nota di quelle a tergo delle Patenti, ed in margine del Libro del Registro di esse, e nelli loro Brogliardi, acciò sempre tanto da essi, quanto dalli loro successori, se ne possi aver notizia, per schivare tutti gl' errori, che potrebbero dopo commettere, se detti Luoghi si resignassero, e per mercede di detto Rogito, e nota non possino pigliare, nè farsi pagare più dell' infrascritte somme, cioè.

Per un Luogo fino a tre inclusive due giulj.

Per tre Luoghi fino a sei inclusive tre giulj.

Per sei Luoghi fino a dieci inclusive cinque giulj.

Per dieci Luoghi fino a venti inclusive otto giulj.

Per venti Luoghi fino a qualsivoglia somma, e quantità un scudo solamente, e non più.

E la medema Tassa s'osservi nelle cassazioni, ed annullazioni di detti obblighi, di vincoli, ipoteche, cassazioni di Moltiplichi, nelle Cassazioni delle riserve dei frutti, nelle Cassazioni dei Fideicommissi per causa di legittima, o Trebellianica, da farsi sempre di consenso espresso di tutti quelli, che averanno interesse, o d'Ordine, e mandato di Giudice competente con l'*Exequatur* di Monsignor Tesoriere Generale *pro tempore*.

Si proibisce però alli Segretarj, e Pro-Segretarj, che non possino esigere cosa alcuna per annotazione d'esecuzione, che con mandati dei Giudici, ed *Exequatur* di Monsig. Tesoriere, o con mandati di Monsig. Tesoriere si facesse sopra dei Luoghi de' Monti, nè per apposizione di *nihil transeat*, Inibizioni, o Seguestri, nè per la Cassazione de' medesimi se saranno temporanei, e limitati, e se li Luoghi de' Monti si venderanno, o trasferiranno doppo spirato il tempo prefisso nelli sudetti *nihil transeat*, o sequestri, ed Inibizioni.

Si dichiara ancora, che li *nihil transeat*, Sequestri, ed Inibizioni, le quali si concedono senza citazione di parte, se in essi non sarà specificato da Monsig. Tesoriere il tempo, s'intendano doversi osservare per un mese solamente, e spirato detto mese non deveranno attendersi.

Si concede alli detti Segretarj, che per apposizione delle riserve de' frutti da farsi a favore di qualsivoglia persona, tanto perpetue, quanto ad tempus, possano esiggere a ragione di un giulio per luogo, eccettuato però quando li Riservatarii fosse o semplicemente Tutori, Curatori, Esecutori Testamentarj, o Amministratori di maniera, che la riserva non resti a proprio commodo delli Reservatarj, nel qual caso doverà considerarsi, come semplice vincolo.

Si dichiara però per quello riguarda la detta Riserva de' frutti, che quando quella siegue in vigore di Testamento, o di contratto unitamente, nell' atto della traslazione, o Rassegna, in questo caso non possano pretendere cosa alcuna di più dell' emolumento dovuto per la traslazione, o Rassegna.

CAP. XI.

Che le dette Tasse non possino alterarsi.

Si dichiara espressamente, che le sudette Tasse non si possano alterare nè moltiplicare in maniera alcuna, ma s'intendino sempre inclusivamente in tutti li casi sudetti nel modo, che si è espresso, e ordinato nelli Capitoli precedenti nè possino moltiplicarsi li conti nella medesima specie de' Monti, ancorchè le cassazioni si facessero di vincoli diversi.

Cap. XII.

Produzione, fede, reſtituzione, e recognizione di Scritture, e loro Emolumento.

E per proveder anco, che li Miniſtri di detti Monti non ſiano gravati, così nella produzione, e reſtituzione di Scritture, e Cedole di ſopravivenze, che appreſſo detti Segretarj, ſi producono, come nelle recognizioni di d. Scritture, o Fedi di Procura, o Bollettini, che danno con atteſtare, che uno ſia Procuratore, e altre coſe ſimili, ſi è ſtabilita, e fatta l'infraſcritta Taſſa, da oſſervarſi inviolabilmente dalli Segretarj, e Pro-Segretarj di tutti li ſudetti Monti.

E prima per produzione de' Teſtamenti, Codicilli, Fideicommiſſi, Cedole Bancarie, Cedole di Sopravivenze, Mandati, ed Ordini di Giudici, e qualſivoglia altre Scritture di qualſivoglia ſorte, non poſſino li detti Segretarj, e Pro-Segretarj pigliare, e riſcotere coſa alcuna.

Per la reſtituzione di ciaſcheduna di dette Scritture con laſciarne copia collazionata, non eſſendo la copia della Scrittura eccelſiva di modo, che non paſſi due carte, poſſino li medeſimi Segretarj, e Pro-Segretarj per detta copia riſcuotere due giulj, ed eſſendo la Scrittura da due carte in ſù, poſſino pigliare, e riſcuotere li detti due giulj, ed un groſſo ſolamente, e non più per ciaſcheduna di quelle carte, che eccederà il numero di due, e le facciate devono eſſere ſecondo la Taſſa, e forma ſtabilita dalla S. M. di Paolo V. nella Riforma de' Tribunali nel §. 20. *tit. de Regiſtris, extractibus, & exemplis, ſeu copiis.*

Per ciaſcheduna Fede di Procura, o Ordine, o altra atteſtazione per pagar frutti, o che alcuno ſia Erede, e coſe ſimili un giulio, ed eſſendo la Scrittura più di due carte, poſſino pigliare, e riſcuotere un groſſo per carta ſolamente, e non più come ſi è detto di ſopra &c.

Per ricognizione de' Teſtamenti, Procure, Cedole di Sopravivenze, ed altre Scritture di qualunque ſorte, ancorchè foſſero Teſtimonj a riconoſcerle, un giulio per ciaſchedun pezzo ſolamente.

Avvertano però, che ſe ſaranno Scritture prodotte in una produzione ſola, e per l'iſteſſa cauſa, non poſſino riſcuotere per detta ricognizione più di due giulj, ancorchè le Scritture foſſero più, e diverſi pezzi, e ſi riconoſceſſero da più Teſtamenti.

Cap. XIII.

Avvertimenti a' Segretarj nell' ammettere le raſſegne in genere ed in ſpezie di Donne, e minori.

